ANNALES

ECCLESIASTICI

TOMVS PRIMVS

ANNALES ECCLESIASTICI

QVOS POST

CAESAREM S. R. E. CARD. BARONIVM

ODORICVM RAYNALDVM AC IACOBVM LADERCHIVM

PRESBYTEROS CONGREGATIONIS ORATORII DE VRBE

AB AN. MDLXXII. AD NOSTRA VSQVE TEMPORA CONTINVAT

AVGVSTINVS THEINER

EIVSDEM CONGREGATIONIS PRESBYTER, CONSVLTOR SS. CONGREGATIONVM INDICIS LIBRORVM PROHIBITORVM, EPISCOPORVM ET REGVLARIVM, AC SANCTI OFFICII, SOCIVS COLLEGII THEOLOGORVM ARCHIGYMNASII ROMANI, ACADEMIAE PONTIFICIAE ARCHAEOLOGIAE, ET ACADEMIAE HERCVLANENSIS, TABVLARIORVM S. R. E. PRAEFECTVS ETC. ETC.

TOMVS PRIMVS



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA TIBERINA
1856.

SANCTISSIMO ET BEATISSIMO PATRI

DOMINO NOSTRO

PIO IX. PONT. MAX.

AUGUSTINUS THEINER C. O. P.

SEMPITERNAM FELICITATEM

Cogitanti mihi sæpenumero, et anteactæ vitæ meæ tempora animo repetenti non sine benigno quodam Dei misericordiæ consilio factum in mente repræsentatur, ut dum totus profanis rebus ac litteris inhærerem, et longis in illas insumptis laboribus, honorum et laudum curriculum reserari mihi jam cernerem, repente mutato animi proposito ad sacra secederem, et Nerianorum Sodalium collegio me consociarem. Difficillimum ut susciperem opus, et viribus fortasse meis impar, quod tamen inter sacrarum litterarum disciplinas principem pene locum sibi vindicaret, Annalium Ecclesiasticorum continuationem, nihil me magis impulit, quam Gregorii XVI. Decessoris Tui sin minus imperium, at vehementissimis verbis frequentissimeque repetitis nota voluntas. Is enim mihi perpetuus auctor suasorque extitit, ut opus universis Ecclesiæ gestis exponendis et vulgandis a Cæsare Baronio S. R. E. Cardinali pientissimo doctissimoque viro inchoatum, mox ab Ode-

rico Raynaldo, et Jacobo Laderchio, familiæ nostræ alumnis, per alia tempora continuatum, ad nostram usque ætatem perducere conarer.

Domesticam hanc laudem, et sarcinam esse familiaribus sæpe colloquiis pro ea, qua præditus erat, benignitate identidem inculcabat; et qui Pontificis doctissimi monitis et votis obstringi me satis sentirem, Philippi Patris auctoritati hoc opus suis filiis asserentis, ab ipso Pontifice mihi objectæ satisfacere compellebar.

Quapropter nihil de me magnum superbumque cogitans, sed Dei primum Omnipotentis auxilio nisus, mox et sanctæ Pontificis voluntati obtemperans, et fausto ejus omine confirmatus, tantum opus aggressus sum, et quartum prope jam lustrum in id insumpsi. Operi me inhærentem, et sæpe labore fractum recreavit, animumque sæpius addidit Tua, Beatissime Pater, benignitas, Tua quoque hortamenta excitaverunt atque confirmarunt.

Meum proinde erat, volumen hocce mearum in Annalibus Ecclesiasticis exarandis curarum primum fructum, qualiscumque is demum sit, Tuo nomini inscribere. Quidquid enim novi, aut quid momenti alicujus inibi reperietur, Tibi, Tuæque debetur benignitati; Tu quippe voluisti, ut non solum perpetuo mihi tribueretur, quod Gregorius concesserat, Vaticana Tabularia reserari, erutisque ex illo totius antiquitatis thesauro monumentis opus meum omne fulciri et confirmari, sed etiam clarissimo viro Marino Marinio de re publica litteraria, deque Vaticanis ipsis Tabulariis optime merito, studiorumque meorum eximio fautori, me socium addidisti in iisdem custodiendis asservandisque, quo mihi magis facile esset, quæcunque e re forent, ex illis thesauris haurire, et meos hosce labores absolutiores reddere.

Optassem sane, Beatissime Pater, lætiora felicioraque sæcula, quam quæ enarrare incipio, mihi obvenisse. Teterrima porro tempora, nec ullis satis lacrymis deplorata, quæ hic re-

cognoscenda proponuntur! Filii quippe ingrati ac perditi, bonorum omnium prope dixerim pertæsi,[1] quibus fruebantur dum in Ecclesiæ gremio foverentur, et unius veri Pastoris caulas fastidientes, Ecclesiæ ipsi vale dixerunt, et omni ad eamdem evertendam impetu ferri non destiterunt. Attamen si Tibi successivis libuerit horis aliquid ex nostris hisce Annalibus delibare, animum levabit, recreabitque perpetua, et in illis apertissime emicans Tuorum laus. Petri enim Successorum, Romanorum Pontificum ductu Sancta Dei Ecclesia, non solum sive dolos, sive adhibitam omnium inimicorum vim et audaciam contudit, atque elusit, sed ab ipsis præliis semper ornatior robustiorque remeavit. Ininterruptam hanc triumphorum seriem enumerantibus mentem subeunt, quæ jam suo ævo admiratione perculsus Chrysostomus asserebat: „Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentaverunt? quot sartagines? quot fornaces, ferarum dentes, gladii acuti? nihilque profecerunt. Ubi-

[1] Cantic. Canticor. 1. 7.

nam sunt hostes illi? silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? plus quam sol splendescit. Quæ illorum erant, extincta sunt; quæ ad illam spectant, immortalia. Si cum pauci erant Christiani, non victi sunt, quando orbis totus pia religione plenus est, quomodo illos vincere possis? - Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. - Et jure quidem. Amabilior est enim Ecclesia Deo, quam cœlum ipsum. „ [1] Et alibi: „ Nam Ecclesia firmioribus quam cœlum ipsum radicibus hæret; et facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri. Quis, inquit, ista prædicat? Is, qui eam fundavit. Hæc non modo dixit, sed et complevit: cur illam magis fundavit, quam cœlum? siquidem est cœlo prætiosior Ecclesia. Quare conditum est cœlum? propter Ecclesiam, non Ecclesia propter cœlum. Cœlum conditum est propter hominem, non homo propter cœlum. Id perspicuum est ex iis, quæ fecit

[1] Homil. ante exilium. Oper. Tom. III. pag. 415. edit. Montfaucon Parisiis 1721. fol.

Christus. Non enim cœleste corpus assumpsit. „ [1] Tanta laus, tantus triumphorum splendor uni illi Ecclesiæ servatur, quæ Petrum ejusque Successores rectores habet. Hæc enim est mistica illa navis, quæ licet quibusvis immanibus agitetur procellis, fluctibus et cunctis elementis per ævum in ipsam conjuratis imperat, ut Maximus Taurinensis ornate satis et eloquenter animadvertit: „ Hanc igitur solam Ecclesiæ navem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: „ Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. „ Quæ navis in altum sæculi hujus ita natat, ut pereunte mundo, omnes, quos suscipit, servet illæsos. Cujus figuram in veteri videmus Testamento; sicut enim Noe arca, naufragante mundo, cunctos, quos susceperat, incolumes reservavit; ita et Petri Ecclesia, conflagrante sæculo omnes, quos amplectitur, repræsentabit illæsos; et sicut tunc transacto diluvio ad arcam Noe columba signum pacis detulit;

[1] Homil. IV. in Isaie. Oper. Tom. VI. pag. 112.

ita et transacto judicio ad Ecclesiam Petri Christus pacis gaudium defert; quia ipse columba vel pax est, sicut promisit, dicens: „ Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum. „ [1]

Sed quid eas commemorem victorias, Sanctissime Pater, quæ superioribus sæculis Dei nutu Ecclesia retulit, cum nullum sit ævum, nullum tempus, nulla ut ita dixerim dies, quæ illius laudibus et triumphis aliquid non afferat et addat. Tibi enim ea omnis potestas tradita est, quæ Petro, Petrique Sucessoribus in regenda Ecclesia debebatur, et ad Te spectat, ut nihil deminutum, nihil commutatum sentias, sive quod jurium, sive quod divini privilegii Petro fuerat concessum: „ Petrus scilicet, Græci uno ore Latinique omnes Patres exclamant, chori Apostolici coriphæus, os Apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Ecclesiæ, ardens Christi amamator. „ [2] - „ Chori Apostolorum princeps, os discipulorum,

[1] Sermo 89. oper. edit. Romæ 1784. fol. pag. 641.
[2] J. Chrysostom. Homil. II. in Timoth. Oper. Tom. VI. pag. 282.

firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator, qui genus nostrum ex profundis errorum in cœlum adduxit, ubique fervidus et libertate plenus. „ [1] - „ Apostolorum coriphæus, fundamentum immobile, petra, quæ frangi nequit, Ecclesiæ princeps, portus inexpugnabilis, turris inconcussa. „ [2] - „ Apostolorum summus et Princeps, et regni cœlorum claviger. „ [3] - „ Omnis quippe in eo stabilita fides est, qui cœli claves accipit; qui et in terra solvit, et ligat in cœlo. In eo siquidem subtiliores quælibet fidei quæstiones reperiuntur. „ [4] - „ Petrus, dicam, ille, quem Dominus elevandus in cœlum, amoris sui nobis veluti Vicarium reliquit; „ [5] - quique, ut Patres Concilii generalis Ephesini [6] et Chalcedonensis [7] di-

[1] Idem Homil. in Matth. XVIII., 24. Oper. Tom. IV. pag. 4.
[2] Idem Homil. in S. Petrum Oper. Tom. II. pag. 731.
[3] S. Cyrill. Hieros. Catech. II. 19. XI. 13. XVII. 27. pag. 150. 277. ed. Bened.-Maur. Parisiis. 1720.
[4] S. Epiphan. Ancorat. §. 9. Oper. Tom. II. pag. 14. edit. Dio. Petavii Soc. Jesu Parisiis 1622.
[5] S. Ambros. in Luc. X. 175. Oper. Tom. I. pag. 1542. ed. Benedict. Venet.
[6] Epistol. ad Cælest. I.
[7] Act. II.

cunt, semper in Successoribus vivit, et judicium exercet; cujusque Successores quotidie a sacro ipsorum doctore Petro docentur, oves Christi, per totum quacumque incolitur orbem, sibi creditas pascere, non vi, sed sponte coactas. „ [1]

Quænam Tibi harum defuit laudum? Quanam in re Petri prærogativam adhibere, totius Christiani gregis plausibus prosequentibus, Tibi quæso, non usuvenit? Cuinam Petri munerum defuisti? Præclara, ne audacius quid dixerim, præclara illa tempora solemniori quodam ritu, et inusitata ratione reipsa revocasti, in quibus Romani Pontifices ad profligandas ac debellandas hæreses, revelata a Christo Domino dogmata Catholicis omnibus profitenda asserendaque inconcusso judicio sanciebant. Cum enim totius Christiani orbis votis desiderioque satisfecisti, credi jubens, in ipso, quo esse incipiebat, temporis momento Beatissimam Virginem Dei Redemptoris gratia, et privilegio penitus singulari, ab ipsa Adamitica labe fuisse præservatam,

[1] Epist. Episcoporum Orientalium ad S. Symmach. an. 502. apud. Mansi Tom. VIII. pag. 221.

tum Deo Te maxime probavisti, tum sempiternam Tibi laudem ac proprium decus ad Ecclesiæ totius memoriam cumulasti.

Sed quid plura dicam? Eximia sane Tua modestia obstat, quominus laudes Tuas, tum privatas tum publicas, percenseam, et Tua merita, universæ satis Ecclesiæ perspecta, enumerem. Cuinam tempestati, quæ in Ecclesiam sit exorta, virile et invictum pectus non opposuisti? Quantis ex insidiis, quas Tibi, Sanctæque Sedi teterrimi Ecclesiæ hostes struere non cessabant, Deo duce, incolumis evasisti? Optimo sane jure cum Regio Propheta exclamare potes: „ Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. „ [1]

Accipe itaque, Sanctissime Pater, hunc primum meorum Annalium manipulum, eumque, quod supremi Tui sacerdotalis muneris est, Deo offer, ut consacretur, ut sic in eo re-

[1] Psalm. LXXII., 23

liqua messis benedicatur.[1] Demum vehementer omnium bonorum largitorem exoro, ut Te, Beatissime Pater, quamdiutissime incolumem custodiat, ac tueatur, qui difficillimis hisce temporibus Ecclesiæ suæ inscrutabili Providentia voluit Te esse præfectum; atque ad tuorum pedum osculum provolutus, a Te peto, ut Apostolicam Benedictionem mihi impertiaris, qua et labore jam fractus erigar, et quod reliquum est alacri animo prosequar.

Dabam ex Musæo Vallicellano XI. Kalendas Augusti MDCCCLV.

[1] Levitic. XXIII., 10. 11.

LECTORI BENEVOLO

Annalium Ecclesiasticorum opus a Baronio Patre cœptum, et post Laderchium, postremum illorum continuatorem, jam per centum et amplius annos non sine magno eruditorum hominum dolore, et sacrarum litterarum, præsertim Ecclesiasticæ Historiæ, detrimento a nemine quoquam pertentatum, iterum aggredienti pauca mihi præfari necesse est.

Si quid enim a prima illa decessorum meorum, et præcipue Raynaldi et Laderchii in Historia conscribenda methodo recedendum putavi, non quidem, quod aliquid in eis reprehendendum repererim, factum credas velim; sed quod historiæ enarrandæ nova quædam ratio nostro hoc ævo summo multorum studio excogitata, et in morem inducta videatur.

Ingentem veterum monumentorum molem non permixtam, et veluti incompositam, sed in regna et provincias tributam, distinctiori et aptiori quodam ordine circa singulas res ac negotia referendam duximus. Regnorum porro seriem ita distinximus, ut primum quæ Romanum Imperium respiciunt, afferamus: propterea quod per ea tempora præclarissimum locum in Christiana Republica universa Germanorum Rex, in Romanorum Imperatorem Electus obtineret, cum is ipsis Romanis Pontificibus auctoribus, de more etiam institutoque, et ex vetustissimis Imperii legibus veluti quidam Ecclesiæ ipsius Advocatus et Assertor haberetur. Subjunximus deinde res eorum regnorum, quæ aliquo amicitiæ vel obedientiæ vinculo eidem Imperio copulabantur. Reliquis mox Europæ, quæ ad Septentrionem vergunt, provinciis enarratis, ad ea regna, quæ ad meridiem spectant, exordio a Galliis sumpto, gradum facimus. Res earum orbis partium, quæ sive per Americam, sive per Orientem totum recentius fuerant detectæ, proprium sibi locum vindicant, ubi de Hispanis Lusitanisque rebus sermo habetur, utpote quæ Hispaniæ legibus et Lusitaniæ pene totæ subderentur: si quid porro minus aperte proprium in aliquo regno locum reperisset, ad singulorum annorum calcem rejecimus.

Quæ monumenta, et res gestæ ad publica negotia spectarent, nisi ea arctissimo quodam nexu cum Ecclesiasticis copularentur, aut religiooi ortum deberent, aut demum Romanorum Pontificum æquissimo arbitrio permissa, et ab illis in melius sint composita, sermonibus nostris elucidanda non duximus. Satis enim erat inconcussæ fidei monumenta proferre, quæ rem totam explicarent, et errores vel, quod sæpius fit, tum veterum, tum recentiorum historicorum calumnias nativa sua facie penitus exploderent.

Raynaldus, et fortassis etiam magis Laderchius recepto suæ ætatis more adducti, plura ex eorum libris jam in vulgus editis, qui suorum temporum historias enarraverant, exscripserunt, et Annalibus quisque suis inseruerunt; monumenta vero non integra addiderunt, sed summa eorum capita, et decerpta quædam loca protulerunt; nec vero jamdiu vulgatis iterum referendis abstinuerunt. Quæ omnia secus gerenda putavimus. Aliorum scriptorum loca, nisi si forte illorum verba nostris præferre visum est, cum eorum narratio nostris aliquando monumentis admussim conveniret, nunquam alias attulimus. Monumenta ipsa nulla ex parte resecanda existimavimus et integra exscripsimus, mox operis in longius ob illorum verba excurrentis brevitati consuluimus, nostra quam paucissima verba ad rei gestæ modo ordinem indigitandum addentes. Monumenta suorum quæque temporum et virorum, qui ea protulerunt, ipsissimam faciem referentia, multo nimium majori in pretio habenda putavimus, quam excultam licet et expolitam, sed recentiorum verbis conciunatam historiam. Monomenta vero, quæ jamdiu vulgata hominum manibus teruntur, prætermittimus, allatis solummodo auctoribus, qui ea in lucem protulerunt; quorum tamen nonnulla, triginta pene numero, per tria hæc Annalium volumina, huc illuc inserta, ubi repereris, factum noveris, vel quod libris continerentur paucis admodum hominibus compertis, et quæ rarius difficiliusque reperiri et comparari possint; vel quod rebus aptius pingendis imprimis necessaria viderentur.

Ad ipsam narrationis seriem addidimus Mantissam, ut vocant, ex illis monumentis collectam, quæ exterarum gentium linguis conscripta reperimus, nec in latinam convertenda putavimus, ne nativus omnia eorum lepor interiret. Rerum, quæ illis monumentis continebantur, summam perpaucis verbis ductam narrationi intulimus. Eadem Mantissa continet et epistolas ab Apostolicæ Sedis Legatis ad Gregorium XIII. S. P. vel Cardinalem Comensem, quem a secretis ille habuit, de gravissimis negotiis, sæpe etiam secretis notis scriptas.

Perspicies porro, quam sæpe res etiam minoris momenti, quæ nullatenus Ecclesiam spectant, nobis pertractanda veniant, eo quod Catholicæ gentes et Principes solerent non in Ecclesiasticis modo, sed et in publicis aliis negotiis ad S. Pontificem sæpissime confugere, et eum non solum communia omnium Parentis, sed et summi rerum omnium arbitri et auctoris loco suscipere et venerari.

Monumenta relata ea fide ad Codices manuscriptos libellosque contulimus, ut ipsam eorum verba exarandi rationem, sæpenumero mendosam, adhiberemus. Recentiores autem palæographos sequuti, monumenta suorum eujusque auctorum manu descripta ab illis distinximus, quibus ipsi solummodo subscripserunt: illa autographa, hæc originalia nuncupavimus. Noruut enim omnes, viros etiam Principes sæpissime ad S. Pontifices manu sua perscriptas litteras dare, quo filiorum erga illos obsequium apertius testentur. Hæc vero distinctio nonnisi in Mantissa locum habere poterat. Litteris Legatorum Pontificis et aliorum virorum nullam

addidimus notam, utpote quæ ad unam fere omnes propria eorum sint manu exaratæ.

Supervacaneum erit animadvertere, omnia istæc horum voluminum monumenta ex unis Vaticanis Tabulariis felici quodam facto derivari. Gregorius quippe XIII. pervigil Pontifex, omnia sui Pontificatus monumenta summa cum diligentia collecta, non in tabularia singularum Congregationum, vel Curiarum negotiis ecclesiasticis expediendis præfectarum referri, nec in gentis suæ bibliothecam traduci passus est: sed omnia voluit in Vaticanas ædes recondi, quo suæ gloriæ, honori S. Sedis, et communi Ecclesiæ bono prospiceret. Dolendum porro sapientissimum consilium temporibus reliquorum Pontificum non fuisse satis religiose observatum, et sic nonnullorum incuriosorum negligentia factum, ut multa monumenta temporum vicissitudinibus objicierentur, et non sine Ecclesiæ et rei historicæ damno pessumdarentur.

Nec demum mireris, tota tria volumina narrandis Gregorii XIII. rebus a nobis insumi; facile enim perspicies id non solum ingenti rerum copiæ deberi, sed etiam temporum eorum conditioni cuidam divina voluntate feliciorum. Prædecessores enim Gregorii Pontifices Ecclesiam diuturnis et abnormibus procellis exagitatam, et in discrimen veluti adductam conspexerant; at Tridentina demum Synodo feliciter absoluta, et immani Turcarum impetu fracto sub Piis IV. et V. Pontificibus, Ecclesiæ et orbi Christiano optata tandem quies illucescere cœperat. Principes, sacri Præsules, populi ipsi ad Pontificem confugere, sancta quadam æmulatione impulsi, vulnera recenti sanguine madentia sananda exhibere, curas, per turbata tempora inimicorum vi præpediente intermissas, postulare. Quam impigre, quanta animi alacritate et magnitudine Gregorius precibus satisfecerit, et operi insudaverit, Annales nostri satis docent. Talis tantusque Pontifex pacem Ecclesiæ et tranquillitatem reddidisse, et obfirmasse merito dicendus: lætiora quippe et pacatiora tempora, quæ sub successoribus Gregorii Pontificibus eidem Ecclesiæ obtigerunt, sapientissimis maxime ab eo confirmatis institutis debentur.

Orbe terrarum penitus universo istiusmodi ratione ad Gregorium convolante, monumentorum congeries in amplissimam molem succrevit, nec unius potuit voluminis ambitu contineri: neque enim annorum numero, sed rerum gestarum copia historiæ spatia dimetiare. In enarrandis rebus gestis cæterorum Pontificum brevioribus nobis esse licebit, ita ut tempora omnia, quæ a Sixto V. ad Pium VII. fluxere duodecim plus vel minus voluminibus complectamur; id spondent documenta, quæ a nobis diligentissime undique collecta præ manibus habemus.

En tibi, Lector humanissime, consilium et rationem, qua in Annalium Ecclesiasticorum opere provehendo usi sumus. Quod pro tua benignitate facile probaveris, si animadverteris, nobis cordi fuisse, revocatis ad veritatis normam rebus gestis, codicem quodammodo diplomaticum Ecclesiæ adornare universæ, qui veluti purissimus fons omnibus pateret, quicumque sive Ecclesiæ universæ historiam, sive peculiarium Catholicorum regnorum adornare instituerent. Nec enimvero suo etiam studio aliqua ex parte fraudarentur, qui de profanis et patriis historiis scripturi, in illum oculos intenderent. Confidimus laborem hunc nostrum eo gratiorem omnibus fore, quo minora numero monumenta, ad res Ecclesiæ proximorum sæculorum pertinentia, præ manibus eorum versantur.

Libuit demum cuique Annalium volumini perbrevem rerum præcipuarum indicem subjicere, ampliorem ad calcem absoluti operis paraturi.

Utere igitur, Lector humanissime, hoc, quale id cumque sit, opere nostro: Deumque adprecare, ut nobis vires suppeditet, quibus brevi annorum curriculo totum absolvatur. In animo enim est, hoc expleto Raynaldianos Annales emendatiores, locupletioresque redditos, iterum typis mandare, et eam præcipue operis partem, quæ auctore suo vita functo in lucem edita, postremas ejus curas desiderasse videtur. Illa quidem continet gesta summi momenti, quæ tum teterrimum illud schisma, quod recentiores specioso nomine Reformationem sæculi sexti decimi nuncupant, tum historiam ipsam sacrosancti Concilii Tridentini spectant. Deinde manum admovere cogitamus Laderchianis Annalibus, acutiori etiam trutina indigentibus. Ad id nos impellunt, tum varia, quæ desiderantur in utriusque viri Annalibus, tum præclarorum virorum, qui summa cum laude hoc ævo res historicas excolunt, adhortationes, qui nos ad hoc operis impellere et inflammare quotidie non cessant.

ARGUMENTUM

MDLXXII.

PIVS PP. V.

GREGORIVS PP. XIII.

MDLXXIII.

MDLXXIV.

I. — Dum adhuc sibi Roma gratularetur de relata ad Naupactum victoria, et exuvias a celeberrimo illo duce Marco Antonio Columna de immanissimo hoste raptas, Piique Pontificis jussu in Capitolio constitutas frequens inviseret ovansque, subitus inopinusque de adversa tanti Pontificis valetudine rumor subeunte anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo urbem totam pervasit et mœrore affecit. Mox urbe egressus orbe toto percrebescere cœpit, et omnium fere exterorum principum aures implevit, animosque anxios habuit. Nec se continuere quin intimos animi sensus litteris ad eum missis quamplurimi consignarent. Tum vero assiduis precibus sive privatim in domibus sive catervatim in publicis Ecclesiis omnes cives exterique Deum obtestati, ne tanti facinoris auctorem, a quo ingruentes Ecclesiæ hostes æque profligati, et toti hominum reipublicæ salus cum perenni gloria parta fuerat, intempesta humanis rebus morte præriperet. Visus tum fractis morbi viribus in pristinam bonam valetudinem redire S. Pontifex, nec vel ætate vel morbo quidquam animo deminutus, regendo Ecclesiæ et reipublicæ clavo solita animi firmitate præsto fuit.

II. — Marcum igitur A. Columnam Legatum ad Italiæ principes mittit, ut eos hortaretur et urgeret, ut sacrum contra Turcas sociale bellum prosequerentur, acriusque cierent. Tum ut merita peractis præmia laboribus tribueret, et alacriores animos adderet ad futura Domini prælia commiscenda ensem ac pileum solitis Ecclesiæ cæremoniis precibusque dedicatum Joanni Austriaco magno illi maris arbitro dono mittit. Muneri litteras hasce addit Pontificiæ benevolentiæ luculentissimum testimonium. (*)

(*) Regest Pii V. Au vn. ep. 28.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni ab Austria Totius Classis Confœderatorum Principum Christianorum Præfecto, et Capitaneo Generali.

PIVS PP. V.

Dilecte fili, Nobilis Vir salutem etc. Mittimus Nobilitati Tuæ per dilectum filium Horatium Marchionem Malæspinæ, familiarem, et Cubicularium nostrum ensem, et pileum, quem vetere Romanorum Pontificum instituto benediximus in Sacrosancta Natalis Domini Nostri Jesu Christi celebritate. Existimavimus autem hoc munus Tuæ maxime Nobilitati convenire, non ut te adversus hostem incenderemus; experti enim sumus, nihil posse fieri ardentius, sed ut esset hoc a Nobis posteris omnibus testimonium singularis virtutis tuæ in Christiana Ecclesia tuenda, atque ulciscenda. Itaque oramus Deum, ut una cum his insigniis muniat caput tuum galea salutis, dexteram autem armet gladio spiritus, ut et te Ecclesiæ Suæ diu servet incolumem, et per te propulset tum ab ista Classe, cui præes, vitia omnia, quæ sunt pernicies animorum, tum vero ab ipsa Ecclesia universa istam, quam delere cupis, barbarorum luem, quæ est corporum pernicies, hoc secundum facile impetrabimus, si primum illud tenebimus, quantum poterimus, ut animos ab omni labe puros, atque integros habeamus. Ubi enim agimus causam Christi, ipse agit nostram. Ut autem eo, quo decet honore, et frequentia celebretur hoc

nostrum virtutis tuæ testimonium, volumus, ut peracto per aliquem Catholicum Antistitem, quem malueris, sacrosancto Altaris Sacrificio, eo in tempore, quod opportunius judicaveris; idem Antistes ensem hunc, et pileum cum iis cærimoniis, quæ adhiberi solent, Nobilitati Tuæ nostro nomine tribuat. Nos autem omnibus utriusque sexus Catholicis vere pœnitentibus, et confessis, qui ipsius Missæ celebrationi, vel integre, vel aliqua ex parte, vel in extremo, tum cum Antistes populo benedicit, interfuerint, et pro Sanctæ Matris Ecclesiæ amplitudine, et pacis, ac concordiæ inter Principes Christianos conservatione pias ad Deum preces effuderint, ejusdem Dei misericordia, et Beatorum ejus Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam misericorditer in Domino concedimus, et elargimur. Ipsum autem Horatium Marchionem Malæspinæ cupimus Nobilitati Tuæ quam commendatissimum esse, quod facile speramus iis de causis, quibus eum plurimum amamus, sua ipsius scilicet virtute, integritate, et Nobilitate. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX Martii MDLXXII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

III.—Cæterum præcipuus S. Pontificis angor ex eo proluebat, quod plurimos Christianorum Principum vecordia æque torpescentes, vel mutuis modo discordiis agitatos, nihil sollicitus videret de recuperanda Palestina, et locis a Divino Redemptore lustratis sacratisque a Turcarum manibus vindicandis. Hanc præcipuam esse rebatur causam, cur salutare illud opus ad exitum perduci nondum potuisset. Hos animi sui angores, hoc consilium omnibus idem Pontifex effusissimis aperiebat querelis, quotquot ei de insigni apud Echinadas parta victoria gratulati fuerant. Sint rei exemplum, quas piissimo Alberto Bavarorum Duci litteras reddidit, ne de aliis quamplurimis regibus principibusque viris mentionem facimus. (*)

(*) Regest. Pii V. An. VII. ep. 13.

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ.

PIUS PP. V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir Salutem, et Apostolicam benedictionem. Charitas, et pietas Nobilitatis Tuæ multis tuis in rebus gestis tota vita testificata, de quibus tum ab aliis permultis, tum vero quotidie magna cum voluptate audimus a dilecto filio nostro Othone Truchses Cardinali Augustano nuncupato facile sese ostendit in tuis literis, quibus gratularis de tam insigni victoria Ecclesiæ Suæ a Christi virtute tributa. Sic autem decet Christi, et Ecclesiæ lætari parentum honore et gloria, eamque suam ipsius propriam existimare, et gratiis perpetuo agendis eandem, quam accepit, lætitiam referre; filius enim sapiens lætificat patrem, stultus vero mæstitia est matri suæ. Atque utinam Principes omnes nominis Christiani, tui similes haberemus; vidissemus, quod jamdiu cupimus, quodque non sine summo dolore recordari non possumus loca illa, quæ Christus Dominus, et Deus noster vivens corporis, moriens sanguinis, mortuus carnis suæ tactu consecravit ab illa impurissima lue vindicata, sed non patitur diabolus, atque ejus ministri esse Christianorum omnium cor unum, et animam unam. Quid ergo aliud restat, nisi ut rogemus eundem Dominum Nostrum, ut pulso diabolo reducat eos, quos ille abduxit, jungatque corda omnium charitate sua? Hoc et ipsi facimus, et te quoque facere speramus; facile autem impetrabimus, si et ipsi ab omni labe puri erimus, et commissum Nobis ab eo gregem omni vigilantia custodierimus; neque enim abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat. Interim autem confidimus, esse Nobiscum in sua causa eundem Dominum exercituum, qui sæpe parva manu fugavit validissimos, atque ingentes exercitus, quique Spiritu ipso potest universam illam barbariem ut fumum dissipare, et perdere: ut autem velit, non cessamus eum orare; in quoque tuis ac Catholicorum tuorum precibus publice, privatimque adjuvari rogamus. Ita tibi idem Deus Omnipotens pro ista tua tam insigni virtute, et pietate prospera omnia, et læta concedat. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Martii millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. Pontificatus Nostri anno septimo.

IV. — Omnibus, quæ sacrum bellum ad felicem exitum deducerent sedulo solerterque dispositis, Pius ad religionis negotia animum advertit; ut Ecclesiæ imperium et fines augerentur, et renascentia in dies hæresum capita decuterentur æque sollicitus. Hac de re Joanni Cerdæo Duci Medinæ Cæli nuncupato summæ gravitatis et moderationis viro, quem Duci Albano in regendis fœderatis Belgii provinciis Hispaniarum Rex suffecerat, litteras dedit: quibus ei de collato honore gratulatur, et eum ad jura Ecclesiæ strenue tuenda hortatur illis in regionibus tum temporis miserrime proculcata. (*)

(*) Regest. Pii V. An. VII. ep. 1.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni de Cerda Duci Medinæ Cæli Regis Catholici in Statu Flandriæ Gubernatori, et Capitaneo Generali.

PIUS PP. V.

Dilecte fili, Nobilis vir Salutem, et Apostolicam benedictionem. Lectis tuis literis, quibus significabas te a Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico Provinciæ Flandriæ præfectum, lætati sumus, non ipso imperii, quod adeptus es, splendore, et gloria, aut de tua virtute expectatione, et amplissimo Regis ipsius testimonio; sunt enim hæc, ut humana omnia, fluxa, et caduca, suntque in

ipsa rerum publicarum administratione omnia curarum, et periculorum plenissima, quod quidem re ipsa Principes omnes, quotidie experiuntur, non tam igitur his de rebus gratulamur, quanquam sunt illæ quidem honorificæ, et gloriosæ, quam quod tibi in ista Provincia obtulerit Deus pulcherrimam occasionem, maximeque optabilem, ac tua virtute dignissimam, de Ecclesia, ac Christiana Religione benemerendi, ac sempiternam apud se laudem, et felicitatem adipiscendi, ipsius Religionis causa amplectenda, atque omni ope juvanda: quod quidem te pro tua pietate facturum non dubitamus: ac si ullus apud te cohortationi locus esse potest, ut id facias, atque omnes curas, et cogitationes tuas ea in re defigas, ipsosque Catholicos quam commendatissimos habeas, et quibuscumque rebus poteris, juves, te, quantum possumus, rogamus, atque hortamur. Quod difficili, ac periculosa navigatione, ut accepimus, a principio usus fueris, dolemus. Quod Nobis de victoria gratularis, agnoscimus pietatem tuam, et Divinam bonitatem rogamus, ut sæpius, ac tamdiu Nobiscum similibus de causis gratuleris, dum fœdissimum illud monstrum, et Christi inimicum penitus fractum, atque extinctum, Christianamque Religionem, et Christi ipsius nomen, et gloriam toto orbe diffusam latissimeque propagatam videamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Februarii millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno septimo.

V. — Ob insigne studium in arcendis a commissa sibi provincia hæreticis Othoni Henrico Schwartzembergensi, qui Badensem Marcam a Cæsare regendam acceperat maximas impertitur laudes. [*]

[*] Regest. Pii V. An. VII ep. 12.

Dilecto Filio Nobili Viro Comiti Othoni Henrico de Schwartzemberg Marchionatus Badensis Gubernatori.

PIVS PP. V.

Dilecte fili, Nobilis vir Salutem, et Apostolicam benedictionem. Nullam unquam duximus posse in Ecclesia Dei reperiri pestem hæretica perfidia capitaliorem. Cæterarum enim Sectarum homines non tam laborant de religinne, quam de imperio propagando, in quo etiam aperte hostes sunt quos facile caveas, hi vero eo sunt exitiosiores, quo lectiores, et mentita fidei professione nobiscum conjunctiores, et quod perniciosissimum est, animorum, et Catholicæ in primis Religionis extinctores, ut merito a Sanctis Patribus nominentur fures, latrones, lamiæ, diaboli filii, antichristi, qui cum simulant veritatem tueri, tum id maxime agunt, ut oppugnent, utque oves sejungant a pastore, filios a matre, membra a corpore, quorum non solum convictus sed ipse etiam sermo est exitiosus: portant in ore perditionem, et in labiis ignem condunt, loquuntur, sed non ab ore Domini; serpitque eorum sermo, ut cancer. Hanc tam exitiosam pestem non a suis tantum auribus Nobilitatein Tuam semper repulisse, sed a tota ista præfectura exterminasse, dici non potest, quanto cum gaudio acceperimus a dilecto filio nostro Othone Truchses Cardinale Augustano nuncupato. Cum enim deterius multo sit cognitam semel veritatem deseruisse, quam nunquam agnovisse; lætandum certe est magis eorum ab interitu ereptione, qui veritatem agnoverunt, quam nova aliorum cognitione. Cumque hoc nostrum gaudium tua opera non uno aut altero cive retinendo, sed tota ista provincia conservanda, et hæreticis perfidis arcendis, et coercendis cumulatum sit, qui possumus istam tuam tantam, tamque insignem virtutem non magnopere commendare? Sed nihil opus habet mortali ab homine commendatione is, quem immortalis laudat Deus, et homo Christus. Perge itaque ut cœpisti, et istius tam præclari facti præmium amplissimum, et sempiternum expecta ab eo, cui gratissimum est sacrificium zelus animarum. Nos Deum oramus, ut qui te Nobis conjunctissimum esse voluit ista cura, quæ Nobis semper hæsit in medullis, ita faveat nostro communi desiderio, ut omnis hæreticæ pestis extinctione, atque omnium gentium Christi cujus, et sanguinis veneratione videamus ipsius nomen et gloriam toto orbe propagatam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Martii millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Pontificatus Nostri Anno septimo.

VI. — Hæresi repellendæ et proterendæ nihil accomodatius ratus, quam si sæpius Sacræ Synodi Episcoporum haberentur, Germaniæ præsules, imprimis Moguntinum ad eas cogendas hortatur. [*]

[*] Regest. Pii V. An. VII ep 7.

Venerabili Fratri Danieli Archiepiscopo Moguntino Sacri Romani Imperii Principi Electori.

PIVS PP. V.

Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam benedictionem. Dilectum filium Georgium de Schovembugh istius Ecclesiæ tuæ Moguntinæ Decanum, et ex tuis literis complexi sumus, et merito etiam suo multum amavimus: magnam enim in eo agnovimus gravitatem, probitatem, religionem, et quod Nos vehementer delectavit, summam in te observantiam, et pietatem. Itaque facile a Nobis reportavit omnia quæ cupiebat; hoc etiam amplius, quod ille quidem pro sua modestia minime cupiebat fecimus illum Sedis Apostolicæ Prothonotarium, ornavimusque hoc munere antiquissimo, et in Ecclesia Christi gravissimo, quod in Martyrum gestis scribendis maxime versatur. Talem autem virum tam utrique nostrum probatum idoneum duximus, per quem gravissimis de rebus tecum ageremus, sed coegit Nos nostra sollicitudo, qua pro

nostro munere de omnibus Ecclesiis dies, noctesque angimur, eisdem etiam de rebus per literas agere, quam quidem sollicitudinem non minima ex parte Fraternitati Tuæ communem esse voluit Divina benignitas. Quod autem magnopere cupimus, illud est. Vides, te præesse Ecclesiæ, tam multarum ecclesiarum, tam insignium, tam late patentium Metropolitanarum, de quibus Ecclesiis oportet Fraternitatem Tuam æque ac singulos earum Episcopos laborare, eumque illis parem curam suscipere: hoc etiam majorem; illos enim te intueri, atque a te pendere compertum habemus, cumque agitur de moribus, deque Ecclesiastica disciplina restituenda, ad te rejicere, atque ita respondere; expectabimus Synodum Provincialem Moguntinam. Hanc Synodum te hactenus distulisse magno cum dolore, ut par est, pietatem tuam non dubitamus, multasque apud te ejus differendæ causas, ac difficultates extitisse. Verum tu ipse optime intelligis, opus Dei, rebus, ac rationibus nostris omnibus longe anteferendum esse, Deumque ipsum sus in causa semper præsentem, præstoque esse, ac difficultates omnes citius multo, ac facilius, quam ventum vehementissimum tenuissimas paleas, aut pulverem disjicere, quæque Nobis videntur difficillima, ad implorandum, ac perficiendum, modo nihil aliud nisi ejus honorem, et gloriam cogitemus, reddere facillima, atque expeditissima, et tanto quam ipsi expectabamus ampliora, ut invictam, et benefactricem ejus manum nunquam satis laudare possimus. Hoc Nos proxima victoria experti sumus: nihil enim videbatur humanæ rationi hac fœderis conjunctione difficilius ad tentandum, nihil disjunctius ad copulandum, nihil ipsa victoria majus ad sperandum, nihil incredibilius ad obtinendum. Ecce autem summo, ut semper profitebimur, Dei ipsius, in quo nostra omnis spes in tanto incœpto sita erat, auxilio subito factum est fœdus, junctæ vires, bellatum, triumphatum. Nunc quoque in tanto fœdere hoc sustinendo magna rerum omnium difficultate, et inopia laboramus, sed qui tam ampla a Deo pignora possidemus, qui possumus reliqua ab ejus benignitate non expectare? Hac quoque spe te frater præditum esse oportet, ac pene etiam dicam majore: Nos enim laboramus de Christianorum hostibus arcendis, tu de Christianis retinendis, Nos de Christi humanitatis sepulchro recuperando agimus, tu de Christianorum animis, quod Divinitatis unicum templum est, purgandis, sarciendis, tegendis, atque ab immanissimo hoste diabolo eripiendis. Tota igitur mente, atque animo in hanc curam incumbe, et quod alii istic quoque Episcopi fecerunt, Trevirensis Salisburgensis, et alii, quamprimum Synodum coge, queque a Spiritu Sancto in Œcumenica Tridentina Synodo decreta sunt tanto cum fructu, ab omnibus observari præcipe; ac si quid præterea idem spiritus pro locorum istorum conditione ipsi Synodo suggesserit, decernito, et sancito. Nos enim, si quid opus erit, quantum a Domino dabitur, paterne favebimus, consulemus, auxilio erimus, si aliud non poterimus nostris certe assiduis ad Deum precibus nunquam vobis deerimus. Interim autem nihil longius habemus, quam dum de ista Synodo audiamus: qua de re tuas literas cupidissime expectamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decima tertia Februarii MDLXXII Pontificatus Nostri anno VII.

VII. — Tum vero patulam sterni viam erroribus provehendis arbitratus cum selectioribus litterarum disciplinis hominum mentes imbui nequeunt: ludos litterarios constitui, et optimis docendis rationibus promoveri summopere optabat curabatque. Multis igitur meritisque prosequitur laudibus Transilvaniæ Voivodam Stephanum Bathori, quod hocce consilium calamitosissimæ humanarum, divinarumque rerum ignorantiæ depellendæ iniverit. Quod Religiosos e Societate Jesu viros accersiverit veluti optimos, et in informandis juvenum animis apprime industrios magistros, gratum sibi fuisse testatur, et ut operi instet, hortatur. [*] [* Regest Pii V. An. VII ep. 8.

Dilecto Filio Nobili Viro Stephano Bathori Transilvaniæ Voivodæ.

PIVS PP. V.

Dilecte fili, Nobilis vir salutem, et Apostolicam benedictionem. Legimus particulam literarum tuarum, quam Nobis ostendit dilectus filius Magius Societatis Jesu Provincialis, in qua postulas, mitti istuc aliquot ejus societatis viros ad Christianam Religionem docendam, inque hominum animis inserendam idoneos. In quibus literis facile perspeximus religionem, et pietatem tuam, antea quidem minime Nobis dubiam, aut obscuram, hac autem re adeo testatam, et illustrem, ut intimo ex corde gratias agamus Deo, quod inter eas curas, quas solet gravissimas afferre Principatus, et rerum publicarum administratio, hanc omnium maxime salutarem in animo tuo penitus infixerit, ut ejus oves suo sanguine redemptas curares e diaboli faucibus eripi, aggregarique ad eas, quæ alienorum voces horrent, et refugiunt. Perge itaque fili, ut cœpisti, atque istam mentem a Divina bonitate agnosce, eique Nobiscum una gratias age: cumque eo rem tibi esse confide, qui nescit beneficiis superari, cuique est gratissimum sacrificium zelus animarum; illudque Jacobi Apostoli in animo habe. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum. Cum autem Deus Noster tanta habeat ad summam felicitatem præmia reposita iis, qui eum diligunt, quanta neque ullus vidit, neque audivit, neque cogitare potuit

quam magna putabimus parata esse iis, qui quod perfectissimum in charitate est, student alios ad Dei amorem convertere? Hoc enim, ut ait Dionysius, Divinorum omnium Divinissimum est Deo cooperari in conversione iniquorum ad eum. Nos interea non cessabimus Deum orare, ut qui dedit velle, det etiam perficere, dignetur que favere tam piæ voluntati, sicut in missione, sic exitu ipso, suamque Ecclesiam quotidie lætificare non hæreticorum modo revocatione, sed nova etiam nationum omnium, ac gentium vocatione, ut in hac terrena Hierusalem imitemur cœlestem illam, in qua semper laudatur celebratur, extollitur Deus, qui est benedictus in sæcula amen. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. Januarii Millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Pontificatus Nostri anno septimo.

Quam porro esset Bathorius rei Catholicæ promovendæ cupidus, quamvis temporis difficultatibus undique præpeditus, ejus litteræ testantur ad Archidiaconum Coloccensem, virum inter Hungaros spectatissimum, quæ sunt hujusmodi. (*)

(*) Polonia vol VI. fol. 11.

Reverendissimo Domino Georgio Fabio Archidiacono Coloccensi et Amico nobis honor.^mo

Reverende Domine, Amice nobis honorande.

Salutem et prosperitatem. Literas vestras una cum Munusculo vestro benevole accepimus. Quantum autem ad postulationem vestram in eisdem literis denotatam attinet, quominus in præsentiarum vobis ex sententia responderi possit, præsentis obstat difficultas temporis; quo enim in statu negotium religionis, et bonorum ecclesiasticorum in hac provincia nunc versetur, neque vobis potest esse ignotum, qui non ita pridem his in locis peregrinati sitis. Dabimus tamen operam, ut impietate et abusibus sublatis, vera religio postliminio reducatur, piorumque desiderio quoadusque fieri possit satis fiat. Hoc tantum D. V. R. breviter responderi voluimus, ut nostrum erga veram Catholicam fidem atque Ecclesiam votum atque zelum scire possit: qui etiam Apostolicæ Sedi quantum in nobis est inservire parati sumus, et bene valeat. Datum Albæ Juliæ 21 Martii A. D. 1572.

Stephanus Bathori de Samlio
Woyewoda Transilvanus.

VIII. — Interea vis morbi, quæ sub anni initium pavorem cunctis fecerat, et paullisper residere visa fuerat, iterum erumpere cœpit. Corporis viribus in dies languescentibus, auctisque doloribus, quamvis animo infractus contra niteretur Pius, non sine tamen magno animi cruciatu, ipso Paschatis die, qui fuit IV. Non. Aprilis, Sacris privatim operari in suo sacrario coactus est. Mox sollemnioribus pro Pontifice ritibus a Cardinali Moronio S. Collegii Decano peractis, tantum valuit, ut a podio, quod a S. Petri æde in subjectam plateam respicit sacris indutus vestibus solemni ritu populo postremum non sine lacrymis benediceret. Reliquos dies nec ut adesset Sacris vis morbi permisit.

Optimi tamen parentis more, Pius acerbitatem morbi, qua afflictabatur verbis occulere filiis conceptum dolorem lenire, spem ipse cæteris facere, prope diem fore, ut divina favente gratia sanitatem esset recuperaturus. Non sine lacrymis legere est, quas hisce pressus angustiis piissimo principi Guillelmo Alberto Bavariæ Ducis filio litteras feria tertia Paschali dedit, nec sine magna tanti Pontificis admiratione. (*)

(*) Regest. Pii V. An. VII. ep. 39

Dilecto Filio Nobili Viro Guglielmo Bavariæ Principi.

PIVS PP. V.

Dilecte fili, Nobilis vir, Salutem, et Apostolicam benedictionem. Nihil jamdiu libentius legimus literis Nobilitatis Tuæ; adeo expressas in eis vidimus virtutes illas, quas tantopere commemorare solet dilectus filius noster Otho Truchses Cardinalis Augustanus nuncupatus, singularem scilicet religionem, et pietatem tuam, atque erga Nos, et hanc Sanctam Sedem observantiam. Nam quod scribis, te bona omnia accepta referre Dei benignitati, existimasque, non mediocriter tibi prodesse nostras preces, facis tu quidem pie, qui id tribuas hominis peccatoris precibus, quod miseri hæretici non verentur abrogare Sanctorum intercessionibus. Hanc quoque Nos tum Sanctorum opem, tum piorum orationis vim nuper experti sumus; tantis enim diu, noctuque, tamque intestinis premebamur doloribus; ut non facile existimemus posse quenquam perpeti graviora: Consolabatur autem Nos spes illa, quam in Deo repositam habebamus, cito ad eum migrandi; quod si ejus benignitati videretur oportere, Nos in hac vita diutius cruciari, non mediocriter leniebat dolorem nostrum tum eadem ipsa, quæ premendo medebatur manus paterna, tum exempla Sanctorum Patrum inprimisque Sanctissimi Pontificis Gregorii, qui de se ipso sic scribit. Nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit, et fit plerumque, ut uno me tempore ardor cum dolore affligat; et corpus in me, animusque deficiat, et qoi quotidie in morte sum; quotidie repellor a morte, unde compellor clamare. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. In quo etiam dolore scribit se complures annos jacere. Cum Nos igitur hoc exemplo compararemus ad hunc cruciatum diutius perferendum; ecce subito summa Dei benignitate, quam Nobis piorum preces, sanctorumque intercessiones conciliarunt, tam gravi dolore levati sumus, propemodum etiam liberati: itaque et somnum capimus, quod diu facere non potuimus, et ad nostra hujus Apostolicæ Sedis munia obeunda firmiores sumus. Salutabis nostris verbis uxorem tuam, eique de facili partu, deque filiolo

gratulaberis, quam supervacaneum putamus monere, ut munus istud, quod habet a Deo, omnibus virtutibus ornandum; atque ut hactenus factum est in baptismo, sic in reliqua vita eidem Deo consecrandum putet: Nos enim illam pro sua pietate hoc diligentissime curaturam non dubitamus. Tibi quoque fili magnopere gratulamur, quod paternas virtutes æmuleris, quodque cum illo pari, hoc est summa sic præditus pietate, utrunque enim ab eodem dilecto filio nostro Cardinale Augustano sæpe accepimus, et illum in cæteris virtutibus esse in primis, semperque fuisse acerrimum Catholicæ Religionis, et veritatis propugnatorem, id, quod re etiam ipsa experti sumus, et paternam in te tum pietatem, tum virtutem in omni genere elucere. Itaque ut nihil hoc nomine vobis charius habemus, ita quoque ut Deus ad tantarum virtutum propagationem, atque ad Ecclesiæ suæ gloriam, quemadmodum hactenus fecit in filia, sic te pluribus augeat filiis et optamus, et quoniam nostris precibus tantum tribuis, etiam oramus. Idem Deus benedictus vobis, natis vestris, vestræque universæ ditioni in hac vita læta omnia et prospera tribuat, in futura sempiternam beatitudinem largiatur. Nos interim, id quod possumus, paternam, atque Apostolicam universis benedictionem impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Aprilis MDLXXII. Pontificatus Nostri anno septimo.

IX. — Cæterum deficientibus jam viribus supremus ille dies Pontifici appropinquabat, qui fuit Kal. Maii, quo dolore renum, et calculi molestia oppressus incredibili bonorum omnium mœrore occubuit. Hora pene vigesima secunda Sacramentis Christianis omnibus communitus anno ætatis suæ sexagesimo octavo, Pontificii regiminis septimo ad superos evolavit. Virtutum omnium dum viveret exemplum Catholico orbi ereptus lacrymas omnium excitavit, hæreticis modo et Turcis exultantibus, quorum idem perpetuus acerrimusque fuerat insectator.

In Vaticano apud sacellum S. Andreæ, parvo primum tumulo conditus; hoc virtutum ejus elogium enarranti.

PIVS . V. PONT.
RELIGIONIS . AC . PVDICITIÆ . VINDEX
RECTI . ET . IVSTI . ASSERTOR
MORVM . ET . DISCIPLINÆ . RESTITVTOR
CHRISTIANÆ . REI . DEFENSOR
SALVTARIBVS . EDITIS . LEGIBVS
GALLIA . CONSERVATA
PRINCIPIBVS . FOEDERE . IVNCTIS
PARTA . DE . TVRCIS . VICTORIA
INGENTIBVS . AVSIS . ET . FACTIS
PACIS . BELLI . Q. GLORIA
MAXIMVS
PIVS . FELIX . OPT. PRINC.

X. — Inde vero cadaver ejus a Sixto V. anno 1588 VI. idus Januarii ad S. Mariæ Majoris Basilicam sacramque ædem sive sacellum ab ipso regio opere et sumptu ædificatum solemni pompa translatum fuit. Antonius Cardinalis Carafa, pro æterna Pii salute, sacris operatus est, solemni ritu. Sacro illi Sixtus, et XLIV viri Cardinales, Legatique Galliarum Regis, Reipublicæ Venetæ, et Ducis Sabaudiæ, quique alii sacro Pontificio adesse solent, interfuere.

Pii monumentum, a Sixto V. in hac Basilica erectum, opere præclaro et sumptuoso, quod certe tanti Pontificis virtutibus immortalibus ac summis promeritis consentaneum plane esse, nemo est ita a pietatis officio, publicisque rationibus aversus, quin præclare intelligat. E marmore est candenti onychino, africo, omnisque alterius generis nobilissimo. Columnis quatuor constat, partim a dextera, partim a sinistra parte collocatis opere composito. In medio autem monumento cernitur eximia Pii Quinti Pontificis effigies, splendidissimo marmoris albi, e quo confecta est, candore relucens, vestitu tiaraque Pontificali ornata, ac de more Pontificio sedens, habet luculenta infra pedes epitaphia duo, unum his verbis:

PIO . V. PONT. MAX.
EX . ORD. PRÆDICATORVM
SIXTVS . V. PONT. MAX.
EX . ORD. MINORVM
GRATI . ANIMI . MONVMENTVM
POSVIT.

Alterum vero, quod illi mox subiungitur in hanc verborum formulam:

PIVS . V. GENTE . GISLERIA . BOSCHI . IN . LIGVRIA . NATVS . THEOLOGVS . EXIMIVS . A . PAVLO . III. IN . INSVBRIA . HÆRETICÆ . PRAVITATIS . INQVISITOR . A . IVLIO . III. SANCTÆ . INQVISITIONIS . OFFICII . COMMISSARIVS . GENERALIS . A . PAVLO . IIII. EPISCOPVS . SVTRINVS . DEINDE . S. R. E. TT. S. MARIÆ . SVPER . MINERVAM . PRESBYTER . CARD. ET . A . PIO . IIII. ECCLESIÆ . MONTIS . REGALIS . IN . SVBALPINIS . ADMINISTRATOR . FACTVS . EO . VITA . FVNCTO . SVMMO . CARDINALIVM . CONSENSV . PONT. MAX. CREATVS . QVI . VETERES . SANCTOS . PONTIFICES . ÆMVLATVS . CATHOLICAM . FIDEM . PROPAGAVIT . ECCLESIASTICAM . DISCIPLINAM . RESTITVIT . TANDEM . GESTARVM . RERVM . GLORIA . CLARVS . DVM . MAIORA . MOLITVR . TOTIVS . CHRISTIANÆ . REIP. DAMNO . NOBIS . ERIPITVR . KAL. MAII . M. D. LXXII. PONT. ANNO . VII. ÆTATIS . SVÆ . LXVIII.

Aliis etiam imaginibus undique collustratur, quæ non historiæ instar narrant, sed ob oculos ponunt præcipua quædam acta. Est ea in primis, qua apparatus pompaque exprimitur, cum Pontifex creatus sollemni ritu coronatur. A dextera ejus cernitur actio figuris expressa, cum

Marcum Antonium Columnam, classis Pontificiæ præfectum pronunciat et constituit. A sinistra extat, etiam ad posteritatem prodita, altera actio, qua Sfortiam, Sanctæ Floræ Comitem, Pontificii auxiliarii exercitus ducem, contra perduelles Caroli Noni, Galliæ Regis, Ecclesiæque hostes decernit. Pugnæ navalis designatio et classis Christianæ contra Turcas bene ad Echinadas pugnantis descriptio, expressa item figuris, alio loco apparet, brevique at illustri narratur elogio hoc:

SELINVM . TVRCARVM . TYRANNVM . MVLTIS . INSOLENTEM . VICTORIIS . INGENTI . PARATA . CLASSE . CYPROQ. EXPVGNATA . CHRISTIANIS . EXTREMA . MINITANTEM . PIVS . V. FOEDERE . CVM . PHILIPPO . II. HISPANIARVM . REGE . AC . REP. VEN. INITO . M. ANTONIVM . COLVMNAM . PONTIFICIÆ . CLASSI . PRÆFICIENS . AD . ECHINADAS . HOSTIBVS . XXX. MILL. CÆSIS . X. MILL. IN . POTESTATEM . REDACTIS . TRIREMIBVS . CLXXX . CAPTIS . XC . DEMERSIS . XV. MILL. CHRISTIANIS . A . SERVITVTE . LIBERATIS . PRECIBVS . ET . ARMIS . DEVICIT.

Ex altera parte imago cernitur prælii, et victoriæ, quæ, eo ipso duce Sfortia, in Gallia de hæreticis reportata est; habetque item incisam inscriptionem hanc:

GALLIAM . CAROLO . IX . REGE . PERDVELLIVM . HÆRETICORVMQVE . NEFARIIS . ARMIS . VEXAVAM . VT . DE . REGNO . DEQVE . RELIGIONE . ACTVM . VIDERETVR . PIVS . QVINTVS . SFORTIÆ . COMITIS . SANCTÆ . FLORÆ . DVCTV . MISSIS . EQVITVM . PEDITVMQ. AVXILIARIBVS . COPIIS . PERICVLO . EXEMIT. HOSTIBVSQ. DELETIS . VICTORIAM . REPORTAVIT . REGI . REGNVM . CVM . RELIGIONE . RESTITVIT . SIGNA . DE . HOSTIBVS . CAPTA . AD . LATERANENSEM . BASILICAM . SVSPENDIT.

Amplissimum igitur, maximum multisque nominibus illustre est hoc monumentum, plenissimum undique pietatis, refertissimum summis virtutibus, cumulatissimum omni gloria.

Lubet hic historiam adponere, quam Petrus Galesinus, protonotarius apostolicus, vir clarus et coævus de solemni Pii V. ad S. Mariæ Maj. Basilicam translatione conscripserat, typisque Vaticanis eodem anno 1588 ediderat.

Ordo Translationis

« S. D. N. Sixti Quinti Pont. auctoritate et jussu, anno MDXCVIII. die VIII. Januarii, feria VI. hora prima noctis, in Basilica Vaticana Sancti Petri sepulcrum lateritium Pii Papæ Quinti beatæ memoriæ prope Sancti Andreæ aram ad tempus extructum, annis post illius obitum quindecim et amplius, dirutum apertumque est, curante R. D. Gulielmo Sangalletto, utriusque Pontificis Cubiculario intimo, cui potissimum ejus Sanctitas illam curam demandavit. Apertioni demolitionique sepulcri præsentes, singulari pietatis significatione gratissimique animi officio aderant illustrissimi S.R.E. Cardinales novem, Alexandrinus, Pii sororis filius, Senonensis, Sanctæ Severinæ, Rusticucius, et Caraffa, hi quinque ab ipso Pio; reliqui quatuor a S. D. N. Sixto Quinto in eum ordinem cooptati, Pinellus, Asculanensis, Gallus, et Montaltus, ejusdem S. D. N. sororis ex filia nepos. Alii prætera complures olim ipsius pontificis defuncti familiares, quibus ille benigne fecerat. Dum demolitio fiebat, Basilicæ Vaticanæ Beneficiati, et Clerici psalmos pro mortuis recitabant cum sua in fine uniuscujusque psalmi antiphona – Requiem æternam – et aliis in officio mortuorum statis antiphonis. E sepulcro corpus, quod intus in capsa lignea reconditum erat, ut accuratissime fieri potuit, susceptum in capsam plumbeam, recens paratam serico velo rubro supposito honorifice includitur his verbis: CORPVS PII PAPÆ QVINTI. In capsæ autem operculo erat incisa hæc inscriptio:

HIC . RECONDITVM . EST
CORPVS . BEATÆ . MEMORIÆ . PII . PAPÆ . V
IVSSV . SIXTI . V. PONT. MAX.
CVM . ILLVD . GRATI . ANIMI
ERGO . E . BASILICA . S. PETRI
AD . HANC . BASILICAM . S. MARIÆ
AD . PRÆSEPE . SOLEMNITER
TRANSFERRI . ET . IN . SVO . HOC
SACELLO . REPONI . CVRAVIT
V. IDVS . IANVARII . ANNO
A . NATIVITATE . DOMINI
CIƆ . IƆ . LXXXVIII
AB . EIVS . AVTEM . OBDORMITIONE
QVÆ . FVIT . KAL. MAII
CIƆ . IƆ . LXXII . ANNO . XV
MENSE . VIII . DIE . XXIX

« Tum in promptu fuit capsa altera e cupresso, instar sepulcri arcuati, affabre pulcreque opere artificioso facta, in quam illata est illa ipsa plumbea, ferreis clavis firmiter clausa. Ea autem capsa cupressea pallio amplissimo attalici operis, auro intexti, quod recens S. D. N. Sixtus Quintus impense curaverat, undique longe lateque obtecta, laciniis e serico gausapino nigro, seu villuto, undique dependentibus, auri phrigiatisque ejusdem pontificis Pii insignibus ad singulos ejus angulos appositis, apte accommodata est in feretro: quod mox a plerisque canonicis, qui aderant, et clericis superpellicea indutis, ad mediam basilicam delatum, loco editiori quasi in suggesto quodam collocatur: ubi tota nocte permansit funalibus accensis, certisque etiam custodibus adhibitis. Aderant prætera Dominicani ordinis, cujus olim Pius fuerat, fratres, aliique religiosi viri, qui vigilias per vicissitudines agebant, nocturnaque stata pro mortuis recitabant. Aperitionis autem sepulcri et recognitionis corporis

inde extracti omnisque ejusmodi actionis tabulas publicas magistri cæremoniarum, eo nomine vocati et rogati, confecerunt. Postero autem die, nempe quinto Idus Januarii, qui dies sabbatum fuit, hora circiter decima octava Clerus urbis tam secularium quam regularium fere universus, et pia aliquot delecta laicorum collegia, quibus pridie ejus diei ob translationis sollemnitatem jam processio sollemnis indicta erat, in atrio et porticu ejusdem basilicæ sancti Petri, unde corpus efferendum erat, præsto tantæ celebritati fuerunt. Et quo frequentior populus adesset, ac sollemnitas, quæ agenda erat, significaretur, atque omnium pietas excitaretur, et die mane, quoad corpus inde elatum est, signum campanarum, ut cum sollemniter pro mortuis fit, maxime sollemne datum est. Quæ campanarum significatio sollemniter etiam facta est in basilica S. Mariæ Majoris, cum corpus e basilica S. Petri efferri cœptum est.

« Eo ipso die hora demum decima nona puerorum orphanorum familia, confratrum pia collegia, et quatuor Mendicantium ac Servitarum item, et Minimorum præterea aliorumque ordinum Regulares frequentissimi, suo quique loco atque ordine procedere inceperunt, prælata una tantum cruce basilicæ S. Mariæ Majoris, ad quam corpus efferebatur. Subsequebantur proxime omnes urbis parochi, regionatim distincti: tum omnium item collegiatarum ecclesiarum, ac mox patriarchalium basilicarum Canonici, Beneficiati et Clerici. Qui omnes pio concentu sacros versus, antiphonas et psalmos decantabant. Funalium autem collucentium ardentiumque copia magna feretrum anteibat. Quæ funalia partim ipsi pueri orphani, partim alii, qui in hospitali domo Sancti Spiritus nutriuntur, aliique item aliunde evocati. Sed is ferendis funalibus accensis ordo singularis fuit, ut collegii societatisve sanctissimi Crucifixi confratres quinquaginta, nigro vestitu induti, hinc inde a feretro totidem funalibus ardentibus a basilica sancti Petri incederent usque ad templum sancti Marcelli: inde in eorum locum, novis luminibus accensis, succederent alii eodem numero e confratribus societatis Mortis usque ad basilicam S. Mariæ Majoris, ubi pari etiam numero funalia accenderentur, cum corpus illatum esset. Id quod factum est non sine rei sanctioris significatione. Est enim numerus quinquagenarius plenus mysterii, ut psalmus quinquagesimus docet: neque autem a mysterio centenarius et quinquagenarius numerus, ex quo illa per vicissitudines distincta summa omnis constat, ut ex pari psalmorum ratione cognosci facile potest. Verum funalia omnia, quæ accensa collucebant, ex supputatione numerata sunt trecenta et amplius, præter alias faces innumeras, quæ manibus gestabantur. Quod divine factum est non sine significatione in commentario explicata. Proxime feretro Cursores Apostolici togati, baculos argenteos manu gestantes, bini præibant: iique prout opus erat huc illuc gradiebantur, ut rectum processionis ordinem tuerentur.

« Feretrum autem e basilica ipsa beati Petri, Apostolorum Principis, usque ad ecclesiam S. Cæciliæ apud montem Jordanum sublatum est humeris canonicorum illius basilicæ, qui rochetis statisque suis ornamentis induti, præ se ferebant in eo opere plenissimam pietatis effigiem. Inde vero Canonici Lateranenses, stato canonicali ornatu, usque ad ecclesiam S. Marcelli, quæ e conspectu est viæ rectæ ad portam Flaminiam, subierunt onus pari debiti officii significatione. Tertio autem loco pium hoc opus pientissime etiam præstiterunt Canonici S. Mariæ Majoris, qui itidem, ut illi, decoro habitu ab ea ecclesia in suam basilicam feretrum corpusque tanti Pontificis gaudenti animo intulerunt. A feretri porro lateribus procedebant ordine milites Helvetii et Machærophori, ii scilicet, qui sunt a custodia palatii pontificii, qui tamquam stipatores, hastatis armis fulti, ab eo procul dimovebant ingentem hominum multitudinem, quorum fuit concursatio ad solemnitatem longe frequentissima. Et vero feretrum proxime sequebatur ejusdem sanctissimi D. N. familia, equestri incessu, cui magister cæremoniarum præibat, et clavigeri item duo, qui clavas argenteas manu gerebant. Eorum omnium princeps, magister domus pontificiæ, et prælati dignitatis splendore insigniores, qui S. D. N. assistunt, amplis lacernis induti, pileis pontificalibus condecorati, mulis pontificio ritu ornatis advehebantur. Omnes hos subsequebantur quamplurimi alii, et Episcopi et Prælati diversorum ordinum Curiæ Romanæ, utpote Protonotarii, Referendarii, Auditores Rotæ, Clericique Cameræ. Ea procedendi ratio ad aspectum pulcherrima extitit.

« Hoc ordine a Basilica Vaticana S. Petri itum est via, quæ Papalis vocatur, ad palatium usque S. Marci: inde flexu ad lævam usque ad Ecclesiam S. Marcelli, mox ad montem Quirinalem, tum ad sinistram via Pia, quam olim altam semitam vocitarunt, demum via Felicia, quam nuper ejus Sanctitas aperuit, ad basilicam usque S. Mariæ Majoris, quo corpus efferebatur. Toto processionis itinere incredibilis multitudo, ac fere tanta, quantam urbs Roma capit, processionis sollemnitati præsto fuit. Undique e vicis, ex omni foro, ex officinis, tabernis domibusque omnibus concursus factus est hominum, tum spectantium, tum pompam comitantium sanctique Pontificis memoriam recolentium. Atque in eo tam ingenti concursione mirum sanctumque silentium omnium. Denique janua ejusdem basilicæ majori ingressa est tota processio: tum vero comitatus equestris constitit. Corpus

autem in basilicam tam sollemniter illatum, ante sacrum locum, quæ Confessio nuncupatur ad majus altare versus depositum est super suggesto ibi erecto. Tum cum illud collocatum esset, canonicus ejusdem basilicæ sacerdos, pluviali nigro indutus, officium rite peregit, aquam benedictam circa feretrum aspersit, thure adolevit, responsoria, versus aliasque statas preces dixit ad solemnis ritus præscriptum.

« His ordine recteque peractis, cum jam pene advesperasceret, omnes quicumque aderant, exceptis iis, quorum opera præsentiaque erat necessaria, e basilica exclusi sunt. Aderant autem quam frequentissime utriusque sexus Christi fideles usque eo ut basilica ipsa, quamvis magna et ampla, fere ad punctum temporis completa esset. Vix e feretri lateribus ii dimoveri poterant, ne ab armatis quidem militibus, quippe cum præ multa animi devotione erga Pium Sanctissimum Pontificem gestirent omnes ipsum feretrum amplecti, osculari aut manu saltem aut precationum coronis attingere. Demum igitur subterraneum sepulcrum, quod prope illud honorarium humi effossum est, hora circiter prima noctis aperitur: apertum statis precibus sacerdos benedixit, ministris adjuvantibus. Mox illuc feretrum multis circumfusum luminibus allatum est sacra cum prece sacerdotum. Qua sane re acta, tandem capsa ipsa cupressea, quæ alteram plumbeam continet, ubi Pontificis Pii corpus inclusum est, in quo sepulcro nemo adhuc humatus est, neque in posterum humabitur ex S. D. N. decreto. Sic igitur in sepulturam dato Pontificis corpore, tum denique sepulcrum operculo rotundo marmoreo, undique bene cohærenti clausum est, cum ex ejusdem S.D.N. jussu idem R. D. Gulielmus Sangalletus ita fieri mandavit. Hæc omnia acta sunt RR. DD. Ludovico Cerasolio, Silvio Drusolinio, ejusdem basilicæ S. Mariæ Majoris canonicis, Valerio Atracino Cappellano ejusdem Sacelli Sixtiani ad præsepe, et Francisco Mucantio ac Paulo Alaleonio S.D.N. Papæ cæremoniarum magistris, præsentibus: atque hi quidem duo rogati, publicas eorum actorum tabulas confecerunt ad perpetuam rei memoriam.

« Die proxime sequenti, quæ dies dominica fuit, nempe quarto Idus Januarii, etiam si corpus in sepulturam illatum esset, tanta ad basilicam S. Mariæ Majoris effusio hominum, tantus populi concursus fuit, ut Urbs pene tota pie effusa videretur ad recolendam Pii V. Pontificis memoriam. Plenæ ubique viæ confluentium, plenum basilicæ atrium, completa ipsa basilica precantium multitudine. Nemo autem erat, quin in Sacellum Sixtianum ingredi contenderet, ubi supplex oraret. Tertio autem Idus Januarii, qui dies fuit feria secunda, jussu S. D. N. solio pontificio in eadem basilica collocato, sessionibus Illmorum Cardinalium at Prælatorum, ordine dispositis circum altare, supra cujus ciborium sacræ reliquiæ asservantur, Missa sollemnis in eo ipso altari pro anima defuncti Pontificis ab Illustrissimo Cardinale Caraffa celebrata est, qui Cardinalis ab eo creatus jam fuerat. Huic celebritati S. D. N. una cum Cardinalibus numero quadraginta quatuor, interfuit. Aderant quoque Oratores Regis Galliæ, Venetorum, et Ducis Sabaudiæ, qui apud solium stabant. Patriarchæ item aderant et Prælati assistentes, ceterique omnes, quos adesse sollemne est. Cœnotaphium autem defuncti Pontificis corpus repræsentans, eodem aurei operis pallio, de quo supra, undique contectum, eo ipso loco, ubi sabbato proxime præcedenti feretrum cum corpore collocatum fuerat, præclare positum extitit funalibus quadraginta hinc inde collucentibus.

« Peracto Missæ sollennis officio, Antonius Buccapadulius, vir et omni liberalium disciplinarum scientia, et dicendi doctrina egregie eruditus, orationem habuit gravem, expolitam, et rei, de qua agebatur, plane accommodatam, quam S.D.N. attente audivit nec vero sine lacrymis. Id quod etiam plerisque contigit. Oratione porro habita, cœnotaphium a clericis ministrisque inde ad gradus solii Pontificis allatum est. Is eum a cantoribus responsorium illud - libera me etc. - cum suis versiculis recitatum est, imposito in thuribulum thure, stans absque mitra, ut moris est, cœnotaphium ipsum aqua benedicta aspersit, thurificavitque ac demum absolutionem rite peregit. Eam vero ob causam ad illud altare, de quo dictum est, nec vero in Sacello Sixtiano ad Præsepe celebratum est ejusmodi exequiarum officium, quoniam S. D. N. nequaquam decere visum est, ubi Præsepe Domini est, officia funebria agi, cum fas non sit, locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ, inquit sanctissimus Pontifex Leo Magnus.

XI. — Claruit Pius in vita et post mortem miraculis, quibus permota sacra rituum Congregatio anno salutis 1615 censuit, anniversaria die depositionis ejus rem sacram non amplius ad requiem illi adprecandam esse peragendam, sed sanctissimæ Trinitati in gratiarum actionem receptæ illius animæ in consortium Beatorum repræsentandam. Decretum Urbanus VIII. serius confirmavit, et merito, nam tanti viri virtutes, quibus ornatus in terris fuerat, ejusdem gloriam, ac beatitudinem, qua fruitur modo in cœlis, satis superque testantur. Clemens PP. X. ipsis Kal. Maji 1672 Pium solemni ritu Beatorum numero adscripsit. Clemens PP. XI. deinde eum anno 1712 die dominico undecimo ante Kalendas Junii, quo supremum Trinitatis mysterium ab ecclesia peculiari memoria colebatur, inter sanctos retulit.

XII. — Multi inter coevos, iique haud ignobiles scriptores vitam resque a Pio V. præclare gestas conscripserunt; principem inter eosdem locum obtinet Joannes Antonius Gabutius, presbyter Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli. [*] Collegerat idem Gabutius epistolas Pii V. ad antistites, reges, aliosque principes, et tanquam rerum memoratarum testes edere constituerat; sed cum fuisset temporum vicissitudine præpeditus, eas nactus est Franciscus Goubau, et Antwerpiæ anno 1611 in libros quinque distinctas excusas edidit.

[*] De vita et rebus gestis Pii V. Libri sex. Romae 1605. fol.

Pii V. vitam a Gabutio conscriptam una cum actis aliis, qui collatos illi Beatorum honores respiciunt, hagiographi Bollandiniani recudi curarunt in Actis Sanctorum ad 5 Maj. Tom. I. huj. mem. pag. 616-719. Antw. 1680.

Prodiit deinde typis romanis anno 1672: Pius V. Rom. Pontifex, sive Annalium Ecclesiasticorum, auctore R.P.Fr. Abrahamo Bzovio Polono S. Theol. Doctore Ordinis Prædicatorum, tomus posthumus et ultimus, rerum in orbe christiano ab anno 1566 usque ad 1572 (hoc est sub Pii V. pontificatu) gestarum narrationem complectens.

Cananus, illius temporis poeta haud ignobilis in Pii laudem sequentes versus panxit:

Quinque fuere *Pii* post Divi tempora Petri,
Sed *Quintus* felix dicitur, atque Pius.
Nam *Pius* hæreticis carum defendit ovile,
Felix cum Turcis maxima bella gerit.
O Pia prosperitas, pietas, o prospera, quæ sic
Commissum duplici servat ab hoste gregem.

XIII. — Piacularibus sacrificiis, quæ novendialia vulgo dicuntur, pro Pontifice vita functo ex more Deo oblatis, cæterisque ad ordinem servandum, regendamque urbem e re sapienterque dispositis, Viri Cardinales, quotquot Romæ aderant numero XLVII, die Lunæ XII Maii Conclave ingressi sunt, ut afflante Spiritu Sancto, quis ad Divi Petri cathedram evehendus videretur, decernerent. Nocte instante Reverendissimi Borromæus, Bobba, Vercellensis, et Granvellanus, qui etsi non intermisso itinere ad Urbem properarant, sub occiduo tamen sole advenerant sejunctim singuli, Conclave ingressi patribus purpuratis se sociarunt.

Hugo Boncompagnus nullis ut ita dicam conscriptis collatisque suffragiis subita omnium Patrum conscriptorum acclamatione Pontifex eligitur, qui Gregorii sibi nomen assumpsit.

Audiamus Franciscum Mucantium, doctissimum illorum temporum cæremoniarum Apostolicarum magistrum de Gregorio XIII. in Pontificem designato disserentem. [*]

[*] Diariorum cæremonialium et cæremoniarum Apostolicarum Tom. XIV fol. 4.

« Die XIII Maii Feria 3. celebravit Missam in prædicto Sacello Paulino Rm̃us Cardinalis Augustanus supplendo vices Rm̃i Decani pedum infirmitate detenti, videlicet Missam de Spiritu Sancto. Pax fuit data cum instrumento capitibus ordinum tantum, qui deinde successive aliis Rm̃is Cardinalibus subsequentibus ore et facie subministrabant. In fine missæ Celebrans juxta ritum præbuit sacram Communionem omnibus Rm̃is Cardinalibus, qua expleta Secretarius Sac. Collegii alta voce legit litteras Summorum Pontificum Julii II. et Pii IV. super electione novi Pontificis, et reformatione Conclavis ex libro juramentorum, qui est apud Magistros Cæremoniarum, et omnes prædicti Rm̃i DD. Cardinales jurarunt; deinde fuit factum scrutinium, in quo nihil conclusum.

« Eadem die circa horam XXIII. admirabili omnium Patrum consensu Rm̃us D. Hugo Boncompagnus Bononiensis Presbyter Cardinalis S. Sixti nuncupatus, deductus fuit ad dictum Sacellum Paulinum, quo clauso, absque mora cuncti Rm̃i DD. Cardinales unanimes eumdem elegerunt in Summum Pontificem, qua electione per ipsum acceptata delegit sibi nomen GREGORIVS XIII. in honorem B. Gregorii Papæ I. cognomento Magni, quoniam in ejus anniversariæ solemnitatis die in Collegium Cardinalium adscitus fuerat a fel. me. Piu Papa IV. videlicet die XII. Martii, 1565. Numerus autem XIII. quadravit optime cum die hac XIII. Maii, qua creatus est, pariterque XIII. ad obitu Pii Papæ V. ejus prædecessoris. Itaque imposito ejus annulari digito per Rm̃um D. Decanum annulo piscatoris sedit in sede gestatoria, ad quem deosculandum omnes Rm̃i DD. Cardinales congratulantes accesserunt: deinde ductus a Cæremoniarum Magistris in parvam Cellulam Sacristiæ, fuit exutus vestibus Cardinalaribus, et indutus veste alba et aliis indumentis, quibus extra sacras, et publicas actiones Pontifices Maximi indui solent, et sic indutus rediit ad eamdem sedem, et mox ante Altare paratus fuit a duobus antiquioribus Diaconis, videlicet Simoncello et Mediceo, sacris paratibus, hoc

est amictu, alba, cingulo, stola, pluviali, et mitra, et positus ad sedendum super Altare; ubi recepit Cardinales omnes ad osculum pedis, manus, et oris, quo facto rediit ad prædictam sedem gestatoriam, ubi compositus, per horam expectavit, cum reperiri non posset Cementarius, qui murum in capite scalarum, unde descendi solet ad Basilicam, aperiret. Demum non expectato ulterius cementario, fuit aperta janua custodiæ Conclavis, per quam novus Pontifex electus Cruce, et Cardinalibus in suis Cappis violaceis præcedentibus exivit in sede gestatus, et descendit ad Basilicam D. Petri per scalas contiguas aulæ Innocentii Papæ VIII. præter solitum et consuetum. Eodem tempore, et antequam Pontifex electus exiret e Conclave, Rmus Cardinalis Simoncellus Prior Diaconorum ostendit Crucem per portellam in prædicta porta Conclavis appositam, cum pariter fenestra solita esset muro clausa, nec appareret, qui illam dejiceret: et annuntiavit Populo ibi adstanti, electionem novi Pontificis. Ipse autem Pontifex electus postquam aliquantulum oravit ante Altare Sanctissimi Sacramenti, et ante Altare Majus prædictæ Basilicæ S. Petri sedit super dicto Altare majore. Et Rmus D. Cardinalis Augustanus senior ex Cardinalibus Episcopis ibi præsentibus incepit hymnum – Te Deum etc., – quem cantores prosequuti sunt. Interim Cardinales omnes, suo quisque loco accesserunt denuo ad osculandum pedem, manum, et os novi Pontificis. Et finito hymno idem Cardinalis Episcopus in cornu Epistolæ dixit versiculos et orationem consuetam. Quibus expletis Pontifex per eandem viam sede vectus rediit sic paratus usque ad aulas superiores, ubi quievit. Cardinales vero eadem hora quæ jam erat tertia noctis ad propria eorum tecta diverterunt.

Nomina Rmorum DD. Cardinalium, qui in Conclavi prædictæ electioni interfuerunt, sunt infrascripta numero LI.

Rmus D. Joannes Moronus Episcopus Ostiensis Sac. Collegii Decanus.
Rmus D. Christophorus Madrutius Episcopus Portuensis, Tridentinus.
Rmus D. Otho Truchses Episcopus Prænestinus, Augustanus.
Rmus D. Alexander Farnesius Episcopus Tusculanus S.R.E. Vice Cancellarius.
Rmus D. Julius Feltrius de Ruvere Episcopus Sabinensis, Urbinus.
Rmus D. Joannes Riccius Episcopus Albanensis, Politianus.

PRESBYTERI.

Rmus D. Fulvius Corneus tit. S. Adriani, Perusinus.
Rmus D. Scipio Rebiba tt. S. Mariæ in Transtyberim De Lisis, Siculus.
Rmus D. Jacobus Sabellus tt. S. Mariæ in Cosmedin Vic., Romanus.
Rmus D. Antonius Serbellonus, Mediolanensis, tt. S. Angeli S. Georgii nuncup.
Rmus D. Fr. Aloysius Cornelius tt. S. Marci, Venetus, S.R.E. Camerarius.
Rmus D. Antonius Granvella tt. S. Petri in Vincula, Burgundus.
Rmus D. Stanislaus Hosius tt. S. Clementis, Varmiensis.
Rmus D. Franciscus Paciecus, Hispanus, tt. S. Crucis in Hierusalem.
Rmus D. Hieronymus Austriacus tt. S. Anastasiæ, Corrigiensis.
Rmus D. Jo. Franciscus Gambara tt. S. Priscæ, Brixianus.
Rmus D. Carolus Borromeus tt. S. Praxedis Major Pœnitentiarius, Mediolan.
Rmus D. Marcus Sitiens de Altemps tt. S. Gregorii, Germanus.
Rmus D. Alphonsus Gesualdus, Neapolitanus, tt. S. Ceciliæ.
Rmus D. Nicolaus Gaetanus tt. S. Eustachii, Romanus.
Rmus D. Hipolitus Estensis tt. S. Mariæ novæ, Ferrariensis.
Rmus D. Innicus Avalus de Aragona tt. S. Laurentii in Lucina, Neapolitanus.
Rmus D. Marcus Antonius Columna tt. SS. Duodecim Apostolorum, Romanus.
Rmus D. Ptolomeus Gallius tt. S. Agathæ, Novocomensis.
Rmus D. Prosper Sancta Crucius tt. S. Mariæ Angelorum in thermis, Romanus.
Rmus D. Marcus Antonius Boba tt. S. Silvestri, Casalensis.
Rmus D. Ugo Boncompagnus tt. S. Sixti, Bononiensis.
Rmus D. Alexander Sfortia tt. S. Mariæ in Via, Romanus.
Rmus D. Flavius Ursinus tt. S. Petri et Marcellini, Romanus.
Rmus D. Alexander Cribellus tt. S. Mariæ Aracœli, Mediolanensis.
Rmus D. Guido Ferrerius tt. SS. Viti et Modesti, Vercellensis.
Rmus D. Benedictus Lomellinus tt. S. Sabinæ, Genuensis.
Rmus Guglielmus Sirletus tt. S. Laurentii in pane et perna, Calaber.
Rmus D. Gabriel Paleottus tt. S. Joannis et Pauli, Bononiensis.
Rmus D. F. Michael Bonellus Ord. Præd. tt. S. Mariæ super Minervam, Alexandrinus.
Rmus D. Ludovicus Madrutius tt. S. Onuphrii, Tridentinus.
Rmus D. Franciscus Alciatus tt. S. Mariæ in Porticu, Mediolanensis.

Rmus D. Joannes Paulus ab Ecclesia tt. S. Pancratii, Tordonensis.
Rmus D. M. Antonius Maffeus tt. S. Calisti, Romanus.
Rmus D. Petrus Donatus Cæsius tt. S. Vitalis, Romanus.
Rmus D. Fr. Archangelus de Blanchis Ord. Præd., Theanensis, tt. S. Cesarii.
Rmus D. Fr. Felix Perettus de Montealto Ord. Minor. tt. S. Hieron. Illiricorum.
Rmus D. Paulus Aretius, Neapolitanus, tt. S. Pudentianæ.
Rmus D. Joannes Aldobrandinus tt. S. Simeonis, Florentinus.
Rmus D. Fr. Vincentius Justinianus Ord. Præd. tt. S. Nicolai inter Imagines, Januensis.
Rmus D. Hieronymus Rusticutius tt. Sanctæ Susannæ, Fanensis.
Rmus D. Joannes Hieronymus Albanus tt. S. Joannis ante portam Latinam, Bergomensis.

DIACONI.

Rmus D. Hieronymus Simoncellus tt. SS. Cosmæ et Damiani, Urbevetanus.
Rmus D. Ferdinandus Mediceus S. Mariæ in Domnica, Florentinus.
Rmus D. Antonius Carafius tt. S. Eusebii, Neapolitanus.
Rmus D. Julius Aquavivius tt. S. Theodori, Neapolitanus.

Nomina cæterorum Rmorum Cardinalium tunc viventium, sed a conclavi et Urbe absentium præter unum infirmum.

PRESBYTERI.

Rmus D. Georgius de Arminiaco tt. S. Nicolai in Carcere, Gallus.
Rmus D. Henricus Infans Portugalliæ tt. SS. IV. Coronatorum, Lusitanus.
Rmus D. Carolus Lothoringius tt. S. Apollinaris, Gallus.
Rmus D. Antonius Grecchius tt. S. Triphonis, Gallus.
Rmus D. Zacharias Delphinus tt. S. Mariæ in Aquiro, Venetus.
Rmus D. Jo. Franciscus Commendonus tt. S. Cyriaci in Thermis, Venetus.
Rmus D. Ludovicus Lotharingius de Guisa tt. S. Thomæ in Parione, Gallus.
Rmus D. Didacus Spinosa tt. S. Stephani in Cælio Monte, Hispanus.
Rmus D. Gaspar Cervantes Taraconensis tt. S. Martini in Montibus, Hispanus.
Rmus D. Nicolaus de Pelere tt. SS. Joannis et Pauli, Gallus.
Rmus D. Julius Antonius Sanctorius tt. S. Bartholomei in insula S. Severinæ, hic erat in Urbe sed extra conclave infirmus, Capuanus.
Rmus D. Carolus Dangenus tt. S. Euphemiæ a Ramboglietto, Gallus.

DIACONI.

Rmus D. Innocentius de Monte S. Mariæ in via Lata, Aretinus.
Rmus D. Aloysius de Este SS. Nerei et Achillei, Ferrariensis.

Præsentes et Absentes simul numero LXVI.

Electio novi Pontificis Romæ summa cum lætitia salutata fuit, uti idem Mucantius refert et omnes coevi unanimiter testantur.

« Per Urbem vero, narrat Mucantius, [*] a majore parte Populi ignorabatur electio ista, nisi jam satis tarda, cum nulli pateret aditus per pontem Adriani, quem Sancti Angeli dicunt, nam milites illum stricte custodiebant. Aliqui tamen trajecto Tyberi per scaphas statim ingressi plateam pontis versus urbem, currentes per vicos alta voce clamitabant Boncompagno, Boncompagno, testantes se oculis propriis novum Pontificem in Ecclesia Divi Petri vidisse, quibus tamen haud ita facile vulgus credebat, cum talis electio videretur nimis improvisa: sed brevi crescente fama omnibus innotuit. Ædes autem in quibus Pontifex electus, dum esset Cardinalis, habitabat, fuerunt per caput Regionis Pontis statim occupatæ, et multa diligentia custoditæ: quem ideirco audivi postmodum fuisse a Pontifice honeste recognitum, et remuneratum. Et quamvis hora satis tarda et noctis tempore, fuerunt tamen tam in dictis ædibus novi Pontificis quam alibi per diversa urbis loca domos et palatia celeriter accensa luminaria, et ignes plurimi pro lætitia undequaque splenduerunt.

[*] Diariorum etc. T. XIV. fol. 9

« Fuit huiusmodi electio generaliter omnibus grata, et jucunda, ac cum lætitia, fausta et hilari acclamatione excepta, nullo non approbante et laudante, nempe qui gravitate morum et doctrina insignis, in pauperes pius, religionis honorisque Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ amator, ac defensor, apud omnes in magna existimatione esset, dignusque reputaretur Summo Pontificatu, qui longo antea tempore in Urbe moratus, diversis dignissimisque magistratibus functus, integerrime et prudenter (ut pote civilis canonicique juris consultissimus, æqui bonique observantissimus) jus suum unicuique tribuisset: ac demum de Apostolica Sede benemeritus, quasi per gradus multa cum laude ad summum rerum humanarum fastigium meritissime ascendisset: omnibus Curialibus optime cognitus, et omnes ipse cognitos habens, ut nihil ab eo, non optimo Principe dignum, expectare quisque posset. Quod etiam ipsius Divini spiritus judicio comprobari edocerique nos plerique autumabant: cum rari admodum exempli sit tam brevi temporis momento, tam consentientibus omnium Patrum votis, tam celeri concursu, tam secundum bonorum omnium optata, electionem ejus, cœlestis spiritus afflatu conclusam esse, ut prius fere Pontifex salutatus sit, quam Conclave

clausum. Sic nobis illum ipse Deus trinus et unus longo a suo superstitem servet pro suæ Ecclesiæ ac totius Reipublicæ Christianæ utilitate Amen.

XIV. — Sequi adhuc lubet auctorem nostrum in narratione de primis Pontificis actibus, deque ejus solemni coronatione. [*]

[*] Diariorum etc. T. XIV. fol. 14.

« Die sequenti, quae fuit xiii. Maii Sanctissimus D. N. summo mane missa per eum celebrata in privato superiori sacello, plures Cardinales venientes ad eum gratulationis causa benigne suscepit. Deinde elegit diversos officiales et Ministros videlicet. Ill. D. Honoratum Gaetanum in Capitaneum Custodiæ et Gubernatorem Burgi ; R. P. Matheum Cootarellum in Datarium ; R. P. Fantinum Petrignanum in Magistrum Domus ; D. Felicem . . . . . . in Procuratorem Fiscalem ; D. Horatium Marchianum in Commissarium Cameræ ; D. Alexandrum Musottum in Thesaurarium secretum ; D. Ludovicum Blanchettum in Magistrum Cameræ S. S ; R. P. Montem Valentium jam deputatum Gubernatorem Urbis confirmavit.

« Hac eadem die, in qua fuit vigilia Ascensionis Domini debuissent celebrari Vesperæ solemnes, saltem cum interventu Rm̃orum DD. Cardinalium. Nam Pontifex nondum coronatus non solet intervenire in actibus publicis, præsertim cum pluviali et mitra, et ideo nec solet tenere Consistorium, ut adnotavit Blas: Cæremoniarum magister in suis diariis sub die 27. Octobris 1534, qui super hoc de mandato Pauli Papæ III. noviter electi, nec dum coronati, consuluit Cardinales seniores, qui diversimode sentiebant, tamen ipse Paulus Pontifex adhæsit sententiæ magistri cæremoniarum, et abstinuit a Missis et Vesperis solemnibus, quæ tunc occurrerunt, licet Vesperæ et Missæ fuerint utique cum interventu Cardinalium celebratæ. Nihilominus hac die supradicta Vesperæ Ascensionis, et die sequenti Missa fuerunt omnino prætermissa propter impedimenta Conclavis, ex cujus demolitione omnia erant in confuso, nec patebat aditus ad sacella ubi Sacra haberi solent, nempe Sacellum Paulinum super memoratum, ac Sacellum Sixti, ubi ordinarie celebratur. Sed meo judicio non debuissent omitti, sed in Basilica Divi Petri aut in alio loco intervenientibus Cardinalibus celebrari, prout sæpe factum fuit, quando superiora sacella impedita fuerunt.

« Die Sabbati xxiii. ejusdem mensis in Vigilia Penthecostes eadem causa, et quia omnes occupati in præparatione Coronationis, quæ die crastina in festo Penthecostes erat celebranda, fuerunt omissæ Vesperæ, et male, ut supra proxime dixi.

« Die Dominica xxv. dicti mensis in festo Penthecostes S. D. N. Gregorius Papa XIII. servatis omnibus cæremoniis, quæ in cæremoniali ordinario sub titulo de Consecratione et Coronatione Summi Pontificis continentur, tam in descensu ad Basilicam Divi Petri, quam in Sacello SS. Andreæ et Gregorii, quam in Missa apud Altare majus exceptis his, quæ ad consecrationem pertinent, cum jam S. Sua esset ante Pontificatum consecrata ; fabricato suggesto ex tabulis super scalas dictæ Basilicæ, illoque apte ornato, fuit super eo per Rm̃um D. Innocentium Cardinalem de Monte nuncupatum tamquam Priorem Diaconorum de more coronatus, magna populi frequentia, et lætitia. Senator Urbis in missa, et in loco coronationis stetit a sinistris Papæ ad evitandas controversias cum oratoribus Principum. (Hoc fuit male factum, quia locus Senatoris non est in controversia, cum cedat tantummodo Oratori Cesareo, ut expresse habetur in Cæremoniali, et ita absque controversia fuit servatum postmodum in Coronatione Sixti V.) Conservatores autem sederunt in primo gradu solii Pontificalis, et tam Senator quam ipsi Conservatores induti erant auro et purpura sumptuose. A Sacello D. Andreæ usque ad Altare majus Pontifex in sede fuit delatus a capitibus regionum Urbis palliis ex velluto purpureo desuper, subtus vero serico albo indutis. Nonnulli etiam alii magistratus et officiales Pop. Rom. cum suis famulis holosericeis et pulchris vestibus pro lætitia hujus solemnitatis decorati conspiciebantur. Oratores autem Bononiæ in Missa sederunt in loco solito prope murum sub choro cantorum, alii vero Oratores stabant in plano solii juxta abusum nostrorum temporum, sed eundo omnes erant mixti. Reliqua omnia prout in ordinario.

« Nocte vero adventante ignes et luminaria per totam Urbem, et in Arce S. Angeli et alibi artificiales ignes in magna quantitate splendentes ac crepitantes apparebant, in signum publicæ hilaritatis et gaudii.

« Die xxvii. ejusdem mensis feria iii. S. D. N. celebrata missa in suo privato sacello, sumptaque longiore veste, quam faldam vocant, et stola pretiosa super caputio purpureo, descendit in atrium superius, ubi ascendit equum album, purpura et auro ornatum, et præcedente Cruce, et solitis officialibus, nobilibus et Baronibus, Rm̃is vero Dñ̃is Cardinalibus post se cum Cappis rubeis sequentibus equitavit ad Ecclesiam Lateranensem. Via fuit per Pontem Adriani seu ut hodie vocant S. Angeli, recta ad banchos, ubi campsores et trapezitæ negotiantur, tum ad sinistram vertendo versus plateam Montis Jordani, per viam quæ Papalis denominatur, ab omni parte pulchris aulæis exornata, florisque conspersa ; inde per Capitolium et Amphiteatrum Titi. In porticu Ecclesiæ Pontifex postquam ex equo descendit, deposito caputio ac sumptis sacris indumentis, et mitra pretiosa,

sedit in sede sibi parata: et Canonici dictæ Ecclesiæ genuflexi obtulerunt Ei claves, facto per eorum Vicarium brevi sermone, mox ejus pedem deosculati fuerunt. Genuflexus deinde Pontifex super pulvino ante portam Ecclesiæ, osculatus fuit Crucem sibi per Rīum D. Cardinalem Perusinum primum Presbyterum porrectam, et imposito thure in thuribulum, stans cum mitra ab eodem Cardinali triplici ductu thuribuli thurificatus fuit. Tum præcedente Cruce, et Cardinalibus in eorum cappis, ac cantoribus hymnum - Te Deum etc. - cantantibus ingressus fuit Ecclesiam sub umbraculo, quod baldachinum vocant (quod tamen nisi Cardinales et Prælati parati processionaliter cum Pontifice incedant, regulariter adhiberi non solet). Deinde genuflexus oravit ante Apostolorum capita, et mox ante Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. Tum progrediens ad chorum sedit in sede Pontificali ibi parata, ubi omnes Rīi DD. Cardinales reverentiam eidem exhibuerunt. Quo facto eodem ordine et pompa ivit ad locum benedictionis eminentem versus plateam, olim a Bonifatio Papa VIII. extructum, ut picturæ antiquæ indicant, ibique deposita mitra et sumpta thyara (quod Regnum vocant) benedictionem solemnem dedit populo in eadem platea et circumcirca copiose coadunato, ac demum plenariam indulgentiam concessit, quam duo primi Cardinales Diaconi assistentes latino, et vulgari sermone pronuntiarunt. Divertit deinde ad sacellum quod Sancta Sanctorum vocant, ibique aliquantulum ad Sacram Imaginem Salvatoris oravit genuflexus. Tum surgens depositis ibidem sacris vestibus, sumptisque prioribus, iterum Sacra imagine et Scalis Sanctis veneratis, ascendit lecticam, dimissisque Cardinalibus rediit ad palatium per regionem transtyberinam.

« Senator, Conservatores et alii Magistratus Pop. Rom. supradicti eodem habitu, quo supra retulimus, occurrerunt Pontifici per Capitolium transeunti eique reverentiam exhibuerunt, mox ad Ecclesiam Lateranensem per aliam viam prævenerunt. In mole vero Adriani, quæ hodie Castrum S. Angeli vocatur, ac etiam in Capitolio transeunte Pontifice bombardarum tubarumque sonitus maximus pro lætitia audiebatur.

« Hujusmodi modum visitandi Ecclesiam Lateranensem ejusque possessionem assequendi Pontifices recens electi nostris temporibus observant solemniori illa equitationis pompa prætermissa, qua dudum sacro habitu induti paludati et infulati Summi Pontifices, Rīi Cardinales et Prælati ad Lateranum eodem die Coronationis procedere solebant, quæ in libro Cæremoniali Apostolico describitur, quæque ultimo loco a Leone Papa X. cum omnibus suis circumstantiis observata fuit: tum pro majori commoditate, tum etiam propter nimiam et excessivam impensam, quæ in tali pompa fieri necesse erat, licet re vera nobilissimum spectaculum, et tanto Pontificatu dignum esset.

« Illud animadverti non observavi, quod in dicto Cæremoniali libro cavetur, ut cum Summus Pontifex Ecclesiam ingreditur, primus Diaconus Cardinalis offerat illi Crucem et incensum: hodie enim id a primo Presbytero Cardinali fit: quid magis congruat erit cogitandum.

XV. — Gregorii electio haud minori lætitia ac Romæ etiam extra urbem uti undique in orbe terrarum excipiebatur. Splendore virtutum ejus ac fama illustrium actionum, quæ ac vitam anteactam dum adhuc in minoribus constitutus erat condecorarunt, omnium animos ipsi devinxerunt. Apud quosque in summa existimatione erat, lausque ejus in ore omnium versabatur.

Novus Pontifex, ut pauca quædam de ipso ante ejus ad Divi Petri Sedem evectionem repetamus, Hugo Boncompagnus antea vocatus, patria Bononiensis, Christoforo Boncompagno et Angela Marescalcha, nobilibus parentibus, anno Christi 1502. die vii. Nonas Januarii, natus, honestis institutus moribus, studio legum addictus brevi tempore magnos in eo scientiæ genere progressus faciens jus apud suos cives per annos octo interpretatus, Romam veniens Capitolii Judex, Scriptor Apostolicus, majoris Parci Abbreviator, forensibus et gratiæ libellis referendis Præfectus; a Paulo III. ad Concilium Trid. missus, Cameræ Apostolicæ Auditoris Locumtenens, Secretarius Apostolicus, Campaniæ Prolegatus, sub Paulo IV. Alphonsi Carrafæ Cardinalis, cui Regentatus Cameræ Apostolicæ ab eodem Pontifice novo more delatus fuerat, Vicesgerens, eundem Cardinalem in Flandriam ad Philippum II. Legatum comitatus, deinde Episcopus Vestanus, ac mox sub Pio IV. ad Concilium Tridentinum secundo missus, in Urbem reversus, ab eodem Pontifice purpura inter Presbyteros Cardinales, tit. S. Sixti cohonestatus, et Brevibus Apostolicis Præfectus fuit. Mox in Hispaniam pro Carranzæ Archiepiscopi Toletani causa Legatus, inde feliciter acta legatione rediens, Romæ paululum moratus Pio V. Pontifice, Bononiam discessit. Unde paulo ante Pontificis obitum remigrans, Pio V. mortuo, altera die post Conclavis ingressum, quæ fuit III. Idus Maji, anno 1572. Cardinalium lii. accessu, quæ Spiritus Sancti dicitur electio, magna omnium lætitia et ingenti suarum virtutum expectatione, Maximiliano II. Imperatore PONTIFEX MAXIMUS renunciatus est.

XVI. — Principes exteri et præcipue italici inter se quodammodo contenderunt solemnibus legationibus Gregorio obedientiam ex more præstare. Quid mirum Bononienses, qui tanto

concivi gloriabantur omnium primos extitisse, qui erga eundem hocce officium expleverint. Pontifex ideo eorum Oratores peculiaribus benevolentiæ et honoris signis excipere statuerat. [*]

[*] Diarior. Tom. XIV. fol. 33.

«Die secunda mensis Junii, narrat Mucantius, ingressi fuerunt Urbem quatuor Oratores Bononiensium, quibus se conjunxere alii duo, qui venerant statim ereato Pontifice. Eis obviam ivere usque ad vineam Julii Papæ III. extra portam Flaminiam D. Honoratus Caetanus Capitaneus custodiæ S. D. N. Papæ, et Gubernator Burgi, D. Ludovicus Blanchettus Magister Cameræ Suæ Sanctitatis, ac multi alii nobiles et nonnulli ex militibus levis armaturæ, et Helvetii de custodia Sanctissimi, ac etiam familiæ aliquot Cardinalium. Primi duo Oratores equitaverunt bini inter D. Honoratum a dextris et D. Blanchettum Præpositum Cubiculi a sinistris, alii vero medii inter Prælatos et Cubicularios secretos, eoque ordine progressi sunt usque ad domum de Campegiis ipsis præparatam in Urbe Leonina alias in Burgo Sancti Petri, et cum transierunt ante Castrum S. Angeli fuerunt exoneratæ multæ bombardæ pro lætitia. Hic modus obviam eundi et honorandi Oratores Bononienses fuit hucusque insolitus, sed honestus et conveniens hoc tempore, quia erant concives novi Pontificis. Non tamen ideo obviam eis ivit familia Papæ, prout solet aliis Oratoribus Principum, videlicet Magister Domus eum Prælatis assistentibus S. S. pontificali habitu equitantibus, et Cubicularii et Scutiferi cum eorum vestibus rubeis, sed nec familiæ Rmorum Cardinalium in Urbe existentium, nec intervenerunt Magistri Cæremoniarum, et sic fuit longe minor pompa quam soleat. Nomina dictorum Oratorum fuerunt DD. Hercules Marescoctus, Franciscus Maria Casalvis, Camillus Paleottus, Vincentius Campegius, Cæsar Blanchettus, Paulus Poeta.

« Die sequenti videlicet 3. Junii supradicti Oratores Bononienses circa horam vigesimam venerunt ad Palatium curribus vecti, comitantibus quam plurimis Prælatis, nobilibusque Bononiensibus et amicis, et accesserunt ad Cameram Audientiæ Sanctissimi D. N. ubi Sanctitas Sua sedebat in sede Camerali, circumsedentibus Cardinalibus XXVII. cum mantellis brevibus rubei coloris, factaque triplici reverentia ante Pontificem, Cæremoniarum Magistro eos docente, osculati fuerunt pedes Sanctitatis Suæ; quorum primus dixit pauca quædam verba Pontifici, mox omnes simul retrogressi sunt ad aditum banchorum, ubi Cardinales prædicti sedebant, et tunc D. Camillus Paleottus habuit sermonem longiusculum de laudibus Pontificis, ac lætitia Civitatis Bononiensis de ipsius promotione ad Summum Pontificatum orans genuflexus simul cum aliis ejus Collegis prædictis, et completo sermone, omnes iterum ad pedes S. Sanctitatis accesserunt, quibus Pontifex brevi sermone respondit laudans eorum amorem, et libenter hanc suæ Civitatis gratitudinem acceptans. Tunc Papa et omnes recesserunt.

XVII. — Vix evectum ad Petri cathedram Gregorium audivit Maximilianus II. Germanorum Imperator pro veteri et legitima, quam Tridenti conflaverant dum Synodus haberetur, necessitudine ipsi de tanta dignitate divinitus collata, ex corde gratulabatur. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 30. fol. 1.

Beatissimo in Christo Patri Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime, post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Allato nobis his diebus longe optatissimo, gratissimoque nuntio, Sanctitatem Vestram defuncto nuper fel. record. Pio V., Summo Pontifice, unanimi S. R. E. Cardinalium consensu in ejusdem successorem electum assumptumque esse, commisimus Magnifico fideli nobis dilecto Prospero, Comiti Archi, nostro Consiliario, et apud S.tem V. Oratori, ut eidem nostro nomine nonnulla referat, uti ex ipso coram intelliget. Idcirco S.tem V. obnixer ogamus, ut præfato Oratori nostro, non solum in his, quæ sic nostris verbis dicturus est, benignas aures præbere, ac non secus, quam si nos ipsos loquentes audiret, plenam fidem præstare, verum etiam, cum negotium illi commissum tale sit, quod ad nostram ac Sacri Romani Imperii dignitatem, auctoritatem, et jurisdictionem plurimum pertinet, adeoque nobis haud immerito maximopere cordi est, talem se in eo exhibere velit, ut de S.tis V. nobis hactenus multorum testimoniis prædicata, singulari æquanimitate, ac quietis tranquillitatisque publicæ studio nobis plane pollicemur. In quo S.tas V. rem sua laude dignam, per se æquam, ac nobis gratissimam factura est, quam per omnem occasionem filialis nostræ observantiæ studiis promereri connitemur. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. oramus, ut S.tem V. pro beneficio Ecclesiæ Suæ, quam diutissime salvam et incolumem conservare dignetur.

Datum in Arce oostra Ebersdorff, die XXIII. mensis Maii, Anno Domini, MDLXXII. Regnorum Nostrorum, Romani Decimo, Hungarici Nono, Bohemici vero Vigesimo Quarto.

Et Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius
MAXIMILIANUS

Idem præstitit alteris litteris, quibus eum certiorem reddidit, Legatos suos Romam, qui obedientiam ei suo nomine profiterentur, mox adventuros esse. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 30 fol. 2.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio Decimo Tertio Divina Providentia Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Cum jam præsentes Oratores nostros, nobilem et honorabilem, doctum, nostros et Imperii Sacri fideles dilectos, Seyfridum Preyner, Baronem in Stubing, Hadnitz et Rabenstain, ac Joannem Hegenmüller, juris utriusque doctorem, Consiliarios nostros Aulicos, ad Sanctitatem Vestram ablegemus, ut eidem singulare istud gaudium, quod ex felici S. V. ad summum Apostolatus officium et dignitatem assumptione cepimus, nostro nomine declarent, simulque nostrum erga Sanctitatem Vestram filialis observantiæ studium, ac synceram, optimamque voluntatem contestentur, uti Sanctitas Vestra ex ipsis coram intellectura est. Eandem Sanctitatem Vestram obnixe etiam atque etiam rogamus, ut prædictis Oratoribus nostris benignas aures præbere, ac non solum in his, quæ sic nostris verbis dicturi sunt, eam plane, quam nobis ipsis habitura esset, fidem præstare, verum etiam nos, una cum Sacro Imperio, cui ex divina voluntate præfecti sumus, Regnisque ac Dominiis nostris hæreditariis, eo quoque loco et tempore paterna benevolentia complecti velit, quam ab eadem Sanctitate Vestra plane expectamus. De nobis vero Sanctitas Vestra sibi vicissim quævis obsequentis filii officia omnino polliceri poterit. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. oramus, ut Sanctitatem Vestram pro beneficio Ecclesiæ suæ, quam diutissime salvam et incolumem conservare dignetur.

Datum in Civitate nostra Vienna, die vigesima octava mensis Junii, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo Secundo. Regnorum nostrorum Romani Decimo, Hungarici nono, Bohemici vero Vigesimo Quarto.

Et Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius
Maximilianus

Patri amantissimo filii Archiduces Rudolphus et Ernestus in præclaro erga Pontificem amoris officio se consociarunt. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 25 fol. 22.

Beatissimo in Christo Patri, ac Domino, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia, Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino Colendissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Colendissime. Post humilem nostram commendationem, continuum filialis observantiæ incrementum. Cum Sacra Cæsarea Majestas, Dominus genitor noster observandissimus, pro sua in Sanctam Sedem Apostolicam observantia, nobilem, ac honorabilem doctum, fideles nobis dilectos Seyfridum Preyner, Baronem in Stubing, Hadnitz et Rabenstain, ac Joannem Hegenmüller, juris utriusque doctorem Majestatis Suæ Consiliarios Aulicos ad Sanctitatem Vestram eidem de oblata Summi Pontificatus dignitate gratulatum expediverit: Nos sane officii nostri existimavimus, ut hac occasione nostram quoque lætitiam de felici Sanctitatis Vestræ ad sublime gubernii ecclesiastici fastigium assumptione conceptam, eidem cognitam atque testatam redderemus. In spem igitur erecti S. V. ad dirigendam fluctuantem Ecclesiæ Catholicæ naviculam divinitus vocatam, virtute Altissimi, cujus vices gerit, tanto oneri sustinendo non parem solum, sed universæ Reipublicæ Christianæ magno præsidio esse futuram, eo sane nomine in gaudium pie effusi, tum Sanctitati Vestræ de Summo, quo Dei beneficio aucta est dignitatis ornamento, tum Christianæ Reipublicæ, quod immensa Dei bonitas, eidem exulceratis hisce temporibus de Pastore atque Pontifice non minus pietatis quam sapientiæ donis probato atque conspicuo prospectum voluerit, ex animo gratulamur, ac Vestræ Sanctitati debitam reverentiam atque obedientiam deferentes eandem majore quo possumus affectu, enixa admodum rogamus, ut nos obsequentissimos Sanctæ Sedis Apostolicæ filios, sibi paterne commendatos habere, ac sicuti Sanctitatem Vestram sincero filialis observantiæ studio veneramur, ita vicissim vere paternum erga nos animum induere, nobisque mutua amoris affectione respondere velit. Quemadmodum nobis de præclara Sanctitatis Vestræ in prælibatam Cæsaream Majestatem, Dominum Genitorem nostrum observandissimum benevolentia, ac perspecto Majestati Suæ per omnem occasionem gratificandi studio omnino pollicemur. Eidem Sanctitati Vestræ quod reliquum est, feliciter omnia succedere, et sublimem illam, qua fruitur, dignitatem, perpetua rerum prosperitate cumulari atque illustrari cupimus, ac votis omnibus etiam atque etiam optamus.

Datum in Civitate Vienna, die vigesima nona mensis Junii Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo secundo.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimi filii
Rudolphus – Ernestus

XVIII. — Præclaræ illius amicitiæ æque memor Gregorius, quæ inter eum et Cæsarem intercedebat, ipse quoque amantissimis litteris adscitum se ad supremum Pontificatum nonciat exoratque, ut qui semper Ecclesiæ addictissimus filius extitisset, talem se quoque in posterum exhiberet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I ep. 5.

Carissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Romanorum, Hungariæ ac Boemiæ Regi Illustri in Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Non potuit summa benignitas Domini Dei nostri, cujus voluntas potentia est, cujus opus misericordia, diutius intueri Ecclesiæ Suæ luctum, et viduitatem; non magis quam mater summam unici filii calamitatem, quam ab eo posset solo nutu et voluntate avertere. Hanc Dei tum misericordiam, tum potentiam nuper experta est ejus Ecclesia; eam enim post obitum Sanctissimi Pastoris Pii V. non est passus diutius versari in mœrore, et solitudine, quod quidem fuit misericordiæ; voluit autem nos vix uno elapso die ex quo in conclavi inclusi eramus hujus ministerii locum accipere, et suæ naviculæ gubernaculum tenere, quod fuit ejusdem Dei potentiæ: elegit enim hominem imbecillum, nullamque in se ipso agnoscentem earum rerum, quibus Summum Pontificem instructum esse oportet, magnopere autem formidantem cum considerat quantus sit labor locum hunc ut oportet tueri, ac versari in animis curandis, in suis cujusque morbis dignoscendis, propriisque remediis adhibendis, in fine, ut præstantissimo ita omnium difficillimo, in singulorum, ut cuique opus est animis tractandis, ut nunc calcaribus utendum sit, nunc freno, nunc publice, nunc privatim, nunc aspere, nunc leniter increpandum, nunc dissimulanter ferendum, et connivendum, nunc ad omnia vigilandum. Accedit propria quædam horum temporum conditio, nostrumque incredibile desiderium omnes Christianorum Principes ad communem ecclesiæ causam adjungendi; quorum studium tametsi cum nostro certare non dubitamus, tamen non cessat antiqui hostis invidia multas difficultates moliri, quas superare sine Dei virtute non possumus. Hæc quo majora sunt, quoque vires nostræ imbecilliores, eo magis elucet Dei ipsius potentia, qui consoevit eligere infirma, ut confunderet fortia, ne scilicet ullam sibi ipsis gloriam audeant homines vindicare, sed discant omnem laudem ejus nomini et virtuti tribuere. Hanc nostram tum electionem, tum voluntatem tibi carissime in Christo fili noster, significandam, atque aperiendam curavimus: tecum enim nostras omnes solicitudines, et cogitationes partiri volumus: teque laboris nostri socium agnoscimus quem in ista Imperatoria, ad quam electus es, dignitate omnium dignitatum humanarum maxima præfecit Deus Ecclesiæ suæ; cujus causam pio nostro pastorali officio tuæ Majestati commendamus in visceribus Jesu Christi. Tuum vero his literis acceptis erit gaudere de divino in nos munere; nostrum semper trepidare de merito. Nos tuæ Majestati omnia pollicemur, quæcumque possunt a patre amantissimo proficisci in filium obsequentissimum, nec ulla unquam in re tuæ voluntati, quam Dei timore præditam esse multis argumentis cognovimus, deerimus, et quidquid ad tuam amplitudinem aut tuorum populorum et regnorum quietem et commodum pertinere existimabimus, quantum nostra cum dignitate et Dei honore poterimus libentissime, cupidissimeque faciemus, cumque quantum possumus contenderimus minus tamen nos facere arbitrabimur, quam cupimus. Hanc autem voluntatem tuæ in nos, atque hanc Sanctam Sedem voluntati debere judicamus, nec illam ulla in re nostræ inferiorem ducimus, teque filium nostrum omnium amantissimum ut habemus, sic quotidie re ipsa experturos esse confidimus. Deus benedictus Majestati tuæ, familiæ, imperio universo, una cum paterna atque Apostolica benedictione, quam his literis impertimur, in hac vita omnem prosperitatem, in futura sempiternam beatitudinem largiatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVII. Maii 1572. Suscepti a nobis Apostolatus officii Anno Primo.

Quæ vota Pontifex Cæsari denuo exprimit gratulationis officio ab ipsius Legato peracto. (*)

Carissimo Filio Nostro Maximiliano Imperatori.

GREGORIUS PAPA XIII.

Carissime in Christo fili noster salutem etc. Ea quæ ad Majestatis tuæ, ac Sacri Romani Imperii dignitatem, auctoritatem, jurisdictionem, atque ad publicam utilitatem, et tranquillitatem pertinent, magnæ tibi curæ esse, et ex tuis literis, et ex sermone dilecti filii Prosperi Comitis Archi, tui apud Nos Oratoris intelleximus; majori autem Nobis curæ esse affirmamus, quam ex cujusquam sermone, aut literis accipere potuisti; nec quidquam est, quod tantopere cupiamus, quam ut possimus hujusmodi in rebus parem nostræ voluntati operam præstare, et nostro summo desiderio, et muneri satisfacere: cujus quidem voluntatis, quem auctorem agnoscimus, eundem etiam testem habemus Deum; ipse enim et rectæ voluntatis effector est, et scrutator cordium. Quibus autem de rebus per eundem Oratorem Nobiscum agi voluisti de his ad nostrum apud Majestatem Tuam Nuntium scribimus, a quo plenius omnia, quasi a Nobis ipsis accipies; quæ, ut æqui bonifacias, nosque eo esse in te animo, quo diximus, quoque esse debemus in filium carissimum atque optimum, utque Nuntium nostrum libenter audias eertamque ejus verbis fidem adhibeas rogamus. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XX Junii MDLXXII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XIX. — Nec vero concepta Gregorio spes de Cæsaris studio in fovendis Ecclesiæ Catholicæ tuendisque rebus in irritum cecidit. Maximiliani potissimum consilio ac auctoritate impulsus Archiepiscopus Salisburgensis saluberrimas leges ad reformandos Cleri mores, atque ad restituen-

(*) Regest. Gregorii XIII. An. 1. Epist. 90

dam collapsam Ecclesiæ disciplinam in synodo provinciali non ita pridem coacta condiderat: easque per fratrem Felicianum Ninguardam a Morbinio sibi a consiliis, nec non negotiorum suorum apud Sanctam Sedem curatorem, virum sanctitate vitæ ac litterarum splendore conspicuum, atque alumnum inclyti Ordinis S. Dominici fratrum Prædicatorum, Pio V. in examen revocandas subjecerat. Nihil magis vigilantissimus ille præsul in votis habebat, quam ut leges illæ pontificia jam auctoritate firmatæ, quantotius in actum adducerentur. Qua de re Gregorium adit exoratque, ut Felicianum operi tam salutari perficiendo collegam et administrum sibi constituat, eique potestatem repetendæ Germaniæ faciat. [*]

[*] Germania vol. 26. fol. 3.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino Meo Clementissimo.

Sanctissime Pater et Domine Dñe clementissime, obedientiam et reverentiam tam debitas quam condignas, cum humillima mei commendatione ad devota beatorum pedum oscula. Accepi magnum dolorem ex obitu Pii Quinti felicissimæ memoriæ, sed dolorem ipsum illud incredibiliter consolatur, quod Sanctitatem V. ad maximum hoc totius orbis terræ imperium evectam divinitus audio. Nam quem magis optassem, cum S. V. jam antequam hunc in locum atque in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris ascendisset, cum literis tum sermonibus summæ erga me humanitatis clarissima indicia dederit? Scripsit ad me sæpius anno superiori egregius mihi in Christo syncere dilectus ac fidelis Sacræ Theologiæ Doctor Consiliarius et Agens meus in Urbe P. Felicianus a Morbinio, quanta me benevolentia quantoque amore S. V. prosequeretur, quamque nihil esset tam difficile et arduum, quod non et mea et reipublicæ Christianæ causa libenter suscepisset. Gaudebam me virum tanta virtute ac tanto consilio habere conjunctissimum, cujus studium ac favor mihi ac provinciæ meæ aliquando prodesse plurimum posset. Nunc vero quid non læter? quid non sperem? quid mihi non pollicear de S. V. cum ad summam virtutem summa quoque authoritas accesserit? Omnino si unquam de Reipublicæ Christianæ rationibus bene sperandum fuit, nunc certe adducor ut inde bene sperem, ubi tanta prudentia, religio, æquitas, constantia, ac majestas nobis illuxit: Vigilias profecto ac labores S. V. facturos confido, ut infelix Germania nostra ad pristinum fidei catholicæ statum paulatim reducatur, ac religionis christianæ cultus in dies magis ubique propagetur, faxit tantum Deus ut vita suppetat. Atque ut ego certus sum S. V. Patrem mihi ac provinciæ meæ semper amantissimum fore, ita mihi credat S. V. se filium me obsequentissimum ac paratissimum ad omnia semper habituram. Proinde commisi per literas prædicto P. Feliciano, ut S. V. pedes meo et totius provinciæ nomine humillime deosculetur, operamque meam omnem, quantulacumque illa est, ac studium omne deferat, doceatque coram de rebus Provinciæ meæ, ut S. V. facilius ac commodius hisce partibus providere queat, cui S. V. ut antea semper gratas aures præbere dignetur, pro summa necessitate et utilitate hujus nostræ regionis. Cæterum ego et Coepiscopi Provinciæ meæ duobus annis ante, Synodum provincialem habuimus, ut nobis gregique nostro juxta sanctiones Concilii Tridentini necessitatemque hujus ætatis consuleremus, qua perfecta misimus prædictum P. Felicianum ad Pium Quintum fe. me. Pont. Max. cum statutis ad impetrandam approbationem eorum ac confirmationem a S. Sede Apostolica, quam cum obtinuissemus, de rebus actis sigillatim certiores fieri desiderabamus. Proinde eum per literas in hoc negotio fieri satis non posset, scripsimus ad B. Prædecessorem Pium V. fe. me. gratissimum nobis fore si dictus P. Felicianus ad nos mitteretur, ut præsens melius ac certius nos doceret, quid facto opus sit, mentemque S. Suæ declararet: at partim morbo, peste partim factum est, ut illi Roma pedem efferre non licuerit. Nunc vero eum pestis jam his abierit regionibus et ipse firma utatur valetudine, nosque optatam tamdiu horum temporum necessitati medicinam adhibere cupiamus vehementer, supplices a S. V. petimus, ut quam primum fieri possit dictus P. Felicianus hujusce rei causa ad nos redeat, ut omnem confecti negocii rationem coram explicet et referat, ostendatque viam ac modum exequendi ea omnia quæ salubriter statuta, et a S. Sede Apostolica confirmata sunt, ita ut S. Sedis Apostolicæ sententiæ atque intentioni pro viribus nostris fiat satis, cedetque id mihi et Provinciæ mihi commissæ in gratiam singularem. His sanctissimos pedes Beatitudini V. humillime osculor meo ac totius provinciæ nomine, quam Deus optimus Max. pro sua bonitate diutissime nobis ac felicissime conservet. Datæ Salisburgæ die trigesima mensis Maii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo secundo.

Ejusdem S. V.

Humilissimus et Devotissimus Capellanus
JOANNES JACOBUS ARCHIEP. SALZBURGENSIS.

Sancto Archiepiscopi consilio Gregorius non solum annuit, idque debitis laudibus extollit; sed etiam Feliciano jura, et facultates, quæcumque e re viderentur, tribuit, et de gravi hocce negotio suo Sedisque Apostolicæ nomine cum Episcopis et Principibus Germaniæ agere jubet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 103. fol. 172.

Venerabili Fratri Jacobo Archiepiscopo Salisburgensi.

GREGORIVS PP. XIII.

Venerabilis frater Salutem et Apostolicam benedictionem. Inter eas literas, quas permultas undique accepimus, tum a dilectis filiis, tum a respectabilibus fratribus nostris, partim gratulantibus, partim suam erga nos, atque hanc Sanctam Sedem benevolentiam, et observantiam testificantibus, gratissimæ fueruot nobis literæ fraternitatis tuæ, in quibus et illa agnovimus, quæ tibi cum cæteris communia sunt, et quod nos summopere delectat perspeximus summum quoddam tuum desiderium exterminationis hæreticæ impietatis, fideique catholicæ propagationis; quo quidem desiderio ut nobis conjunctissimus es, sic nos tibi somus voluotate, atque amore conjunctissimi; incredibile enim est quantopere cupiamus catholicam veritatem omni cum vitæ et morum sanctitate agnosci, et coli; hanc autem neque possunt hæretici agnoscere qui a Deo desciscunt: Deus enim veritas est, neque impuri homines, et flagitiosi: qui dicit se noscere Deum, et mandata ejus non custodit mendax est, et veritas in eo non est. Laudamus igitur summopere tuum ac fratrum tuorum laborem, pro puro, ac pio Dei cultu susceptum ex decreto Sacri Concilii Tridentini in conficienda Synodo provinciali, eamque Synodum legimus, vehementer probamus; quam quidem tua summa vigilantia atque opera costoditam iri non dubitamus. F. Feliciano a Morbinio tuo, quominus ad te redeat, moræ, aut impedimento non sumus, Synodum ri Apostolica auctoritate confirmatam, una cum agendario reddidimus, literasque ad alios istius provinciæ episcopos, ad principes, ad caonnicos et capitula, ad ipsum Maximilianum, nostrum in Christo filium carissimum dedimus, quibus monemus, ut eam Synodum diligentissime observari faciant, cum quibus etiam hoc ipsum coram Felicianum vehementer nostro nomine agere, ejusque verbis illos fidem adhibere voluimus, quæ omnia fusius ab eodem Feliciano accipies. Quod vero ad te attinet sic confirmamus nihil esse imminutam eam benevolentiam, qua te ante Pontificatum prosequebamur, quamque ipse commemoras atque hoc etiam magis auctam, quod ad eam voluntatem quam tum habebamus, possumos hoc tempore etiam operam adjungere: itaque pollicemur nos tibi, tuisque rebus nullo loco defuturos, idque tuæ pietati nos debere existimamus. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XXVII. Junii 1572. Pont. Nost. Anno primo.

Gregorius paribus litteris Cæsarem, et Carolum et Ferdinandum Archiduces Austriæ, nec non Principes Electores Ecclesiasticos, Moguntinum nempe, Trevirensem et Coloniensem admonet, ut constitutiones Salisborgenses in reliquis Germaniæ diœcesibus recipiantur atque serventur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 191-109.

XX. — Salisburgensium vestigia Canonici ecclesiæ cathedralis Spirensis aliqua ex parte sequuti sunt, qui exhortante episcopo sapientissima lege sese obstrinxerunt, ut a choro abesse nemini sine certa causa liceret. [*]

[*] Germania Vol. 26. f. 21.

Sanctissimo in Christo Patri et Dño, Dño Gregorio Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño Nostro Clemeotissimo, Nos Ejusdem S. V. Humiles et Devoti Decanus et Capitulum Ecclesiæ Majoris Spirensis Humillimam Subjectionem Ad Devotissima E. S. Beatorum Pedum Oscula.

« Beatissime Pater. Cum graves Religioois Christianæ ruinas et atrocia vulnera in his Germaniæ partibus, mœrenti et solicito animo perpenderemus, et a potentibus adversariis nostris non leve in dies periculum impendere Ecclesiæ nostræ Spirensi prospiceremos: officii nostri rationem efflagitare duximus, divino opitulante auxilio, morum nos pro domo Domini opponere, et id in primis curare, ne domestico malo per crebram Canonicorum Capitularium absentiam, non solum Ecclesia nostra consilio et auxilio illorum destituator; Verum etiam divinus cultus elanguescat, et plurium beneficiorum absque officiis onere, conscientiæ graventur: atque adeo ne ob hæc et similia ingruentia incommoda, graviora in nos communis Religionis hostes meditentur. Quapropter matura deliberatione, tractatibusque Capitularibus præhabitis, Statutum fecimus, majore nostri Capituli parte libere suffragante, ut quicumque posthac ex Canonicis nostris Capitularibus emolumenti aliquid ex oblegiorum annuatim cadentium censu percipere velit, apud ecclesiam oostram in persona propria resideat, ita quidem, ut in alia sive aliis ecclesiis præter hanc nostram (in qua deinceps accedentibus, præter communes præbendarum census, his oblegiorum fructibus, nemo de honesta status sui sustentatione conqueri potest) neque capitularium proventuum, neque quotidianarum distributionum quarumlibet, tam temporalium dominiorum possessionum, quam earumdem aut aliarum obventionum, quæ personalem residentiam ibidem requirunt, particeps esse debeat. Interim tamen cuilibet liberum relinquendo, uti quolibet anno per integrum quindennæ spatium ante festum D. Georgii Martyris quivis eorum qui velit, per prædictam residentiam fructuum eorum se participem reddere possit, ejusque nos per se, vel legitimum suum procuratorem, vel etiam scripto faciat certiores. Eo enim tempore usque ad prædictum festum exclusive elapso, de cujuscumque taliter absentis mente non constiterit, neque per adversam valetudinem, alibi tamen quam in alterius beneficii loco degens, apud nos non fuerit excusatus, ipsius portionem, ejus duntaxat anni, redditibus pixidis nostræ

capitularis minoris conjungendam, et inter omnes pro tempore capitulares juxta statuta majorum dividendam esse decrevimus. Quod nostrum statutum cum ad ecclesiæ nostræ necessitatem evidentemque utilitatem tendere, nec non S. Concilii Tridentini decretis consentaneum videretur, Reverendissimus in Christo Pater Marquardus Dei gratia Episcopus Ecclesiæ nostræ Spirensis sua authoritate et sigillo comprobavit. Sed ut deinceps extra omnem controversiæ et altercationis aleam sit apud illos, qui parum domus Domini et sanctissimæ sponsæ Ecclesiæ Christi decorem diligunt, Nos Sanctitatis Vestræ humiles et devoti Decanus et Capitulum majoris Ecclesiæ Spirensis humilium precum instantia provolutis genibus supplicamus eidem S. V., quatenus Statutum hoc nostrum pro commodo et prospero Ecclesiæ nostræ successu, de sua solita clementia approbare et authoritate Apostolica confirmare et communire dignetur de gratia spirituali. In quo S. Vestra proculdubio Deo omnipotenti rem gratam, summique Pastoris officio dignam atque Ecclesiæ nostræ nequaquam infeliciter cessuram faciet S. Vestra: quam Deus Opt. Max. Ecclesiæ suæ quam diutissime conservet incolumem, nos nostramque Ecclesiam humillime commendantes. Datæ Spiræ vigesimo septimo Augusti Anno Christi etc. septuagesimo secundo.

Ejusdem S. Vestræ

Humiles et devoti

Decanus et Capitulum Ecclesiæ Spirensis.

XXI. — Monasterienses attamen Canonici alia nescio an satis laudabili ratione de gloria atque decore domus Dei sollicitos se præ se ferebant, præcaventes ne quisquam inter cathedralis ecclesiæ Canonicos cooptaretur, nisi qui satis conspicua et avita nobilitate paterno pariter maternoque genere gloriaretur. [*]

[*] Germania Vol 36, fol. 15.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio S. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Hujus Nominis XIII. Domino Nostro Clementissimo.

» Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Clementissime; post devota beatorum oscula pedum, obedientiam quoque et servitia nostra obsequiosissima; cum primis quidem Sanct. V. fœlix et salutare auspicium in communibus votis, suscepto Pontificatu precamur; atque ut Deus optimus maximus, id quod bonis et fœlicibus auspiciis inceptum est, pro salute communis Christiani orbis, et Sanct. V. quam diutissime bene fortunare dignetur. Deinde vero non possumus non negotii necessitate hortante Sanctitati V. significare, Ecclesiam nostram majorem et Cathedralem Monasteriensem, in inferioris Germaniæ Westphalia sitam, more majorum receptam consuetudinem, immemorialis temporis habere, statutis et privilegiis summorum Pontificum confirmatam, ne scilicet quis in nostra Ecclesia in Canonicum recipiatur, nisi nobile paternum et maternum genus, una serie, ab avo et abavo militari familia ortum recenseat, et duobus testibus, eadem nobilitate prefulgentibus, jurato adtestantibus, præter proprium ipsius recipiendi juramentum, hoc ipsum comprobet. Et quamquam quidem Johannes Schenckinck prope consuetudinem hanc et privilegia nobilitatis militaris novisset, necnon quod majores et parentes sui, neutiquam ex nobilibus equestris seu militaris generis, sed ex civibus et patriciis (qui in civitate Monasteriensi publica munera obiissent, quod nobiles militaris generis neutiquam faciunt) progeniti essent, cognitum habuisset. Is peræque tamen Venerabili et nobili viro Bernhardo a Munster Preposito et Canonico nostræ ecclesiæ, anno superiori minoris numeri quinquagesimo septimo defuncto, Canonicatu vacante, per suppressionem veritatis, simpliciter non expressa differentia nobilium ordinis seu generis militaris, et abusive seu titularis et commentitiæ nobilitatis, quæ est in partibus nostris, et per assertionem se nobilem existere, a Papa Paulo IV. fœlicis recordationis eundem impetravit. Atque cum deinceps possessione petita, juratam probationem, videlicet se ex nobilibus militaribus ortum et prognatum, per se, et in statutis et privilegiis Ecclesiæ nostræ requisitos testes, præstare non potuisset; repulsam passus, rejectis et spretis omnibus bonis et conditionibus, calumniosam litem contra rectam et propriam conscientiam, adversus nos intendere non erubuit. Quare cum vulgari et titulari nobilitate quadam demonstrata causaque non satis utrinque cognita et instructa, sed magis ratione quarundam clausularum derogatoriarum subreptitie et contra mentem Pauli PP. IV. impetratarum, canonizatoria quadam sententia secundum ipsum Johannem pronunciata, nos ad necessarium et commune appellationis remedium confugientes, atque gravamen contra notoria recepta jura et privilegia majoris et cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis inflictum, Papæ primum Paulo subito e vivis sublato, Deinde Pio IV. fœlicis recordationis suppliciter exposuissemus, unde ipsius Sanctitas motu proprio concesso et indulto, neque prædecessoris sui, nec etiam Sanct. Suæ jura et privilegia Ecclesiæ nostræ antiquandi, tollendi vel abrogandi, propositum et mentem unquam fuisse clementer et pie declaravit, et cum Sanct. Suæ sub et obreptitie tacito et suppresso discrimine, quod in Germaniæ natione inter nobiles ordinis militaris vel equestris et cives patricios vel Erbmannos municipes in Civitate Monasteriensi (qui titularem et vulgarem quandam nobilitatem, per abusum sibi adrogare solent) notorie existit, nobilitas adversarii suggesta esset. Hinc igitur probatione seria, ipsi Johanni

injuncta se scilicet ex parentibus et majoribus nobilibus equestribus vel ordinis militaris natum et procreatum esse, remissoriis utrinque impetratis et explicitis, adversarius contra praescriptum antiquissimi et laudabilis statuti Ecclesiæ nostræ, non per nobiles ordinis militaris, sed sibi similes Erbmannos testes, plane suspectos, commentitiam suam nobilitatem probare conatus, qui ipsi etiam neutiquam quod ipse Johannes ex nobilibus parentibus, sed ex civibus patriciis vel municipibus ortum suum duceret, testificati sunt. Et quamquam testes (maxime adversarii) qualitates quasdam accidentales, quas usurpando fere communes Erbmanni cum nobilibus equestribus habent, expresserint: veluti vestitus, ornamentorum corporis, titulorum, insignium, divitiarum, exercitus militaris, item nuptiarum sive matrimoniorum et quod genuina tamen et essentialis nobilitas militaris ipsius Joannis ab ipsis nequaquam commonstrata sit. Quinimo e contra per articulos reprobatorios nostros et probationes, necnon testium dicta subsecuta evidentia aliquod discrimina inter nobiles equestres et cives municipes in civitate Monasteriensi patefacta sunt; preterquam quod testes nostri omni exceptione majores, et non tantum numero sed et dignitate fide et authoritate adversariis prævaluerint magisque fide digni fuerint. Sed et cum jam per elapsos aliquot annos in Sanct. V. sacro Rotæ auditorio, variæ aliquot ambiguitates motæ, utrinque altercatione et disputatione facta resolutive aliquot decisiones editæ sint, tandem nobis nihil minus formidantibus, anno præsenti minoris numeri septuagesimo secundo, vigesima quidem quarta mensis Martii, Reverendi domini Auditores, analyzem veluti præjudicium in gravissimum dispendium nostrum aperuerunt, videlicet in casu de quo agitur non requiri plenam et exactam probationem nobilitatis, sed sufficere semiplenam, item sub finem resolutionis Dominum Johannem plusquam semiplene probasse nobilitatem suam militarem, seclusis etiam depositionibus testium pro ejus parte examinatorum. Quam quidem resolutionem si principalis sententia subsequatur, quod sit non tantum Ecclesiæ nostræ, sed etiam nobilitati militari diœcesis Monasteriensis et vicinarum ditionum pernitiosa et exitio futura Sanct. V. pro singulari sua prudentia clementissime facile collegerit. Nam cum hactenus tam civilis quam Ecclesiasticus Reipublicæ status, virtute et presidio vere nobilium equestris ordinis majorum nostrorum, in diœcesi Monasteriensi administratus et reconservatus sit. Atque adeo ipsa Catholica et Christiana religio, potissimum per ordinem militarem tutata atque a furore et hæresi anabaptistico ante complures annos, proprii etiam corporis et sanguinis periculo vindicata fuerit, atque eo nomine Sanct. V. fœlicissimæ et præclarissimæ memoriæ prædecessores ab immemorabili tempore sarta tecta, jura et privilegia Ecclesiæ nostræ servari omnino voluerint; nemo ambigere potest, juribus privilegiis et prærogativis nostris indultis, et antiquatis, hoc ipsum in communem perniciem Ecclesiastici status (maxime quoad ejusdem gubernaculum) in nostra Germania plane cessurum esse. Imo cum hucusque ab antiquissimis temporibus nulli alii in Ecclesiastico statu, preterquam ex illustribus et nobilibus familiis orti et prognati, in Antistes, quibus ut plurimum principatus et Regalia Imperii deferuntur, recepti fuerint, quis non videt indiscriminatim in Cathedralibus Ecclesiis pro Canonicis nobilibus et ignobilibus admissis, periculosissimam hanc mutationem summo exitio passim diœcesibus Ecclesiasticis in Germanica natione futuram esse. Ut pretereamus ad ipsam imperialem Majestatem et commune Imperium. Etiam ut ecclesiasticis antiquus honos salvus sit, juraque et privilegia inconcussa et illæsa maneant, non leviter pertinere. Quo nomine quamquam in resolutione proxima sacri Auditorii quasi quæstio inter veram et genuinam nobilitatem equestris ordinis nec non ascistitiam vulgarem et titularem (quam etiam plebei plane ditiores per abusum sibi usurpant) modici præjudicii esse memoratum, atque ita probationem semiplenam sufficere existimatum sit. Sanct. V. ex præmissis in Germania quæstionem hanc maximi momenti et gravissimi ponderis esse (quo casu secundum tramites juris probatio plenior requiritur) clementissime perpendere potest, sed et cum hactenus contra normam æqualitatis jura et probationes nostræ non peræque ut adversarii disputatæ et examinatæ fuerint, donato etiam eo (salva veritate) quod probatio etiam semiplena secundum resolutionem in quæstione nobilitatis sufficiat: atque præterea ipsum Johannem suam assertam nobilitatem militarem plusquam semiplene probasse. Cum tamen firma apud nos fiducia sit in Rotulo probationum nostrarum, ipsum adversarium non ex parentibus et majoribus ordinis equestris vel militaris, sed ex civibus municipibus (quos in civitate Monasteriensi Erbmannos vocant) progenitum et ortum, vel plenissime ostensum esse. Hinc equidem cum juri et æquitati consonum sit, utriusque litigatoris jura et probationes diligenter perspicere et perpendere, atque accurata collatione facta deinceps utrius probationes potiores et magis fide dignæ sint justa trutina dijudicare. Rogamus itaque Sanctitatem V. quam possumus suppliciter, ut ea veluti unicum nostrum asylum pro pontificia authoritate, prædecessorum suorum vestigiis insistendo antiqua nostra a Sancta Sede Apostolica obtenta et confirmata privilegia et statuta Ecclesiæ nostræ Monasteriensis clementissime conservare et manutenere; sed etiam eadem a

quibuscumque derogationibus et dubitationibus restituere et vindicare, apud ipsius Auditorium clementissime et paterne efficere dignetur, ne quid gravius vel durius contra notoria plane et evidentia jura et privilegia Ecclesiæ nostræ de cætero ipsi Auditores decernant. Utque præjudiciali resolutione seposita collatione contrariæ luculentæ probationis facta, ad quod juris et æquitatis fuerit, (adjuncto etiam Reverendissimorum dominorum Cardinalium quibus discrimen nobilitatis in Germania probe perspectum sit, aut plane totius Reverendissimi Collegii consilio et deliberatione) pronuncient. S. V. (quam Deus optimus maximus pro communi et totius Christiani Orbis salute, in summo culmine quamdiutissime incolumem defendat et tueatur) nos vicissim obedientissimos cum ardenti studio et observantia erga Christianam et Catholicam religionem et sacrosanctam Sedem Apostolicam ipsa re nutu et auxilio divino accedente experietur. Datum sub sigillo nostro ad Causas die 20 Junii Anno etc. 72.

S. V.

Devotissimi et Obedientissimi
Prepositus, Decanus et Capitulum Cathedralis
Ecclesiæ Monasteriensis in Westphalia.

XXII. — Ut ad Cæsarem redeamus, illustre ille erga fidem catholicam et pietatis et studii exemplum dedit, dum Dux et Princeps Elector Saxoniæ ob imperii negotia Vindobonæ commoraretur. Hic princeps, protestantismi in Germania columen, Thilemannum Heshusium, in aula sua verbi Dei ut Luterani ajunt præconem ecclesiæ catholicæ infensissimum secum adduxerat, qui in privata principis domo cathedram erroribus adstruendis, vulgandisque erexerat, et protestantium hæresim catholicis etiam bene multis ausu et novitate rei ad audiendum adlectis suadere conabatur. Cæsar ea de re cum Duce Saxoniæ graviter conquestus eum exhortabatur, ut audacem errorum magistrum comprimeret, qui favore principis confisus contra catholicorum dogmata eo magis exardescebat. Tum vero insolentia hominis permotus obnitente frustra, et infirmente animo Saxoniæ Duce eum Vindobona illicet discedere Cæsar jubet. Eumdem exitum celeber ille David Chytræus, Rostochiensium Symmysta, expertus est, qui eodem consilio promovendæ nempe hæreseos Rostochio Viennam fuerat profectus. Viennam nempe, ut Joannes Delphinus, episcopus Torcellanus, Nuntius Apostolicus apud Cæsarem, narrat, [*] multi iique furentes hæretici ex variis Germaniæ regionibus tum temporis confugerant, ut etiam ibi suos errores propagarent. Itali ipsi, Vindobonæ commorantes, quorum numerus ad decem millia erat, suos erroris magistros ex Sabaudia et ditione Veneta extorres habuere, quos pariter jussu Cæsaris urbem relinquere oportuit.

[*] Epistolæ ejusd. Italicæ ad Cardinalem Novocomensem, qui Pontificis a secretis erat, Viennæ die VI. et XVI Jul. 1572.

XXIII. — Bisontium, nobilis Sequanorum metropolis in comitatu Burgundiæ ob finitimas Gallias, Sabaudiam, Helvetiam atque Germaniam, quorum limitibus undique clauditur, hoc tempore æque hæreticis facile receptaculum patebat. Mox Magistratuum socordia audaciores redditi hæretici majora jura sibi usurpare studebant, ita ut etiam cum catholicis, qui id ægre ferebant, publice congrederentur armisque nonnunquam dimicatum fuerit. Maximilianus II. semel et sæpius selectos urbis regendæ viros acrius reprehendebat, quod hæreticos homines in ea sedem figere sinissent: eosque hortabatur, ut istos quantocius abire juberent. Sui juris urbem, quæ tamen Germanici Imperii legibus et potestate teneretur sibi parere et Legatorum, quos ipse componendis dijudicandisque litibus inter Catholicos et novæ hæreseos homines miserat dictis audientes esse oportere. En litteras, quas hoc de negotio Cæsar ad Bisuntinos dedit. [*]

[*] Gallia V. 6. fol. 343.

MAXIMILIANUS II. IMPERATOR ETC.

« Honorabiles, fideles, dilecti. Recenti haud dubio tenetis memoria, quid præteritis annis 70. et 71. vobis pro ea de vestra ac civitatis istius Bisunti salute ac tranquillitate gerimus paterna cura ac sollicitudine per nostros diversis vicibus ad vos destinatos commissarios in mentem vocari curavimus, quidque positis vobis ob oculos iis malis atque incommodis, quæ alias expectanda forent, vos clementer ac serio monuerimus, a vobis vero tam nostris illis commissariis quam nobis ipsis quoquo tempore responsum fuerit.

« Quamvis autem non modo ex eorumdem commissariorum nostrorum relationibus, verum etiam novissimo vestro responso cognoverimus ea, quæ de civitatis istius statu ad nos perlata essent non omnino vana extitisse, huicque jam satis causæ habuerimus de remediis ad evitanda majora inconvenientia atque scandala opportunis cogitandis nihilominus tamen vestro illo responso, et ablationibus freti, atque confisi rem hucusque distulimus, ea spe vos ita provisuros, ne quis ulterior incommodi scandalis locus foret; sicque id quod verbis pollicebamini re ipsa præstituros esse.

« Verum præter hanc expectationem fide digna relatione edocti sumus non solum eam, quam sperabamus provisionem hactenus sequutam non esse, quin potius ea quæ per novissimum commissarium nobidem nostrum ac sacri Imperii fidelem dilectum Joannem a Bolvegler nostro nomine vobiscum acta sunt, non secus ac destinati prius ad vos consiliarii nostri aulici Andreæ Jail doctoris tractationem omni prorsus fructu caruisse verum etiam civitatis istius statum indies fere in pejus ruere, si quidem nonnulli a veteri religione catholica quæ antehac in civitate ea

incorrupte conservata fuit, alieni ministri et concionatores clam istic irrepserunt, jamque plebs vel saltem quam plurimi ex ea paulatim in suas partes per facta graviora etiam machinari ac ea consilia agitare non vereantur, quo pacto externa hominum manu in civitate immissa ac viciniis quibusdam rerum novarum, ac turbandæ pacis, tranquillitatisque publicæ studiosis adjuti, sicque potentiores facti eodem modo, quo antehac alibi ex similibus initiis evenisse meminimus, novum eorum qui memoratæ religioni catholicæ ac communi quieti adversantur istic constituant receptaculum. Clerus vero una cum ceteris catholicis in extremo vitæ nedum bonorum discrimine atque periculo quotidie versari cogatur.

« Quoniam vero nobis tamquam Romanorum Imperatori nostri muneris ratione incumbit tam difficili ac perturbato civitatis istius sacri Imperii membri, statui diutius haud connivere quinimo et inire consilia ac vias, quibus imminenti graviori malo tempestive obviam iri queat, quemadmodum etiam ad id præstandum tam dicti nostri officii condigno respectu habito, quam pro singulari illa paterni amoris et clementiæ affectione qua civitatem istam et ejusdem cives et incolas prosequimur. Adeoque mutuam inter ipsos concordiam ac quietem stabilitam potius quam perniciosis religionis dissensionibus vel alio quocumque modo in ultimum discrimen et excidium, atque interitum adductos cupimus animo optime inclinati sumus. Idcirco prætermittere noluimus quin præsentes commissarios nostros videlicet una cum præfato Joanne Barone de Boluegler generosum ac nostros ac imperii sacri dilectos fideles Udalricum comitem de Montfort et Rotenfels ac Joanem Wernerum a Raitenau in Langistain consiliarios nostros isthuc ablegaremus, quibus mandatum dedimus ut primo non solum ex vobis(de quorum tamen integritate non ita diffidimus, ut nos quicquam celaturos esse arbitraremur) verum etiam cum multa accidisse queant, quæ et vobis ipsis ignota sint, ex aliis pariter omni diligentia inquirant de iis singulis quæ hactenus ad nos perlata fuerunt, ac quisnam præsens civitatis istius status sit, ac demum nil cognitis oeque eo modo quo nobis relatum fuit comperta vobis quantopere nobis illud displiceat, ostendant simulque mentem et voluntatem nostram ulterius declarent, nostro nomine expresse ac serio vobis injungendo ac præcipiendo, ut scandalis illis sine omni mora remotis atque correctis, seductoribus vero ac turbulentis perniciosisque hominibus a civitate ista quamprimum ac ante eorumdem commissariorum nostrorum isthinc recessum exclusis posthac haud ullum eis receptum neque clandestinis conventiculis concionibus, et si qua alia sunt his similia haud alio quam ad turbandam quietem et tranquillitatem publicam spectantia ulterius locum detis. Quinimo orthodoxæ religionis catholicæ, in qua nati et educati optata hactenus quiete usi estis, ac debitæ nobis ac sacro Imperio fidelitatis, et observantiæ constanter incorrupteque retinendæ summum semper animum habeatis, nec vos ab eadem cujusquam persuasionibus et ad seducendum exquisitis blanditiis ullo pacto vel colore divelli patiamini. Cum clero autem mutuam ac eam quam convenit colatis concordiam et amicitiam. Idemque a vestris civibus incolis et aliis vobis subjectis fieri curetis, uti hæc et alia ex supradictis commissariis nostris prolixius intellecturi estis. Quapropter vos clementer et serio hortamur ut iisdem commissariis nostris non solum in omnibus quæ nostris verbis expossituri ac injuncturi sunt, plenam fidem præstare verum etiam in detegendis sine dissimulatione iis, quæ ex vobis inquirendi mandatum habent, adhibendisque postmodum memoratis aliisve remediis opportunis tales vos exhibeatis, uti antehac polliciti estis nosque omnino confidimus. Eo namque pacto et vestræ omnique vestrorum saluti optime consuletis et præclare testatum facietis ea, quæ hucusque irrepserunt scandala vobis non solum ingrata extitisse, sed et præter omnem voluntatem vestram evenisse. Atque insuper nos ut cui plane deliberatum sit memoratam seu quamcumque aliam religionis vel politici status mutationem ea in civitate nequaquam tolerare Cæsareo nostro officio utendi ac alia idonea remedia exhibendi necessitate sublevabitis. Serenissimi autem Hispaniarum regis catholici Patruelis fratris ac generi nostri charissimi, qui tamquam Burgundiæ (in cujus medio ea civitas sita est) Comes ac cui protectionis jus ibidem competere nobis nonnullis documentis authenticis ostensum est, haud dubie eam ipsam mutationem, ut quæ facile totius istius civitatis quieti turbandæ causam atque materiam subministrare posset, egerrime laturus esset, benevolentiam conservabitis. Ac præter expressam ac seriam voluntatem nostram id ipsum faciatis, quod sacri imperii constitutio de pace religionis promulgata vult atque statuit, utpote de his solum civitatibus imperialibus loquens in quibus ejusdem constitutionis editæ tempore utraque religio in usu ac exercitio fuit, eas vero, quæ sola antiqua religione catholica eousque usæ sunt, minime comprehendens. De quo vos clementer quoque monendos esse censuimus. Datum Viennæ die 18. Aug. 1572.

Idem Summus Pontifex Archiepiscopo Bisuntinorum, præsuli alioquin vigilantissimo, ut acrius ageret, suasit [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 242. f. 323.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Bisuntino.

GREGORIUS PP. XIII.

Venerabilis frater Salutem et Apostolicam benedictionem. Ex Literis fraternitatis tuæ magno

cum dolore accepimus quanto in discrimine versetur civitas et diœcesis tua propter magnam vim hæreticorum, qui istuc confluxerunt. Scripsimus ad Nuncios nostros, quos habemus apud carissimos filios nostros Maximilianum in Imperatorem electum, et Regem Christianissimum ut cum utrisque diligenter agerent nostro nomine ut quibuscunque opus esset rationibus huic malo occurrerent; qua etiam de re fraternitatem tuam certiorem fecimus per literas dilecti filii nostri Cardinalis Comensis. Nunc autem accepimus omnia indies deteriora evadere, itaque non putavimus cunctandum tamdiu dum ab illis, aut nostris literis responsum, aut tam perditis rebus remedium mitteretur: sed curavimus, ut eorum, qui apud nos sunt oratores ad eos qui in ista civitate, et diœcesi sunt ministros quam diligentissime perscriberent, quas quidem literas non parum profuturas speramus, quoad Maximilianus ipse et Rex providere possint. Sed tuum hoc præcipue munus est omni conatu, atque ope, et per te ipsum, et per amicos, ac propinquos tuos, quibus te istic abundare certo scimus istam quoad potes pestem extinguere. Quid enim posteris gloriosus? quid gregi necessarius? quid Deo gratius? quid universæ ecclesiæ fructuosius fieri potest, quam lupos, Antichristos, religionis eversores fugare, evertere, perdere? quod cupias, quod possis, Dei munus est, quod facere debeas non putamus opus esse alia cohortatione, quam ea, qua utitur beatissimus Leo; Epist. 93 cap. 16 « Qua, inquit, » conscientia honorem sibi sacerdotii præstitum » venditant qui pro animabus sibi creditis non » laborant? bestiæ irruunt, et ovium septa non » claudunt, fures insidiantur, et excubias non » prætendunt. ». Ut igitur istos hæreticos quam maxime extermines atque exstirpes, tibique ut opus fuerit omnem in inquirendo, audiendo, puniendo auctoritatem et potestatem damus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII. Septembris 1572. Pontificatus Nostri Anno primo.

XXIV. — Res Hungariæ publicas eadem alacritate qua sacras Maximilianus componebat. Bellorum civilium furore nonnullæ Ecclesiæ Cathedrales non solum in Hungaria, sed etiam in Austria ipsa magno religionis detrimento jam ab aliquot annis viduatæ erant. Vindobonensis cathedra ab anno inde MDLX. episcopo carebat. Redditus alendis Ecclesiasticis viris, et bona Ecclesiis vel religiosorum monasteriis sustentandis olim dono data, quin et ipsæ ædes sacræ, potentiores e laicorum ordine viri sibi corripuerant; et vel tristissima temporum conditione, vel magnitudine cupiditatum, vel favore Cæsaris rapta sibi acerrime asserebant. Nuntius Apostolicus ea de re sermonem cum Maximiliano sæpius habuit, eumque exoraverat, ut diuturno tamque gravi malo mederetur, ecclesiis dignos pastores præficeret, monasteria ac reliqua ecclesiastici juris sive fraude sive vi surrepta, vel pignoribus nexa, aut mancipio usurpata e laicorum manibus eriperet, legitimisque possessoribus vindicaret. Officiis Nuntii Apostolici suffragatæ sunt preces Hungarici Episcopatus. (*) Quibus præcibus Cæsar flexus, qui cathedras episcopales Zagrabiensem atque Jaurinensem reciperent, eligebat, spondebatque reliquis cathedris adhuc episcopo carentibus mox provisum iri. Gregorius, ut Cæsari ad perficiendum hocce optatissimum negotium calcar adderet, amantissimas ad eum litteras dedit. (*)

[*] Monitum documentorum N. 1.

[*] Reg. Gregorii XIII An. I epist. 196 fol. 213.

Carissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Romanorum Hungariæ ac Bohemiæ Regi Illustri in Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Jamdiu novimus Ecclesias Viennensem, Jaurinensem, Agriensem sine episcopis et pastoribus fuisse; dum vero alterius Pontificis ea curatio erat, facile existimabamus aliquid impedimenti fuisse, quominus Majestas tua ad eas ecclesias idoneos homines nominaret, ulterius laborare nostrum non erat: Nunc autem in hoc Apostolico munere, a divina voluntate, nullo nostro merito constituti, atque omnium ecclesiarum solicitudine onerati, in qua oportet nos catholicorum omnium curam suscipere, eorumque animarum rationem Deo reddere, non possumus tam diuturnam ecclesiarum viduitatem non graviter dolere, nec dissimulare aut tacere. Novit Majestas tua sacrorum Conciliorum, et sanctorum Patrum decreta hoc gravissime detestari, ac sic statuere, nihil posse hac destitutione et viduitate Ecclesiis perniciosius accidere; sublato enim pastore lupos invadere oves ipsas, et quidquid habent fructuum perdere. Aliud etiam modo accepimus, quod non minus, quam superiora Nos commovet, plerasque, tam in tua quam in fratrum tuorum ditione Præposituras, atque Abbatias suis Præpositis, et Abbatibus carere; earumque res, et bona a nonnullis nullo jure possideri, inque eorum fructu esse; quod quidem adeo detestantur sacri canones, ut primam hanc tanquam certissimum principium statuant juris regulam, non posse beneficium ecclesiasticum sine canonica institutione possideri, quod si quis cavilletur, se non benificium, sed res, et prædia possidere, audi quid decernant; Prædia divinis usibus tradita quidem humanis usibus applicant, et Domino Deo, cui tradita sunt, subtrahunt, ut suis usibus inserviant; quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cælestium dicata a quibusdam irruentibus vexentur; quod si quis præsumpserit, sacrilegus habeatur, et sicut sacrilegus

judicetur. Prohibeamus, carissime fili, ab Ecclesia Dei hoc tantum scelus, atque adeo ipsi caveamus, ut si neglexerimus eodem ipsi scelere obstringamur, nam Principum etiam negligentia in crimen revocatur. Et quanquam magna nostra cum voluptate a Nuntio nostro accepimus, Majestatem tuam pollicitam esse, quamprimum his malis succurrere, tamen pro nostro summo desiderio et munere facere non possumus quin rogemus, ut quamprimum homines idoneos conquiras, quibus hujusmodi ecclesiæ et beneficia conferantur; hoc nobis gratius facere nihil potes, neque tua pietate dignius; neque Ecclesiis ipsis, earumque rebus convenientius, neque animarum saluti utilius. His etiam de rebus ad Nuncium nostrum scribimus, a quo fusius accipies. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XII. Julii MDLXXII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXV. — Maximilianus, ut votis Magnatum Hungariæ, qui Rudolphum maximum natu ejus filium in regem proposuerant, satisfaceret, comitiis regni Posonii indictis, una cum filiis et cæteris sui generis eo se contulit, ut novo regi more et ritu Hungaricæ gentis corona imponeretur. Quo augustior sollemnitas evaderet, Cæsar Nuntium Apostolicum oravit exoravitque, ut designatos needum ab Apostolica Sede confirmatos Episcopos baculo et infula episcopali uti sineret. Id animi Pontificii erga Cæsarem et designatos e se Episcopos, ut sine præjudicio agi liceret, paria concessurum Pontificem si rei agendæ spatia reliquerentur, innuit. Omnia ex votis processerunt. Archiepiscopus Strigoniensis, Primas ecclesiæ Hungaricæ et primus regni princeps coronam Rudolpho, quo fieri potuit, ampliori ritu in maxima etiam exterorum principum frequentia imposuit. (*)

(*) Mantissa documentorum N. 2.

Gregorius a Nuntio suo apud Cæsarem de re rite peracta edoctus novo regi de recepta corona est gratulatus, eumque patris more admonuit, eum se gereret quem decet regem tam præclaro nomine insignitum. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 234. f. 311.

Carissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Regi Hungariæ Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Libentissime salutamus Majestatem tuam his ipsis verbis quibus Reges salutare consuevimus; gratulamurque et Majestati tuæ, cui omnia summa cupimus, et Christianæ Reipublicæ, cui omnes summa omnia et cupere et quantum possumus præstare debemus. Neque vero aliis de causis gratulamur Majestati tuæ, aliis Republicæ Christianæ; sed quæ te regno isto disjuncto reddiderunt, eadem nostram te Rege de Christianæ Reipublicæ bono spem maxime confirmant; majorum nimirum tuorum in te propagata pietatis, atque omnium virtutum semina, necesse est enim tanto in splendore ortum, domesticis exemplis ad omnem gloriam incitari, suorumque majorum invictam in Christiana Republica tuenda atque amplificanda virtutem considerantem eisdem vestigiis et gradibus ad immortalitatem contendere. Accedit domestica institutio, quam ab optimis parentibus, atque a Rege Catholico hausisti, omnis pietatis, justitiæ, prudentiæ, religionis plenissima. Quod si mirandum magnopere est, bonis parentibus ortos ab eorum virtute degenerare, illud certe credibile non est, ubi ad naturale bonum optima etiam educatio accesserit, posse quidquam illa, tum a natura insita, tum ab institutione profecta virtute alienum accidere. Unum illud deerat Majestati tuæ, optimarum scilicet cogitationum explicandarum facultas; eam nunc tibi facultatem, et parentis caritas et Dei nostri benignitas elargita est. Campum habes spatiosissimum in quo possit tua virtus exeurrere, nactus es enim regnum antiqua virtute et religione nobilissimum præsenti vero conditione ejusmodi, in quo possis, cumprimum per aetatem licebit, legibus atque armis quæ depravata sunt corrigere, quæ inclinata fulcire, quæ disjecta restituere; et tum externis, tum internis hostibus, hoc est Turcis atque hæreticis cohereendis, arcendisque et perdendis, quidquid habes consilii atque opum, ad causam Christi, a quo illa omnia habes conferre, atque ejus membra, hoc est pios bonos omnes justitia, æquitate, comitate, liberalitate recreare, et fovere. Et quamquam Dei negocium agentem nihil decet humanum spectare, tamen Christus ipse qui nescit beneficiis superari, majores Majestati tuæ dignitatem atque opes largietur; ipse enim pollicetur ei, qui talento eo, quod habet recte utitur, alia quoque tributurum effecturumque ut qui habeat, magis magisque abundet. Sed neque dolemus aliorum de nobis existimationem spernere; sic autem reputa ex istius regni gubernatione homines conjecturam facturos qualis in majori imperio futurus sis. Hæc a nostro paterno in te amore profecta esse existima; a quo etiam omnia proficiscentur in quibus intelligemus tuæ amplitudini ac regni tui quieti posse adjumento esse, idque cum faciemus perpetuam nostram in parentem tuum atque in te caritatem retinebimus. Interim Deum orabimus, in cujus manu sunt corda Regis, ut cogitationum, atque actionum tuarum omnium dux sit comes et finis; tibique in hac vita omnia læta et prospera, in futura sempiternam beatitudinem largiatur. Longiores non sumus; cætera enim accipies a venerabili fratre episcopo Torcellano nostro istic Nuntio, quem voluimus has Majestati tuæ literas reddere, ejus orationi fidem ut adhibeas rogamus. Datum Romæ apud Sanctum

Marcum sub annulo Piscatoris die xviii. Octobris 1572. Pontificatus Nostri Anno I.

XXVI. — Ignatiana soboles latius in dies per Germanias fundebatur Episcopis et principibus viris æque ac reliquis optantibus civibus, ut pii doctique magistri erudiendæ in bonis litteris juventuti advocarentur. Fuggerorum gens Augustæ Vindelicorum degens, virtute pariter et opibus clara, in votis habuit, in urbe patria, celeberrimo tunc temporis emporio protestantibusque admodum referto, collegium Societatis Jesu proprio sumptu condere atque ditare. Fuggeri, quibus et Ilsungi, ex patriciis Augustanis, viri utique potentes iidemque opulentissimi, eadem in re se sociarunt, Gregorium consulunt precanturque, ut Jesuitis ædem S. Cruci dicatam domumque adjectam, quæ Patrum Augustinianorum juris erat, concedat, quippe in qua satis infrequentes monachi adessent, quique non satis recte vivendi laude florerent. En litteras quas Fuggeri atque Ilsungi hac de re ad Cardinalem Augustanum dederunt, celebrem illum Othonem de Truchses, eorum concivem, qui Romæ commorabatur, et Cardinalium Congregationi rebus sacris Germaniæ componendis fuerat a Pontifice additus. (*)

(*) German. Vol. 26 fol. 32

Etsi ratio hujus operis, quo quæ singulis annis gesta sunt singulis capitibus recensentur postulabat ut hasce Fuggerorum epistolas nudas hic cæterorum monumentorum seriei innecteremus, nec nonnisi serius de hujus Augustani Collegii negotio sermo rediret, nihilo tamen secius aliqua addenda existimavimus, ne gravis nimium et longe a vero absona de Augustinianis illis Patribus auditorum animis insideret opinio. Videre enim erit A. 1574. §§. 38 et 39. quæ a Fuggeris narrantur de horumce S. Augustini asseclarum moribus putidissimi commenti loco esse habenda, et in eum modo finem fuisse prolata, ut opulentissimum eorum monasterium quacumque demum ratione eis arripere liceret. Fictum religionis studium ad animi sententiam facilius adstruendam præ se ferebant, quo simulabant se ædes Crucis sacras novo societatis Jesu collegio, quem condere et ditare spondebant, velle addicere. Importunis idcirco precibus Cæsaris animum et ejus fratrum Austriacorum Archiducum tum Duces Bavariæ obsidere non desistebant, quos profecto sciebant, pro summo amore, quo Ignatianos Patres merito complectebant, facile pertrahi possent, ad consilium tantam pietatis speciem falso præ se ferens juvandum. Quo vero merita et recta Patrum Societatis Jesu vivendi ratio magis necessaria videretur, opportunum rati sunt Fuggeri iniquissima et atrocissima quæque crimina de monachis istis non solum fabulari; sed et universum Augustanum Clerum veluti vitiorum omnium sentinam traducere. Id perspicue patet ex Fuggerorum litteris ad Gregorium datis Prid. Kal. Junii A. 1573. quas proinde hujusque anni §. 2 inferuimus, ut virorum illorum impudentia ne dicam impietas clarius elucescat. Quid vero mirere Cæsarem et Principes illos viros deceptos et circumventos pessime audivisse Augustinianos patres, et eos a Pontifice enixe postulasse, ut amotis illis patribus eorum ædes Societati Jesu addicerentur? At major meliorque Augustanorum civium pars, tum universi Cathedralis Augustanæ Canonicorum Ecclesiæ albo accensiti, quin et ipse Augustanus Episcopus miræ pietatis vir et juvandæ rei Catholicæ in primis cupidus Augustinianorum tam impie omni conviciorum genere a Fuggeris lacessitorum causam susceperunt. Apud Pontificem eorum vitæ innocentiam amplissimis verbis testantur, et datis ad eundem litteris quas vides A. 1574. §§. 38 et 39, eos ab omni labe purgant atque defendunt. Episcopus Augustanus non satis existimans eos apud Pontificem tueri, ad Cæsarem etiam et cæteros Germaniæ Principes, quos Fuggeri et Ilsungi impie circumvenerant, eorum caussam egit. Hinc factum, ut rejectis eorum virorum postulationibus, Patres Augustiniani secure suis ædibus et cœnobii redditibus frui juberentur.

Hæc idcirco addidimus, reique totius seriem et eventum præcipi animo illicet voluimus, ut vel hoc uno exemplo constaret, nunquam leviter fidem habendam esse eis narrationibus, quæ privatorum hominum scriptis continentur, etsi in religionis negotio magnum præseferre bonarum partium studium videantur.

En demum impudentissimas Fuggerorum atque Ilsungorum litteras.

Reverendissime in Christo Pater Illustrissime et Gratiosissime Domine.

«Qualem et quam tristem faciem Resp. Augustana, olim quidem laudatissima, post exortum Lutheranismum consecuta fuerit, quam turpiter clerus exactus; qua porro cura et sollicitudine Illustriss. tua Celsitudo postea dictum clerum restituendum curaverit; quo denique periculo nos catholici ab eo hucusque tempore inter Lutheranos suis strophis, artibus, et fraudibus hunc populum solum vehementer sibi conciliare et adjungere, catholicos vero graviter premere, illisque nusquam non ingens apud plebem odium concitare, verum etiam in duobus hic monasteriis per vim occupatis frequentissimam scolam cum multis ejusdem sectæ præceptoribus fovere, ubi juventutem frequentem ab ineunte ætate ad suos errores instituant, et cum adoleverint, in Senatum et quævis alia munia intrudunt; Eoque astu et dolo Remp. paulatim in fidei doctrina subvertunt, et catholicos ubique in consiliis numero superant eosque supprimant, ita quidem ut non suppetant modo quos in Senatum et alios hujus Reip. ordines catholicis inte-

rim paulatim morientibus illorum loco sufficere possimus. Sed ferre et cernere cogimur, Senatum indies Lutheranis consiliariis augeri. Nobis catholicis interim in utramque aurem dormientibus, et neglectis piis remediis huic malo nullam opem feramus: quin potius juventutem ñram sine bonis præceptoribus ad quævis vitia prolabentem fœde negligi, atque insidiis, dolis, et artibus sectariorum misere circumuniri, contaminari, atque seduci patimur. Unde ingens periculum nobis accersitur et rei catholicæ quantumvis afflictæ magna fit imminutio, nobisque nihil aliud metuendum magis existimamus, quam ne tota hæc civitas in sectariorum baratrum, ex quo vix hisce annis emerserit, pessime relabatur, ne præterea Clerus nobiscum hinc iterum exturbetur atque profligatur. Mirandum interim est, qua ratione in tanta cleri nostri desidia et Lutheranorum vigiliis et malitia hæc ñra Resp. hactenus constiterit, nec iterum in Lutheranorum potestatem jam olim redacta planeque collapsa fuerit. Quanti vero referat præclarum hanc Remp. in fide catholica conservari, ex hoc facile colligi potest, quod hæc civitas natura loci ita sita sit, quod dum in fide catholica conservatur ad Lutheranorum ipsorum nefaria scelera profliganda et motus seditiosos arcendos summum præsidium, catholicis autem murus æneus et asylum tutissimum sit; Adeo quidem ut si Augusta ñra opibus ac omni genere armorum referta, per incuriam et somnolentiam ñram ab Lutheranorum impia machinatione occuparetur, tunc profecto vicinis, imo omnibus passim Germaniæ Catholicis, summum inde periculum immineret. Contra vero si Augusta in fide catholica et obedientia Imperii conservatur, vicini Lutherani parum efficere et incommodare possunt, cum vel ex hac sola civitate, omnis illorum conatus reprimi et ipsi una cum sua religione, si res postulet facilius extirpari possint.

« Hæc omnia inquam, ad Illust. Celsit. tuam antea quam copiosissime perscripsimus, simulque ñram sententiam, qua nempe ratione et modo catholica fides in hac ñra Augusta conservari atque cum totius Germaniæ ingenti fructu propagari queat, declaravimus. Quum vero consilia ñra irrita hactenus mansisse cernimus, dolemus sane non tam ñra causa, quam quod videamus divini cultus et honoris conservationem et incrementum negligi, rem catholicam in tali et tanto loco deseri, catholicos tam graviter oppugnatos ob levissimam (nostra opinione) causam omni ope et auxilio defraudari, totque christianas mentes remediis oportunis in tanta destitui necessitate, ut nos nostrosque in offitio catholico tueri egerrime sustineamus, nisi huic malo salubri subito consilio succuratur. Qua pacto id autem commodissime fieri, collapsaque Resp. Christiana restitui queat, multi multa quidem scripsere, omnes vero multis rerum argumentis adducti inveterato huic malo aliud remedium adferri posse negant nisi nova seminaria et scolæ ad juventutem rite et catholice instituendam erigantur. Hoc idem suadet, imo præcipit Sacrosanctum Concilium Tridentinum. Quid ergo obstat, quo minus tam sanctam et multis modis necessariam sanctionem perfici et multa passim in Germania seminaria institui curamus? nisi innata Germanis incuria, cunctatio, minus fervens ad cultum divinum amor, et vilissimæ pecuniæ studium. Quin ergo officii nostri memores, abjiciamus omnem cunctationem, et omnia nostra consilia, studia et opes in extrema hac necessitate et inopia bonorum et catholicorum virorum conferamus, ut collabentem Remp. christianam suffulciamus, cum alioquin universam Reip. ruinam humeris ñris imminere certo certios videamus. Quid est rem sancte consuluisse et leges de constituendis seminariis statuisse, nisi matura executio sequatur? Quomodo autem seminaria institui possunt ubi nemo fere sit, qui aliquid addere et studia juvare velit? Frustra ergo fructus ex seminariis expectantur, ubi propter perpetuam cunctationem nulla extruuntur. Dum enim consultamus num Jesuitis vacuum monasterium ad collegium et scolam erigendam occupare liceat, interim cum lachrymis experimur, adversarios nostros indies crescere et augeri, catholicos vero penitus deficere. Quamobrem ad Seminaria constituenda alia ineunda est ratio, aut brevi de religione catholica actum erit.

« Cæterum ne multis agamus, quocumque vertamus oculos, rationem ullam reperimus aut reperiri posse putamus aliam ad impios adversariorum conatus reprimendos et catholicam in hac nostra Augusta restaurandam, quam ut quam primum collegium Jesuitarum et scola publica instituatur, ubi juventus nostra ab his indefessis in vinea domini operariis rite et catholica instituatur. Unde aliquando tam ecclesiasticus quam politicus status viris gravibus, doctis et Catholicis restitui possint. Scit autem Illm̃a Cels. tua id nos antea quoque tentasse, redditus ad Jesuitarum collegium sustentandum sufficientes nostris sumptibus destinasse, nobisque ad præclaram hanc fundationem nihil defuisse, quam templum et ædes, ubi domini Jesuitæ tam cultum divinum, quam scolam libere exercere possint. Quapropter tam pium institutum nostrum hucusque ad meliorem occasionem non sine ingenti Ecclesiæ jactura differre coacti sumus. Jam vero justus nos dolor, patriæ amor, atque occasio ipsa, quæ ultro sese nobis offerre videtur, movent, ut hæc ñra de religionis dissidio et hujus urbis concordia resarcienda consilia cum Illm̃a Cels. tua conferre cogamur.

« Accidit nuper quod propositus ad S. Crucem hic Augustæ abierit, et quinque forte fratres

canonicos Regulares ordinis S. Augustini post se reliquerit; quorum nullus hujus dignitatis capax esse potest. Primus enim Decanus quidem, sed plane infans, sibi mente parum costans ab omnibus judicatur. Secundus apostata et scortator maximus est, qui sine totius civitatis quærela et scandalo huic monasterio præfici non potest. Tertius est paraliticus plane, ita ut rem divinam amplius facere non possit. Quartus nondum est sacerdos, sed levita tantum, adolescens corruptissimis moribus. Quintus vix vigesimum annum attigit, et una cum quarto tam nefanda scelera indies committit, quod ambo nuper per Illñæ Cels. tuæ consiliarios in vincula conjecti adhuc detineantur. Ita quidem quod necesse fuerit totum monasterium per dictos Consiliarios occupare, ut hujusmodi monachorum insolentis comprimatur, donec Illña Cels. tua statuat, quid in toto hoc negotio sit agendum. Quamobrem evidentissima ratio Illñam Cels. tuam jam urgere videtur, totam faciem et statum hujus monasterii in melius commutandi. Est autem hic Augustæ aliud monasterium D. Georgio dedicatum ejusdem omnino ordinis, ubi vix quatuor monachi sacerdotes victitant; Et propter defectum sacerdotum, neque missæ offitium neque cæteræ horæ canonicæ digne satis peragi possunt. Si autem prædicti quinque monachi illis adjungerentur, et Ecclesia S. Crucis una cum monasterio dñis Jesuitis ad cultum divinum et scolam quam amplissimam constituendam adsignaretur, tum demum fieret, ut res sacræ ad S. Georgium per Augustinianos, nec minus per Jesuitas ad S. Crucem recte et cum ædificatione totius Ecclesiæ peragerentur. Cum jam alioquin utroque in loco primæ fundationi minime satisfiat. Itaque hac translatione facta, multum novi accedet. Constat enim omnes fere Cathedrales Ecclesias in Germania olim monasteria, ex his vero collegia canonicorum facta fuisse. Habenda est utique in ejusmodi rebus ratio temporum, quæ multa et pia instituta mutare aliquando cogit. Fortasse ut plerique sapientes sentiunt consultius esset, sacerdotes Augustinianos sine doctis et bonis prioribus sive superioribus in monasteriis Germaniæ (ubi legitimi pastores reperiri nequeunt) sine regula libere et sparsim oberrantes in unum vel pauciora monasteria reduci, ubi simul sub obedientia et regula cultum divinum cum legitima devotione perficere et honeste vivere possent, quam quod plerique in summa licentia passim ita vagentur, aut quod pauci ita licenter sine regula et disciplina commorentur, et quilibet fere suo arbitrio, non sine ingenti multorum scandalo et ordinis sui dedecore vivant.

« Sed posit fortassis huic nostru institnto opponi, non facile hoc relinquendum monasterium in tam celebri loco, nec illud contra mentem fundatorum nunc alio transferendum esse. Ad hæc breviter respondemus, præter ea que jam supra dicta sunt, a SS. D. N. nos neque aurum neque argentum neque redditus ullos petere, sed saltem desiderare templum ad cultum divinum per alios et utiliores clericos exercitandum: tum ædes vacuas ad scolam instituendam quærere. Quantum vero ad fundationem et cultum divinum attinet paulo superius declaravimus, neque ad S. Crucem neque ad D. Georgium per modernos possessores pristinæ fundationi ob defectum sacerdotum satisfieri, et quod translatione hac facta, utroque io loco, nempe ad D. Georgium per adauctum numerum monachorum, et per Jesuitas ad S. Crucem cultus divinus multo rectius perfici possit, præsertim cum redditus nullos ambiamus. Sed illi omnes Augustinianis integri relinquantur: Jesuitis autem novi proventus nostris sumptibus constitui debeant. Unde et cultui divino satisfieret et nova hac nostra donatione facta rebus Ecclesiæ magnum augmentum et accessio futura esset. Ad hæc res ipsa loquitur nobis etiam tacentibus ætatem hanc adeo corruptam esse, ita mutatos hominum mores, ut ad rem monasticam jam Germanus nullus adspiret, neque se facile ad eum ordinem sinat adduci. Proinde passim videre licet quod multa præclara, opulenta et pervetusta monasteria magis ac magis tot in locis ruinam innitantur extremam, eaque sæpe vix a duobus aut tribus nescio quibus monachis incoluntur, aut ab adversariis plane occupantur ac misere prophanantur.

« Quod autem quidam fortasse meliora tempora expectanda existimant, aut major etiam hic numerus monachorum colligatur, illud quidem nos ac catholici omnes summis votis optaremus. Sed hanc spem nobis adimit et labefactat clerus nimium notus, qui passim in Germania tot modis excitatus et afflictus non audit bene monentes, et sana media atque consilia quibus opus esset, respuit hactenus. Unde decreta Concilii Tridentini, ac item celebratam ab Illña Cels. tua nuper Synodum et institutam reformationem nullum clero Germaniæ fructum adferre omnes experiuntur. Imo non pauci his etiam antidotis non obscure sese opponunt. Quamobrem nulla vel exigua spes esse potest, quod tales aliquando ad saniorem mentem reduci queant; nisi costitutis pluribus in locis Seminariis juventus ñra ad sacrarum literarum studium et vitæ sanctimoniam instituatur, et verus catholicismus successive restituatur. Cæterum quid juvat, multa et præclara de religione resarcienda consilia inire? Quid porro prodest tot de seminariis passim in Germania constituendis sanctiones statuere, cum fere nemo sit, qui pareat et seminaria extruat. Quæ denique cunctatio est, cum quidam adsint, qui propriis sumptibus seminaria

instituere ambiunt. Nemo autem sit, qui vel vacuum templum et ædes ad scolam exercendam commodas concedere, tamque pium conatum juvare velit. Quæ sane res atque falsa spes et imaginatio de meliori tempore et reformatione futura, multa et salutaria consilia impediunt; Adeoque propter hanc moram quæ in politico et ecclesiastico ordine in Germania restituendo segniores nos interim reddit cuncta in pejus eunt, et hæc gravissima pestis augetur, ut sic christianam in Germania Remp. indies magisque collabi videamus. Dum enim neglectis seminariis meliora otiose speramus et secure stertimus, nihilque serio aggredimur, deteriora semper in utroque statu sequuntur. Frustra igitur Canonicorum Augustinianorum apud Germanos ordo jactitatur, ubi monachi sacerdotes desunt, et ubi nec ordo nec regula servatur. Proinde sapientibus et christianæ Reip. studiosis, non tam curæ esse debet, ut quinque hi monachi in hoc monasterio conserventur: quam ut Jesuitarum scola promoveatur, unde tantus piorum et doctorum virorum numerus educari potest, ut in posterum non solum canonicorum Augustinianorum, sed etiam aliorum ordinum monasteria veris et doctis monachis iterum instrui atque universa apud nos Resp. rectius constitui possit.

« Cæterum quod ad ordinis canonicorum Augustinianorum privilegia spectat, non putamus illa nobis convenienter objici posse. Bonis ea concessa sunt et integra per nos manebunt semper. Sed ut æque illa serviant omnibus, qui etiam peccandi occasionem inde venantur, ac illis turpiter abutantur. Ea profecto mens non fuit eorum, qui privilegia hujusmodi primum largiti sunt. Proinde non tam refert, fortasse illa privilegia, quibus nonnulli sub specie boni ad licentiam et improbitatem abutuntur, tueri, quam ob majorem utilitatem penitus aboleri, ut sapientes plerique arbitrantur.

« Ex quibus satis constare putamus, Illustrissime in Christo pater, nos quidquid in hac parte vel meditamur vel proponimus, absque omni privati quæstus, commodi vel temporalis boni respectu, sed ad solam solius Dei gloriam, Ecclesiæ catholicæ utilitatem, instituere atque referre. Nimirum ut dñi Jesuitæ vacuum hoc canonicorum Augustinianorum templum et monasterium ad necessariam habitationem et scolam obtinere atque structuris necessariis instruere possint. Cæterum si prædictum monasterium Romæ impetraverimus (nihil enim volumus Sanctæ Sedi, fidei Apostolicæ et Ecclesiæ juribus esse detractum) nos in eo quidem postea elaborabimus, ut nostris sumptibus illud collegium Societatis Jesu ibidem erigi, foveri, dotari et conservari possit. Quæ omnia SS. D. N. Piom V. felicissimæ memoriæ moverunt, quod literis ad Capitulum Augustanum datis summo studio pro collegio Jesuitarum hic instituendo et ædibus commodis assignandis egerit. Nec dubitamus, ni sua Sanctitas immatura morte abrepta fuisset, quin nobis prædictum monasterium ad S. Crucem concessisset. Quapropter ab Illmã Cels. tua velut ordinario ñro pastore cum omni reverentia petimus, ut apud SS. Dñum ñrum Gregorium decimum tertium pontificem maximum sedulam operam navare velit, ut hoc preclarum institutum, quod hucusque prosecuti sumus, felicem progressum habeat. Perpendat secum SS. D. N., quemadmodum sane eum pro sua quidem prudentia facturum omnino speramus, quanti referat tum ad Sedis Apostolicæ tuendum honorem, tum ad Imperii et nationis hujus inclytæ incolumitatem restituendam ut hanc veloti augustam arcem, Augustæ per Societatem Jesu constituamus, et sic in medio hæreticorum afflictis catholicis consolationem et opem inprimis utilem et necessariam tribuamus. Colliget haud dubie Sua S. varios hujus collegii fructus, qui ad hanc totam Remp. qui ad Ecclesiasticum et secularem statum inde, Christo favente, redibunt, qui denique non solum catholicis confirmandis, sed etiam sectariis ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium reducendis præsentem utilitatem facile pollicentur. Qua in re bonum commune particulari pro sua æquitate anteponet, atque sic nobiscum ratiocinabitur. Si paucorum fratrum habenda est ratio, qui sibi magis quam aliis vivunt, et utinam sibi recte viverent; quanto longe majoris faciendi sunt illi, quorum conatus omnis ad publicam spectat utilitatem, et evidentem in Germania successum ostendit: quemadmodum plures Imperii principes, qui Societati huic collegia ex monasteriis constituerunt, non solum læti fatentur, sed id etiam re ipsa magis ac magis experiuntur. Perpendat porro Sua Sanctitas secum et illud, si unus ex duobus senioribus monachis sacerdotibus huic monasterio præficeretur, quod alter solus fundationi satisfacere non possit. Igitur istud nobis cordi sit precamur, non quod privatus suadet affectus, sed quod huic loco et tempori conveniat magis, immo quod ad religionem lectissimo in loco conservandam atque fulciendam nunc vel maxime necessarium prorsus videtur.

« Rogamus itaque majorem in modum Illmãm Cels. tuam ut hoc negotium omni paterno fidoque pectore complectatur, Idemque SS. D. N. fideliter proponendum neque minus ex parte quoque ñra commendandum procuret, atque suæ Sanctitatis consensum impetret. Nos enim illi velut supremo pastori et Ecclesiæ Catholicæ capiti, Christique vicario nos ipsos totos ut obedientissimos filios humillime commendamus, submittimus atque devovemus. Cuperemus autem et illud SS. D. N. exponi reverenter ñro nomine, quod extrema fere necessitate coacti ad hæc consilia capienda descenderimus, quo pro

sua summa pietate hæc omnia in bonam partem accipere, neque in hoc se difficilem præstare dignetur, huic catholicorum Augustæ afflicto gregi, qui hanc unicam nunc gratiam cum omni submissione, reverentia et devotione petit, rogat atque obsecrat quam fieri supplicissime potest. Hoc enim Illmæ Cels. tuæ omnino persuasum esse debet, si nos catholici unico et ultimo hoc auxilio prædictoque monasterio destituamur, maxime cum lege cautum sit, ne civis alicujus domus Ecclesiasticis vendatur, (sic), nullam apparere spem Dños Jesuitas sine collegio amplius hic sustentandi et retinendi; tum nobis quoque hoc periculum prorsus expectandum est, ut ipsis abeuntibus, nos ut saluti consulamus hinc decedere, civitatemque tam præclaram relinquere oporteat. Quæ vero tum facies, quantaque calamitas hujus Reip. futura sit, prudens secum quivis facile perpendere potest. Reliquum est ut causam omnem cum omni reverentia et submissione Illmæ Cels. tuæ veluti ordinario antistiti et catholicorum in Germania omnium protectori committamus, hoc unum si adjecerimus, quod sancte testari possumus, Dños Jesuitas ad hanc deliberationem nobis neque auctores neque instigatores fuisse, sed nos ipsos religionis zelo et extrema necessitate commotos ad hæc consilia ineunda et cum prudentissimis sæpe collata descendisse. Illud postremo addimus, quidquid in his omnibus desideramus atque instituimus ab illis quoque proficisci, illorumque voluntate et consilio simul comprobatum esse, qui Augustanæ Reip. gubernandæ primarium locum tenent, et a secretioribus consiliis hic esse et præesse solent. Commendamus nos interim cum omni submissione ac reverentia qua possumus et debemus Illmæ Cels. tuæ. Datum Augustæ A. D. XIX. Novembris An. 1572.

Illmæ Cels. Tuæ deditissimi

Marcus Fuggerus – Joannes Fuggerus – Hieronymus Fuggerus – Georgius Ilsungus per Sueviam Præfectus – Joannes Achilles Ilsungus Cons. Cæsarius – Maximilianus Ilsungus Sac. Cæs. Maj. a Consiliis.

XXVII. — Albertus senior, Bavariæ Dux, princeps piissimus ac de promovenda fide catholica in Germania si quis alius optime meritus, a Fuggeris impie deceptus ipsorum consilium apud Summum Pontificem totis viribus commendabat. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 3.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Benignissime.

« Humillima devoti filii studia, pedumque beatissimorum oscula. Diu jam est, quod nobiles viri, de Religione et Republica Christiana præclare meriti, Fuggeri Augustani, cumque iis alii quidam cives Catholici, occasionem quandam sibi expetunt, qua suo erga Deum et Ecclesiam insigni studio satisfacere possent, in erigendo nimirum Collegio Societatis Jesu. Cujus quidem rei cum non possint esse non maximi fructus, in ea præsertim republica, ubi hæreses jamdiu sedem fixerunt operæ precium mihi videretur, si eam S. V. clementer promoveret juvaretque. Nihil etenim catholicæ religioni conservandæ restituendæque priscæ pietati tam deest illo loco, quam tale quoddam Seminarium, quale per societatem institui poterit. Ac Respublica quidem amplissimæ istius civitatis nisi ejuscemodi aliquo præsidio muniatur, metuendum plane est, ne brevi tota in hæreticorum potestatem veniat, imminuto nimirum catholicorum Senatorum numero, et invalescentibus qui ad publica munera iis substituuntur hæreticis. Quod si aliquando eveniat, præsentissimum erit Religionis periculum, non solum per Episcopatum Augustanum, sed per omnem Germaniam, in qua permagna est hujus civitatis authoritas. Si itaque S. V. quod omnino mihi persuadeo, præclaram hanc Rempublicam amat, efficiat jam ut Societati locus detur, cujus hoc tempore maxima se offert commoditas, in Monasterio ad S. Crucem quod præposito, monachisque idoneis penitus est destitutum. Solummodum enim locus deest piissimis optimorum virorum studiis, cætera quæ ad Collegii sustentationem necessaria erunt, ipsi de propriis facultatibus assignabunt. Quia itaque Religionem Catholicam hac etiam in parte auctam percuperem, rogo S. V. ut clementer annuat sanctissimis et universæ Germaniæ pernecessariis votis. Videbit S. V. ingentes hujus pietatis fructus, succrescentem scilicet catholicum Senatum, auctiorem idoneum clerum, et fractas paulatim hæreticorum vires, adeoque certam catholicæ Religionis et pietatis consolationem. Nec pœnitebit hanc fecisse mutationem, cum pauculis aliquibus, et ut fama fert, turpibus fraterculis, substituentur tot optimi et doctissimi Patres, cumque Monasterium addiscendæ pietati, imbibendisque sanctissimis moribus domicilium constitueretur. Quod etiam ad æternam S. V. memoriam unice pertinebit. Quam valere et florere optime ac diutissime precor ex animo. Eidem me remque istam totam diligenter commendans Datæ Landishutæ XIII. die Decemb. Anno Christi nati 1572.

S. V.

Obedientiss. filius

Albertus Dux Bavariæ

Patris preces apud Gregorium filius Guilelmus Dux Bavariæ apprime adjuvit. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 8.

Beatissime in Christo Pater ac Dñe Dñe Clementissime.

Sanctissimorum pedum devotissima oscula filiique obendientissimi perpetua studia. Cum eo Religionis sacrosanctæ, et præclarissimæ Reipublicæ Augustanæ adeoque ipsis, quæ supersunt in Germania priscæ pietatis reliquiis in primis

commodissimum arbitrer pium illud studium quo nobiles viri Fuggeri Augustani, cumque ipsis alii quidam catholici et honesti cives, in eo jam toti elaborant, ut instituatur Augustæ Seminarium Catholicum, nimirum Collegium Societatis Jesu, non possum non a S. V. humiliter orare, ut votis tam honestis et necessariis clementissime annuat. Quod quidem facturam ipsam minime dubito, sed et in eo difficultatem enasci non patietur, ut monasterium S. Crucis hisce optimis usibus cedat; bona certe erit mutatio. Ut pro paucis disolutioribus Monachis innumeros producat probos et doctos viros locus iste, neque ab re fecerit S. V. si ad certissimam et præsentissimam religionis consolationem, atque Reipublicæ etiam salutem, illud monasterium elargita fuerit, ut videlicet istius Seminarii beneficio hæreses et errores, qui non solum duo alia Monasteria per vim et injuriam occuparunt ibidem, sed etiam Senatum ipsum invaserunt magna ex parte, paulatim ejiciantur. Ego sane hujus Civitatis ac Reipublicæ insignis dignitatem hæreticis hominibus ita invideo, ut quovis modo medicinam optem. Quam hac ratione S. V. felicissimam et oportunissimam omnino facere poterit. Valeat optima et rectissima S. V. cui me reverenter commendo et offero. Datæ Landishutæ 13 die Decemb. Anno MDLXXII.

S. V.

Obedientissimus Filius
Gulielmus Dux.

Nec deerat in tanto negotio Ferdinandus Archidux Austriæ Comes Tyroli, Cæsaris frater major natu, acerrimus hæreticorum insectator.[*]

[*] Germania Vol. 28 fol. 8.

Beatissime in Christo Pater, et Domine Clementissime.

Humillimam mei commendationem, filialem observantiam, et pedum oscula beatorum. Quam sit luctuosus et miserandus, quamque varie perturbatus Religionis status in Germania nostra Vestram Sanctitatem, quæ sua summa pastoralis est cura et sollicitudo, non sine ingenti animi dolore meminisse satis mihi persuasum est. Rursus vero nec id Sanctitatem Vestram ignorare, quinimo maxima cum voluptate ac gaudio spirituali recordari plane existimo, quantis perpetuis laboribus et vigiliis Societas Jesu huic perniciosissimo Religionis malo mederi studeat, quantosque ipsa fructus in multis Germaniæ provinciis et civitatibus hactenus fecerit, ac etiamnum faciat, et id quidem non solum Catholicis et probatissimis suis ad populum concionibus, atque cæteris sacerdotalibus officiis rite ac laudabiliter faciendis, sed etiam (quæ in tanta hæresum copia maximi res momenti est) juventutem tum in bonis litteris, tum in vera et catholica pietate optime instituendo. Hinc adeo aliquot magni nominis ac præcipuæ authoritatis Cives et habitatores Augustani, præclaro quodam catholicæ Religionis studio ac zelo permoti, a Sanctitate vestra suppliciter petituri sunt, ut ipsa quoddam Augustinianorum templum et Monasterium apud sanctam Crucem Augustæ existens, illi Societati Jesu benigne assignare et concedere velit, præsertim mortuo nuper ejus Monasterii Præposito, et reliquis paucis fratribus superstitibus, quorum nullus (sicuti a fide dignissimis accipio) idoneus est, qui huic Monasterio præficiatur. Et hic quidem locus ut Jesuitis ad exercendum cultum divinum, et scholam amplissimam instituendam cum primis accomodus esset: ita non minori commoditate fratres illi in aliud ejusdem ordinis Monasterium ibidem Augustæ transferri possent, salvis omnino ipsorum redditibus, qui hic nequaquam, sed vacuum solummodo templum et monasterium ambiuntur. Illi enim egregii ac præstantes Augustani cives et habitatores, qui hujus sunt consilii authores, pro sua singulari in rem catholicam pietate Jesuitis novos proventus liberaliter constituere et donare volunt. Hac autem ratione Societatis Jesu præclara in conservanda et augenda fidei ac Religionis nostræ catholicæ studia atque conatus adeo pios juvare et promovere, præsertim in hac primaria, tamque ampla et celebri Germaniæ civitate, ubi Lutheranismus a multis jam annis ita patenter vigeat regnetque, quam sit salutare atque necessarium, Vestra Sanctitas omnium prudentissime perspicit. Hæc vero et alia plura, quæ hic concurrunt, et Sanctitatem Vestram ad istiusmodi concessionem ac indulgentiam maxime promovere et possunt et debent, Vestra Sanctitas alias copiosius intelliget. Et quamvis nonnulla obstare et difficultatem aliquam habere videantur, tamen non ejus sunt momenti, quin pluris sint faciendæ secuturæ hinc utilitates. Quo magis autem et mihi hæc res cordi sit, facit non solum solita mea qualitercunque juvandi catholicæ Religionis negotii propensissima voluntas, sed etiam quod hæc civitas Augustana meis ditionibus admodum sit vicina, et magna ex parte contigua. Quapropter omni filiali submissione ac reverentia rogo, ut Sanctitas Vestra iisdem civibus et habitatoribus Augustanis rem tam piam et salutarem petituris faciles ac benignas aures præbere, atque adeo mea quoque causa ipsis summam illam suam, totque modis laudatam benignitatem paternam, ejusmodi illustri testimonio declarare dignetur. Hoc Sanctitatis Vestræ beneficium si in Augustanos (quemadmodum plane confido) collatum fuerit, ego gratissimo animo agnoscam, et Vestræ Sanctitati vicissim cuncta filialis observantiæ officia semper promptissima offero. Atque eidem reverenter me commendo. Datæ Oeniponte decima die mensis Decembris Anno Do-

mini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius
Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

XXVIII. — Qualis quantusque rei catholicæ assertor Ferdinandus in sua ditione extiterit, Gregorii ad eundem datæ litteræ abunde testantur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. I epist. 139. f. 213

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil adhuc optatius audivimus, quam quod accepimus, nobilitatem tuam hæreticis, non solum e domo tua, quod hactenus in duobus cubiculariis fecisti, sed etiam quantum potes ab ista provincia longissime pellendis egregiam Christo, atque ejus Ecclesiæ operam navare; fuit autem hoc nobis jucundissimum, non quod obscura esset tua pietas, sed quia multa sæpe existunt, quominus possimus ea, quæ præclare cupimus præstare; nullam autem rem tantam extitisse, ut posset majorem tibi vim adhibere quævis humana cogitatio, quam Christi gloriæ desiderium incredibiliter lætamur. Quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? quæ pars fideli cum infidele? Deus, lux, et veritas est; hanc semper oderunt hæretici; habent enim patrem eum, qui princeps est tenebrarum, quique in veritate non stetit; quid igitur magis convenit filiis Dei, quam illud Prophetæ; Nonne qui oderunt te Domine oderam, et super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Quid inimicius Christo, quam Judæi, et Dæmones? hæretici autem, inquit quidem Sanctorum Patrum, vincunt Judæos ingratitudine, Dæmones incredulitate. Perge igitur quantum potes tantam pestem a tua jurisdictione arcere, et populum istum tibi commissum redde Deo genus electum, regale Sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis; sempiternamque ab eo mercedem expecta; nos vero siquid in hac, aut quacunque alia in re possumus, id totum nobilitati tuæ amplissime pollicemur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 26 Julii 1572. Pont. Nost. Anno primo.

XXIX. — Quam spem Germania ex Gregorii electione conceperit, luculentum testimonium pulcherrimæ litteræ perhibent, quas Colonienses ea de re ad eundem dederunt per suum Legatum civemque Gasparum nempe Gropperum, archidiaconum ecclesiæ metropolitanæ Coloniensis, virum magnis honoribus muneribusque reipublicæ perfunctum. (*)

(*) Germania Vol. 16. fol 21.

Beatissime Pater

Omnes quidem Catholicas Respublicas credibile est, accepto, delati tuis summis virtutibus honoris amplissimi, nuntio admirabili quadam lætitia perfusas esse nec earum fuisse ullam quæ non sublatis in cælum manibus omnium rerum moderatori Deo, singularibus verbis gratias egerit, quod sacro sancto Cardinalium Collegio eam mentem dedisset, ut te potissimum e multis deligerent, quem in ista dignitatis Sede celsissima concordibus suffragiis collocarent, sed ut nostra Coloniensis Respublica observantia erga Romanam ecclesiam semper fuit singulari et insigni, atque assiduo defendendæ ornandæque illius studio flagravit: ita quoque nos, te Pontifice declarato, incredibili gaudio fuimus affecti. Nos itaque justo venerationis officio recens hoc celsitudinis tuæ fastigium prosequentes iterum gratulamur cum Sanctitati Tuæ, tum universæ Reipublicæ Christianæ, quæ pristinam illam suam dignitatem maximo bonorum omnium mœrore apud plerasque gentes pravis opinionibus infectas, obsoletam, brevi se, tuo ductu tuisque auspiciis pro communi Christianorum salute recuperaturam, certo sibi de tua prestanti bonitate ac sapientia pollicetur. Quod si Pontificem S. T. similem ulla unquam tempora expetiverunt, nostrorum sane is status est, ut numquam magis ex istius Sedis auctoritate universi orbis salus, pependisse videatur. Non enim Petri navis ut solebat, placido mari, secundis conspirantium ventorum flatibus, impulsa fertur, horribiles sane eam tempestates et procellarum vis, vel exercitatissimis metuenda Rectoribus, agitat, ut tamen si a naufragio quidem minimum sit periculum, non exiguus tamen animos teneat metus, ne tam sevi turbines multos mortales novarum opinionum fluctibus involutos, in eos vortices precipites rapiant, unde post nec enatare ipsi, nec evadere atque emergere alieno auxilio possint. Eo nos omnes divinæ clementiæ majores gratias agimus, quod ecclesiæ rebus in hoc Europæ fractu in summum discrimen adductis, eum gubernatorem dederit, quo digniorem et ad hæc omnia in melius convertenda accommodatiorem, non jam dicam reperire, sed ne sperare quidem, aut cogitando informare potuissemus, omnia plane summa, ac prope divina in eo desiderantur qui clavum in ecclesiæ navi teneat, cujus ad pedes Monarchæ ipsi supplices se provolvant, cujus nutu Apostolico pandatur cælum, qui denique supra omnem humanæ dignitatis apicem evectus, Dei personam in terris sustineat. Accepit hanc jam inde a Materni D. Petri discipuli temporibus Colonia Agrippina persuasionem, quam protinus a primis comprehensam annis, et cum successu deinde temporum auctam, altius subinde pectori suo arctiusque semper infixit, ut nihil in rebus humanis sanctius, gravius, venerabilius putaret, quam Sacræ Sedis apostolicæ majestatem, et in Romanæ Sedis salute, contineri suam

salutem arbitraretur, sibi namque majores nostri Romam communem humani generis patriam esse volebant, quam ergo necesse est, esse nunc mentem, quod studium cunctis erga hanc urbem, et sanctissimum illius atque adeo orbis terrarum Antistitem et Rectorem: quum nedum terrena cunctorum ea jam sit patria, sed quicumque bona et vere catholica fide cives illius fuerint facti et legibus ejus paratas in omnia dederint manus, eos cælestis patriæ faciat cives, duobusque Romanis Pontificibus Gregorio et Zacharia maxime procurantibus, cæleste fidei sanctæ lumen et veritatis doctrinam, protinus Bonifacio ad id negotium misso Episcopo, Germanos admisisse, vivamque in spem salutis æternæ regeneratos fuisse, vetustatis monumentis traditum accepimus. Nos autem in eam spem adducimur te Gregorio XIII. procurante futurum, ut pestilentissimas opiniones, quæ quasi contagione quadam paulatim serpentes per magnam partem Germaniæ pervaserunt, auctoritate tua, et paterna mansuetudine disjectas, dissipatas, extinctas, exterminatas videamus a Gregorio tui nominis quinto Cæsaris Regisque Romanorum creationem soli Germanicæ nationi traditam, et Principibus Germaniæ ante septingentos annos perpetuo permissam, veterum annales declarant. Toum quoque propensum animum, cum erga alias catholicorum Germaniæ reliquias, tum maxime in hanc deditissimam S. T. filiam non obscuris indiciis perpeximus. Quo fit ut certam indubitatamque spem concipiamus S. T. jura et facultates, quas nobis sanctæ immortalisque memoriæ Paulus ejus nominis quartus S. T. prædecessor superioribus annis liberalissime concessit, et Pius quartus, ac Pius quintus approbarunt atque auxerunt, non solum confirmaturam, ratam ac firmam habituram, sed insuper etiam ad annus duodecim prorogaturam. Quod ut certo certius S. T. præstituram confidamus, nobisque sic persuadeamus, quatuor gravissimæ causæ potissimum nos impellunt quæ eædem et S. T. ad indulgendum quod suppliciter postulamus, excitare possunt. Ac primo quidem quod in iisdem castris et Musarum palestris summa cum laude S. T. Bononiæ desudasse, in quibus doctissimi apud nos viri, quibus tua munificentia consuletur militant, compertum et exploratum habeamus, deinde cum tanta sit in his locis a recto catholicæ religionis tramite aberrantium copia, nulla efficatiora remedia videmus quibus ipsorum conatibus obsisti et facilius occurri possit, quam si propositis a S. T. amplissimis præmiis talia ingenia alantur et foveantur, quæ ipsorum irritos conatus facillime retundant. Huc accedit cum in inferioris Germaniæ Universitate Lovaniensi nostræ Universitatis filia, bellico incursu maxima studiorum perturbatio inciderit, ibique ob Martis sævitiem, Minervæ Castra deserantur, in Galliis quoque castrensis militiæ inclinatio et studiorum desertio subsecuta sit, fit ut maximo concursu ex aliis Universitatibus, militum furore oppressis, aut alia quavis ratione diminutis ad nostram Academiam in hoc tractu tanquam commune catholicæ religionis asylum et portum tutissimum confluant, postremo is est situs, hujus nostræ Universitatis, ut non minus ex soperiori quam inferiori Germania minimis etiam sumptibus imbibendæ catholicæ religionis ergo, studiosi huc commeare possint et is loci status, linguæque ratio, ut hinc Seminarium magnum perpetuo catholicorum concionatorum in vicinas remotissimas circumquaque partes disseminemus atque dispergamus, ea denique temporum conditio, nt sopitis, repressis, et compositis Belgarum motibus ingens bonorum ecclesiæ doctorum penuria sit futura, quæ ex nostra Universitate supplenda erit. Quibus causis omnibus inspectis et a S. T. eo quo valet judicio ponderatis, nihil plane addubitamus quin S. T. privilegia a prædecessoribus nobis benigne concessa, sit non solum rata, firmaque habitura et deinceps ad annos duodecim liberaliter prorogatura; sed etiam multo majoribus beneficiis auctura, quo in hac urbe firmissimum contra omnes ab omni parte hinc inde sævientes hæreses præsidium collocetur, et propugnaculum quoddam, ac quasi murus quidam aheneus adversus omnes insultus, omnia hæreticorum imminentia capitibus nostris tela, figatur atque erigatur. Qua quidem de re cum negotium a nobis datum sit Rev. Viro Dño Gaspari Groppero, preposito Bonnensi, in ecclesia Coloniensi Archidiacono S. T. Cappellano et Sacræ Rotæ Auditori, ut S. T. pedes nostro nomine venerabunde exosculatus, cum eadem coram conferat, ut pro solita tua clementia et benignitate ipsum audire et fidem non secus ac si nos omnes coram essemus, adhibere non dedigneris omni animorum contentione rogamus. Quod superest, Beatissime Pater, omne obsequium, studium, devotionem, et quicquid tandem est, quo obedientia Sacræ Romanæ Sedi a catholica civitate debita præstari uberrime amplissimeque potest: id Tuæ offerimus dicamusque Sanctitati, oramus nos, liberos nostros et quidquid est Reipublicæ nostræ S. T. ea velit indulgentia, humanitateque complecti, quam semper nos majoresque nostri a Sacra Sede petiverunt semperque sunt assecuti, nos dabimus operam proque virili enitemur, ut quoniam munificentia meritisque in S. T. conferendis, quantum cupimus, præstare non possumus, quod possumus cultu certe et obsequio præstemus, cumque devotione erga S. T. alteri quidem civitati hactenus cesserimus nulli, tum ipsi quotidie nobiscum omni observantiæ genere decertemus Tibi quoque, Beatissime Pater, cum omnia fausta et prospera precamur, tum quo facilius ea quæ a te expectantur perficere

possis, illud adeo votis omnibus petimus, ut publico ecclesiæ bono, non minus diu Pontifex vivas quam te pontificatu dignum vixisse omnes qui vere incorrupteque judicant, confitentur. Coloniæ Agrippinæ pridie Calen. Octobris Anno salutis 1572.

S. T.

Devotissimi atque Studiosissimi
Consules, Senatus, Populusque
Coloniensis.

XXX. — Transilvaniæ quoque Princeps Stephanus Bathorius ad Gregorium legatum miserat, qui suo nomine Pontifici debitum obsequium præstaret, cumque de progressu religionis catholicæ hisce in regionibus certiorem redderet simulque exoraret, ut Franciscum Forgacium Cancellarium regni, virum de fide catholica optime meritum, ecclesiasticorum minorum ordinum vinculo solveret, quo sese juvenis adhuc obstrinxerat, veniamque ei faceret, ut laici loco sese gerere posset. Illo se nimium egere in rebus Transilvaniæ publicis gerendis pro nimio qua polleret in imperii ministeriis ingenio. En Bathorii ea de re litteras ad Pontificem. (*)

(*) Polonia Vol. 6 fol. 117.

Beatissimo in Christo Patri Domino Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo Domino suo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine Clementissime.

Post oscula pedum Sanctitatis Vestræ, in gratiam ejusdem humillimam subjectionem. Etsi in regno nostro Transilvaniæ hereticorum vis tempore serenissimi principis Joannis II. Regis antecessoris nostri eo eruperat, ut catholica religio maximo in periculo fuerit; quemadmodum etiam Sanctitati Vestræ constare arbitror; tamen postquam Dei benignitate ad hujus imperii summam evecti sumus, orthodoxa religio non modo veluti postliminio revocata est, sed etiam subinde divina accedente gratia ejus magnos progressus fieri videmus. Nam in Ungaria quam plurimi, et Siculorum provincia fere tota sacrum missæ sacrificium ceterosque Romanæ Ecclesiæ ritus recepit: aliquot monasteria religiosorum hominum doctrina et morum integritate præditorum, omnibus item Ecclesiasticis functionibus instructa visuntur: nostrum autem patrimonium, tota porro familia nostra a majoribus inde nostris integerrime eandem fidem, et ritus semper conservavit: summi denique viri, in quibus est Franciscus Forgacius sanguinis vinculo nobis conjunctissimus, nosterque Cancellarius; cujus negotium apud Sanctitatem Vestram procurandum in nos recepimus, in instauranda vetere religione præclaram operam nobis navat. Quod nostrum in Sedem Romanam ardentissimum studium ubi Sanctitas Vestra cognoverit, confidimus eidem ipsique sacrato ordini fore gratissimum, simul etiam Sanctitatem Vestram se in negotio consanguinei nostri, cujus maxime hoc tempore ratio habenda est, benignam atque facilem præbituram. Hunc autem Franciscum Forgacium Baronem de Gimes, vigesimum primum annum agentem Ferdinandus Imperator optimæ memoriæ, Varadinensis Episcopatus titulo auxerat injecta ei spe etiam potiundi ipsius Episcopatus qui a Joanne II. Rege possidebatur. Interim etiam gradus seu ordines, quos vocant, clericales assumserat nullis tamen vel celebratis sacris, vel tactis religiosissimis rebus. Proinde cum videret se postea et ætate et re circumventum esse, titulo illo Cæsaris Maximiliani consensu se abdicavit, ab eoque tempore in hac rerum vicissitudine atque temporum periculosorum commutatione huic provinciæ in rebus politicis tantum industria et bonis exemplis beneficium præstitit, quantum alius præstare non potuisset. Nam præterquam quod est apud nos summæ vir auctoritatis, etiam doctrina singulari, pietate commemoranda, zelo fidei et religionis studio excellit, nihilque quod ad catholicam religionem promovendam spectat reliqui facit. Hoc cum ita sit merito Sanctitas Vestra ob urgentem regni nostri necessitatem hac singulari nostra commendatione affici debet; cui supplicamus devote et humillime, dignetur consanguineum nostrum in religione catholica constantem, nominique Sanctitatis Vestræ devotissimum ab illis ordinibus clericalibus absolvere, conscientiamque suam ab omni perturbatione et scrupulo liberare. Id si in hac prima nostra petitione a Sanctitate Vestra impetrabimus, causa erit gravissima, cur in posterum tanto propensiori studio de Sanctitate Vestra et ipsa Ecclesia catholica conemur bene mereri. Faxit Deus omnipotens, ut pro Christi gloria et Christianæ reipublicæ incremento vita Sanctitatis Vestræ in longissimum tempus producatur: in cujus sinum et sacrosanctam benedictionem nos ad pedes Sanctitatis Vestræ prostrati humillime subjicimus. Datum Albæ Juliæ xv. Septembris MDLXXII.

Sanctitatis Vestræ

Devotus et Humilis Servitor
Stephanus Bathori Vaivoda Transilvaniæ.

Forgacius ipse Gregorio supplices preces eadem in re per ablegatum porrigebat (*)

(*) Polonia Vol. 8. fol. 114.

Beatissimo in Christo Patri Domino Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo Domino suo Clementissimo.

Beatissime pater, et Domine Domine Clementissime summaque pietate colendissime.

Post oscula pedum in gratiam Sanctitatis vestræ humillimam subjectionem. Pluribus verbis meum negotium, Domine Sanctissime, his litteris suppliciter Sanctitati Vestræ indicassem, nisi Illustrissimus Princeps meus nuntio suo, ad Sanctitatem Vestram gratulatum amandato commisisset, ut copiose et fideliter totius meæ causæ rationes S. Vestræ explicaret; summa præterea adhibita diligentia exoptatum nuntium a

Sanctitate Vestra auferret. Quapropter mihi cavendum fuit, ne prolixitate ulla Sanctitati Vestræ pro universi orbis christiani salute dies et noctes indefesso animo excubanti molestiam afferrem. Quod autem ad rem attinet, ita se habet. Abhinc sedecim annos Ferdinandus Imperator piæ memoriæ, cum ex Italia perfecto studiorum meorum cursu redieram, ornaverat me vigesimum primum annum agentem Episcopatus Varadinensis titulo; spe tamen potiundæ brevi possessionis illius Ecclesiæ, quam tum Joannes Secundus Rex, Ferdinando per vim ereptam imperio suo adjecerat; in ea spe multos annos fui simul etiam veterem sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ morem secutus ordines illos, ut vocant, clericales, per quos veluti gradus ad summum Episcopatus fastigium ascenditur assumsi nulla adhuc religiosa re tanta nedum divina peracta. Cum igitur multorum annorum intercapedo esset facta, nullum insuper tantæ spei mihi injectæ eventum viderem, subsecuta denique sint bella aliaque mala, quibus patriæ status conflictatus est; in ejusmodi conditionis meæ ancipiti casu debui consilium capere de deponendo gradu cum titulo, quam ulterius in sacris ordinibus nullo commodo Ecclesiæ conscientiæque periculo progredi. Restitutis itaque omnibus illis honoribus beneficiisque quæ habui Cæsari Maximiliano, veni in Italiam. Inde post aliqua tempora in Transilvaniam vocatus me recepi: ubi cum amplissimorum maternorum bonorum hereditatem adii, tum vero patriæ meæ, quantum in me fui officia præstiti. Restabat tantum ut a Sancta Ecclesia Romana, cujus ego nomen et auctoritatem semper, ut debeo, maximi duxi ejus rei immunitatem consequerer: id quod hucusque fieri non potuit, etiamsi sæpius tentaram ob ingentes temporum, religionis et turbarum quibus his quatuor annis afflictati sumus vicissitudines. Unde facile conjicio hujus meæ causæ expeditionem, fato quodam ad felicissima hæc tempora Pontificatus Sanctitatis Vestræ esse reservatam. Nam cum paulo ante quam Pius V. Pontifex e vita discederet libellis supplicibus jam confectis vellem tabellarium Romam mittere, ecce nobis de obitu Pontificis tristissimus nuntius affertur. Verum percommode accidit, quod Illustrissimus meus Princeps rebus pacatis jam nuntium ad Sanctitatem Vestram, qui de recens inito Pontificatu eidem gratuletur mittendum decrevit. Qua sane commoditate incitatus nequaquam intermittendum putavi, quin ego in tanta gratulatione hominum effusis animi mei doloribus in sinum Sanctitatis Vestræ, ejus clementiam et solatium implorarem: maxime cum et Illustrissimus Princeps benigne in se receperit, se et per litteras, et per legatum mea causa apud Sanctitatem Vestram intercessurum. Quod sine dubio Princeps ipse Sanctitati Vestræ Ecclesiæque catholicæ religioni addictissimus non faceret, nisi moveretur æquitate causæ meæ. Quamobrem provolutus ad genus Sanctitatis Vestræ humiliter supplico veluti summo rerum divinarum et humanarum moderatori, dignetur me clementer in integrum restituere, idest, meæ conscientiæ perturbatæ clementi habita ratione, me ab illis gradibus seu ordinibus clericalibus, quorum relaxandorum seu dispensandorum facultatem sola Sanctitas Vestra habet absolutum, atque liberum extra ordinem pronontiare. Nam si Sanctitas Vestra, uti spero, afflictæ meæ conscientiæ indulgentia sua exoptatum remedium adhibuerit, polliceor me tam salutaris beneficii perpetuam memoriam præstaturum, simuletiam renascenti catholicæ Ecclesiæ in hoc regno fidelem et promtissimam operam professurum. Deus omnium rerum Creator Sanctitatem Vestram quam diutissime nobis incolumem præstet; in cujus clementiam ad pedes Sanctitatis Vestræ projectus me humillime subjicio. Datum Albæ Juliæ xv. Septembris MDLXXII.

Sanctitatis Vestræ

Devotus et humilis Servitor
FRANCISCUS FORGACIUS
Cancellarius Transylvaniæ.

Legatus privatim a Gregorio etsi undecim viris Cardinalibus stipato die XII. mensis Decembris summa humanitate excipitur. Transilvaniæ Principi de amore, quo filii loco erga S. Sedem esset, Pontifex litteris amantissimis gratulatur, utque alacrior in re catholica promovenda progrediatur, admonet. Quod de Cancellario suo scriberet, id Pontifici cordi futurum, daturumque omnem operam, ut ejus votis fieret satis. Negotium ita tamen peragi posse, si ad sacros ille nondum majores ordines fuisset promotus. Apertius igitur, et re attentius penitiusque in examen vocata iterum ad se scriberet, ut quid remedii afferri posset dignosceret, et pro sua effusissima erga principem voluntate statim apponeret. [*]

[*] Reg Gregorii XIII An. 1. epist 300 f. 401

Dilecto Filio Nobili Viro Stephano Bathorio Transylvaniæ Vaivodæ.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Gratissimæ fuerunt nobis literæ nobilitatis tuæ, tum illæ, quas in præstanda tuo nomine nobis, atque huic Sanctæ Sedi obedientia coram Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus reddidit dilectus filius Martinus Berzevicius orator tuus, tum etiam quas privatim reddidit. Quod catholicam istic religionem pergas reducere, et tueri quantum potes; id agis eo majore apud bonos omnes cum laude apud Deum cum præmio, quo nihil potes facere præstantius, neque eidem Deo gratius. Cui quidem tuæ optimæ voluntati, et labori non ignoras quanto adjumento sint pastores, quamque male cum ovibus agatur, ubi

desunt, qui lupos arceant, quique gregis ipsius jacturam suam ducant. Cura igitur, ut Episcoporum istic ordo restituatur, quem Superiorum Principum injuria oppressit; a quorum Sententia, et moribus, ut longissime abis, sic eorum impie facta, te tua pietate correcturum, neque tam egregiam occasionem amissurum tibi ipsi, tuis, Catholicæ Ecclesiæ præclare consulendi non dubitamus: hæc enim suas recuperabit Antistites; tui pastores; tu ipse fidissimos atque assiduos ad Deum deprecatores. Agnoscunt nunc illi, sed sine fructu suam impietatem, qui tam graviter Ecclesias oppresserunt, quorum gloria periit cum sonitu; cernitur memoria cum infamia; sempiterna cum interitu manent supplicia. Franciscus Forgacius tuus gratius nobis fecisset si ex Apostoli sententia in ea vocatione, in qua a Deo positus erat, stetisset. Sed noluimus tibi roganti deesse, itaque cum ignoraremus quosnam ille sacros ordines suscepisset, id quod potuimus fecimus, ut de Subdiaconatu, et Diaconatu dispensaremus, Præsbyteratum attingendum non duximus, quod si forte Franciscus in tali ordine est, poterit tuo beneficio in eo facilius retineri, si eum alicui ex ipsis Episcopatibus quos diximus, ab aliis Principibus oppressos fuisse præficiendum curaveris, atque hinc restituendorum Episcopatuum initium feceris, quo etiam facto, uterque sua potestate, tu laica, ille ecclesiastica vestrum populum in catholica religione retinebitis, habebisque in ea re adjutorem hominem ut tibi propinquitate conjunctum, sic etiam fidelissimum. Si quid autem erit, in quo nostra, et apostolica auctoritate, atque opera catholicæ istic religioni, aut tuæ dignitati, et amplitudini adjumento esse possimus, nihil est quod magis facere cupiamus. Hæc omnia et ab oratore tuo, et a dilecto filio nostro Cardinale Comensi fusius accipies, quibus eandem, quam nobis fidem adhibebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub anoulo Piscatoris die xxviii. Decembris 1572. Pont. Nost. Anno Primo.

Eadem benevolentia ipsi Forgacio Gregorius rescribebat, daturumque se ajebat ducendæ uxoris veniam si hypodiaconatus, diaconatusve ordini tantum adscriptus esset, non vero sacerdotale ministerium suscepisset, plura tamen addebat, quibus hortabatur, ne loco quem amplissimum in Ecclesia fuerat adeptus cederet, et ad servandas Ecclesiæ leges, si qua ex parte se infirmiorem sentiret de Divino auxilio nil desperaret. Assiduas ad Deum fusas peces ut satis valeret effecturas. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. I. epist. 102. f. 105

Dilecto Filio Francisco Forgacio Transylvaniæ Vaivodæ Cancellario.

GREGORIVS PP. XIII.

Dilecte fili Salutem et Apostolicam benedictionem. Maluissemus tua potissimum causa, quem ut filium diligimus, propter gravissimum dilecti filii Stephani Bathorii de tuis virtutibus testimonium, ut eo in statu permaneres, in quo a Deo positus es, inque ea re obtemperares Apostolo sic monenti: Manete in ea vocatione, in qua vocati estis, utque istam uxoris ducendæ cupiditatem abjiceres, et quod tuis viribus facere posse diffideres, precareris a Deo virtutum omnium datore: certe enim impetrares; quoniam ipse prope est omnibus invocantibus se in veritate; ac sic cogitares, non minus esse conjugio quam compedibus alligari, innumerasque esse eas curas ac molestias, quas conjux et liberi afferunt, quibus omnibus cæteros solutos, et vacuos attentius, atque expeditius servire Deo, quod cum ab omnibus expetendum sit, nullam causam esse ab eo statu, in quo hoc facile assequi potes, cum dicaris in sortem Domini electus ad tam remotum, atque impeditum transire. Quod si secus feceris, quam tibi præclare consulueris tu videris; nos certe Stephano deesse noluimus; sic tamen ut de subdiaconatu, et diaconatu tantum dispensaremus: præsbyteratum, si forte in eo ordine es, (nam non satis id declarant tuæ, aut ipsius Stephani literæ) nulla ratione attingendum putaremus; omnia fusius a dilecto filio Martino Berzevicejo accipies, cui fidem adhibebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxviii. Decembris MDLXXII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXXI. — Etsi nuspiam gentium tunc temporis quiete respublica gubernari posset religionis paris et civilis societatis juribus in cotentionem vocatis, præ cæteris tamen Poloniæ regnum turbis omnibus patebat. Sigismundo quippe Augusto vita functo dici nequit, quot quantisque difficultatibus gens urgeretur tota, et quæ excitarentur discordiarum faces, dum de novo rege eligendo disceptaretur. Quamquam enim seligendi sibi regis decessore vita functo jus et consuetudo penes totam rempublicam semper mansisset: donec Jagellonicæ gentis ordo seriesque constitit, ex ea sibi principes grato permoti animo cooptarunt. At Sigismundi morte nemo unus amplius supererat Jagellonius. Tum vero omnes animorum iræ et partium studia exarsere. Republica capite orbata jam cuicumque, qui modo nobilitate praecelleret, patebat ad summum imperium via. Hinc privatorum commodorum modo solliciti publicarum rerum penitus immemores, suarum partium homines ambitu, coemptisque primum suffragiis, sive minis vel ferro et cæde regno invehere parabant. Gens ita discordiis factionibusque scindi satis sueta, etiamsi nulla religionis dissidia adfuissent, habebat insuper Neoevangelicorum satis amplam, atque arcte conjunctam manum, quæ Dissidentium sibi nomen fecerat, et Sigismundo adhuc in terris degente viribus, opibus, asseclarum numero creverat, tum qui Græcanicu schismati nomen de-

derant, plures iidem nec viribus infirmi gliscentes jam turbas amplius promovebant. Hi Cæsaris Russiaci secundo loco natu filium sibi regem optabant. Dissidentes ducibus Sendomiriensi et Lublinensi Palatinis ut vocant virtute bellica et divitiis pollentibus viris vel Saxonicum vel Borussiacum Ducem vel regis Sveci filium, vel duos alterum in Silesia Protestaotium caput Lignicensem Ducem, alterum insignis in Germania auctoritatis Anspachensem Marchionem, poscebant. Utrique communi odio contra Ecclesiam Catholicam consociati homines Ecclesiæ addictos, præsertim vero Episcopos, qui jure et lege gentis Polonicæ inter regni Senatores, præcipuos nempe Reipublicæ moderatores habebantur, eligendi regis jure suffragioque privare nitebantur. At major saniorque civium pars et nobili genere nati plerique Ecclesiastici viri omnem movebant lapidem, ut Catholicus Princeps regno præficeretur. Duo sese dubitantibus candidati præcipue offerebant Transilvanus Stephanus Bathorius, et Henricus Andegavensis dux inter Caroli IX. Francorum regis fratres major natu. Fuere qui et Ernestum proponerent Austriacum Cæsaris filium optimæ indolis juvenem, omnique virtutum genere commendatum, et gentis avorumque suorum exempla sequutum promovendæ semper toto animo Catholicæ Religionis. At maxime obstabat insita quædam Polonis ab omnibus Germanis animi abalienatio, tum præcipue a Cæsareæ gentis viris.

XXXII. — Gregorius Pontifex de excitatis apud Polonos turbis certior factus nihil prætermisit, ut Senatorii et Equestris ordinis viros, tum quotquot inter nobili genere nata connumerarentur, vehementissime hortaretur. [*] Humana omnia commoda spernerent, sibi et regno et Ecclesiæ consulerent, regem Catholicum, et Ecclesiæ penitus addictum seposito omni animorum dissensu eligerent.

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 160-172. f. 244-265

Iisdem pene verbis Episcopos monebat, ad sua jura regni lege parta tuenda cohortatus. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 164 fol 253.

Venerabilibus Fratribus Episcopis Electoribus Poloniæ.

GREGORIVS PP. XIII.

Venerabiles fratres Salutem et Apostolicam benedictionem. Quo in loco quantoque in periculo istius Regni res sitæ sint propter obitum Sigismundi, et vos præsentes videtis, et nos judicamus, et utrique ingemiscimus. Quid turbarum exoriri possit non tam possumus divinare, quam vos forte perspicitis; quidquid tamen erit, cavete ne vos de vestro gradu, et jure quocumque vi dejici patiamini, cogitate pulcherrimum esse pro Christo pugnare, suæque eum causæ affuturum esse confidite; quam quidem causam vos tum maxime suscipere existimate, cum id agitis, ne quem minus catholicum aut tuendæ Regiæ Majestati minus idoneum præfici patiamini; quod si vos clerici, atque in sortem Domini electi Domini causam deseritis actum est. Qualem oporteat esse Regem et quibus virtutibus prædictum supervacaneum est apud vos viros sapientissimos disserere; quæ vestræ sint partes, nefas putare vos commonefieri oportere, quantum in regiis moribus sive ad salutem, sive ad perniciem situm sit extant gravissimæ Sanctorum Patrum sententiæ, et rerum publicarum exempla, quorum vos peritissimos esse non dubitamus; quæ sint propria istius regni pericula videtis, quæ vestri nominis finitimos quam vero Christianæ religionis tum finitimos tum intestinos hostes habeatis quibus hæresum impietatibus pollutos nemo vobis melior intelligit. Quid igitur restat? Sanctissimum Quiritum invocate, plebem ad preces, atque ad pœnitentiam vocate; Ejus crimina expiate, sacrificiis Deum placate, vestris suffragiis quantum quidem salva consuetudine, et Regni istius legibus potestis communem causam juvate, nihil aliud nisi Christi et Ecclesiæ suæ gloriam in animo habete, de eo potissimum rege deligendo cogitate, qui potentia atque armis valeat eos quos diximus tum finitimos tum intestinos hostes arcere et coercere, istamque ecclesiam uni viro virginem castam exibere Christo; his opibus ac præsidiis multum proficietis, atque isti regno universo saluti eritis, quod nos incredibiliter cupimus et Divinam Majestatem quantum possumus oramus. Plura a nostro legato accipietis, cui eandem quam nobis ipsis fidem ut adhibeatis rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die ultima Julii 1572. Pont. Nostri Anno primo.

Idem peculiaribus litteris Gnesnensi Archiepiscopo inculcabat, penes quem (ut pote Primatem ut vocant et primum regni Principem,) omnis erat regni potestas, donec novus rex sufficeretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 163. f. 261

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi Regni Poloniæ Primati.

Venerabilis frater Salutem et Apostolicam benedictionem. Quanta est benignitas Domini Dei nostri, ut cum omnia valeat efficere verbo virtutis suæ tamen velit nos esse ejus in agendo adjutores, in quo nihil aliud spectare debemus, quam id, quod maxime ex ejus voluntate est: hoc autem unum maxime est, ut omnibus in rebus ejus laudem, et gloriam in primis spectemus; hanc ut fecisti in omni superiore vita tum publica tum privata sic in hoc gravissimo Regis eligendi negocio spectaturum te; tuique simillimum semper futurum, causamque ipsius Dei, atque ejus Ecclesiæ omni conatu adjuturum esse non dubitamus; facere tamen non potuimus pro nostro munere, in quo voluit nos Deus de omnibus Ecclesiis solicitos esse, quin has ad fraternitatem tuam literas daremus. Quo in statu istius

Regni res propter obitum Sigismundi sitæ sint vides; cujusmodi Rex optandus sit quis omnium maxime idoneus facile intelligis, quæ tuæ sint partes agnoscis in ista amplissima dignitate primatus, in quo nullum tuum non modo factum, sed ne dictum quidem obscurum esse potest, pugna pro Christo, ejus Ecclesiam commendatam habe, magnam Regni istius, et Christianæ religionis conservationem in hac electione sitam esse existima; fac quod te ipso tuaque perpetua virtute et munere dignissimum est, cogita de potissimum Rege deligendo, qui potentia atque armis valeat externos, ac finitimos hostes arcere, pietate intestinos colibere, et Christi fidem ab omni hæretica labe puram, atque intactam conservare. Hæc cum scribimus non tam fraternitatem tuam monemus, aut hortamur quam nostrum summum desiderium significamus. Scribimus ad cæteros Ecclesiasticos communiter, tuum erit eos cogere ut nostræ literæ in conventu recitentur, curare, eas tuis quoque verbis, atque auctoritate munire, illos hortari, tuoque exemplo incitare, quæ quidem omnia te accuratissime, ac sapientissime facturum esse non dubitamus. Plura accipies a Legato nostro, cui eandem, quam nobis fidem ut adhibeas, rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 29. Julii 1572. Pontificatus Nostri Anno Primo.

In tanto negotio, et tot difficultatibus præpedito, ne quidquam inconsulto Pontificis Legato agerent, et cuncta cum eo consilia conferrent, Archiepiscopos Episcopos que effuse precatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. I. epist. 301. f. 306.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Poloniæ.

GREGORIVS PP. XIII.

Venerabiles fratres Salutem et Apostolicam benedictionem. Obitus Sigismundi Regis tantam nobis attulit istius Regni salutis solicitudinem, ut existimaremus istuc mittendum esse nostrum de latere Legatum. Is vobis exponet quid in hac opportunitate a vestra in Deum pietate, in patriam caritate expectemus in hac electione Regis, ut opus est, catholici, et Dei timore, atque amore præditi. Itaque summam ipsi Legato fidem adhibebitis, quem hac de re fusius vobiscum agere voluimus. Deus benedictus dirigat consilia atque actiones vestras ad sui nominis gloriam, atque ad regni istius salutem, atque amplitudinem. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die xxx. Julii 1572. Pontificatus Nostri anno primo.

XXXIII. — Cæterum Gregorius in eam maxime sententiam ibat, ut Austriacus Princeps in regem eligeretur. Eam unam esse spem arbitrabatur, ut hæretici principis designandi consilium omne disjiceretur et afflictum tot turbis regnum tandem erigeretur. Quapropter Legato Commendono imperabat, ut omnem adhiberet operam apud Polonos, ut Austriaco favor conciliaretur. De suo vero hoc consilio et missis iterum ad Legatum monitis Cæsarem certiorem faciebat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. I. epist. 316. f. 306

Carissimo in Christo Filio nostro Maximiliano Imperatori.

GREGORIVS PP. XIII.

Carissime in Christo fili noster salutem etc. Quam semper anxii fuerimus de Poloniæ Regno, ex eo die, quo primum de Regis ægritudine accepimus, præclare novit dilectus filius Cardinalis Commendonus noster de latere Legatus. Sollicitabat nos scilicet ea, quæ maxime debet Christianæ Reipublicæ cura: multum enim ad commune bonum interesse videbamus, si Rex decederet, quis ei Regno præficeretur, simul etiam cogitavimus e re ipsius Catholicæ Ecclesiæ esse, si illud alicui ex Majestatis Tuæ accederet. Qua de re et tum in ipsa Regis ægritudine, et postea ejus obitus nunctio accepto diligentissime ad Legatum scripsimus, mandavimusque ut omni studio, atque opera niteretur, ut tua potentia isto etiam Regno augeretur. Nunquam enim Nobis omittenda, aut remissius agenda putavimus ea, quæ ad tuam dignitatem, atque amplitudinem pertinerent; ubi vero cum ea conjuncta etiam esset Christianæ Reipublicæ utilitas, nihil longius habuimus quam dum et Majestatem Tuam potentia auctam, et Christianæ Reipublicæ per te utilitatem constitutam videremus. Hæc non unis aut alteris literis, sed perpetuo ad Legatum scripsimus, certosque ad eum tabellarios misimus. Et quamquam non dubitamus illum omni studio, et Christianæ Ecclesiæ utilitati, et nostro summo desiderio, et suæ etiam propriæ, tibique perspectæ erga Majestatem Tuam voluntati, atque observantiæ satisfecisse, tamen nunc etiam scribimus, ut omni cura, et vigilantia in hanc causam incumbat nec quidquam se nobis gratius facere posse existimet, speramus Deum votis nostris, suæque causæ adfuturum. Ut enim nos sic etiam Majestatem Tuam ejus ante omnia honorem, et gloriam pro oculis habere non dubitamus. Deus autem nunquam talem mentem sua ope destituit, nisi ubi forte nostris criminibus iratus est, quam iram ut a nobis avertat precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Decembris MDLXXII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXXIV. — Permotum se animo Cæsar, omnesque habiturum gratias reponebat. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 25. fol. 4

Beatissimo in Christo Patri, Dño Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Dño Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Sanctitatis Vestræ in nos Serenissimosque

Filios nostros paternam affectionem propensissimamque voluntatem hactenus ita perspeximus, ut plane nobis persuasum sit, S. V. nostra ac eorundem commoda quavis occasione, tum per se, tum suos, quam maxime promota cupere. Hincque nec de eo dubitamus, quin Sanctitatis Vestræ in Regno Poloniæ Legatus Rñus in Christo Pater, Dñus Joannes Franciscus Commendonus S. R. E. Cardinalis Amicus noster carissimus, hoc præsenti Regni illius statu, nostræ ac dictorum filiorum nostrorum causæ S.V. nomine juvandæ promovendæque, neque hactenus defuerit, neque imposterum defuturus sit. Verum tamen cum negotium hoc tanti momenti sit, ac non modo id Regnorum et provinciarum nostrarum hæreditariarum ipsiusque Poloniæ, sed et totius Reipublicæ Christianæ salutem et tranquillitatem pertineat, Sanctitatis autem Vestræ cohortatio præfato Rño Cardinali, alioquin nostrarum partium studiosissimo, magnum (uti merito debet) calcar haud dubie additura sit, prætermittere non possumus, quin Sanctitatem Vestram pro suo hac in parte benigno favore interpellemus. Eandem pro filiali ea, quam in Sanctitate Vestra collocavimus fiducia, obnixe rogantes, ut memoratam nostram, ac filiorum nostrorum carissimorum causam paterne commendatam habere, ac præfatum S. V. Legatum, quem alias hoc loci in se quicquam desiderari haud facile passurum esse nobis pollicemur, magis etiam excitare velit. Nos vero una cum sæpe fatis filiis nostris carissimis, quicquid inde nobis ac inclytæ Domui nostræ Austriæ accedet commodi, honoris, et dignitatis, ejus haud minimam partem Sanctitati Vestræ acceptam feremus, ac istud vicissim summæ semper curæ habituri sumus, ut nostram gratitudinem, ac de Sanctitate Vestra benemerendi studium quibusvis obsequentis filii officiis comprobemus, uti Sanctitas quoque Vestra plenius intelliget ex Illustrissimo syncere Nobis dilecto Don Joanne de Zuniga, Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici etc. patruelis, fratris et generi nostri carissimi apud Sanctitatem Vestram Oratore, qui defuncto nuper Comite Prospero Archi (cujus sane obitum non sine dolore cognovimus) Sanctitati Vestræ has nostras litteras redditurus est. Quod reliquum, Deum Opt. Max. precamur, ut Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ longævam incolumem felicemque præesse velit.

Datum in Civitate nostra Vienna, die IV. Decembris. Anno Dñi MDLXXII. Regnorum Nostrorum Romani Undecimo, Hungarici Decimo, Bohemici vero XXIV.

E. Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

MAXIMILIANVS.

Eademque Cardinali Novocomensi explicabat. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 35. fol. 10.

Maximilianus Secundus, divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ etc. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, et Wirtembergæ etc. Comes Tirolis etc. Rño in Christo Patri Domino Ptolomeo Gallio S. R. E. tituli Sanctæ Agathæ presbytero Cardinali Novocomensi, Amico nostro charissimo, salutem ac benevolentiæ nostræ affectum.

Rñe in Christo Pater amice charissime. Retulit nobis Illustris sincere nobis dilectus D. Joannes de Zuniga Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici etc. patruelis, fratris et generi nostri charissimi, Consiliarius, et ad S. Dñum Summum Pontificem destinatus orator, quem nuper occasione litterarum, quas ad S. Suam in negotio Polonico dederamus, cum Paternitate V. sermonem contulerit. Ex quibus cum Paternitatis V. Rñæ erga nos, ac inclytam nostram Austriæ domum remque publicam christianam præclarum studium nobis quidem antehac multis argumentis cognitum, luculentius etiam perspeximus, facere non potuimus quin has ad Paternitatem Vestram Rñam daremus litteras. Quibus non modo eidem pro sua ista sincera voluntate, quam nec in posterum nostris, ac Reipublicæ commodis juvandis promovendisque usquam defuturam esse nobis pollicemur, benevole gratias agimus, verum etiam sibi plane persuasum cupimus, nos vicissim istud sedulo curæ habituros, ut si quæ nostri in Paternitatem Vestram Rñam propensi animi, ac benevolentiæ studia re ipsa declarandi se offerat occasio, eam minime neglexisse videamur. Quod reliquum est Paternitatem Vestram Rñam diu, recteque valere optamus. Datæ in civitate nostra Vienna die 30 mensis Decembris Anno Domini 1572. Regnorum Nostrorum, Romani undecimo, Hungarici decimo, Bohemici vero vigesimo quarto.

MAXIMILIANVS.

XXXV. — Quin vero maxima inter Episcopos, et regni Proceres discordia exardesceret, parum abfuit, quæ tamen Legati Pontificis maxime prudentia subito subsedit. Consilium quippe quod pacatis perutile temporibus fuisset, in mediis illis maximis turbis perniciosissimum iniverat Gnesnensis Archipræsul. Concilium nempe ex Provinciæ Episcopis convocare in animo habebat, quo maxime ad sarta tecta habenda Ecclesiæ jura instantibus regni comitiis Episcoporum animi cæterorumque Clericorum inflammarentur. At videre erat facile nimium futurum, ut Dissidentes et Schismatici viso exemplo par consilium sibi constituerent, conventus et ipsi cogerent, qui non modo conferendarum sententiarum vel etiam inflammandorum animorum, sed et vis et armorum parandorum forent.

Hoc timore non immerito perculsi Vladislaviensis et Chelmensis Episcopi enixe Legatum rogarunt, ut ab intempesto et discriminibus omnibus obnoxio consilio Gnesnensem revocaret. [*]

[*] Polonia Vol 8 fol. 238.

Illustrissime et Reverendissime Domine Domine Colendissime. Observantiam atque cultum debitum Illustrissimæ ac Reverendissimæ Paternitati Vestræ deferimus.

Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Gnesnensis synodum provincialem Varsaviæ pro festi Trium Regum tempore quo comitia Regni celebrabuntur præter scitum et voluntatem nostram habendam decrevit, et literas universalium (ut ad nos perfertur) non solum per Diœcesim propriam verum etiam nostras nulla significatione ejus rei nobis facta transmisit. Equidem graviter pro eo ac debemus ferimus ita nos a Reverendissimo Domino Archiepiscopo cogi in ordinem, ut absque consilio et assensu nostro contra morem majorum et instituta canonum coacta synodo ad arbitrium unius necessitas nobis imponatur cum adversariis iniquissimo loco et tempore de summa rei decertandi. Quo nempe tempore et loco licentia et potentia major adversariorum quam sub interregno idque in Comitiis? Non diffugimus nos quidem pro lege Domini, pro privilegiis et libertatibus Ecclesiæ Dei freti justitia causæ cum adversariis congredi quinimo et sanguinem profundere: sed aliud est pro statione pugnare aliud ad certamen hostem elicere. Nos quidem provocati pugnabimus, sed si adversarius loco se non moverit tutius est abstinere a pugna quoad Rex Catholicus eligatur. Nunc autem cum idem locus certamini nostro editur qui est Comitiis Regni assignatus quid aliud queri videtur? quam ut inermes cum armatis, incompositi cum adunatis etiam reluctantes committamur? ipsisque certam propemodum victoriam tradamus? Equidem ita arbitramur et certo nobis persuademus nunc in certamen de viribus cum adversariis sponte propria prodire non aliud esse quam causam Dei prodere. Ad hæc nescimus plane quid iis in mentem venerit qui cogendæ hoc tempore synodi Reverendissimo Domino Archiepiscopo auctores fuerunt. Cum nempe eam vivente Rege non modo non coegerint, sed ne voluerint quidem: nunc sub interregno audaciores facti eam indicant et quidem nolentibus ac invitis nobis. His et aliis multis causis adducti scripsimus Suæ Reverendissimæ Paternitati, ut ab ea cogenda abstineat quarum literarum exemplum Illmæ ac Rmæ Paternitati Vestræ mittimus. Quod si ea sententia Illmæ ac Reverendissimæ Paternitatis Vestræ probabitur rogamus, ut pro sua auctoritate, quam in Ecclesia Dei habet, provideat diligenter ne quid Ecclesia Dei hoc nomine detrimenti capiat. Nos enim solemniter protestamur nunquam fuisse voluntatis et consilii nostri, ut hoc tempore synodus celebretur. Alioquin si quid secus acciderit testamur Deum non penes nos ejus rei culpam hæsisse. Quæ omnia majori prudentiæ Illmæ Paternitatis Vestræ expendenda et providenda pro fide, quam Ecclesiæ Dei et Sanctæ Sedi Apostolicæ debemus, relinquimus. Cujus amori et benevolentiæ nos nostraque officia diligenter commendamus. Lomzæ penultima Novembris MDLXXII.

Ejusdem Illustrissimæ ac Reverendissimæ Paternitatis Vestræ

Addictissimi Servitores
STANISLAVS CARNKOVSKI
Episcopus Wladislaviensis m. p.
ALBERTVS STAROIRSCKSKI
Episcopus Chelmensis manu sua.

XXXVI. — Rebus in Germania gestis breviter enarratis, propositus nobis ordo postulat, ut de Gallia verba faciamus. In hujus vero gentis recensendis monumentis primo statim in limine sese nobis offert truculentum illud ac prorsus horribile facinus, quo sese ad VIII. Kal. Septembris, die S. Bartholomæi festo, gens Gallica cæsis ubicumque præcipiti æstu HUGONOTTIS coinquinavit. Nostrum non est immitis flagitii, quod nemo non aversetur, nisi qui fuerit omnis expers humanitatis, universam seriem explicare. Hanc sibi provinciam historici profanarum rerum, et Gallicorum gestorum narratores deposcunt. At non possumus quin Deo Opt. Max. gratias referamus, quod singuli quique scriptores qui nostris hisce temporibus inter Acatholicos ingenii et suavis eloquii laude floruerunt et horum temporum historias attigerunt, miro quodam consensu Ecclesiam Catholicam, Romanamque Sedem omni labe immunem fateantur utpote quæ neque facinoris nectendi auctor, neque perpetrati socia possit ullatenus haberi. Juvat inter cæteros Rankeum [*], Raumerum, Soldanumque [*] honoris causa nominare, qui nihili habenda affirmarunt, comprobaruntque, quæcumque aliquanto vetustiores historici in medium protulerant et blateraverant.

[*] Franzœsische Geschichte im XVI und XVII Jahrhundert. B. I. V 290-333. Stuttgart 1852.
[*] Frankreich und die Bartholomæusnacht Historisches Taschenbuch von Raumer. Leipzig 1854. III. S. p 71-241.

De nullo profecto alio hominum gesto plures disceptare sunt aggressi, vel plures inter se pugnantes sententias protulere, quam de hac percelebri Hugonottorum cæde sit factum. Quicumque præsertim ex acatholicis Catholicæ Ecclesiæ redarguendæ cupiditate ferebantur, de hoc sibi statim facinore dicendum rebantur, aptissimam existimantes sibi per id occasionem præberi, ut conceptum animo virus evomerent. Rei declarandæ innumera e tenebris eruta et in medium prolata sunt coævorum monumenta. Sed nostris tantum hisce temporibus publici juris sunt factæ epistolæ, quas Legati ad suos scripserant principes, qui a diversis Regibus et populis ad Carolum IX. missi, qui rem totam propriis oculis viderant, et quam maxime poterant incorrupta fide eam suis enarrare tenebantur. Hæc

profecto scripta nuperrime in lucem emissa rei toti explicandæ aptissima adfuere. Primum inter ea tenent locum litteræ Antonii Mariæ Salviati Episcopi S. Papuli in Gallia a Pontifice ad Carolum IX. legati, quæ ab autographis in Vaticano Tabulario adservatis exscriptæ sunt eurante famoso Chateaubrianeo Vicecomite, dum is Romæ degeret Gallicæ gentis ad Pontificem legatus. Hæc ille mox Jacobo Mackintosheo suppeditavit claro Anglorum historico, qui eas ad calcem suæ de rebus Anglorum historiæ adjecit, et in lucem edidit. [*] Eugenius quoque Alberus hasce litteras partim recudit. [*] Liceat nobis eas iterum in medium proferre autographis ipsis iteratis curis per nos collatis.

[*] History of England. Lond 1881. Vol III pag. 351 et App. T G R. et J.
[*] Vita di Caterina de Medici Firenze 1838 Nota XLV p. 390 55

Hisce adjuti scriptis, tum et aliis quibusdam, quæ in eodem adhuc delitescentia Vaticano Tabulario reperire fuit, speramus fore, ut omnem penitus nebulam depellamus, si qua adhuc vel non satis tot jam monumentis discussa cædis hujus Hugonottorum causas vel gesti ordinem observare videatur. [*]

[*] Mentissa docum. N. III. IV. V. et VI.

Testimonia porro isthæc luce clarius evincunt, vix unius vel alterius diei spatio, inter secretorum modo participes habito concilio, summoque servato silentio, rem in disceptationem vocatam, in eamque itum sententiam, ut fœdissimum facinus admitteretur. Tum vero regem non religionis Catholicæ studio compulsum, sed ut reipublicæ tranquillitati, et commodis consuleret politicarum rationum postulantibus compendiis ad id perpetrandum fuisse adactum.

Inquirendum igitur primum nobis videtur, quo temporis momento cædis gerendæ sententia in medium proferri cœperit, mox et placuerit; tum qui princeps ejusdem auctor et hortator extiterit.

Vulgo apud veteres scriptores, et recentiorum etiam nonnullos rei perpetrandæ mentio primum illata dicitur cum Catharina regis mater an. MDLXV. Lapurdi veteri urbe et Hispaniæ finibus proxima celebre cum Albano Duce in colloquium venit. At hujusmodi opinio omni penitus similitudine veri destituitur et rectissime a Rankeo et Soldano inter fabulas amandatur. Non minus inter se dissentiunt, qui de hoc scripsere, dum inquirunt, quinam pudendi incœpti consilium Carolo regi inculcaverint. Ipsa regis mater Catharina, Andegavensis Dux Regis frater, tum Guisiensis, Albanusque, demum Philippus Rex Hispaniarum, et Maximilianus Cæsar in causa fuisse arguuntur. Si Maximilianum excipias in piaculo hoc patrando partem sibi aliquam cæteri illi omnes sumpserunt. At imprimis distinguamus oportet paratas Colignio insidias, illataque illi et morti daretur vulnera, quod X. Kal. Septembris actum est, ab universorum cæde Hugonottorum, quam ut necessarium primi facinoris consectarium post duos dies aggredi oportuit.

XXXVII. — Colignio ut nemo non novit imprimis cordi fuerat novella Calvini, aliorumque Ecclesiæ redintegrandæ, ut sese efferebant, insudantium placita non per Gallias tantum, sed et Belgicas, Batavasque provincias Philippo imperio tunc temporis subditas, propagare. Civiles discordias ipse una cum dissensu de Religionis culto serere et enutrire. Consociatis secreto consiliis cum Auriaco Duce cæterisque Germaniæ hæresi infectis Principibus provincias illas legitimo regis imperio eripere conari. Rebellium motus, per quos novas de religione sententias, veteri disjecto Catholicæ disciplinæ imperio, fines proferrentur, totis viribus fovere. Regi Carolo quotidianis sermonibus, omnique alia arrepta occasione indesinenter suadere, ut bellum Philippo quamprimum inferret. Ineunte vere hoc eodem anno non brevem regi libellum obtulerat, quo quam necessarium habendum esset hoc bellum ostendebat, quæ hinc commoda Gallorum genti pararentur, cujus imperium adquisitis fœderatis Belgii provinciis tantum esset amplitudinem consequuturum. Hujuscemodi liber cum in manus Guisiensis Ducis pervenisset, ab eo secreto ad Hispaniæ regem est missus. Qui perlegere cupiverit, adeat Thuanum, qui sui temporis historiis a se conscriptis eum inseruit. [*] Cum in hanc belli inferendi sententiam Carolum pertrahere Colignius nequivisset, jam non publica sed sua auctoritate, venia ab invito rege, speciétenus extorta, quatuor selecta ex optimis Gallorum Hugonottorum bellatoribus millia Duce viro imprimis strenuo Genlisio rebellibus Belgis auxilio misit. Cum enimvero hoc Gallorum agmen Albanus Dux V. Id. Julii apud Montes principem Hannoniæ provinciæ urbem aggressus penitus delevisset, non destitit ab incœpto Colignius. Quia apud regem Carolum vehementius instabat, ut optati tamdiu belli Hispanis inferendi consilium capesseret. « Nudius tertius (hæc habet Pontificius Legatus Salviatus Non. Aug. ad Cardinalem Comensem scribens) nuncium ad nos pervenit Præfectum classis Colignium tribus circa mediam noctem horis cum rege et quatuor regni administris regi a secretis colloquium habuisse, jamque adeo rumorem incessisse, immo omnibus persuasum movendi belli latam esse sententiam. At superveniente improviso regina disjectas per eam velut levi vento nubes, et paullatim rumores omnes consedisse. »

[*] Lib. LV. p. 792 796 Tom II Aureliam 1626 fol.

XXXVIII. — Nemini igitur mirandum erit, si dixerimus Colignium auctorem fautoremque in politicis et religionis rebus in acerbissimum odium venisse Philippo. Vix dum igitur recepto de Albani Ducis apud Montes victoria, quam de Gallicis Hugonottis retulerat, nuncio, pessimum animo consilium cœpit non modo Coligniï de medio tollendi, sed et ut principes quique ejus partis interficerentur. Ita futurum ratus, ut scelesto hoc facinore quietæ deinceps sive Gal-

liarum sive Belgii res permanerent. Sententiam hanc suam cum Carolo rege communicandam suo regio apud Parisiensem urbem legato perscripsit, et ut quam primum res exequutioni mandaretur hortabatur, adfutura, si res poposcisset, suarum copiarum auxilia pollicitus. Dies aderat ad xiii. Kal. Sept. quo juvenis Henricus rex Navarræ matrimonio jungeretur sorori Gallici regis Margarethæ, et Princeps Henricus Condeus Mariæ filiæ Francisci Nivernensis Ducis; ut nuptiis interessent ab omnibus Galliæ provinciis principes quique Hugonotticæ partis advolarant, et plusquam sexcenti ex iis convenerant, ut inclyti illi totius factionis principes quam maxima suorum frequentia celebrarentur. Optatissimam proinde offerri occasionem, ut uno eodemque temporis momento per nefarium scelus omnes tollerentur e medio. Parisienses cives et Catholicæ Religioni addictissimos, et Præfecto classis infensissimos, quod illi in juvenis regis Caroli animum impotens quædam ac superba dominatio esset, qua rerum publicarum perturbationem et perniciem Catholicæ religionis sæpissime moliretur, non defuturos incœpto. Ratus est eos rex Hispanus ad permissum facinus toto animo adproperaturos, nec eum opinio fefellit.

Consilium, quod ipse moliebatur de Colignii nece Philippus II. Pontificis apud se Legato aperire non dubitavit, etsi illi in more positum esset animi sui sententias unica solertia asservare, atque illos tantummodo in eorum conscientiam admittere, quos fidissimos, amicorum administrorumque regni haberet. Legatus porro tertio Nou. Augusti perscriptis per occultas notas ad Pontificem litteris rem totam significavit. [*] Hæ litteræ haberi procul dubio possunt, ut præclarissimum omnium quotquot adhuc edita sunt documenta, quo totius eventus fons primus et causa patefiat. In incerto tamen manet, utrum Hispanus ad Regem Galliæ legatus hanc sui Regis sententiam Carolo ipsi explicare et suadere sit ausus. Qui inficiatus fuerit, rem ut arbitror tetigerit. Tanto enim amore aut ut rectius dicam veneratione classis Præfectum Carolus prosequebatur, ut pro certo habendum esset detrectaturum eum non modo isthæc executioni mandare, sed et gravissimas pœnas ab iis repetiturum, qui sese paratos ad hæc perficienda ostendissent.

[*] Mantissa docum. N. 2.

At meridiana luce clarius patet, Legatum rem totam secreto reginæ matri, Andegavensi et Guisiensi ducibus aperuisse; nihil illi rei impietate deterriti, festinandum duxerunt. Peculiares porro cuique aderant causæ, quibus ad tollendum Colignium incitarentur. Guisiensi quidem duci paternæ cædis ultio. Cum patrem suum illius jussu, dum Aurelianensis urbs obsidione premeretur, A. R. S. mdlxiii. xi. Kal. Martias interfectum suspicaretur. Catharina et Andegavensis dux potissimum in eum odio ferebantur, quod Colignius tam impotenter Carolo dominaretur, nullamque prætermisisset occasionem, ut ejus animum a fratre et parente quam maxime abalienaret. Eum quippe sibi uni cæteris dejectis ita devincire satagebat, ut ad omnia deinde quæcumque moliri vellet, obsequentissimum haberet.

Primo igitur nex uni Colignio parata videtur. Sperabant quippe illo e vivis sublato destitutam duce Hugonottorum partem et validissimo quo niteretur præsidio de ea promovenda et firmanda per Gallias desperaturam, et facili negotio in officium regi redituram. Nihil igitur falsi afferebat Parisiensis Pontificis legatus cum Cardinali Comensi scribebat, [*] si illato Colignius vulnere mortem obiisset, nunquam cruentam illam S. Bartholomæi festo die et luctuosam cædem fuisse sequuturam.

[*] Mantissa documentorum N. 1. Parisiis 22 Sept. 1572.

XXXIX. — At illatum Colignio vulnus et eripiendæ vitæ conatus, omnes Hugonottorum, qui Parisiis frequentissimi aderant, iræ ultionisque sumendæ sitim excitavit. Eorum principes quique extemplo regem reginamque mox et regiæ stirpis principes adeunt, atroci clamore, tumentibus minacibusque verbis sceleris ultionem flagitare, et eum ad supplicium poscere, qui tam caro capiti necem paravisset. Acerbiora etiam habitis inter se conventibus eloquuti. Nec valde a vero aberraverit, qui arbitretur, non defuisse audacissimos, qui de Rege ipso et regii generis hominibus ultionem sumendam identidem mussitarent. Est enimvero Gallorum naturæ et consuetudini admodum consentaneum, ut ad subitos casus vehementius, quam par est, inflammentur, nec extrema consilia in medium proferre detrectent. Ferunt et quosdam ex audacioribus delendam regiam omnem stirpem, et regnum dixisse juveni Navarræ regi tribuendum, quippe qui Hugonottorum superstitione teneretur. Est profecto in compertis Colignium ipsum professum esse, nisi de illato sibi vulnere suscepta vindicta esset, sese L. hominum millia, qui sibi dicto audientes essent, ad eam ulciscendam commoturum. [*] Bouchavanius quidam, nobili genere natus, hæresi Calviniana infectus colloquiorum omnium hujusmodi particeps seditiosos vel potius inconsultos hosce sermones omnes reginæ matri retulit. [*] Quibus cognitis rebus regia tota cohors magna formidine trepidare, et facile persuasum cuique fuit, universos conjurasse de regia delenda gente Hugonottos. Cum de sua sibi vita quisque timeret, delenda potius Hugonottorum capita non in Parisiensi solum urbe, sed et per totas Gallias sancitum est. Primi qui hanc dixerint sententiam, eamque exequutioni mandarint, Andegavensis semper et Guisiensis duces.

[*] Mantissa documentorum N. 5.

[*] Mantissa documentorum N. 6.

Ut regi suaderetur, conspirasse revera Hugonottos, ununque hoc et maxime necessarium superesse consilium Catharina sibi partes assumpsit, et ut omnes adhiberet artes, quo filium satis suapte natura suspicionibus pervium, conjurationis opinione perterrefactum, ad delendos miserrima cæde Hugonottorum principes impelleret.

Nemo porro videtur inficiari posse, Parisienses Hugonottos adversis illis temporum adjunctis in consilia descendisse sin minus iniqua, at omni sapientia destituta contra regiam gentem, scilicet jam peracta Hugonottorum cæde, qui Genevam ex illis convenerant, teste Pontificis Legato, nefarium de occidenda Catherina Medicæa et Andegavensi duce consilium contulerunt, ut sic fratrum suorum necem ulciscerentur. [*] Hujus facti rumor ut percrebescere cœpit, non parum valuit, ut pervulgata jam opinio de prima hæreticorum conspiratione ante cædem conflata, altius omnium animis inhæreret.

[*] Salviatus Cardin. Comen Parisiis 6 Novemb 1572. Mantis. documentor. N. 1.

Andegavensem et Guisiensem duces præcipuos auctores extitisse tum mortis Colignio intentatæ, tum universorum hæreticorum stragis ipse apertissime Andegavensis de se confessus habito cum suo medico Mironio colloquio [*] paucis post diebus a suo in Cracoviensem urbem ingressu, quo se contulerat, ut in regem a Polonis cooptatus regni habenas capesseret. Idem asserit Cardinalis Lotharingius pluribus scriptis epistolis, quas hujus anni Septembri mense ad nepotem Guisiensem ducem Roma miserat, quibus omnem vesani facinoris laudem suæ genti vindicat. [*]

[*] Hoc colloquium typis est editum in Memoires d'Estat etc. Paris 1665. T. II. p. 28. Fragment. ejusdem apud Fr. J. B. Matthieu Histoire de France etc. Paris 1631. fol. p. 366

[*] Cifra di Monsig. Salviati del 1. Ottob. 1572 Mantis. documentor. N. 1.

XL. — Hactenus a nobis allata apertissime ostendunt, decernendæ Hugonottorum cædis nulla ex parte Catholicam religionem participem posse affirmari, auditas modo politicas ut ajunt regendi artes, et simulatam reipublicæ sartæ tectæque servandæ necessitatem. Patet insuper, non a longo jam tempore contextam fuisse, sed improviso, subitoque sibi fere desperantium decreto: cum a ferocibus Hugonottorum minis ob illatum Præfecto Classis pyrochitrophori glande ictu prolatis, prima traxerint semina. Politicis artibus consiliisque deberi id quoque ostendit, quod sive Parisiis sive in provinciis soli Hugonottæ factionis principes morti destinati fuerint. Manifeste id aperiunt Regis litteræ ad provinciarum procuratores per regnum datæ. Tavanneus præcipuus post Andegavensem et Guisiensem duces et suasor et cædis hæreticorum minister idem asserit, [*] nempe post Præfecti Classis vulnus, minæ præcipuorum ex Hugonottis eo rem adduxere, ut eos occidendos decretum sit: populi furore cætera omnia esse acta summo suasorum regis dolore, cum de sola principum et factiosissimi cujusque morte esset cogitatum. Carolus ipse hanc sibi mentem fuisse decoro sane facto demonstravit. Cum enim audisset, Rothomagi ad D. Hugonottorum ex debili et inopi plebe fuisse interfectos, vehementissime exarsit, et in eo erat, ut cædis auctores debita affici pœna juberet, prout Pontificis Legatus refert. [*] Sibi enim ajebat, id in sententia solummodo fuisse, dum Hugonottos morti dari sinebat, ut se a turbarum seditionis auctoribus liberaret.

[*] Memoires Tom III pag. 295.

[*] Ejus epistola secreta ad Card. Comensem 23 Sep. et 1 Decemb. Mantis docum N. 4.

XLI. — Quod populum vero spectat, cui commissa fuit Hugonottorum cædis provincia, non inficiabimur tum religionis intuitu tum rei publicæ commotum compulsumque fuisse. Suo regi mire addicti, nec minus veteris suorum parentum religionis amantes Parisienses præsertim cives erant. Ob impotentem Colignii et ejus factionis auctoritatem, et impiom scopum in quem ejus consilia collineabant, throni securitatem, patriam, religionem summo in periculo versari cernebant. Quis iras populi hujusmodi in adjunctis, facile avidam cruoris tigridem imitantis cohibeat? Parisienses cives ad subitos et cruentes motus a vetustissimis temporibus ob sui animi indolem esse paratissimos, quis est, qui ignoret? Hæserat porro animis memoria vesanæ et crudelitatis omnem exsuperantis fidem, quam Hugonotti solo religionis odio Nemausi in media Gallia exercuerant contra Catholicos An. MDLXVII. et MDLXIX., [*] ut tot alia prætermittam contra eosdem non sine sanguine et cædibus admissa. Quid dicam de immani et numquam audita feritate, qua, infelici illo et vere illacrymando religionis bello in Belgio, Protestantes et Batavi et Belgici (Geusios vocabant,) eodem illo anno, quinimo paucos ante dies ad nonas Julias adversus inermes Catholicos sacerdotes virosque Religiosos Brilæ et Gorcumii fuerant debacchati? Ipsi hæreticorum historici fatentur, Albani, etsi tantopere severi, ducis exercitus nulla sese ejusmodi barbarie commaculasse, quas sæpissime Auriacensis ducis milites exercuerant in homines omni alia labe carentes, nisi quod inter Catholicos sacerdotum numero censerentur. Quis legat, quæ de hisce Geusiorum gestis coævus auctor celeber ille Guillelmus Aestius scripsit, quin summo totus horrore moveatur? Adeatur ejus liber, cui titulum fecit: Historia Martyrum Gorcomensium majore numero Fratrum Minorum, qui pro fide Catholica a perduellibus interfecti sunt A. D. MDLXXII. libri IV. Duaci MDLXXIII. Bollandistæ socii, hunc iterum typis edidere inter SS. Acta ad IX. Julii T. II. huj. mens. pag. 736-847. additis nonnullis aliis actis, quæ exhibitam hieromartyribus istis venerationem spectant.

[*] Menard Histoire de Nimes T. 6.

Quis dubitat, recentia hæc crudelitatis exempla sive Hugonottorum in Galliis, sive Geusiorum apud Belgas Batavosque summopere ani-

mum impulisse Parisiensium civium, ut in luctuosis illis adjunctis, ad eandem hanc (noctis Bartholemaicæ ut ajunt) cædem infestissimus exiliret?

XLII. — Horrenda Lutetiana Hugonottorum cæde perpetrata, rex, die xxvi. Augusti, convocatis in majorem curiam Senatu Parisiensi proceribusque, populo item admisso, a matre ita instructus, quo rei infamiam in ipsos, qui perierant, averteret, litteras atque indicia protulit, quibus, conjuratum in se stirpemque suam ab nefariis hominibus, compertum esse sibi ajebat. Commemoravit inde superiorum annorum bella, quibus regnum toties in ultimum adductum discrimen una Dei benignitate stetisset: item dolos atque insidias vitæ suæ factas. Quid se tam crudeliter de iis meritum, ut, vivere et communi spiritu frui, pati non posse viderentur, quibus ipse tam sæpe, tam clementer ignovisset, et dignitatibus ac honoribus suis restitutos auctosque placare beneficiis conatus esset? Et ut dignus ipse, in quem tam sceleratam conjurationem conciperent; quid matrem, quid fratres suos commeruisse, quid vero novam nuptam prægnantem et partui proximam: quos omnes pariter occidere et contrucidare statuerant? Cum sub hanc orationem obortæ lacrimæ fletusque miserantium regis pericula, regnique mala essent; rex, illos quique sectam eorum sequerentur omnes, tam qui Lutetiæ, quam qui alibi cæsi essent, jure cæsos: qui aufugissent, parricidii damnatos, eorumque pecunias, res, bona publica esse pronunciavit.

Non pigebit et narratiunculam de hisce perlegere, a gallico presbytero, qui Pontificis Legato a secretis erat, conscriptam, quam idem mox Legatus Pontifici transmiserat. [*]

[*] Gallia V. 6. fol. 122.

« Septimo Kal. Septembris qui dies 26 est Augusti post ingentem optimatum, plebejorum, et nobilium stragem in urbe Parisiensi hæc acta fuere quæ sequuntur a Rege Carolo IX.

« Primum Rex ipse cum suis fratribus, Rege Navarræ et aliis quamplurimis illustrioribus viris e Domo Regia egreditur ordinis equestri torquulari ac regiis ornamentis insignitus.

« Ad Regium Palatium ubi Senatus frequens habetur Rex cum toto comitatu progreditur. Interim in Sacello sancto ejusdem Palatii Missa celebratur, publicæque preces et orationes fiunt pro conservatione et tranquillitate Regni Gallici, his omnibus ut Rex ipse Carolus genibus flexis interfuit, Rege tamen Navarræ ab Ecclesia interim recedente.

« Celebrata Missa Senatus cunctique Proceres ac Principes per cursores Regios in Camera ejusdem Palatii, quæ deaurata dicitur, convocatur. Rex in suo solio sedens supplicatione a Cardinale Borbonio habita, ut tanquam Episcopus Bellovacus in numerum duodecim parium Francorum cooptetur in manibus Regis et primi Præsidis de Thou juramento prestito Cardinalis Borbonius admittitur.

« In dextro Regis latere ac superioribus in subselliis assidebant:

« Regis frater Dux Andegavensis. - Regis frater alter Dux de Alanson. - Rex Navarræ. - Cardinalis Borbonius.

« Hi omnes Duces et Marescialli Torquulare insigne Equitum gestiebant preter Regem Navarræ.

« Dux de Monpensier. - Princeps Daufin illius filius. - Dux Nivernensis. - Dux D' Usetz. - Maresciallus d'Anvilla. - Maresciallus de Cossé. - Maresciallus de Tavanes. - Maresciallus Sabaudius dictus Marchio de Vollars et jam Prefectus Maris designatus. -

« In sinistro Regis latere superioribusque subselliis assidebant:

« Episcopus Laodunensis ut unus ex paribus Francorum Ecclesiasticis. - Episcopus de Noion ut unus ex paribus.

« In pedibus Regis assidebat - Comes de Retz.

« In inferioribus subselliis assidebant Purpurati Parisieñ Senatus Presidentes ac permulti nobiliores Equites.

« Privati Consilii Proceres togati distinctis subselliis assidebant. Reliqui Senatores ac Nobiles promiscue intererant.

« Huic amplissimo cœtui Rex Carolus proposuit:

« Se (Christo gratias) detexisse insidias quas Gaspardus de Coligni Maris Præfectus sceptro Regis parabat adeo ut durum exitium ac mortem minaretur toti Regis familiæ, ac cum debitum de eodem ac suis seguacibus supplitium sumpserit, velle ne imposterum vitio imputetur iis qui tam justæ ultionis fidelissimi Ministri fuere, cum ex pura voluntate mandato ac prescripto Regis id fecerint.

« Tunc Proñus Regius du Faur dictus de Prebrac nomine totius Senatus tria a Rege postulavit brevi præfatione perhabita.

« Primum, ut quæ Rex in medium proposuit ad perpetuam posteritatis memoriam publicia in Registris Senatus Parisiensis inserantur.

« Secundo, ut duo illi ordines Ecclesiæ et justitiæ qui maximam morum corruptelam et deformitatem preseferant reformentur.

« Tertio, ut a cæde, a sanguine, a rapinis et direptione bonorum Huguenotticorum hominum abstineat populus Parisiensis nihilque inconsulto Senatu aut magistratibus publicis a populo perpetretur.

« Primo capiti assentitur Rex, et secundo se effecturum pollicetur, et quod ad tertium attinet edixit, ut per compita Urbis a publicis cursoribus omnibus significetur, ne amplius sub pena capitali hujusmodi homicidia et rapinæ admittantur.

XLIII. — Rex extemplo rei gestæ ordinem per hemerodromos missis ad omnes fere Europæ Principes litteris non secus ac Senatui Parisiensi exposuerat, enarravit, ut contractam Hugonottorum cæde maculam qua posset ratione ablueret, ut luculenter apparet ex litteris, quas Reverendus D. Brezegnius Prot. Apost., qui negotia S. Sedis apud Hetruriæ Ducem curabat, ad Cardinalem Comensem iv. Non. Sept. misit: [*] plura tunc data opera a legatis regiis mendacia narrationi intermixta vulgabantur, quæ regi plenius excusando opportuna viderentur.

[*] Mantissa documentorum N. 6.

Missæ et ad Pontificem a Ludovico Duce et Cardinalis Borbonii nepote de eadem cæde litteræ et per Beauvillaeum redditæ, [*] qui tunc Romæ aderat Pontifici a Rege extra ordinem legatus. [*]

[*] Mantissa documentorum N. 8

[*] Mantissa documentorum N. 7.

XLIV. — Pontifex Gregorius rerum Lutetiæ Parisiorum gestarum adhuc ignarus vi. Kal. Septembris Consistorio (ut vocant) in suis ad Divum Marcum ædibus habito Flavium Cardinalem Ursinum suo de latere dimissum legatum ad Galliæ Regem proficisci jusserat, et in mandatis dederat, ut hortaretur ad copias Venetis, Hispanis, et Pontificiis militibus conjungendas, iisque quas Maximilianus Imperator comparasset, ut communi consilio Turcas bello persequerentur. Iterum habito Principum Cardinalium Senatu iii. Non. Sept. insigne gerendæ legationis crucem solito ritu eidem tradidit, quibus acceptis iter suum in Galliam extemplo Card. Ursinus aggressus est. Litteras de ejus legatione regi, reginæ matri, et cæteris regio sanguine satis Principibus Gregorius dederat, [*] ex quibus addimus, quæ regi inscribebantur. [*]

[*] Sec. Gregorii XIII. An. I epist. 190-223. f. 293-302.

[*] Sec. Gregorii XIII. An. I. epist. 197 f. 293.

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

Carissimo in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Nomen Regis Christianissimi, a majoribus tuis præclarissimis pro Christi gloria rebus gestis quæsitum, et perpetus pro ejus Ecclesia et fide dimicatione retentum a tua autem majestate tum hæreditario jure acceptum, tum eisdem rationibus conservatum, magnam nos in spem adducit fore, ut in hoc, tam pio, tamque necessario adversus immanissimum barbarum fœdere inter nos et Philippum Hispaniarum Regem catholicum, necnon Venetarum Ducem sancito, tuam quoque majestatem, hujus tam gloriosi incepti sociam et consortem habeamus; cujus potentia quanto majorem Christianæ Reipublicæ opem afferre potest, tanto tam impensius ejusdem Reipublicæ nomine imploramus. Causa justissima est, summa catholicorum omnium de tua insigni pietate spes, summa expectatio, summum desiderium; merces autem tanta quantam cogitare non possumus; siquidem, ut ait Paulus, iis, qui Deum diligunt reposita sunt præmia multo ampliora, quam quæ possint cujusquam oculis, auribus, aut ullo sensu, aut denique cogitatione comprehendi, hoc autem certissimum erga Deum amoris indicium est, sponsam ejus Ecclesiam, quam suo sibi junxit sanguine omnibus opibus, atque etiam proprio, si ita opus sit sanguine tueri; quo quidem facto majores tui tantam apud omnes mortalem gloriam, tamque sempiternam a Deo felicitatem sunt consecuti. Longiores non sumus, plura enim accipiet Majestas tua a dilecto filio Flavio Card. Ursino, viro gravissimo et prudentissimo ac nostro et Sedis Apostolicæ de latere Legato, quem ad te mittimus, ejus orationi ut eandem, quam nostræ fidem adhibeas rogamus.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die iii. Septembris 1572. Pont. Nost. Anno primo.

XLV. — Nemini erit profecto mirandum, si acceptis a suo in Galliis Legato litteris, quæ detectam Hugonottorum adversus regis regiorumque vitam conjurationem, et sumptas de sontibus pœnas profitebantur, gratias Deo Opt. Max. egerit ob incolumem servatam tanto in discrimine regis vitam.

XLVI. — Qui veteri succederet regis Galliæ apud Pontificem Legato novus tandem Romam advenit, cui demandatum fuerat, ut regis nomine obedientis reverentiam Pontifici exhiberet; et si qua adhuc de Hugonottorum conjuratione suspicio Pontificis animo resedisset, penitus evelleret. [*] «Die xxi. mensis Decembris, quæ fuit Dominica quarta Adventus, ita narrat Mucantius, [*] orator Gallus, cui nomen erat Nicolaus de Agnenes, frater Cardinalis de Rambouillet ingressus fuit urbem per portam Angelicam: occurrerunt ei familiæ Cardinalium, Nobiles ac Barones ac Curiales multi, præsertim Galli usque ad vineam Rm̃i Dñi Cardinalis Cornelii, ubi expectabat: familia vero Papæ usque ad dictam portam, et extra eam, et cum eo ingressus fuit etiam orator antiquus Franciæ residens: hospitatus est item cum oratore.» Die deinde xxiii. ejusdem mensis Legatus novus in publico Consistorio cum solitis cæremoniis receptus fuit. Postquam vero gratulationis simul et reverentiæ officiis Legatus satisfecerat, orationem adstante cum purpuratis Patribus Pontifice de detecta Hugonottorum conjuratione et peracta strage majori eloquentiæ quam æquitatis laude vir sane sui temporis eloquentissimus Antonius Muretus habuit. [*]

[*] Mantissa documentorum N. 9.

[*] Diariorum T. 11. fol 73.

[*] Oratio edit. typis inter ejusdem opera Tom. I p. 223-242 Ingolst. 1596.

XLVII. — Quod de Lutetiana cæde Gregorius senserat, idem et reliqui fere omnes sensere Catholici Principes. Fides nimis leviter habita regiis legatis, et eorum industria et calliditate factum, ut passim crederetur, nisi præventi fuissent perduelles, moriendum regi regiisque principibus fuisse. Ipsa Anglorum regina Elisabetha omni in hæreticos studio effusa de eorum

[*] Ap. Cooper. Recueil des dépêches, rapports, instructions, et memoires des ambassadeurs de France en Angleterre, et en Ecosse. Paris 1840 To 5. p 120. 128 161. seq.

conjuratione satis diu non dubitavit. [*] Quid mireris igitur tum Catholicos Principes regi Carolo ex animo gratulatos, quod perduellium insidias evasisset, luculentaque pœna eos esset ultus: tum etiam habitas passim supplicationes, gratesque Deo redditas, quod regem regiamque stirpem incolumem servasset? Maximilianus tantummodo Cæsar, cum a suo Legato apud Carolum litteris rei totius ordinem rectius pleniusque comperisset, immane facinus apertissime reprehendebat et declinabat. Rumorem enim, qui vulgo auctoribus Hugonottorum transfugis invalescebat, fuisse eum præcipuum illius cædis suasorem, tanquam atrocem sibi inustam calumniam apertissime rejiciebat. En pauca quæ ex Cæsaris ad Legatum epistolis verba decerpsimus: [*]

[*] Apud Lunig Ep Procerum Europæ Vol 2. pag. 092.

« Quod attinet, ait ipse, ad præclarum illud facinus, quod Galli in Amiralium ejusque socios tyrannice perpetrarunt; equidem id minime probare possum; magnopere cum dolore animi intellexi, Generum meum sibi persuaderi passum esse tam fœdam lanienam. Quamquam scio, magis alios imperare quam ipsum. Attamen hoc ad excusationem facti non sufficit: neque hoc satis est palliando sceleri. Utinam me adhibuisset in consilium! Equidem ei fidele et paternum consilium dedissem, nunquam enim hæc talia me auctore fecisset. Tantam sibi ipsi hoc facinore aspersit maculam, quantam non facile eluerit aut absterserit. Ignoscat Deus illis, qui culpam hujus rei sustinent! Vehementer enim metuo, ne progressu demum temporis sentiant, quid hac via profecerint. Ac revera sic est, ut tute prudenterque scribis. Res pietatis gladio non volunt dijudicari, neque tractari. Neque aliter sentiet quisquam, in quo aliquid est pietatis et honestatis, illumve pacis et tranquillitatis studium reliquum. Ad hæc longe aliud Nos docuerunt Christus et Apostoli ejus. Nam ipsorum gladius erat lingua, doctrina verbis Dei et vita Christi digna, ipsorumque mores invitare nos debent atque allicere, ut eos sequamur, quemadmodum et ipsi Christum sequuti sunt. Taceo, quod insanum illud genus hominum oportebat in tot annis jam vidisse atque expertum esse ipsis rerum argumentis et eventu ipso, suppliciorum crudelitate, sectionibus, inquam, et ustionibus non posse hanc rem confici. Breviter, ipsorum actiones mihi minime placent, nec unquam adducar, ut eas laudem, nisi forte (quod tamen serio deprecabor ne fiat) Deus permittat, ut in furorem et insaniam prolabar. Imo non possum apud te dissimulare, repertos esse nonnullos impudentes et mendaces nebulones, qui dicere ausi sint: Quicquid hic fecit Gallus, id me non solum conscio, sed etiam auctore ipsum fecisse. Qua in re Deum appello testem, mihi coram ipso et toto mundo summam fieri injuriam. Sed non sunt mihi nova amplius ejusmodi mendacia et calumniæ, quas jam antea sæpe devorare coactus sum. Commendo autem ista omnia Deo meo, qui tantas injurias novit suo tempore depellere et vindicare. »

XLVIII. — Sed jam lætiora nos revocant. Regis soror Margaretha Henrico Borbonico Navarræ Regis Antonii filio, Hugonottorum partium fautori nondum XIX. ætatis annum egresso nuptui data: eodemque die, qui fuit XII. Kal. Sept. Condeus Princeps alter et ipse, et forte metuendus magis factionis assecla Mariam duxit Nivernensis Ducis Francisci filiam. Pontificis venia sive quod diversis sacris uterentur, sive quod juncti inter se sanguine haberentur utrisque necessaria; nec ea tamen expectata solemniori quam fieri potuit ritu nuptiæ Parisiis contractæ. Ut ea jungerentur matrimonia id maxime Carolum et Reginam ejus matrem impulit, quod sperarent Hugonottorum animos deliniri, sibique conciliari posse, regnique turbas et religionis et imperii causa commotas tantisper componi. Sin minus utrumque saltem Principem necessitudine adductum ab Hugonottorum acie recessurum. Hoc fuit in causa ut instantissime a Pontifice venia posceretur, et urgeretur. Pius V. exorari constantissime recusaverat. Proximis igitur diebus Non. Jul. et Kal. Aug. Rex et Regina ejus mater missis litteris preces Gregorio paria cum Pio jam sentienti iteraverant. [*] Interea Cardinalis Borbonius precibus Regis regiæque matris non impetitus, sed obsessus victusque Henricum et Margaretham die XVIII. Aug. in majori templo Beatæ Virginis solemniter in matrimonium conjunxit, catholicæ Ecclesiæ cæteroquin ritu cuncta peragens. Tum vero Catharina tertio litteras XIV. Kal. Sept. ad Gregorium dederat, quibus et preces instaurat, ut optatam tamdiu veniam largiatur, tum initorum Navarræ et Condei non expectata Pontificis dispensatione conjugiorum excusationem aggreditur.

[*] Mantissa documentorum N. 10.

XLIX. — Longo jam ab hinc tempore agebatur, ut ad avitam Catholicam religionem juvenis Navarræ Rex Henricus revocetur, et de hujus spe reditus sæpius in suis ad Cardinalem Comensem litteris mentionem injecerant Episcopi Cajacensis et Salviati, qui uterque Apostolici Legati apud Regem Galliarum munere tunc temporis, ut vidimus, fungebantur. Navarræ ejus mater, quam vehementissime dum viveret, obstiterat: at vix illa IV. Id. Junias hujusce anni vita functa est, suspicari licet consilium se cœpisse, ut iterum eam religionem amplexaretur, in qua a primis incunabilis altus et per novem annos feliciter fausteque fuerat educatus. Hanc Regi Navarræ animo jam profundius inhærere sententiam exeunte Junio mense Borbonius Cardinalis perscripserat, responderatque Gregorius, instaret incœpto, præclarum adeo facinus, nepotique suo, innumerisque aliis salutare conficeret. Maximum jam impedimentum morte matris Hen-

rici sublatum, divina ope rem peragi posse. Addemus paullo infra hasce Gregorii ad eum litteras. Rei exitum Rex ipse Carolus peracta Hugonottorum cæde maxime urgebat, ut reliqui hi duo Henricus Rex et Condeus rebellantium duces illis eriperentur. Tum accersitis Episcoporum, qui doctissimi et Theologorum haberentur, disputationibusque satis diu habitis dies tandem, qui fuit vi. Kal. Octobris, illuxit, quo divina ope in Henrici animo coruscante Hugonottorum erroribus valedixit, atque iterum Catholicæ Ecclesiæ nomen dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 183 f. 205.

Dilecto filio Cardinali Borbonio

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Quod tibi pro tua excellenti pietate magnopere cordi esse intelligimus, id nos postulare cogit gravissimum hoc in quo universæ Ecclesiæ inservimus monus animas custodiendi, curandi, ac diabolica fraude abductas, ad Christi gregem reducendi; in quo etiam perficiendo, aut certe quantum possumus curando nostram quoque salutem magna ex parte sitam esse existimamus; ne si timuerimus id nobis accidat, quod Gregorius magnopere verebatur, ut et impius in impietate sua moriatur, et ejus sanguinem Dominus de manu nostra requirat. Cupimus tua auctoritate atque opera Principem Navarræ nepotem tuum a perditissimo errore, atque ab interitu ad vitam revocari, hoc est, ab hæretica perfidia, ad veræ et catholicæ fidei cognitionem a faucibus homicidæ diaboli, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ; quod quidem te semper et optasse, et magnopere etiam curasse non dubitamus; nunc autem ejus matre soblata, quam tuo pio desiderio et conatui semper obstitisse existimamus, facile consequemur id, quod uterque tantopere cupimus; neque illam tantum pravitatis in filii animum infudisse putamus, ut non speremus id totum tua pietate, hortatione, studio, atque opera ejectum ac deletum iri. Quam etiam curationem faciliorem reddet ipsius Principis animus in tam tenera ætate flexibilis; quem non multo labore possis ab illa perversitate in qua nondum obduruit ad rectam Ecclesiæ normam dirigere, impietatesque eas, quæ non penitus insederunt, neque alte radices egerunt evellere; id quod non ipsi tantum Principi, sed multis præterea aliis saluti erit, nec minus multi cum eo reviviscent, quam forte interierunt; principis enim vita, multitudini sive ad perniciem, sive ad salutem regula est. Ac neque illud potest tuam prudentiam latere, quam magno tuo bono, hoc curaturus sis; gratissimum enim, Deo sacrificium est zelus animarum; et qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam ejus de morte, et operit multitudinem peccatorum. Hocque ut ait Dionysius, divinorum omnium divinissimum est, cooperari Deo in conversione iniquorum ad eum. Hæc pro nostro summo desiderio paucis disseruimus; pro tua autem prudentia, et pietate multo fortasse pluribus, quam oportuit. Ipsi vero Principi, si resipuerit, quidquid potest ab hujus Sanctæ Sedis potestate atque auctoritate proficisci pollicemur; tibi autem sine ulla exceptione quidquid plane possumus, ac valemus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die vii. Julii 1572. Pontif. Nostri anno primo.

L. — Quando vero matris hujus Henrici mentio injecta est, cujus illa animi fuerat erga sacras profanasque Galliæ res liceat referre, quæ Episcopi Cajacensis et Salviati de ea narrant. Mulier nempe illa, mortuo Francisco I. rege fratre ejus, palam novam doctrinam profitebatur, totaque in eo fuit, ut in quam plurimos id venenum in Gallia funderetur. Ipsa litterarum studiis magis, quam necesse est feminæ, dedita, dum ejus rei non tam fructum quam inanem laudem muliebriter affectat, a Calvino talia ingenia, et maxime feminarum captante facile est in fraudem inducta, ex novitate rei, doctrinæ et sapientiæ opinionem magnam sibi facturam sperans. Et Gallorum uxores etiam virorum muneribus regendisque rebus se (quod gentis fert consuetudo) ingerere solent, ac plerumque summa est earum in republica auctoritas. Harum imbecillitatem qua simulatione pietatis, qua legibus, quibus ex christiana disciplina frænum voluptatibus injicitur, dissolvendis abolendisque, maxime aucupati sunt, quibus ea cura fuit externam novamque propagare doctrinam; hoc fonte latissime hoc malum dimanavit.

Colignio ipsi auctor illa mulier perpetuo fuisse perhibetur, ut omnia contra avitam religionem moliretur, novosque identidem in publicis rebus tumultus cieret, quo novus rerum ordo in Galliis conderetur. Ejus profecto morte ita perculsum perterritumque fuisse Colignium ferunt, ut, qui Legatus Pontificis in Gallia postremus ante Salviatium fuerat, Cardinali Comensi v. Id. Junias, tum xii. Kal. Jul. scripserit, [*] eum in desperationem rerum omnium incidisse, lethalemque ex mœrore morbum contraxisse, ex quo tamen mox convaluit, perspicuiores audaciæ suæ pœnas cruenta paullo post morte persoluturus.

[*] Mantissa documentor. N. 12.

LI. — Pridie Id. Sept. Henrici Condei principis uxor ad S. Augustini ædes Parisiis magna populi frequentia Calvinianorum errores execrata est. Heram sunt sequutæ domesticarum nonnullæ. Mox idem præstitit xiv. Kal. Sept. ipse Condeus magna totius Parisiensis populi exultatione. Res gesta ad Benedictinorum Patrum ædes, quæ S. Germani ad prata titulo feruntur.

Borbonius Cardinalis opimis hisce de hæresi relatis exuviis summopere gaudens, qua die Rex Navarræ hæresim ejuraverat, ea sibi confestim Pontificem certiorem reddendum ratus. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 11.

Mox v. Non. Octob. alteras eidem litteras dedit, quibus etiam orat, ut si quid contra Ecclesiæ disciplinam et leges peccatum esset, ne id fraudi tribueret. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 31 fol. 15

Sño Dño Nostro

« Beatissime Pater post humillima beatissimorum pedum oscula. Postremis ad S. V. litteris meis significabam Regem Navarræ ejusque sororem et principem Condeum nec non duos ejus fratres Nepotes meos atque Insulæ Marquionissam Neptem meam, quam idem Condeus falsa sub religione sibi uxorem sumpserat, Dei opt. max. pietate et misericordia immensa eo adductos, ut religionis errorem, quo ab infantia imbuti erant abjuraverint, nostramque catholicam et apostolicam religionem romanam receperint, eamque sponte sua publice professi sint. Quo profecto in negotio non parum insudandum fuit, accersitis enim eminentioris scientiæ et vitæ sanioris, quos ex facultate Theologiæ Doctores probatos habemus, additis etiam quibusdam Episcopis qui ad eradicandam hanc illam luem cordibus eorum insertam inscriptamque, studium meum sublevarent, rebus etiam sæpius infectis non paucos consumpsimus dies, pluribus tamen reiteratis conventionibus, falsas tandem suorum ministrorum nugas et abusus cognoverunt, nullamque præter romanam et apostolicam Ecclesiam esse aperte confessi sunt, eamque certius edocti, non simulata facie sed tanta animi hilaritate amplexi sunt, ut enarrare id, neve memorari solum maximo absque gaudio vix unquam possim; qua enim spiritus anxietate et animi dolore multis anteactis annis agitatus fui, dum hujus hæresis laqueo detinebantur, hoc uno Dei beneficio sublevatum me sentio. Cujus bonitati immensæ gratias immortales et debeo et agam perpetuo. S. vero V. cujus suasu et monitionibus sanctis hujus operis laborem suscepi, perpetuam etiam servitutem voveo, eique iterum atque iterum meorum Nepotum tam sanctam conversionem et ad ecclesiæ reunionem congratulor, qui satis jam atque satis omnibus eorum actionibus se nunquam a sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia descituros pollicentur. Qua re cognita predictorum consilio Doctorum et Episcoporum ac ejus S. Nuncii qui mihi in omnibus his semper præsto esse voluit, et cujus opera, non parva, mihi pergratissima fuit in Ecclesiæ gremium sub tamen S. V. benigna gratia recepimus. Pleniorem ab eadem S. V. benedictionem expectantes et implorantes quam ut impetrent suæque resipiscentiæ, penitentiæ ac sinceræ erga sanctam Apostolicam Sedem obedientiæ fidem de se faciant, libellos supplices Sñis pedibus offerre decreverunt. Ego vero, ne illis in hoc religionis negotio partes meas omnino denegare videar et a legibus naturæ atque aviti sanguinis adeo discedere, eidem Vestræ Beatitudini genibus advolutus quam summisse possum rogo ac deprecor, ut quam nuverit ipsa Beatitudo V. pro delictorum suorum merito opportunam fore indulgentiam ex Ecclesiæ thesauris depromere non dedignetur, habitaque institutionis a tenellis annis et illius quam cum lacte susceperunt educationis ratione, in ejus viscera penitentes recipere, et quæ per ignorantiam nondum suscepta sacrosanctæ Ecclesiæ doctrina peccavere benigne remittere. Quæ etiam contraxere matrimonia, ne posteritati suspecta remanere quoquomodo possint, sua authoritate Apostolica comprobare, illique reliquum vitæ cursum sancte et salubriter peragere valeant. Quo enim major in eos S. V. gratia et benedictio fuerit eo strictius tum ad debitam obedientiam prestandam atque exhibendam tum ad ejusdem authoritati obtemperandum dictoque audiendum devincientur.

« Deum Opt. Max. rogo, ut eandem S.V. Ecclesiæ suæ sanctæ orbique christiano quam diutissime felicem conservet et incolumem. Ex alma Parisiensi urbe die tertia mensis Octobris Anno Dñi MDLXXII.

V. S.

Humillimus servus
CAROLUS CARD. DE BOURBON.

Princeps pro se uterque, [*] tum et Condei uxor eodem die ad Gregorium litteras miserunt, [*] quibus et sese Catholicis iterum nomen dedisse monent, contracta per hæresim labe ut per eum penitus purgentur, exorant, tum ut potestas sibi fiat bona Ecclesiæ et Christi venia in jam contractis connubiis absque noxa manendi. Accessere et Regis et ejus matris et ducis Monpensieriensis preces et litteræ. [*]

[*] Ap. Berger de Xivrey Recueil des lettres missives de Henri IV Paris 1844. 4. Tom. I. pag. 36.
[*] Mantissa documentor. N. 11
[*] Mantissa documentor. N. 15

LII. — Quo suam erga Ecclesiam Catholicam animi sententiam rex Navarræ exploratius ostenderet: Catholicis copiam fecit, ut in suo Navarræ regno sacris publico, prout optarent, ritu operarentur, decretum ea de re conscriptum, vulgatumque postr. Id. Octob. Adempta olim hæc fuerat Catholicis facultas suadente potissimum Colignio ab Henrici matre, dum in vivis moraretur. [*]

[*] Mantissa documentor N. 16.

LIII. — Non minorem ac omnis Gallorum regia domus, lætitiam Gregorius animo concepit, amplissimis verbis Navarrensi et Condeo de felici illustrique in Ecclesiæ gremium reditu gratulatus, quam sive hæresi abluendæ, sive confirmandis conjugiis veniam depoposcerant, libentissime est impertitus. Addimus, quas dedit Navarrensi litteras. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. I. Epist. 206 f. 301

Carissimo in Christo Filio Regi Navarræ Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

Carissimo in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil unquam libentius legimus literis Majestatis tuæ; quid enim potest esse optabilius parenti, quam cernere carissimum filium a morte revocatum? aut quæ mors deterior ac miserior inveniri, quam animæ? quæ

autem inter homines optabilior vita, quam fides catholica? a qua quisquis excidit, ab omni simul spe, et caritate, hoc est ab omni plane bono excidit: Quantum enim, inquit Gregorius, credimus tantum amamus; quantum amamus tantum de spe præsumimus: qua etiam ratione fides appellatur a Paulo substantia et fundamentum rerum sperandarum. Hanc fidem, optandum primum est ut omnes Christiani, perpetuo integram, atque incorruptam servent: proximum, siquis ab ea exciderit, ut, quamprimum redeat. Lectis igitur literis Majestatis tuæ de tuo ad Ecclesiam matrem reditu, unde te, nihil per ætatem tale cogitantem aliorum fraus, atque impietas abstulerat, egimus gratias, quantas maximas potuimus Deo, teque absentem cogitatione, atque animo amplexi sumus; neque minore, quam evangelicus ille pastor, et pater gaudio exultavimus; neque aliis quam ille verbis utendum putavimus: Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat; et filius hic meus mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est. Noster jam filius es; nobis, atque huic Ecclesiæ militanti ab eodem ipso Deo, cui nomen in baptismo dederas restitutus; supernæ vero illi ac triumphanti adeo conjunctus, ut veritas ipsa testetur maximum esse in cœlo gaudium de tua restitutione et pœnitentia; reliquum est, ut ad illa duo, quæ in tuis literis cernimus, pristini nimirum erroris detestationem, et veræ fidei professionem adjungas tertium illud Cypriani; Pœnitentiam, inquit ille, agit, qui divinis præceptis mitis et patiens, et sacerdotibus Dei obtemperans, obsequiis suis et operibus justis Deum promeretur. Quod quidem te facturum esse speramus, eodem ipso adjutore Deo, qui te e tantis tenebris vocavit in admirabile lumen suum; semperque ejus beneficia præ oculis habiturum; et quidquid habes opum, ingenii, potentiæ, (habes autem ejusdem Dei benignitate permultum) id omne ad ejus laudem et gloriam collaturum; ac sic cogitaturum, non satis esse intelligere, quæ te agere oporteat, nisi ea etiam agas, quæ te agere oportere intelligas; non enim auditores legis, inquit Apostolus, justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Et quemadmodum opera si a fide deserantur nulla sunt; ita fides sine operibus mortua est. Suscipe cogitationem tua Majestate et Regia virtute dignam ac summam Dei benignitatem agnosce; alios enim ab ipsa pueritia in innocentia conservat; alios labi sinit, ut eo ardentius surgant ad præliandum quo turpius ante ipsius Dei oculos conciderunt, abstergantque hoc ardore et virtute omnem labem, et ignominiam contractam. Hæc facientem, atque ad pœnitentiæ et fidei professionem fructus utraque virtute dignos adjungentem, licebit expectare præmia ea, quæ Deus habet reposita iis, qui eum diligunt, multo ampliora, quam ut possint oculis, auribus aut ullo sensu percipi, eadem quoque manent præmia Christianissimum Regem, Reginam, Cardinalem Borbonium, Ducem Mompenserium, quos Deus voluit esse tuæ reversionis suasores, atque administros, quorum tibi fides, et virtutes imitandæ sunt, hac etiam præmii spe ampliore, quia credibile est, reversionem tuam permultis saluti futuram; principis enim vita, privatis, agendorum, fugiendorumque regula est. Mittimus eam quam postulas dispensationem; ac siquid præterea erit, in quo tuæ Majestati Apostolica auctoritate gratificari possimus, cupimus fieri certiores; ut nostram paternam erga te benevolentiam perspectissimam habeas. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die prima Novembris 1572. Anno 1.

Tum quæ ad Condeum et Mariam ejus uxorem sunt missæ. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. 1 Ep. 307 f. 257.

Dilecto Filio Nobili Viro Henrico Borbonio, et Dilectæ Filiæ Nobili Mulieri Mariæ Cliviæ, Principibus Condeis.

GREGORIVS PP. XIII.

Dilecti et Nobiles in Christo Filii Salutem et Apostolicam benedictionem. Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Neque enim aliis verbis utendum nobis est tanto in gaudio, quo omnis de vestro hactenus interitu ab ecclesia susceptus mœror depellitur; quoque utraque Hierusalem et terrena hæc et cœlestis illa completur. Legimus literas vestras, testes summæ Dei in vos benignitatis, propter vestram tam alacrem catholicæ fidei professionem, atque ad sinum matris Ecclesiæ, quæ una est extra quam salus non est, reversionem; unde autem vos aliorum fraus abstraxerat, eo vestra voluntas reduxit, ut nulla in distractione vestra culpa sit, in reversione summa laus. Lectis igitur vestris literis incredibili gaudio exultavimus; videbamus enim triumphatum esse de diabolo, qui in arcem invaserat, fidemque hoc est fundamentum salutis exciderat, nunc ejectus quid agat, docetis, cujus oculis nuda, atque aperta sunt omnia. Cum immundus, inquit, spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, et inaquosa, quærens requiem, et non inveniens dicit, revertar in domum meam unde exivi; vos vero filii carissimi vigilate, et resistite fortes in fide, atque ad omnia tela ejus ignei fidei scutum opponite; ne si imparatos offenderit id accidat, quod sequitur; fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Aliam quoque pugnam vobis suscipiendam esse intelligite, nam cum Deus negetur non solum verbis, sed etiam factis, conabitur eam vobis fidei professionem adimere, quæ in operibus est; itaque facite ut ea quam in animis geritis fides, extrinsecus quoque in operibus cernatur, utque omnes intelligant ubi abundavit delictum superabundare gratiam, ac sic cogitate vestram fidem et virtutes

Christianis hominibus dignas propter vestram excellentem nobilitatem, et dignitatem multis salutem allaturas: vestro enim exemplo, ut sunt Principum facta et mores in oculis omnium, speramus complures, ad catholicam fidem redituros, vitamque in omni virtute ducturos. Ad eas autem quas diximus virtutes, atque ad fructus dignos pœnitentia facile vos excitabit hujus ipsius immortalis a Deo accepti beneficii recordatio; nam pro parta gratiam et misericordiam ab ejus benignitate retulistis; neque gravissimam illam Gregorii sententiam experti estis; Peccatores oculos aperiunt in pœna, quos clausos tenuerunt in culpa. Facite denique, ut eo majoribus ad Deum gradibus contendatis, quo longius aberatis, utque intimas cordium vestrorum cogitationes omnes ejus oculis patere existimetis, ambuletisque coram eo, serviatisque ei corde perfecto. Dispensationem eam quam postulatis libenter concedimus; eruntque vobis omnia a nobis paratissima, quæcunque possunt a patre amantissimo proficisci in filios optimos; quo etiam nomine vos amplectimur, atque osculamur. Parete Cardinali Borbonio, eumque divinitus vobis datum esse existimate. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die prima Novembris 1572. An. 1.

Carolo etiam regi nec non reginæ ejus matri cæterisque regiis principibus gratulatus est Gregorius, plurimasque illis laudes reddidit, quod præclarum hoc facinus Principum Ecclesiæ reddendorum consilio, ope, auctoritate sua ad exitum perduxissent. Lubet afferre Pontificis ad Ducem Monpensieriensem litteras. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An 1 epist. 180. f. 353.

Dilecto Filio Viro Aloysio Borbonio, Monpenserii Duci.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte fili nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Quod postulas, ut ignoscamus carissimis filiis nostris Regi Navarræ et Principibus Condeis, eosque a præterito errore in quem non sua voluntate, sed aliena impietate et fraude abducti fuerant, ad Ecclesiæ matris sinum revertentes amplectamur, facile impetras. Qua enim alia in re magis possumus Domini nostri Jesu Christi benignitatem imitari, quam in recipiendis, atque amplectendis iis, qui suum crimen agnoscunt, et detestantur? Aut quos alios venit ille vocatum, nisi peccatores? Quod vero aliud fuit primum verbum Evangelicæ prædicationis nisi pænitentiam agito? Quod aliud post resurrectionem postremum mandatum, nisi ut prædicaretur in nomine ejus pœnitentia, et remissio peccatorum? Ipsos igitur nostros carissimos filios cogitatione atque animo ut debuimus amplexi, atque osculati sumus; deque eorum, ad Catholicam veritatem, hoc est ad vitam reversione egimus quantas maximas potuimus gratias Deo; atque ad eorum quas accepimus jucundissimas literas rescripsimus easque quas tua nobilitas atque illi postulabant dispensationes concessimus. Tibi autem magnopere gratulamur qui propter eum, quem in eorum reductione suscepisti laborem, de quo ex ipsorum literis cognovimus, maximam habes a Deo repositam mercedem; nihilenim ejus bonitati potest fieri gratius, quam eos, quos sibi in cruce peperit tanto cum dolore, quosque suo abluit sanguine, diaboli fraude ereptos, ad suos amplexus reducere. Cupimus nostram paternam erga te atque illos caritatem quibuscunque in rebus poterimus ostendere, itaque ubi vobis nostra auctoritate, atque opera opus esse intelligetis, rogamus ut nos certiores faciatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 1. Novembris 1572. Pont. Nost. An. 1.

Legitimum porro Gregorii Rescriptum, quo ineundi conjugii potestas Henrico Regi fiebat, initumque confirmabatur v. Kal. Novemb. jam editum fuerat. [*]

[*] Litt. Gregorii apud Champollion-Figeac. Docum. historiq. inedits. Paris 1841.4. T.1. pag. 713.

Humanissimis Gregorii verbis, et summis hisce benevolentiæ et lenitatis testimoniis difficile dictu est, quam sibi et eos Principes et totam regiam gentem devinxerit. Quod apertissime est dignoscere ex litteris, quas Card. Borbonius ea de re ad Gregorium misit. [*]

[*] Lit Principum. Vol. 34 fol. 23.

Sanctissimo Dño Nostro

« Beat. Pater post S. pedum humillima oscula. Non minori profecto cum animi mei lætitia S.V. litteras accepi, quibus supplices Regis Navarræ et Principum Condeorum libellos, eum ab ea benigne exceptos, tum etiam pergratos illi fuisse intellexi quam ipsorum ad Ecclesiæ Catholicæ et apostolicæ gremium ab impietate, hereseosque tetra et impura colluvie conversionem; atque pro tantis in nos utrâque Rempublicam christianam beneficiis, a Psalmista edoctus benedicam Dominum in omni tempore semper laus ejus in ore meo. V. vero S. gratias ago quantas possum maximas, quod amore plusquam paterno eos amplexata est, ut etiam beneficiorum major cumulus accederet, in omnibus opem et auxilium in futurum eis polliceatur, quibus nominibus addicti, dediti, obstricti S. V. manebunt in perpetuum ad præstandum non solum eam, (quæ jure ipsi debetur) obedientiam, sed quicquid ab eis deinceps obsequii et officii S. V. aut expectare aut desiderare possit; Deo insuper gratias ago infinitas, quod in eis studium conservandæ et tuendæ veræ ac Catholicæ Religionis nonmodo confirmari, sed etiam in dies augeri videam eosque sponte sua S. V. ita obedientes et obtemperantes ut summa cum animi alacritate et constantia perfecerint, quod eadem S. V. pro delictorum suorum penitentia eis injunxerat. Tot egregiæ pietatis et erga religionem nostram devotionis signa et acta tam contritis et humilitatis cordibus manentia nihil aliud de iis nobis pollicentur (Divina tamen prelucente gratia qua

sine nihil omnino possumus) quam integrum et perfectum vivendi et moriendi in fide catholica et ad extremum pro tuitione et defensione ipsius sanguinem suum effundendi zelum: atque adeo fore speramus, ut quo magis a principio ad nram disciplinam audiendam et amplectandam, rationesque recipiendas quæ adversus infandos quos sequebantur errores pugnabant. Difficiles et tardi fuerunt eo firmiores et constantiores in ea permaneant, modo non desint eis Beatitudinis Vestræ preces quas ab ejusdem humanitate et bonitate sperant et expectant. Quemadmodum longe copiosius coram desiderabit Dñus a Duratio nunc a Rege Navarræ missus, ut debitam S. V. submissionem pro ea qua fungitur dignitate, ejus nomine prestet ac benedictionem ab eadem sibi propitiam referat, cujus gratia presidio et auxilio munitus, populum sibi creditum in justitia et æquitate, ad Dei gloriam, Ecclesiæ ornamentum et incrementum, gubernare, ipsique Omnipotenti gratum et acceptum reddere possit et valeat. Semetipsum vero ita componere ut a S. V. devotione reverentia observantia obsequio denique omni et officio discedere vel recedere nunquam queat.

« Deum Opt. Max. rogo ac deprecor, ut eandem S. V. Ecclesiæ suæ sanctæ Apostolicæ atque orbi christiano quam diutissimam conservare dignetur et incolumem. Parisiis die decima mensis decembris 1572.

V. S.

Humillimus servus

CAROLUS CARDINALIS DE BOURBON.

LIV. — Eosdem lætitiæ et grati animi sensus præseferunt duorum Principum ad Gregorium litteræ IV. Id. Decemb. et XVI. Kal. Jan. datæ.[*] Quo vero clarior eorum mens evaderet, Legatum Romam miserunt virum apprime gravem Joannem Dufortium Vicecomitem a Duras, ut more institutoque Catholicorum Principum sese Pontificis et Apostolicæ Sedis obsequiis nunquam defuturos sacramento confirmarent.

[*] Mentis. sa docum. N. 17.

LV. — Dum de Principibus hisce ad rectam credendi regulam adducendis agebatur, gravis inferri dubitatio cœperat: num Galliæ Episcopis dandæ hæresim detrectantibus Principibus veniæ potestas constaret. Vetitum enim Ecclesiæ legibus erat, præter Romanum Pontificem, quemquam hæreticos homines, qui resipiscerent a contracta per hæreseos labem sacrorum interdictione liberare. Non defuere, qui e Gallorum Episcopis hanc sibi tribuerent usurparentque potestatem. Condeus profecto a Parisiensi Episcopo, Navarrensis a Borbonio Cardinali Rothomagensem Ecclesiam tunc temporis procurante anathemate solvuntur. Frustra intercedere satagebat Pontificis Legatus, qui nec sibi ipsi etsi et archijeratia insignito, et tanto Pontificis munere cohonestato id potestatis audebat vindicare. Monenti igitur, et reprehendenti Legato Præsules illi Rothomagensis et Parisiensis gravia rerum momenta objiciebant, quibus sese satis excusatos arbitrabantur, quod maturandum credidissent. Condeus nimirum ab omnibus aliis præter Parisiensem veniam accipere abnuebat, Navarrensis unum non fastidiebat avunculum Cardinalem Borbonium.

Cæteris vero Hugonottorum asseclis terror incussus, perplures eorum vel vi vel suasionibus adduxit, ut saltem sese ad avitam sacrorum fidem redire simularent. Ut magno horum numero facile Ecclesiæ aditus patefieret, presbyteris opus erat, quibus eos noxa hæresum absolvendi potestas facta esset. Hanc veniam a Pio V. plures ex Societate Jesu presbyteri Galli fuerant assequuti, quod Gallis Episcopis, et reliquis, qui sacris potirentur, mirum visum est, nec paucorum illos invidiæ objecit. Res igitur ad Gregorium delata, qui rebus mature perpensis pluribus Gallorum Episcopis per Parisiis degentem Legatum suum concessit, certis quibusdam additis conditionibus, ut Hugonottis errores suos ejurantibus pacem Ecclesiæ redderent. En Legati ad Episcopos veniæ nunciam epistolam XIII. Kal. Novemb. datam. [*]

[*] Gallia V. 8. p. 267.

Revme Domine

« Cum lumen illud immensum divinæ gratiæ, quod Deus superioribus his diebus in eos, qui fœdissimo hæresis crimine adstricti tenebantur, longiter ac liberaliter effudit, ita multorum mentes illustraverit, ut relictis pristinis erroribus ad sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ Rom. gremium revertantur, benigno quodam studio et officio sane pio admonitus est S.D.N. Gregorius XIII. ut opportuno aliquo remedio eorum qui ad catholicam fidem redirent, salutem sua quoque ex parte adjuvaret. Itaque ne forte qui ad Ecclesiam confugerent, si nemo esset, qui pulsantibus aperire posset, cum magno salutis suæ periculo foris permanere cogerentur: voluit nonnullis regni hujus episcopis potestatem facere hæreticos in utroque foro absolvendi, et sanctæ Ecclesiæ Cath. Rom. reconciliandi; ea tamen lege, ut qui reconciliari volent, omnem prius hæresim generaliter et specialiter abjurent, fidemque catholicam, quam Ecclesia Rom. profitetur, ipsi profiteantur, atque adhibito jurejurando coram notario et idoneis testibus promittant, eam se, quoad vixerint, secuturos esse atque defensuros neque unquam posthac aut consilio aut ope aut alio quovis modo hæreticis affuturos. Eam vero hæresis abjurationem et fidei professionem Notarius excipiat: Tunc demum absolvantur injuncta pro culpæ magnitudine salutari pœnitentia. Hujusmodi privilegia cum ad me pauca misisset S. D. N., ut ipse pro meo judicio proque eorum dignitate Episcopis distribuerem, unum ad R. P. V. mitto, cujus prudentiam ac pietatem

cum omnes collaudant tum ego maxime perspectam habeo. Illud vero moneo jussu S. D. N. ne hac utatur facultate nisi erga eos solum hæreticos, quorum erit multis rebus prius probata pœnitentia, et ut ad modum et gravitatem culpæ pœnam accommodet. Quod erga hæresiarchas diligentius observari debet, quorum animus majore quadam cautione tentandus est, et pluribus argumentis exploranda conversio, et culpa multo majoribus pœnitentiis expianda. Jussit quoque me idem S. D. Episcopos omnes commonefacere quantopere necessarium sit, non in hac re solum sed in aliis prorsus omnibus, quæ ad pontificale munus pertinent, esse eos quam diligentissimos; hoc præsertim tempore atque in hoc maxime regno, quod pastorum vigilantia indiget maxime. Expediet autem, si fieri posset, ut ad me S.D.N. scripsit, professionem fidei ea forma fieri, quam f. mem. Pius IV. constituit in ea Bulla, cujus est initium: Bulla S. D. N. Pii PP. IV. super forma juramenti professionis fidei publicata Anno Incarnationis Dominicæ 1564. Idib. Nov. Pont. anno v. Mitto ad V. R. Pat. cum his literis Jubilæum, eum curabit populo eo tempore proponi, quod ad omnium salutem et consolationem magis commodum esse jodicabit. Rogo iterum atque iterum R. V., ut ea omnia, quæ a S. D. N. scripta suot, et a me ounc ejus nomine monentur, diligenter observet. Valeat P. V. R., et mea, si qua in re opua erit, utatur opera. Parisiis XIII. Cal. Nov. 1572.

Ut veniam largiri possent, concessum primo quidem Cardinali Borbonio, Archiepiscopis Lugdunensi, Ebredunensi, Burdegalensi, Episcopis Rhedonensi, Mirapicensi, Luxoviensi, Laonensi, Virdunensi, Tarbiensi, Cathalaunensi, Parisiensi: mox et alii complures Episcopi eadem potestate sunt insigniti. Maxime rex instabat apud Pontificem, ut illis præsertim Episcopis hæc copia fieret, quorum diœceses Hugonottis erant refertæ.

LVI. — Interea rex ipse omnem curam adhibebat eligendis ad Episcopatuum sedes lectissimis viris. Andegavensi quippe Ecclesiæ eum præfecit virum, quem ut maxime spectatum suæ jamdiu exhomologesi excipiendæ sibi elegerat; quodque hanc suam electionem ratam Gregorius habuisset, maximas gratias egit. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 18.

Christianam Æduorum plebem Carolo Ailleboustio tribuit regendam, Gallicani Cleri universi Quæstori, (sindicum vocant,) viro et vita et omnium virtutum genere insigni: quem idcirco ejusdem cleri collegium omne sequenti virtutum elogio Legato Pontificis commendabat, et orabat, ut regis de eo eligendo consilium Romano Pontifici perquam mature probatum efficeret. [*]

[*] Gallia Vol. 6. fol. 299

« Pro Carolo Ailleboust Sindico Generali Cleri Franciæ.

« Reverendo Domino meo Episcopo Salviati apud Christianissimum Regem nuntio, gratum sit et placeat dare litteras commendatitias ad S. D. N. PP. in favorem Caroli Ailleboust in jure Canonico doctoris et Sindici generalis Cleri Franciæ, quatenus S. S. dignetur admittere nominationem Regis pro Episcopatu Edueñ. in favorem dicti Sindici, et cum favorabiliter tractare pro expeditione bullarum sub considerationibus sequentibus.

« Primum dictus Ailleboust fuit electus communi suffragio totius ecclesiæ Gallicanæ in sindicum generalem Cleri Franciæ a duodecim annis, ut perpetuus esset in aula regis, et sequeretur regem pro negotiis dictæ ecclesiæ gerendis.

« A sua electione spretis rebus omnibus se totum dedit, vovit, et dicavit servitio ecclesiæ catholicæ apostolicæ et Romanæ, et derelictis propriis negotiis, spreta sua domo et dulci quiete, in hoc totus fuit, ut negotia et defensionem ecclesiæ amplecteretur.

« Ab eo tempore (maxime in turbulentis et summe periculosis constitutionibus et statu rerum anxio et dubio) dictus sindicus duravit, se suaque omnia infinitis periculis exposuit, et sæpe magno eum periculo vitæ, cujus rei probatum testimonium ferent, cum Reverendissimi Cardinales et Prelati hujus regni, tum reverendi D. Episcopi de Cesena et Gayasse, qui pro eo tempore in aula regia nuntii S. S. apud Regem nostrum extiterunt.

« Non omittendum quod Pius Quintus bonæ memoriæ (cujus animæ Deus parcat) satis noverat quam officiose se gessisset in rebus dictæ ecclesiæ tractandis, et ea ratione, si sese obtulisset occasio, sperabat dictus Sindicus immensam gratiam in compensationem laborum, quem beneficentiam non minorem sperat et expectat a S.S.

« Ecclesia Edueñ. in libris Cameræ Apostolicæ taxata reperitur ad quatuor millia octoginta ducatorum, quæ summa excedit reditum et valorem quatuor annorum annui reditus; excedit etiam vires et facultates dicti Sindici, cui impossibile esset omnino tantis sumptibus satisfacere nisi benignitate et liberalitate S. D. N. PP. sublevetur.

« Præterea Huguenotti tempore bellorum civilium obtinuerunt Vezelanum per sexdecim menses, quæ urbs sita est in diœcesi Edueñ. et velut in centro et umbilico posita per id tempus obsessa est ab exercitu regis nostri, sed quam crudeliter anxie et misere dicti Huguenotti tractarint personas ecclesiasticas, eorum domos et rura, qualis quantaque fuerit calamitas, mortuorum numerus, et ruinæ satis docent, quæ tantæ fuerunt, ut fructus decem annorum restaurationi vix sofficerent, ut ex attestatione quæ facta est coram judice dicti loci (quem mittimus) satis est manifestum.

« Quare sub justis his considerationibus supplicat humillime S. D. N. Papam quatenus dignetur secum liberaliter agere, et hanc gratiam impertiri, ut possit obtineri expeditio per viam secretam, ne officiarii Curiæ conqueri possint super solutione annatæ et jurium sibi debitorum. Certe hæc propensa gratia et benemeritorum compensatio erit argumento infinitis hominibus bene agendarum rerum sic ut unusquisque rebus ecclesiæ opitulari desiderat et omne officium et diligentiam præstare cupiat, eritque hæc liberalitas S. D. N. PP. non tantum dicto Sindico stimulus et occasio perseverandi in melius, sed infinitis hominibus erit pro argumento amplectendi totis viribus res et negotia dictæ ecclesiæ, quæ ea ratione nusquam destituetur sed reformabitur in melius et pristino nitori restituetur, quod Deus faxit. »

Reliqua quoque Ecclesiasticarum rerum munia pari cura lectis viris rex tribuebat. Claudius Soubletius Abbas renuntiatur ad S. Benedicti cœnobium munus supra Ligerim flumen; ad S. Nicolai prope Andegavum, quod et Benedictinæ familiæ erat, Rollo Huraultius e clericis Carnotensibus. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 19.

LVII. — Vetusto in more et consuetudine erat, ut Gallorum regnum ex Purpuratis Pontificis aliquem sibi adsciseeret rerum suarum apud S. Romanam Sedem patronum (Cardinalem Protectorem appellant), qui Legatum Regis Romæ degentem, virum ut plurimum laicum, opera consilioque in sacris rebus juvaret. Hippolyto Estensi ex Ferrariensibus ducibus vita functo, qui hoc munere fungebatur, Aloysium æque Estensem nepotem demortuo rex suffecit, binisque ad Pontificem litteris datis vii. Kal. Novemb. et postr. Idus Decemb. oravit, ut sua benevolentia, quod ipse optaverat, prosequeretur. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 20.

LVIII. — Quo Ecclesiæ Gallicanæ decus adderetur Gregorio innuebat, Guillelmum Avanconium, nobilem virum e Delphinatus provincia, Ebredunensem Archiepiscopum, jam a Concilii Tridentini tempore, cui præsens adfuit, de Ecclesia optime meritum, ejusmodi esse, qui inter Pontificis Purpuratos Patres cooptari maxime mereretur. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 21.

LIX. — Ea vero erat mente erga Pontificem Carolus, ut de majoris momenti negotiis sollicitus, non tamen abnueret et minima ad eum referre, et illi vel sui regni incommoda, vel pauperes perculsosque viros commendare. Petit proinde, ut liceat Comitissæ Briaticensi mundo valedicere, et in quadam Virginum Deo sacrarum domo reliquum vitæ tempus ducere: [*] poscit identidem, ut ad levandam in suo regno annonæ caritatem liceat sibi ex Pontificiæ ditionis terris frumentum in Galliam advehendum coemere, et abducere: [*] tum ut venia Romam redeundi fiat nobili cuidam Romano viro ob perpetratum homicidium in Galliam profugo: [*] ut tandem Hieronymi Appiani, quem Hispana in Mediolanensi urbe Inquisitio ob profanas mere imperii caussas male habuerat, et bonis omnibus privarat, tutelam Pontifex suscipiat, eique in recipiendis suis bonis præsto sit. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 22
[*] Mantissa documentor. N. 23.
[*] Mantissa documentor. N. 21.
[*] Mantissa documentor. N. 25

LX. — Etsi armorum strepitu tota Gallia resonaret, christianæ caritatis operibus meritæ curæ adhibebantur. Parisiense Nosocomium, quod inter hujusmodi per Europam instituta non postremo loco censendum est, magnis tunc rei familiaris angustiis premebatur, quæ parum magno ægrotorum et pauperum numero alendo curandoque sufficiebat. Romani Pontifices sæpius Christifideles, qui ad eos nutriendos stipem conferrent, a debita pro noxis admissis pœna indulgentia levarant, aliasque ejusmodi venias addiderant, quo ad hujusmodi institutum ditandum excitatiores in dies fierent. Ecclesiæ Parisiensis Canonici, quorum curæ Nosocomium commissum erat, Gregorium adierunt, oraveruntque, ut largitas hasce indulgentias denuo confirmaret, novasque insuper adderet, quibus permoti fideles angustam Nosocomii rem liberalitate sua sublevarent. Præclarum pietatis documentum, qua tunc temporis istiusmodi loca colerentur, nobis exhibent ea de re datæ ad Pontificem Præsidum Nosocomii ecclesiasticorum litteræ. [*]

[*] Gallia Vol. 6. fol. 101.

« Beatissime Pater, post humillima sanctissimorum oscula.

« Cum Ptochotrophii seu domus Dei et hospitalis hujus celeberrimæ civitatis Parisiensis nobis cura a prima sui institutione fuerit demandata, eoque facultatum ejus tenuitas, rerumque omnium summa inopia nobis abunde perspecta sit: nostri officii esse duximus ad beatissimos S. V. pedes confugere supplicibus votis ab ea petentes, ut indulgentiarum diplomata a sancta Sede Apostolica summisque fel. record. Pontif. S. V. prædecessoribus, Urbano IV., Gregorio X., Clemente V., Eugenio IV., Pio II., Sixto IV., Innocentio VIII., Alexandro VI., Julio II., Leone X., Clemente VII., Paulo III., Julio III., Paulo IV., Pio IV. et Pio V. eidem Ptochotrophio indulta confirmare, seu, si opus fuerit, de novo concedere dignetur. Ea autem forma a S. V. confirmari seu de novo concedi supplices postulamus, qua anno Domini 1504. gloriosæ memoriæ Ludovici regis Christianissimi hujus nominis XII. et Reginæ Annæ a Britania charissimæ suæ conjugis instantibus votis, nec non Episcopi Parisiensis et urbis præfectorum summissis precibus, nostrisque qui et nunc tui devoti sumus oratores, a Julio II. concessa et Pio V, cujus sanctissimus es et dignissimus successor, confirmata sunt. Atque in eo quidem S. V. nosse desideramus has Indulgentias æquissimis sanctissimisque niti rationibus; Quandoquidem in hoc Dei hospitium pietatis vere officinam non tantum ex hac urbe aut hoc regno, sed etiam ex

viciniis cunctis regionibus ingens pauperum, viduarum, orphanorum, valetudinariorum, et quolibet morbo laborantium fit concursus, quorum numerum ad duo fere millia pervenire omnibus est in confesso. His tamen omnibus quotidie qualibet hora, quolibet momento sive fames sive bellum sive pestis ingruat, necessaria diligentissime ministrantur. Hinc numerosæ multitudini accedit sacerdotum, religiosorumque non mediocris cœtus, qui et consolandis infirmis, et sacramentis eisdem ministrandis non tantum dant operam, sed horas canonicas legitimis temporibus persolvunt, divina mysteria celebrant, vota precesque ut de se bene meritis sive superstitibus sive vita functis omnia fausta et ex animi sententia succedant, Deo jugiter fundunt. Accedit denique sacer et numerosus monialium grex, perpetuæ eorum qui ægrotant curæ animum intendens. His autem omnibus cum annui reditus et facultates ejusmodi piissimæ domus non sufficerent, tantumque abesset, ut impensis paria facerent, ut vix eorum partem quartam æquarent, ad sanctissimam Apostolicam Sedem concursum est, quæ piæ causæ deesse noluit, sed auctoritate qua pollet, Ecclesiæ thesaurum, indulgentias his omnibus applicuit, qui suis elemosynis hujus sacræ domus inopiam sublevarent eique benigno animo opitularentur. Unde effectum est, ut non tantum hujus regni incolæ sed exterarum nationum plerique homines, qui est eorum pius animus et erga hujusmodi Indulgentias observantia, hoc in Dei hospitium e regione cathedralis ecclesiæ constructum, sua vota persoluturi undique magno agmine confluant, magnumque infirmis solatium præstent. Quæ omnia si V. S. perpendere atque animo complecti grave et molestum non fuerit, speramus illam pro ea qua uti solet erga fideles omnes clementia, hanc gratiam nobis impartituram, ut has indulgentias confirmet seu de novo concedere dignetur: cum hoc Ptochotrophium suo quodam jure inter alia charitatem sibi vindicet, neque elemosynæ quibus optimus quisque paupertatem valetudinariorum sublevet, ullis sordibus inquinentur, aut ullæ sacræ familiæ aut præfectorum avaritia intercipiantur, sed ex fide bona in rem divinam et pauperum usum erogentur, ac si ita dicere V. S. permittat nusquam gentium fidelior sinceriorque erga Christi membra quam in Parisiensi Ptochotrophio et Domini nostri Jesu Christi sacra domo administrando geratur.

« Et ne longius S. V. verbis remoremur, Nos Beatissime Pater Sanctitatis V. felicissimos pedes hoc in loco deosculamur summis a Deo Opt. Max. precibus contendentes, ut S. V. Ecclesiæ cath. moderationi et totius Reipublicæ Christianæ regimini diu multumque incolumem longævamque servet et tueatur.

Datum in capitulo Ecclesiæ Parisiensis nonis Augusti 1572.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Devotissimi Oratores

DECANUS, CANONICI ET CAPITULUM ECCLESIÆ PARISIENSIS.

Nec ab illa pietate multum aberant laici quoque viri eidem Nosocomio præpositi, tum qui in Parisiensi urbe Mercatorum Præses, et Decuriones (Scabinos vocant) censebantur: paria et ab his ad Pontificem perscripta. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 26.

LXI. — Præteriri silentio heic loci a nobis nequit Joannes ille Mailletus ex inclyta Dominicanorum Fratrum familia, qui tantam sibi, in reducendis ad Ecclesiæ gremium ex hæresi aberrantibus non solum apud Deum meritorum coronam, sed et apud pios homines gloriam promeruerat, ut Petrus a Nanteau apud Episcopum Dyensem et Valentinensem vice sacra in diœcesi universa fungens, eum omni laudum genere cumulandum commendandumque Pontifici duxerit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33, fol. 92

« Beatissimo Domino Nostro Gregorio Totius Ecclesiæ Catholicæ Pontifici Maximo.

« Petrus de Nantean Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Beatæ Mariæ Dyeñ. Vicariusque Generalis in spiritualibus et temporalibus R. in Christo Patris et Dñi Monlucii Divina Miseratione Episcopatuum Dyeñ. et Valentinen. Episcopi Salutem post Pedum Oscula Beatorum.

« Gravis et horrenda tempestas (Beatissime Pater) quæ hoc nostro deflebili ævo Ecclesiæ Dei ingruit, tantum omnium Christi fidelium animis injecit mœrorem, ut cum Apostolo eos vitæ tæderet. Oculis enim nostris legis Divinæ contemptum, cultus legitimi ab Ecclesia Apostolica hucusque recepti fastidium. Et cum templorum infanda prophanatione et ruina, tot (heu!) animarum retro abeuntium perditionem vidimus, ut ferme de vera Religione actum esse diceres. Nisi Dominus Jesus promissi sui certitudinem potenti virtute declarans, Ecclesiam Suam S. T. Regimini creditam, nullis inferorum portis obruendam, sed de omnibus triumphaturam dirigeret. Nunc vero omnia suaviter disponens consolationibus nos replet cum impietatem ire, pietatemque florere videmus. Ut enim S. T. ad totius Ecclesiæ regimen evecta est, mox haud secus quam ad solis ortum omnes errorum tenebræ, hæreseon, nebulæ, impiorumque vires contremuerunt, defecerunt, aut saltem evanescere cœperunt, adeo ut tuis auspiciis et præsulatus tempore impia quæque cessura et sancta restituenda confidamus. In hac etenim Dyensi Diœcesi nostra (ut de aliis sileam) multi quondam vertiginis spiritu agitati et a grege Dominico alieni, errore omni prorsus abjurato, ad Ecclesiæ sanctæ unitatem redierunt. Id autem diligentia nostra partim, partim ut predicatorum (a Nobis magna cura delectorum) studio factum est, qui Dei causam

et populi salutem propriæ vitæ prætulerunt. Inter hos vero unus est præterea nominandus, venerabilis nempe Pater frater Joannes Maillet ordinis fratrum prædicatorum Conventus Cenomanensis, sanctitate vitæ, theologiæ peritia, predicationisque verbi Dei gratia eximius, qui fidei zelo flagrans omnes ad veritatis viam et Ecclesiæ Dei obedientiam revocare non cessat. Nam oppidi de Clellis predictæ nostræ Dyensis Diœcesis, aliorumque adjacentium cives et parrochianos sic ad veræ fidei professionem, vitæque melioris normam reduxit, ut per Dei gratiam illic hæreseos fermento corrupti pauci restent. Porro quia auctore Christo messis multa est, et operarii pauci non tantum scientifici doctores qui ad munus evangelicum sunt idonei, sed etiam simplices sacerdotes qui rite Sacramenta administrare noscant. Ideo rogandus est Dominus Jesus, et ejus Vicarius ut mittat operarios in messem suam. Itaque Sanctitatem Tuam per Christum Jesum deprecamur, ut prædictum Patrem Maillet Ecclesiæ Dei pernecessarium nobis in cooperatorem strenuum et Ecclesiæ prædictæ de Clellis in pastorem et curatum præficere et concedere dignetur. Sic nos ab onere nostro aliquantulum alleviati premium pastorale reportaturi Domino confidentius astabimus. Interim eidem Domino Jesu S. T. piis precibus commendabimus quatenus Dei Ecclesiæ suæ servet incolumem.

Dyæ: Anno 1572. die octava Cal. Septembris.

P. Nauteau

Vic. Gen. Dyens, et Valent.

LXII. — Ut pauca quædam de rebus Avenionensibus et Venusini comitatus subjungamus, quæ provinciæ, ut cunctis compertum est, imperio Pontificis tenebantur, hæresis, quæ ibi quoque altas agere radices cœperat, solertia et vigilantia Gregorii ab Armaniaco Cardinalis provinciis illis regendis præfecti compressa aliquantum fuerat. Fuerant ex incolis earum regionum non pauci, qui doctrinæ novitate pellecti, Catholicæ fidei valedixerant, sese Hugonottis ex Bearnia et aliis finitimis provinciis egressis adjunxerant, arma contra Pontificem sumpserant, ut ejus imperio provincias illas eriperent; sacras passim ædes, cœnobia, ecclesias ferro, igni vastaverant, sanguine cædibusque repleverant. Hos, prout tunc temporis legibus sanciebatur, exilio mulctari, bona eorum publicari Gregorius XIII. jusserat. At Carolus rex et Catharina Medicea (mirum profecto!) apud Cardinalem ab Armaniaco preces adhibebant, ut quibusdam ex illis erepta et in fiscum jam redacta bona redderentur. Id vero Avenionenses et Venusini ægerrime tulerunt, et ne precibus obsecundaretur, Gregorium oraverunt. At Gregorius et Armaniacensis precibus se flecti siverunt, spem animo concipientes, fore, ut simultatem et arma Hugonotti tanto devincti beneficio tandem deponerent. [*] At res e contrario evenit. Hugonotti clementia insolentiores redditi in majora scelera contra Catholicos erupere. Incredibilia sunt dictu, quæ Gregorius Armaniacensis Pontifici scribit de Principatus Arausiacensis præfecto, qui crudelitate cæteros omnes et calliditate superabat. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 27.

[*] Mantissa documentor. N. 27.

LXIII. — Novus Carpentoractensibus Præses Jacobus Sacratus, non ita pridem a Gregogorio fuerat electus. Ille quam maturius potuit, XI. Kal. Novemb. Diœceseos universæ Presbyteros in Synodum convenire jussit, sapientissimas leges cleri moribus corrigendis, collapsæ Ecclesiæ disciplinæ instaurandæ, fovendisque et promuvendis sacrarum profanarumque litterarum studiis, tulit. Seminarium Diœceseos juvenibus in clerum adlectis instituendis quantocyus erigi decrevit. Quod vero in maximam ejus laudem vertit, Sacrosancti Tridentini Concilii Canones, qui disciplinam morum rituumque spectarunt sua in Diœcesi vim legis habere, penitusque servari jussit, contradicente licet atque penitus abnuente clero, ut ipse Summo Pontifici die IV. Kal. Novemb. aperit.

LXIV. — Judæi incolis Venusini comitatus infesti habebantur, eosque dolosis et gravissimis negotiationum et mutuarum pecuniarum rationibus ita vexabant, ut sæpius Gregorium cives exorarent, nefarios istos trapezitas toto comitatu extorres faceret. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 29.

LXV. — In oppido Pontis Monsonii, quod in Lotharingia ad Diœcesim Metensem spectat, efflagitantibus Carolo Lotharingio Cardinali et ejus nepote Carolo Lotharingiæ et Barri duce, ad sacras æque ac profanas litteras in Gallia promovendas Nonis Decemb. collegium institutum, ut bonæ omnes artes et scientiarum universarum disciplinæ traderentur sancitum. Presbyteri regulares e Societate Jesu adlecti, quibus probatissimis magistris earum regionum juvenes uterentur, sanioribus doctrinis imbuerentur, bonis moribus, artibusque informarentur, et hæresis conatus, quæ ob Germaniæ propinquitatem facile in eam regionem irruperat, repellerentur. [*]

[*] Bulla erectionis in Magn Bull. Roman. T. IV. p IV. N. 181 p 93-99 et apud Calmet.

LXVI. — Gregorio in Pontificem cooptato præ cæteris etiam Caholicorum gentibus lætandum sibi Hispana duxerat: quippe quæ viri humanitatem et doctrinam apprime perspectam habuerat, dum ille Pii IV. Pontificis Legatus ad Philippum regem in Hispania moraretur: conceptæ hujus lætitiæ fidem abunde facit Regis ipsius ad Pontificem epistola. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 34 fol. 234.

Philippus Dei gratia Rex Hispaniarum, Utriusque Siciliæ, Hierusalem etc. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, et Mediolani etc. comes Habspurgi, Flandriæ, et Tirolis etc.

« Recognovimus, et nutum facimus tenore præsentium Universis, quod cum Dei Opt. Max. providentia ac beneficio Beatissimus in Christo Pater

ac Dominus noster D. Gregorio XIII. in Christi Vicarium assumptus atque electus fuerit, atque is nuncius, vel eo nomine jucundissimus nobis extitisset, quod pro ejus animi magnitudine, integritate et pietate, præclarissimisque virtutibus ipso christianum gregem gubernante, christianum cultum, ac fidem non modo pristinum locum retenturam, sed maximum etiam incrementum accepturam, certissimo nobis polliceamur, Nos volentes cum ipsius lætitiæ, tum summæ cujusdam nostræ erga ejus Beatitudinem propensionis, amoris et observantiæ, signum debitum, quod ad hanc diem, pro mentis nostræ nutu ac propensione præstitimus, publica etiam significatione demonstrare, Illustrem fidelem nobis dilectum Don Joannem Manrrique, Ducem Nageræ, consanguineum nostrum, ad hoc munus peragendum designavimus, videlicet, ut nomine nostro, ac pro nobis et pro Regnis nostris Hispaniarum et aliis Universis et singulis Regnis, Statibus et Dominiis nostris, debitam et consuetam obedientiam ejus Beatitudini præstet, idcirco harum serie et ex certa nostra scientia antedictum Ducem nostrum verum, certum et legitimum procuratorem ac mandatarium specialem facimus, constituimus et creamus cum amplissima facultate, ut ante dicto Beatissimo Dño nostro, D. Gregorio XIII., Sanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Pontifici Max. nostro nomine debitam obedientiam, tam pro nobis quam pro jam dictis omnibus et singulis Regnis, Statibus et Dominiis nostris, quæ omnia pro expressis haberi volumus, et intendimus, cum ea reverentia ac filiali observantia præstet, quam nos eidem Beatissimo Patri, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ, et habuimus et nunc habemus atque in perpetuum habituri simus: dantes et tribuentes eidem Duci Nageræ omnem potestatem, omneque arbitrium et auctoritatem, ea agendi, præmissa excussa, quæ nos ipsi agere possemus, si præsentes ea faceremus. In quorum fidem, præsentes literas subscripsimus et sigillo nostro muniri fecimus. Datum io oppido firo Madriti die primo mensis Julii anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Regnorum autem nostrorum videlicet Citerioris Siciliæ Decimo, Hispaniarum vero, Ulterioris Siciliæ et aliorum decimo septimo.

Yo El Rey.

Mox et Antistites fere omnes maxima inter se æmulatione certabant, ut amplissimis verbis de adscensu ad Divi Petri cathedram gratularentur. Ne nimii simus in plurimis commemorandis, Cardinalis Segurtinus in medium afferatur. [*]

[*] Hispania Vol. 20. fol. 16.

Sanctissimo ac Beatissimo Dño Nostro Gregorió Papæ XIII.

Beatissime Pater et Dñe Noster Sanctissime.

« Quanto, opinione omnium, majorem animo ceperam dolorem ex morte Sanctissimi ac Beatissimi Dñi Nostri, cui certus est in cœlo locus, ubi beatus gloria sempiterna et visione divina fruitur (ut ex ejus vita honestissime integerrime sanctissimeque acta facile colligere possumus), tanto cum ratione noster animus constantius gaudio perfusus fuit, propter faustam et felicem electionem, in qua Tu, vir Sanctissimus eximia virtute, doctrina, morum integritate, vitæ religione ornatissimus omnibus omnium Cardinalium suffragiis Pontifex Maximus declaratus es, quam quidem electionem hisce temporibus tam necessariam atque Vestræ Sanctitatis meritis summisque virtutibus tam consentaneam judico, ut in maximis Dei Optimi Maximi erga homines benefitiis annumerandam merito existimem; cui immortales ego, ob id gratias ago, agamque dum vivam. Atque utinam summæ atque incredibilés occupationes (a quibus nulla hora mihi vacua est) atque publicum administrandæ reipublicæ officium et munus nostris humeris impositum mihi locum concederet, ut continuo ad oscula peduum Vestræ Sanctitatis, et ad exhibendam obedientiam, obsequium ac servitutem vestra Sanctissima persona dignam, currere possem. Verum enim vero, Beatissime Pater, existimo, Vestræ Sanctitati magis probatum iri, ut hic præsens adsim ac munus mihi commissum geram, et præsim iis, quæ ad Sedem Apostolicam et Religionem Christianam colendam tantopere pertinent: quando quidem summo defendendæ veritatis studio commotis regnis consulere, atque falsas opiniones erroresque turbulentos, ac pestem perniciosissimam (qua humani generis inimicus rempublicam Christianam inficere conatur), pro viribus propulsare et opiniones pravas sedare, Ecclesiæque Romanæ (a qua mihi hoc munus injunctum est) auctoritatem conservare vehementer cupiamus quemadmodum et idem præstare, nostroque officio fungi admitimur, in aliis ministeriis nobis Catholica Majestate impositis: cujus oratori literis significo, ut hanc reverentiam ac observantiam meo nomine erga Vestram Sanctitatem adhibeat: et Vestros Sanctissimos pedes deosculetur: atque meum directe vere et juste offerat Vestræ Sanctitati animum totamque mentem, quam semper præstabo in iis, quæ ad famulatum Vestræ Sanctitati spectent, quam Deus Optimus Maximus intra multos et felicissimos annos ad pergratam utilitatem communemque Ecclesiæ Catholicæ fructum, salvam, integram et ab omni calamitate incolumem servet. Datis in Oppido Martimuncozensi quarto nonas Junii 1572.

Ejusdem Sanctitatis Vræ.

Humillimus Servus Et Devota Creatura

D. Cardinalis Segvntinvs.

Sed nec prætermittendus est vir ille omnium laudum genere cumulandus Ilerdensium Episco-

pus, Antonius Augustinus, religionis et rei litrariæ decus, summa a primis ætatis suæ annis necessitudine Gregorio junctus, quem studiorum suorum auctorem et hortatorem habuerat. (*)

(*) Hispania Vol. 20 fol. 11.

S. D. N. PP.

Beatissime Pater

« In tanta totius reipublicæ christianæ lætitia, nisi gratulationem meam, atque gaudium ostenderem, in maximo esse me flagitio existimarem. Alii enim in his præsertim regionibus, quas præteriens virtutum tuarum splendore collustrasti, Sanctitatem tuam admirabantur, et supremam istam sedem jam tum eidem augurabantur, atque exoptabant: nunc votis exsolutis, incredibile dictu est, quanta lætitia ac gaudio perfunduntur. Ego vero multo profecto magis, quippe qui præsens testis interfui, tum Romæ, tum Tridenti, cum ita te gereres, ut omnium opinione, scientiæ atque prudentiæ tuæ majora merita fuerint, quam præmia postea tuleris; ut qui animi bonis contentus fortunæ bona semper neglexeris. Nam licet magnam lætitiam susceperim, cum me bis Barcinone purpuratus Cardinalis atque legatus complexus es, videbam enim jam tum, te aliqua tuorum pro christiana republica laborum atque vigiliarum præmia tulisse: nunc tamen cum Beatitudinem tuam audivi claves accepisse, ac in Sede Petri Apostolorum coryphæi consedisse; multo etiam majore, quam cœteri gaudio exulto. Et quamvis olim te ut amicum non solum, et pæne fratrem dilexerim, neque enim minor est, quam naturæ conjunctio voluntatis; cum in nobis multa fuerint paria atque communia, et per eadem vestigia, cursus, tum studiorum, tum honorum, tum sacerdotii: nunc te parentem communem, totique orbi christiano salutarem ecclesiæ gubernatorem, ut dominum venerari me, ac colere summo cum gaudio necesse est. Hujusque tanti nostri gaudii illa maxima causa est; quod maximos fructus quotidie rempublicam christianam suscepturam pollicemur. Vident omnes S. Tuæ nihil deesse, quod vel ad summam eruditionem, vel ad rerum experientiam pertinet; vident aliis clavum tenentibus multum attulisse auxilii sapiens consilium, et prudens admonitio tua. Vident jacta esse fundamenta religionis restaurandæ atque conservandæ, tum decretis Tridentini Concilii, quibus conscribendis ac decernendis in primis auctor fuisti; tum duorum Pontificum actionibus, qui postea eadem decreta optimis actionibus confirmarunt. Ne B. V. ipsa sibi defuisse videatur, hoc nullo modo verentur. His enim te prædibus et præmiis toto vitæ tuæ cursu obstrinxisti, ut tantæ voluntati non minor potestas desideraretur. Jure igitur magis Romanæ urbi et Bononiensi gratulabimur, quarum alteram studiorum, alteram religionis parentem confitemur; in quibus ortus et educatus salutiferum omnibus sidus illuxisti: quam tibi, qui omnium ecclesiarum curam, cunctarum provinciarum ac populorum negotia, Regum omnium ac principum moderandorum provinciam suscepisti. Hæc ne nos spes fallat, in diuturna vitæ tuæ conservatione consistit, quam ut S. Tuæ Deus ac Dominus noster largiatur assidua oratione omnes efflagitamus. Datum Ilerdæ III. Kal. Jun.

Ejusdem B. V.

Humilis servus

ANT. AUG. ILERDENSIS Episcopus.

LXVII. — Uno animo Hispaniæ Episcopi in spem venerant, fore ut per Gregorium afflictis suarum Ecclesiarum rebus subveniretur, nec eos feffellit opinio. Ingenti quippe ære alieno, et maximis vectigalibus premebantur eo, quod ad longinqua illa et assidua bella, quæ Philippus cum perduellibus hæreticis et Turcis gerebat, conferendarum pecuniarium finis sibi nusquam fieret. Legatis igitur ad Gregorium missis onerum levamina solamenque ærumnis postulabant. Egit id præ cæteris collegium selectorum virorum omnium Hispaniæ Ecclesiarum negotiis curandis præpositorum, quod servandis immunibus Ecclesiæ juribus custos vindexque habebatur. (*)

(*) Hispania Vol. 20. fol. 26.

Sanctissimo Dño Nostro Gregorio Papæ Tertiodecimo.

Beatissime Pater

« Diebus proximis, missimus ad tuam Beatitudinem perbreves litteras quo tempore sperabamus Philippum Regem nostrum catholicum remissurum decimam, quam concesserat ei Pius fel. rec. PP. V. antecessor tuus, ad sumptus bellicos. Congesseramus enim in unum libellum, qui ad Regem ipsum perferendus erat, eas causas, quibus ad remittendam eam decimam Regem catholicum, ac vere christianum permoveri posse ac debere existimavimus. Is vero accepto libello, ac perlecto, dimisit nos ad honestos ac probos viros, quorum consilio res hæc tota gerenda est. Atque interea consultum fore putavimus, si ad S. T. in magnis angustiis positi scriberemos, ut certior de his omnibus factus de protegendis ecclesiis Hispaniæ. Eam ob rem cum his litteris simul accipies libellum, ei qui ad Regem perlatus est, similem. Ex eo intelliges statum ecclesiarum Hispaniæ, quantumque nocumenti concessio decimæ præfatæ eisdem afferat, intelliges plane B. P. ecclesiæ patrimonium fere universum cessisse jam in viros sæculares. Etenim jam olim tertia pars fructuum ecclesiasticorum Sedis Apostolicæ concessione patrimonio regio accrevit, licet reclamantibus cunctis ecclesiis. Decimus quoque agitur annus, ex quo Regi Philippo singulis quinque annis persolvunt ecclesiæ Hispaniæ, plures quam quater centum mille ducatos aureos ad bellicum subsidium,

quam sane ingentis pecuniæ exactionem gravissimam esse ecclesiis ac viris ecclesiasticis. Dolemus equidem, et clamavimus, sed parendum fuit tempori, Sedi Apostolicæ tributum imperanti, et Regis exigentis potentiæ. Atque tantam summam pecuniæ paucis admodum annis reddendam esse credebamus, quæ sine magno ecclesiarum dispendio multis annis reddi non poterat. Sed proh dolor, nobis id cogitantibus, accessit nova concessio decimarum unius domus in singulis parochiis. Nos, quantum ex bulla concessionis colligi potest, contendimus ac nitimur, eam esse unam, post duas, hoc est tertiam domum, Regis ministri contendunt esse primam. At nisi Rex Philippus, aut sponte sua, aut Te ad religiosum opus Regem pium, ac religionis studiosum cohortante, vel et impellente eam remittat, existima, Sanctissime Pater, nullum, aut certe perexiguum esse quod reliquum est Ecclesiæ patrimonium, et ecclesias Hispaniæ a sua authoritate, dignitate ac splendore decidisse. Etenim si ecclesiarum fructus in principes, aut alios sæculares homines distribuas, Pater Sancte non videmus quo pacto ecclesiarum ministri constare possint, nam facta fideli, et exacta supputatione comperimus, (nisi hæc decima remittatur) plures quam sex mille parochiales ecclesias a suis ministris dimittendas esse. Nec vero his complectimur regni Navarræ, Aragoniæ, Cataluniæ ac Valentiæ parochias. Hoc quid miserius cogitari potest? et in hac calamitate temporis acerbius? Ubi frigescente charitate, imo et fide ecclesiasticorum ministrorum numerum, et authoritatem augeri quidem, non autem minui, oportebat. Sed auget adhuc calamo talem ecclesiarum et doloris nostri acerbitatem, quod ab hujus decimæ exactoribus contra præfatam Summi Pontificis concessionem, ex decreto regio, hoc est ministrorum ejus, qui Regiis vectigalibus præsunt, prima domus, quæ tertia esse debuit, Regi assignata est, invitis ecclesiis, ac repugnantibus, multa etiam alia tentantur, quorum rationem ex libello ad Tuam Sanct. misso plane cognosces, quæ nisi pontificia authoritate corrigas, ac reprimas, plerique ecclesiarum ministri bonis ecclesiasticis cedere cogentur, quibus neque fructus ecclesiastici ad victum, neque hæreditaria bona ad agendas causas suppetere posse videntur. Da nobis veniam Clementissime P. si modum epistolæ excedimus, qui nec doloris modum, nec in tanta calamitate remedium ullum invenimus. Itaque obsecramus te Sanct. Pater et si licet, obtestamur, ne permittas ut ministri ecclesiæ destituti suis bonis, in miserum quemdam ac calamitosum statum dejecti a sæcularibus hominibus contemnantur. Intelligant sæculares principes decimas ecclesiæ ad alendos ecclesiarum ministros institutas, ab ecclesiasticis fructibus abdicari ac separari non oportere, imo vero nephas esse, ut Christi milites, qui assiduis et quotidianis sacrificiis et orationibus vacant, et fide et charitate armati pro ecclesiæ incolumitate pugnant, suis stipendiis careant, et principum sæcularium patrimonia ex fructibus ecclesiæ in dies pinguiora et auctiora reddantur. Id vero maxime nobis lugendum est quod hujusmodi ecclesiastici fructus sæcularibus ad supplendam eorum indigentiam concessi, evanescant subito; et quos credendum erat, illis fore in subsidium, longo experimento didicimus fuisse in dispendium. Liceat igitur nobis te iterum obsecrare et orare Pater Sancte, ut alumnos tuos paterno amore defendas et ab injuriis vindices, ad augendam Ecclesiam incumbas, eamque pene jam collapsam erigas, ejus authoritatem, dignitatem tuearis, neque committas, ut Ecclesia Christi (quam te Pontifice Summo et Maximo liberrimam fore sperabamus) perpetuo tributo gravetur. Fac ut brevi sentiamus omnes tuum patrocinium, sentiant quoque sæculares Sanctitatem Tuam minime passuram esse, ut Ecclesia tuæ fidei commissa dura hac servitute prematur. Nos interim pro Ecclesiæ libertate et pro tua incolumitate quotidiana sacrificia faciemus et assiduis orationibus vacabimus. Datum in oppido de Madrid die 28 Junii MDLXXII.

E. S. V.

Humiles Oratores
Congregatio Ecclesiarum Hispaniæ
Dr. Hurtado Secretarius.

Ecclesias quoque, quæ regni Cathalaunici finibus continerentur, pari modo levari constituti procurandis rebus viri poscebant. (*)

Sanctissimo, ac Beatissimo, D. N. D. Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater

« Quanta fuerit totus hic Cathaloniæ Principatus lætitia affectus, quamque prompto et devoto animo summas Deo Opt. Max. referat gratias ex gloriosa S. V. assumptione facile sibi S. V. persuadere potest; quam arbitramur, non omnino esse immemorem summæ devotionis, quam erga S. V. hic Principatus semper habuit, id enim S. V. non audivit modo, sed (cum legationis a latere munere, fœlicis recordationis Pii Papæ Quarti, sanctæque Sedis Apostolicæ apud Serenissimum Philippum Regem nostrum catholicum fungeretur) et vidit, et re ipsa experta est, quod nos maximam in spem erigit fore ut S. V. summa providentia, non modo totius universalis Ecclesiæ status, sanctissime ac prudentissime gubernetur, sed etiam Principatus hujus (Sanctitatis Vestræ nomini addictissimi) afflictis rebus et malis, quæ partim jam adsunt, partim impendent, commodissime consulatur. Quæ ea sint, ac quam celeri ac opportuno remedio indigeant, intelliget S. V. ex Ludovico de Copons Præposito sancti Petri de Arquelliis, Geraldo de

(*) Hispania Vol. 20. fol. 13.

Queralt domino sanctæ Columbæ, et Henrico Terre de Picalques hujus civitatis cive, quos ad S. V. mittimus, eos ut benigne pro sua clementia suscipere et audire, ac in his quæ juxta eis a nobis traditas instructiones, nostra ex parte referent, fidem adhibere non gravetur, quam humiliter. Ac Deus Opt. Max. S. V. plures ac fœlicissimos annos, ejus sanctæ universalis Ecclesiæ regimini præesse sinat. Quod nos S. V. humiles ac devotissimi, assiduis præcibus postulare non desinimus. Datum Barcinonæ die septima mensis Julii Anno a nativitate Domini 1572.

V. B.

Humiles ac devoti subditi,
Deputati Generales Principatus
Cathaloniæ Barcinonæ Residentes.

In Aragoniæ regno res parum pacatæ habebantur. Regis judices fidei incolumi servandæ et hæreticis perquirendis instituti, reclamante licet populo et clericis, decimas Ecclesiæ contributas durius quam par erat exigebant, et pro suo arbitrio augebant, et assignabant, anathemata non sine magna civium perturbatione comminati fuerant. Rebus regni curandis a populo et principibus selecti viri Pontificem, ut hujusmodi malo medeatur, exorant. [*]

[*] Hispania Vol 20. fol. 8

Sanctissimo et Beatissimo Dño Nostro Gregorio Decimo Tertio Pontifici Maximo.

Beatissime Pater

« Cum primum nuncius optatissimus ad nos allatus est, Te summo amplissimi Collegii consensu ad supremum dignitatis apicem divinitus evectum fuisse, ingenti exultavimus lætitia, tibique confestim gratulandum esse censuimus. Qui enim toto vitæ curriculo per omnes dignitatis gradus te semper regendis et constituendis reipublicæ christianæ negotiis exercuisti, merito gratulandum est, quod ad summum fastigium conscenderis, in quo ampliorem sis nactus facultatem, totius humani generis utilitatibus et commodis consulendi. Cum ignorare jam nemo possit, virtutem tuam quæsitam, et ab omnibus accersitam, et expetitam fuisse ad sedandos rerum motus, quibus respublica jactatur, et ad salutarem portum dirigendos. Sed cum tibi B. Pater, tum magis orbi toti et universo nomini christiano gratulari conveniet. Cum enim tot mala impendeant, et nutet orbis, in tantaque rerum perturbatione prope vergat ad occasum, cum respublica christiana et aperta vi ab externis hostibus et immanibus oppugnetur, qui cervicibus nostris imminent, et cum domesticis proditoribus rem habeat, qui concinnatis hæresum et factionum dissidiis eam vexare et convellere nunquam desistunt, cum denique odiis pene omnium gentium adversus nomen christianum ardeant omnia, tu Pater B. sine ambitione, consentientibus omnium suffragiis (inspirante Sancto Spiritu; nec enim hoc erat opus humanum) nobis datus es, qui totum te utilitati et commodo publico exhibeas. In cujus summa virtute, authoritate, animi magnitudine, et prudentia, et tota spes rerum meliorum reposita esset, et animi eorum qui sub te militamus erigerentur, quod non est postremum optimi Ducis argumentum. Nemo enim est S.ᵐᵉ P., qui postquam clavo, et rerum gubernaculo es admotus, non speret te in tantis difficultatibus divina misericordia, et benignitate affulsisse, et nobis datum esse, ut tantas quæstiones, et intestina christianæ reipublicæ dissidia sedes et componas, vires et contumaces inimicorum nostrorum spiritus frangas, frenes, et debilites, et bono principio, et fœlicissimo illo fœdere inito finem expetitum imponas. Nemo est qui in tantis turbinibus etiam reflantibus ventis se portum jam videre, et tenere non putet, nemo qui in tam ferreo sæculo aureum animo suo jam non concipiat. Quanta autem Aragonensem tuum populum affici lætitia necesse sit, tum totius nominis christiani, tum propria ipsius ratione, et causa, quod Deus Omnipotens talem nobis Antistitem præfecerit, necessarium non erit exponere; te enim et semper benignum eum privatus esses experti sumus, te cum in partem solicitudinis vocatus esses, nos et nostra respicientem prospeximus. Nunc cum rerum summa teneas Beat. Pater, jam non res tuas afflictas et accisas jacere conquerimur, sed quod tuis dignissimis auspiciis restitutum iri firmiter speremus, jam merito multis nominibus exultamus: ad quod pro rei magnitudine ostendendum cum nos vires et verba deficiant, Deo Omnipotenti pro tantis in nos collatis beneficiis gratias agendas conversi, in tanta lætitia de rebus nostris verba facere nec intempestivum, nec patientissimis auribus tuis molestum fore putamus. Cum Beat. Pater inter fidei censores, quos semper Regni hujus incolæ quam maxime potuerunt, venerati sunt, et Judices Regios, qui curiæ justitiæ Aragonum præsunt, et ad instar tribuniciæ potestatis rem Regni, et libertatem respiciunt, orta esset de jurisdictione disceptatio, controversia hæc tam tristem sortita est eventum, ut inquisitores exerto gladio ecclesiasticæ disciplinæ Judices justitiæ Aragonum, et anathemate ferierint, et ab eorum commercio, cunctis etiam quibus necesse est pro jure suo consequendo ad eos confluere, cavendum indixerint. Cum ex hoc omnes istius Regni incolæ vehementer perculsi conqueremur, ortam materiam ad antiquandas, et abolendas hujus Regni sanctissimas et antiquissimas leges, pacto et sacramento omnium Regum Aragoniæ, et invictissimi Regis Philippi sancitas, et non parvo emptas sanguine, nec recte et rite processum putaremus; cum nullum non lapidem moverimus quo tempestas hæc comprimeretur, ad sanctam Sedem, apud quam cunctis perfugium paratum est, appella-

tionis remedio confisi confugimus: nunquam tamen obtinere potuimus, ut appellatio hæc, quæ commune remedium et ad defensionem concessa est, admitteretur, peccatis nostris et demeritis hoc exigentibus. Et in hoc statu res nostræ sunt quanta Beat. Pater regnum istud, et ejus incolæ sedem apostolicam observantia et fide fuerunt prosecuti cum notum sit toti orbi, te imprimis latere non putamus, pluribusque ageremus, si ad nostram causam conducere coram te arbitraremur, apud quem soli justitiæ locus est possemusque nostro jure pluribus agere. Regnum etenim istud est B. Pater, quod te supplices etiam atque etiam deprecamur, placeat non ad nostram, sed ad Dei Omnipotentis gloriam audire, in quo cum primum evangelicæ claritatis lux orbi affulsit, christiana religio crucis nostræ tropheum erexit, in quo veritas nostræ fidei sedes egit, radices fixit, et tot undique pullullantibus et gliscentibus hæresibus, semper illibata et custodita permansit, quod Laurentii, Vincentii, Lamberti, Valerii et innumerabilium martyrum sanguinem consecravit, quod magnam in Deum, et non levem in homines fidem præstitit. Cum ejus ope et viribus et invictissimi Reges Aragoniæ plura regna domuerint, et tumultuantia compescuerint, ut trophea de Saracenis devictis omittamus. Sed imprudentes fuerimus si diutius in connumeratione officiorum nostrorum immoremur, quasi in tam justa causa ad obtinendum appellationis remedium coram justissimo et sanctissimo Principe tot ambagibus, tanta commendatione egeamus, et non potius res ipsa seipsam commendet, quare de his hactenus, te solum hoc unum supplices obsecramus, ut si nos christianos ducis nostram causam audias ad te confugimus, tuam opem imploramus, si erravimus a te corrigi pœnas commeritas luere parati sumus; hoc a te petimus, quod fecimus a principio, vel nos condemnes, vel absolvas, vel tua manu nos reducas errantes, vel in officio persistentes, confirmes et reficias. De quibus omnibus oratoribus nostris præcipimus, apud Tuam S. copiosius agant, et rem omnem ad S. Tuam prout acta est referant, quibus injunximus, ut fidem, obedientiam, et hujus catholici regni zelum in Sedem Apostolicam exponant. Tuam S. supplices deprecamur, ut quicquid ab eis exponetur, a nobis expositum credas, eamque fidem eis adhibeas, quam nos Sedis Apostolicæ mandatis hactenus adhibuimus, et Deo juvante tuis adhibebimus. Deus Optimus Maximus Beatitudinem tuam, et ejus pia vota ad reipublicæ christianæ necessitatem secundare dignetur. Cesaraugustæ tertio Calend. Junii Anno salutis nostræ 1572.

Devoti et observantissimi Tuæ Beatitudinis filii, qui ejus pedes humiliter osculantur

DEPUTATI REGNI ARAGONUM.

LXVIII. — Ut secure haberentur publicæ hujus regni res Gregorius sapientissima constitutione Kal. Octobris Tusculi prope Romam condita consuluit, data facultate judicibus sæcularibus Principatus Cathalauniæ et Comitatus Rossilionis et Ceretaniæ facinorosos, et latrones etiam clericos quatuor minoribus ordinibus insignitos et aliquod tenue beneficium obtinentes, ad loca sacra confugientes, ab illis extrahendi et judici ecclesiastico tradendi. Clericos autem hujusmodi vestibus sæcularibus indutos, et in flagranti crimine crassandi per vias deprehensos, tanquam latrones, et viarum crassatores in eo habitu, in quo reperti sunt, usque ad ultimi supplicii pœnam inclusive punire, absque incursu censurarum insuper jussit. [*]

[*] Hæc Constitutio in Mag. Bullar. Rom. T. IV Par. III N. 3. p. 238

LXIX. — Res in Belgio assiduo Geusorum tumultu et conspirationibus perturbatissimas, pacatiores aliquanto Albanus Dux reddiderat, devictis illis, ut superius innuimus, prope urbem Montium ad Mosam. De sua proinde non effundendi sanguinis cupiditate, sed imperii religionisque tuendæ studio Gregorius gratulatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 193 f. 285.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando a Toleto, Duci Alvæ.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte fili, nobilis vir, Salutem et Apostolicam benedictionem. Dominus Deus exercituum in ira sua confregit inimicos suos, tuaque ad eam rem præstanti virtute uti voluit; te enim non sanguinis effundendi, sed Ecclesiæ suæ tuendæ et propagandæ aviditate bellare intelligis. Rem omnem ordine a dilecto filio Joanne de Zuniga ex tuis literis incredibili cum voluptate accepimus. Agimus igitur gratias Deo quantas maximas possumus; atque ejus Ecclesiæ, tuæque insigni virtuti gratulamur, paternamque atque Apostolicam tibi, universoque exercitui benedictionem impertimur. Sed cogit nos idem paternus amor, atque ea cura, qua de Ecclesiæ amplitudine, deque Catholicorum inter se Principum concordia perpetuo angimur id scribere, quod te pro tua sapientia præclare intelligere non dubitamus. Satis jam videntur hac tam insigni victoria atque eo exercitu, quem istic validissimum habes, istius regni res ab hæreticis, ac rebellibus tutæ esse, ut nihil aliud cogitandum sit, quam ne quid suspicionis oriatur Regi Christianissimo, (nosti enim quam sint regna omnia suspiciosa,) neve ulla ei regi vobiscum bellandi occasio tribuatur; id enim sine hujus sanctissimi adversus Turcas fœderis dissolutione, et maximo Christianæ Reipublicæ detrimento accidere non posset. Hoc facile vitabis si provideris ne majora in confiniis præsidia habeantur, quam quæ vestris rebus tuendis satis esse videantur, utque illis tum locis, tum præsidiis præficiantur homines natura et voluntate quieti, rerumque et disciplinæ militaris periti, atque ab omni injuria, et in

finitimam illam nationem odio remotissimi, quique milites in officio continere et velint et possint, ut nullam temeritate aut imprudentia dissidii occasionem præbituri sint. Hæc nos non tam monere quam tecum recognoscere existima. Accepimus Biblia tantopere Philippi Regis Catholici jussu atque impensa elaborata; est opus egregium ac dignissimum ipsius Regis pietate, atque inexhausta cupiditate optime de Christiana Republica, non solum, id quod perpetuo facit, armis, sed sacra ei doctrina promerendi. Ejus pietati, tuæque virtuti tribuat Deus in hac vita omnia læta et prospera, in futura gloriam et beatitudinem sempiternam. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII. Augusti 1572. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LXX. — Ut relatam hanc tam insignem victoriam facilius Albanus Dux prosequi valeret, finitimos Belgio Principes sive laicos sive ecclesiasticos itidem hortabatur, ut suas etiam copias Catholico Regi auxilio mitterent, eum reprimi facile, aut penitus ex illis regionibus evelli jam hæresis posse videretur. Habeto ejus ad Archiepiscopum Moguntinum literas. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 270. f. 363.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino

GREGORIUS PP. XIII.

Venerabilis frater, Salutem et Apostolicam benedictionem. Non fefellit nos nostrum judicium de tua excellenti caritate et dignissima tuo loco et munere vigilantia. Itaque cum superiores literas scribebamus de auxilio in Flandriam mittendo, intelligebamus illas literas magis proficisci ab incredibili nostro quodam desiderio, quam quod putaremus fraternitatem tuam in Christi causa indigere nostra cohortatione. Hoc nostrum judicium exitus ipse mirifice comprobavit: ante enim quam nostra ad te pervenirent, jam auxilia miseras, quod quidem tanto cum gaudio accepimus, ut tua pietate laudanda, et Deo gratiis agendis, nobis ipsis satisfacere non possimus. Nullum jam nobis in posterum reliquisti locum monendi, aut hortandi, ut quibuscumque rebus poteris Catholicam Religionem in tua Metropoli tuearis, atque impiorum conatibus resistas, tuasque oves a luporum insidiis incolumes serves Deo; quem enim videmus tam promptum in aliis juvandis, tamque aperte ostendentem caritatem eam, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ejusque hostes, suos ducentem, qui possumus dubitare quin is tum in suis eidem Christo servandis, tum in omnibus catholicis quacumque ratione poterit juvandis semper idem futurus sit? Hoc, et speramus, et divinam bonitatem oramus. Tibi vero nos ipsos offerre, quos propter tuas virtutes devinctissimos habes supervacaneum putamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die V. Novembris 1572. Pont. Nostr. Anno primo.

Paratissimos sese auxiliis submittendis esse principes illi responderunt, et imprimis piissimus Bavarorum Dux Albertus. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 3.

Beatissime in Christo Pater ac Dñe Dñe Clementissime.

« Obedientiam et reverentiam debitam ac condignam, cum humillima mei commendatione ad devota beatorum pedum oscula. Ex litteris S. V. XXIII. Mensis superioris ad me perscriptis, paternum sane ipsius animum in reprimenda quantum fieri possit temeritate ac vi illa, quæ ab impurissimis illis catholici Regis perduellibus et Germaniæ inferioris ut florentissimæ olim regionis perditissimis hæreticis intentata hactenus fuit, satis superque intellexi. Qua quidem in re meum etiam auxilium S. V. petere dignata est; ex quo facile intelligere potui, me apud ipsam non in minima omnino haberi inter alios Principes catholicos consideratione. Sed licet nullum apud me dubium sit, quin tantus ac tam potens Princeps, ut est Hispaniarum Rex catholicus, minime sit opus habiturus in coercendo bello hoc intestino ullo alieno, vel meo vel etiam aliorum Germanorum principum auxilio, maxime cum pro comperto habeam Regiæ dignitatis suæ locumtenentem ac supremum capitaneum Ducem Albanum non solum Montium Hannoniæ, verum etiam Mechliniæ jam esse potitum, sed et plures alias civitates et obedientiam et deditionem ultro jam ei offerre: Nolim tamen ignorare S. V., me hactenus in promovendis Regiæ Dignitati suæ in territorio meo militibus (quod tamen minime jactandi animo dixerim) non tantum ad Flandriam istam expeditionem, verum etiam pro Christiana ejusdem classe maritima instruenda, nihil omisisse, quod a me ut a consanguineo atque affine desiderares. Id quod in posterum etiam lubenti ac promptissimo animo facere minime gravabor, S. V. interim vitam diuturnam una cum fælicissima Ecclesiæ christianæ administratione etiam atque etiam optans. Ex castro nostro Dachauv XVI. Calend. Decemb. Anno a Virginis partu MDLXXII.

Ejusdem S. V.

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

LXXI. — Leodiensis interea Ecclesia perturbationibus et bello undequaque circumcincta maxima quæque damna perpetiebatur, quæ quanta essent, non sine lacrymis aperit Gregorius Leodiensis Praesul. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 28.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater, post pedum oscula beatorum.

« Cum per immensam Omnipotentis Dei misericordiam recuperatis jam Montibus Hannoniæ; Mechlinia Brabantiæ; Tæneramunda atque Aldenardo Flandriæ, ac Ruræmunda Geldriæ urbibus, fides et religio Catholica ac publica pax, et tranquillitas in dictionibus patrimonialibus

Germaniæ Inferioris Serñi Hispaniarum Regis Catholici usque eo sint partim conservatæ, partim etiam restitutæ, ut per eandem Dei misericordiam sperandum sit reliqua etiam earundem ditionum loca, quæ adhuc in Hollandia et Selandia ab ejusdem fidei ac religionis Catholicæ adversariis, iisdemque publicæ pacis ac tranquillitatis turbatoribus occupantur, pari successu propediem recuperatum iri: non potui diutius differre, quin id gaudium, quod ex hoc tam illustri Dei beneficio ego una cum omnibus Catholicis ac publicæ pacis et quietis studiosis summum cepi, S. V. his literis testatum facerem; atque id quidem eo etiam magis, quod cum hæc Ecclesia ac ditio Leodiensis ipsis Inferioris Germaniæ ditionibus magna ex parte contigua, et alioquin iis nationibus pæne cincta sit, a quibus eidem huic Ecclesiæ ac ditioni ob religionis ac fidei Catholicæ observationem non minora pericula quam illis ipsis ditionibus erant pertimescenda: Deo tamen Opt. Max. placuit laboribus ac sumtibus alendo per hos aliquot menses in compluribus hujus ditionis urbibus copioso præsidio impensis ita benedictionem suam impertiri; ut tametsi hæc etiam Ecclesia ac ditio (id quod, Pater Sancte, sine gravissimo animi dolore commemorare nequeo) a numerosissimis equitum ac peditum copiis ultro citroque per eam continenter profectis ac pervagatis, in eademque longo etiam tempore commoratis miserabilem in modum afflicta, vexata ac direpta sit, in ea tamen Catholicam fidem ac religionem adhuc conservatam esse in Domino lætari debeamus. Quo quidem certius confido S. V. pro paterna sua pietate erga me et hanc Ecclesiam istius Sanctæ Sedis obedientissimam ab omni ævo filiam tot his ejus ac tam gravibus calamitatibus atque afflictionibus, quæ aliæ super alias accumulatæ tot jam annos eam sine ulla intermissione premunt, eas consolationes benigne adhibituram, ob quas ab ea, quam dixi, S. V. pietate impetrandas D. Lævinus Torrentius Archidiaconus Brabantiæ, qui et has reddet, meo et Ecclesiæ meæ nomine Oratorem istic agit. Fuerunt illæ quidem, Beatissime Pater, gravissimæ ærumnæ ac pro rerum nostrarum tot de causis, totque modis, quot S. V. ex eodem Oratore cognoscere dignatam esse arbitror, accisarum atque attritarum tenuitate atque angustiis pæne intolerabiles sumtus, quos tum superioribus, tum hoc etiam bello sustinuimus. Sed tamen S. V. benigne nos respiciente, iisque nos rationibus consolante, quas ab ipso Oratore nostro intelligere, uti speramus, gravata non fuit, aut deinceps etiam non gravabitur, non facultates modo nostras, quamlibet, ut dixi, attritas atque exhaustas, sed vitam etiam ipsam pro fide Catholica, atque istius S. Sedis dignitate conservanda profundere non dubitabimus, imbecillitati nostræ opitulante Dei gratia, quem suppliciter orare ego et hæc Ecclesia nunquam desinemus, ut S. V. Beatissime Pater, ad Sñi sui Nominis gloriam et Ecclesiæ suæ consolationem quam diutissime incolumem servare dignetur; cui V. S. me atque eandem Ecclesiam quam fieri potest humillime commendo.

Datum Leodii XXIII. Octob. MDLXXII.

S. V.

Humillimus servus et perpetuus
ad Deum orator
GERARDUS EP. LEODIEN.

LXXII. — Nec vero Pontificem oblivio ceperat nobilis illius avitæ religionis victimæ, Mariæ Stuardæ Scotorum Reginæ, quæ arctissimis custodiis in Sheffieldiensi castro tunc temporis Elisabethæ Anglicæ jussu detinebatur, et omni inclementiæ genere vexabatur. Suavissimis litteris et omni caritate refertis eam solatur Gregorius, hortaturque forti constantique animo in proposito perseveret, cruciatusque quos ad fidem Deo servandam subiverat, inviete perferret. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An. 1 epist. 109. f. 161

Mariæ Reginæ Scotiæ Illustri

GREGORIVS PP. XIII.

« Carissima in Christo filia nostra Salutem et Apostolicam benedictionem. Redditæ fuerunt nobis literæ Majestatis tuæ quas scripseras ad Sanctissimum Pontificem Pium V. quem summa Dei misericordia a perpetuis hujus vitæ mortalis miseriis ad sempiternam, ac beatissimam vitam evocavit. Et quia perspeximus te in Pontifice ipso, non hominem, sed Christi potestatem, atque auctoritatem, ut par est, agnoscere, et venerari, ea vero in omnibus Romanis Pontificibus semper una, eademque est, iis literis non secus ac si essent ad nos scriptæ respondendum putavimus. Laudamus in primis constantiam tuam in Catholica fide retinenda, summamque voluntatem in ipsius Ecclesiæ sinu moriendi, gratiasque agimus divinæ bonitati, quod Majestatem tuam munierit ea armatura, quam proponit Apostolus, cum ait: Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et quanquam in ista gravissima calamitate elucet virtus tua, quæ forte in prosperitate fuisset obscurior, tamen non possumus non gravissime commoveri rebus tuis. Sed cave ne unquam animo frangaris aut te a Deo destitutam putes; quin potius sic cogita, te in ista custodia, ab ejus bonitate et clementia maxime custodiri; nec quia calamitates in hac vita communes sunt bonis, et malis, propterea existimandum est, nihil interesse boni simus, an mali; quantum enim intersit æternæ vel vitæ merces vel interitus pœna declarabit; illud etiam cogitare debes, calamitates esse bonis criminum expiationem; malis sempiternorum suppliciorum initium, hocque

beneficio nos affici ab iis qui nos vexant, quod nos a terrenarum rerum amore expediant, vocantque ad cœlestium rerum desiderium; debentque adversa hoc ipso potissimum nomine nobis placere, quia non sinunt humana hæc et caduca placere; sæpe vero immittit nobis summa Dei benignitas aliquid adversi, quia videt nos minus bonos futuros in prosperis; idemque efficit quod sapiens medicus solet ut humores noxios ab internis partibus educat ad externas, dumque has sauciat, illas sanet. Hæc ad consolationem breviter proponere voluimus, omnia tuæ Majestati cupimus; quid ipsi efficere possimus non videmus: quidquid unquam poterimus, id omne ad salutem atque amplitudinem tuam pollicemur ac deferimus. Interim Deum oramus, ut istam præclaram quam tibi largitus est voluntatem roboret in dies magis, ac magis sua gratia, nec unquam te a sua caritate divelli sinat: idemque in te efficiat, quod David in se ipso experiebatur tum ajebat: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die ultima Junii 1572. Anno primo.

LXXIII. — Non secus ac Hispani Gregorio in Pontificem electo gavisi sunt Lusitani. Quam plurimæ proinde ex illis regionibus litteræ ad Gregorium lætitiæ et gratulationis nunciæ mittebantur. Selegimus primum, quas ipse rex, cujus etiam filius Bragantiæ Dux pares [*] dederat, Pontifici perscripsit. [*]

[*] Monitum documentorum N 30.
[*] Lusitania Vol. 3. fol. 6

Sanctissimo in Christo Patri atque Beatissimo Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici.

« Sanctissime in Christo Pater et Beatissime Dñe. Sebastianus Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum Rex citra et ultra mare in Africa, Dominus Guineæ, navigationis, expeditionis, commercii Aethiopiæ, Arabiæ, Persidis, et Indiæ devotus humilisque Beatitudinis Tuæ filius, humillima pedum beatorum oscula. Sanctissime Pater et Beatissime Dñe, accepi Beatitudinis Tuæ literas in quibus cœlestes illæ virtutes ac dona, quibus Sanctissimus Spiritus multo ante Beatitudinem Tuam ornarat, vel potius cumularat, quam in tam excelso ac sublimi gradu collocaret; ut tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum uberrimos fructus, Beatissime Pater, dares hoc tam turbulento ac procelloso tempore, quo Christi navicula vastissimo in mari et scopulorum periculorumque longe plenissimo usque adeo agitatur, ut necesse sit cum Apostolis clamare: Dñe salva nos, perimus. Vocatus es Sanctissime Pater tamquam vigilantissimus Pastor ad assiduum laborem, tamquam fortissimus Imperator ad perpetuam cum tenebrarum Principibus, eorumque administris dimicationem. Gravissimum fateor, Beatissime Domine, onus sustines: sed omnia potes in eo qui te confortat, qui te elegit, qui cæteris omnibus te anteposuit, qui denique Beatitudinem Tuam summo omnium consensu, incredibili omnium lætitia, inusitata celeritate, Christum in terra esse declaravit. Quem nuntium lætissimum, quæ tua est Pater Sanctissime, singularis humanitas, admirabilis modestia ad filium tuum charissimum mittere, eique a Beatitudine tua, sanctaque Sede Apostolica paratissima esse omnia, scribere dignatus es quam vellem coram præsens adessem, Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater, et non literis sed verbis, non charta sed vultu, non atramento sed nova quadam et inusitata alacritate Beatitudini Tuæ gloriam istam ac felicitatem gratularer: certe quanta maxima possem devotione, animique submissione sanctos Beatitudinis Tuæ pedes iterum atque iterum deoscularer: me totum omniaque mea Beatitudini tuæ, ac sanctæ Sedi Apostolicæ libentissimo animo offerrem. Plurimum quidem, Sanctissime Pater, me Beatitudini tuæ, antequam ad summum Pontificatus culmen ascendisses, vitæ singulari innocentia, optimis atque honestissimis moribus, rarissimo omnis integritatis exemplo, aliisque omnium virtutum eximiis ornamentis devinxeras: quæ quidem (id quod omnes nuper maxime optabamus, atque Dei beneficio, tuisque meritis assecuti sumus) jam tam prænunciabant atque pollicebantur. Nunc vero ad illum amorem et benevolentiam, qua te Sanctissime Pater tunc complectebar, tanto major accessit cumulus quando majora arctioraque sunt obedientiæ ac pietatis vincula; sed hæc hactenus: cetera ad Beatitudinem Tuam, et per oratorem, qui istic est, scribam; et per novum quem propediem mittam, Beatitudinis Tuæ sanctos pedes deosculabor, obedientiamque, quam etiam nunc intimo ex corde præsto, tum præstabo. Nunc enim tantum ut Beatitudini Tuæ gratularer, atque ut declararem, quantam consolationem lætitiamque ceperim ex immenso beneficio, quo piissimus Deus Ecclesiam suam affecit, proprium tabellarium expediri jussi. Quod vero scribit Beatitudo Tua de imploranda divina ope pro se ac sancta Ecclesia, id quidem a nobis sedulo curatur: quod etiam missis ad præsules literis nuper curavimus faciendum, ut is Pontifex crearetur, quem misericors ac benignus Deus propter infinitam misericordiam suam Ecclesiæ suæ concedere dignatus est. Sñe Pater et Beatissime Domine, Deus Opt. Max. Beatitudinem Tuam nobis in nostram totiusque Ecclesiæ utilitatem diu salvam, incolumemque conservet. Datum Ulissipone 30. die Junii anno Nativitatis Dominicæ Millesimo, quincentesimo, septuagesimo secundo.

El Rey.

LXXIV. — Eosdem gaudii sensus, qui in Ecclesia Lusitania primam sedem tenebat Ar-

chiepiscopus Olyssiponensis aperit, addito insuper de concepto suo consilio Collegii Olyssipone condendi ad juvenes ecclesiasticos erudiendos, quod poscit auctoritate Pontificis adjuvari. [*]

[*] Lusitania Vol. 3. fol. 7.

Beatissimo Patri ac Sanctissimo Dño nostro Dño Gregorio Papæ XIII.

Beatissime Pater

« Tanto nos cumulavit gaudio, tanta perfudit lætitia felicissimus ille nuntius, qui nuper de tua ad Apostolicam dignitatem provectione ad nos allatus est, ut mihi persuaserim officio meo non aliter me satisfacere posse quam si et Sanctitati Tuæ vitæ integritatem, qua inter tot eximios viros unus electus es, et Reip. Christianæ felicitatem, qua tu divina sorte his calamitosis temporibus illi pater obveneris gratularer. Deus Opt. Max. quæ ejus est in nos benignitas, te divinis muneribus cumulatum diutissime conservet, quod ut faciat assiduis ab eo precibus contendimus. Interim Pater Sanctissime hunc Olyssiponensem gregem meæ fidei commissum Sanctitati Tuæ quam commendatissimum esse et opto et enixissime oro, ejusque causam Antonio Pinto qui has tibi litteras reddidit, coram Sanctitate tua interdum agenti benignas aures præbeas obsecro: Sic enim fiet ut hujus officii molestias levius feram, inter non minimas est, quæ modo sese offert de Seminarii Collegio instituendo cum his omnibus, qui huic rei opem laturi sunt, partemque sumptus suppeditaturi. Omnes enim ad unum hoc se onere liberare conantur; Tuum erit Pater Beatissime, ut animi tui integritate et constantia quod tam sancte in Trid. Concilio institutum est, te quoque nunc Christianæ Reipublicæ gubernacula tractante ad exitum deducatur. Vale Pater Beatissime, meque ad sacros istos pedes provolutum benedictione tua dignum habeto. Olyssippone septimo Idus Julii.

Archiep. Olyssiponensis.

LXXV. — Minus recte tunc temporis gerebantur, quæ litteras spectabant et diplomata Roma missa, quibus potestas incundorum sacrorum munerum et redditaum Ecclesiæ procurandorum viris ad id electis tradebatur. Ne turpis abusus longius reperet, graviter requæstus est Gregorius per Comensem Cardinalem sibi a secretis Regis Patruo Cardinali (ut vocant) Infanti. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28 epistola 25.

Serenissime Princeps et Rm̃e Dñe mi Colm̃e.

« Cum ad aures Sanctissimi Domini Nostri pervenerit, in Regno Portugalliæ, eos, qui afferunt literas apostolicas provisionis beneficiorum ecclesiasticorum in forma dignum vocata ab Episcopis, seu eorum Vicariis, officialibus atque ministris, actorum, sigilli sententiæ et aliorum hujusmodi prætextu magnis exactionibus gravari; valde id Sanctitati Suæ displicuit. Cum ipsis ea auctoritas et potestas non ad perquirendas et conficiendas pecunias sed ad doctrinam, et mores eorum, quibus collata sunt beneficia diligenter indagandos, a Sede Apostolica sit attributa, ac nihil turpius et perniciosius cupiditatis, atque avaritiæ morbo in Ecclesia Dei esse possit. Itaque Sua Sanctitas minime dubitans, hæc, si vera sunt, Celsitudine Vestra insciente, fieri, nec minus ipsi, quam Suæ Beatitudini esse displicitura, si nota fuerint, maudavit mihi, ut eandem Sanctitatis Suæ nomine his literis certiorem facerem, ut veritatem inquirere et opportunum remedium adhibere possit, admonitis diligenter omnibus Regni Episcopis, ut in ejusmodi rebus nihil aliud exigi permittant, nisi quantum pro scripturæ mercede notariis solvi æquum fuerit. Id quod illam pro eximia integritate sua, et domus Dei zelo summa diligentia facturam esse Sua Sanctitas confidit, ac persuasum habet Celsitudinem Vestram, quam diutissime incolumem et felicem esse opto, atque ejus gratiæ et benevolentiæ me humillime commendo, omnia illi officia et obsequia mea promptissimo ac sincerissimo animo deferens. Romæ die xxvii. Septembris mdlxxii.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

LXXVI. — Emissos etiam in Indicas gentes, quæ Regis Lusitaniæ imperio parebant, ad fidem propagandam viros Gregorius juvabat. Ne, vita functo Goanæ Sedis Episcopo, qui primas in Ecclesias Indicas omnes tenet partes, dum successor expectaretur, aliquid detrimenti religio caperet, legitimum Gregorius esse per omne tempus voluit, ut Episcopus Cochinchinensis, qui proximus aderat et illi sedi subjiciebatur, ad eam accederet, sacrarum rerum curam susciperet, Cochinchinensem plebem sua vice regendam interea idoneo alicui traderet, donec in Ecclesiam Goanam novum Episcopum Romanus Pontifex cooptasset, designatusque ad traditam sibi provinciam pervenisset. [*]

[*] Mag. Bullarium Romanum T. IV. P. III. N. 11. pag. 241.

LXXVII. — Tanta Hugonottorum manu ex Galliis profuga, periculum Allobrogibus et Pedemontanis oriebatur, ne si in horum regionibus consedisset, hæretico gentes illas veneno inficeret. Gregorius idcirco x. Kal. Octobris Sabaudum Principem monet, ut iisdem aditum omnem præcludat, et suas provincias, quas semper ab omni hæreseos labe custodiverat, in posterum impollutas conservet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 313. f. 323.

Dilecto Filio Nobili Viro Sabaudiæ Duci

Gregorius PP. XIII.

« Dilecte fili, nobilis vir, Salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam summa benignitas Domini Dei nostri, vires, atque oportunitatem largita est Regi Christianissimo, tam gloriose, tamque pie hæreticos debellandi, regnumque ipsum summo Christianæ Reipublicæ lucro purgandi, tamque execrandam, et tum Ecclesiæ, tum ipsi Deo inimicam luem ejiciendi; verisimile est ejus colluvici reliquias disjectas, locum aliquem quæsituras, et quem quisque sibi

tutiorem esse arbitrabitur eo se potissimum recepturum. Quamquam autem, quæ tua est pietas, dictionem tuam minime omnium illis tutam esse arbitramur; tamen ut ruunt pavore et scelere cæci, siquis eos istuc impulerit furor, facere non possumus, quin pro nostro munere nobilitatem tuam hortemur, ne tu tam pius Ecclesiæ filius, gentem tam ipsi Ecclesiæ inimicam, istic usquam consistere patiaris; commendatumque habeas populum tibi a Deo commissum, neque eum tam lætali veneno interfici permittas; « Hæretici enim, ut ajunt Sancti Patres,(*) « sese ultro sine divina dispositione præficiunt; « hi se præpositos sine ulla ordinationis lege « constituunt: hi nomine episcopatum dante, « episcoporum sibi nomen assumunt; quos de- « signat Spiritus Sanctus sedentes in pestilentiæ « cathedra, pestes et lues fidei; serpentis ore « fallentes, et corrumpendæ veritatis artifices; « venena lætalia linguis pestiferis evomentes; « quorum sermo ut cancer serpit, quorum ta- « ctus pectoribus, et cordibus singulorum mor- « tale virus infundit. (*) » Hi suos libros et nova psalteria, atque ea quidem Davidico psalterio adversantia habent pro tertio testamento. Hos igitur quantum potes a tuis finibus arce; inque animabus ab ista labe tuendis gratissimum te Deo sacrificium facere existima; itaque omnem diligentiam adhibe, utque tui idem faciant mone, ne qui forte irrepant. Hæc nos scribere coegit noster zelus, atque erga nobilitatem tuam benevolentia. Qua etiam de re ad Nuncium nostrum scribimus, cui fidem ut adhibeas rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXII. Septembris 1572. Ponficatus Nostri Anno Primo.

(*) Cyp de unit. Eccl.

(*) Nazianzen. ep. 1. ad Oledon.

Non tamen ille Princeps hortatore indigebat, quippe jam ante VII. Id. Septemb. publice edixerat, nemini ex Hugonottis in sua ditione sedem figere, profugique specie manere licere, prout ipse Gregorio perscribit. (*)

(*) Mantissa docum. N. 31.

LXXVIII. — Studii quo flagrabat ad tuenda Ecclesiæ et servanda jura Princeps ipse Sabaudus luculentum testimonium per eos dies dedit, et suæ erga Apostolicam sedem observantiæ. Gregorius conquæstus fuerat de quadam publice proposita lege, qua Ecclesiæ res minus habebantur immunes, quæ tamen inscio potius, quam admuente Duce prolata fuerat. At vix audita Gregorii intercessione legem Sabaudus ampliavit, publiceque edixit XI. Kal. Jan., ne ejusdem in posterum ratio ulla haberetur. (*)

(*) Mantissa docum. N. 32.

Marchionem interea Estensem legatum suum Romam misit, qui se legis inscium fuisse profiteretur, excusaretque, ac in Gregorii et Sanctæ Romanæ Sedis verba Principis nomine sese sacramento adigeret. (*)

(*) Mantissa docum N. 33.

LXXIX. — Mox idem, ut suum inceptum Pontificia auctoritate confirmaret, a Gregorio oravit. Sacrorum Equitum collegium S. Mauritio Thebæorum tribuno patrono adlecto instituere satagebat, ejus leges Pontifici probari cupiebat, tum Hieromilites Hierosolymitanos, qui Lazariani dicebantur, in unum collegium cum illis cooptari, conjunctis patronorum nominibus SS. Mauritii et Lazari appellandum. Datis binis litteris XVI. Kal. Dec. et Idus Decemb. id Gregorius libentissime præstitit. (*)

(*) Bullar Roman. T. IV. Par III N 9. et 10 pag. 238 et 239.

LXXX. — In Utriusque Siciliæ regno gravior quædam controversia exarserat. Regni judices legem inibi quoque condiderant, qua immunes esse ecclesiasticæ res magna ex parte prohibebantur. Hac de re Gregorius Antonium Cardinalem Granvellanum, qui pro Rege Neapolitanas res curabat, gravissime coarguit, et nihil motus Francisci fratris Ducis Hetruriæ litteris, (*) qui amica opera suadere mitiora conabatur, legem penitus exauctorandam, et ex publicis tabulis expungendam jubet, pœnas Ecclesiæ potestate irrogari solitas costantissime minitatus. En ejus litteras ad Granvellanum. (*)

(*) Mantissa docum. N. 25

(*) Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 299. f. 297.

Dilecto Filio Nostro Antonio Tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali Granvellano nuncupato Regni Neapolitani Proregi

GREGORIUS PP. XIII.

«Dilecte fili noster Salutem etc. Ex eo die quo te ad istius Regni gubernationem vocatum intelleximus, non solum nos ipsi, sed omnes S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, magnam in spem venimus, ut ecclesiastica auctoritas et jura hujus S. Sedis, ut minimum dicamus, nullum detrimentum paterentur; ea Nus spes maxime fefellit. Nam postquam divina bonitas nobis hoc onus pastoralis officii imposuit, nihil frequentius audivimus, quam isto in Regno Jurisdictionem Ecclesiasticam contemni atque occupari, Clericos in carceres detrudi, Jura hujus S. Sedis pertubari, ac novissime agi, ut Judex Ecclesiasticus contra Laicos non procedat, nulla prorsus criminis, vel loci, vel ipsius rei, nulla Sacrorum Canonum atque Conciliorum ratione habita. Hæc Nos valde commoverunt, ut plane ignoraverimus, quidnam hoc sit, quod quo tempore maxime Dei misericordiam implorare deberemus, quo item nihil esset innovandum, quod non solum Christianæ Reipublicæ Statum perturbare, sed nec sensus ac cogitationes nostras in hoc sacrum et tam necessarium bellum assidue intentas alio divertere posset, eo ipso tempore contra Sanctorum Patrum instituta, tanta in Ecclesia Dei novitas exorta sit, tam perniciosa etiam exemplo. Quid non ipsi Populi facient, si Ecclesiæ auctoritatem occupari viderint, ab his præcipue, qui pro ufficii sui ratione, et pro magnitudine, ac numero acceptorum a Deo beneficiorum Ecclesiasticæ id est Divinæ potestati per Jesum Christum in Ecclesia sua relictæ non solum non infensos sed maxime propitius esse

oportebat? Est etiam in hac re quiddam quod proprie ad te pertinet propter jusjurandum gravissimum, quod præstitisti, tum cum ista Cardinalatus dignitate a Sede Apostolica donatus fuisti, quo juramento a te minime servato, in perjurii crimen incidisti. Ejus autem juramenti, si forte tibi ex memoria decidit, exemplum mittimus Dilecto filio Antonio Sacelio nostro isthic Nuncio, ut illud tibi ostendat. Itaque omnia retulimus ad Principem illum discordiarum atque humani generis inimicum, qui etiam hoc malum usque adeo excrevisse voluit, ut Thomas Salernitanus Regens non erubuerit schedulam quandam nonnullis ex familiaribus ejusdem Nuncii nostri jussu tuo, ut ipsi Nuncio traderetur intimare, cujus tenorem te non ignorare scimus, quæ etiam in vestris regestris annotata est, prout de his omnibus nobis constat. Quæ omnia adeo absurda et perniciosa sunt, ut ea nullo modo ferre velimus, nec possimus: nam ut omittamus quod in toto christiano orbe, ut Pastor universalis Ecclesiæ dignitatem et Jurisdictionem tueri tenemur, nonne de rebus, ac proventibus nostris agitur? nonne omni jure cavetur, ut harum rerum judicium ad Nos spectet, in isto præsertim Regno, cujus directum Dominium ad Nos, atque ad hanc Sanctam Sedem pertinet, quod ipsum quid nobis juris tribuat, non ignoramus? Accedit jusjurandum per Reges, et ipsum charissimum filium nostrum Philippum Regem Catholicum in investitura præstitum, quod nec statuta faciet, nec consuetudines introducet seu etiam promulgabit, per quæ juri et ecclesiasticæ libertati in aliquo derogetur. Quod quidem juramentum si tibi tam religiosum erit, quam notum esse putamus, ulterius procedendi onere facile sublevabimur. Nos vero etsi pacis et quietis publicæ cupidissimi simus, omnesque nostros cogitatus eo intendamus, ut soli Deo inservientes rem christianam quantum possumus pacate gubernemus, atque omnium animos, præsertim maximorum Principum Nobiscum consentientes esse cupiamus, si tamen ipsa ecclesiastica auctoritas impetatur, si Canonum decreta negligantur, si nostra possessione in dicta causa spoliemur, existimaremus Nos graviter errare, si dissimulatione aliqua officio nostro deessemus. Quis non dicat Nos, ut Patrem Universalem ad publicam quietem custodiendam teneri, qui non etiam hoc idem onus omnibus Regibus Catholicis, ut filiis nostris, imponat? Itaque cæterorum de quibus supra dictum est abusuum provisionem in aliud tempus differentes mandavimus in primis eidem Nuncio nostro, ut officii sui executionem libere prosequatur; Te vero his nostris literis monemus, atque tibi auctoritate Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostra præcipimus sub pœna privationis omnis dignitatis, gradus, honoris, nec non sub censuris et pœnis in Sacris Canonibus, et Bulla in die Cœnæ Domini legi consueta contentis, ut schedulam antedictam ex regestris statim omnino deleri et lacerari facias, prout Sacrorum Canonum statutis sub gravissimis pœnis teneris, et infra decem dies a præsentium consignatione de ejus laceratione Nobis fidem authenticam per publicum Instrumentum facias: Nos nihilominus ipsa omnia irrita et inania esse decernimus. Ac de nobis nostrique animi sententia ita persuasum habeas, Nos nisi hæc omnia infra dictum tempus impleveris, ad ulteriora suadente justitia absque citatione processuros: nihilque prætermissuros ex his, quæ ad nostrum spectant officium pro Ecclesiasticæ Jurisdictionis et libertatis conservatione. Has vero nostras litteras voluimos tibi per Nuncium ñrum reddi, eique hoc specialiter jussimus et plenam id faciendi facultatem dedimus, eidemque de earum præsentatione per eum facta Nos atque Officiales nostri certam et indubitatam fidem habebimus, prout haberi volumus et mandamus. Deum Omnipotentem precamur, ut in re tam gravi ea consilia accipias, quæ ipsi Deo grata, quieti universali accommoda, Regi honorifica et populis salutaria sint futura. Datum apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 19. Decembris 1572. Anno primo.

LXXXI. — Decessoris sui vestigiis inhærens totus in eo erat Gregorius, ut Orientis regiones a dira Turcarum tyrannide in libertatem assererentur, et cæteræ orbis plagæ omni illorum metu liberarentur. Vix Pontificale munus ingressus hoc statim animi desiderium cum Joanne Austriaco communicavit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 1. f. 1.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni ab Austria Totius Classis Confœderatorum Principum Christianorum Præfecto, et Capitaneo Generali.

GREGORIVS PAPA XIII.

« Dilecte fili nobilis vir Salutem etc. In hoc Summi Apostolatus onere, omnium onerum gravissimo, cui nos subjicere placuit divinæ voluntati, eidem Deo intimo ex corde gratias agimus quod summam Nobis voluntatem sit elargitus, publice, privatimque ejus Ecclesiæ serviendi, quodque ad tuendam communem causam, quæ hoc sanctissimo fœdere maxime continetur, Nos in dies magis magisque ardentiores efficiat. Quod quidem nostrum desiderium voluimus Tuæ Nobilitati potissimum significare per dilectum filium Marcum Antonium Columnam, quem propter ejus singularem virtutem, spectatamque omni in re fidem, et diligentiam unice amamus; eodemque loco in ista expeditione esse volumus, quo cum voluit esse sanctæ memoriæ Pius V. majoraque ejus virtuti deberi existimamus, cujus meriti, te ipsum testem gravissimum habemus; a quo etiam illum non minus quam a Nobis amari scimus. Erunt igitur hæ literæ testes, et nostræ de communi Ecclesiæ causa voluntatis, et præ-

stantis ipsius Marci Antonii virtutis, et paris utriusque nostrum erga illum caritatis. Ejus verbis super iis, quæ tecum nostro nomine communicabit, eandem quam nostris fidem adhibebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Maji 1572. suscepti a Nobis Apostolatus officii Anno primo.

LXXXII. — At a Philippo Rege jamdiu moræ nectebantur bello in Turcas redintegrando. Bello siquidem Belgico distractus sacro fœderi adjuvando minus operis admovebat, triremesque suas, ut illis provinciis præsidio essent revocabat. Gregorius igitur per Granvellanum Cardinalem, Siciliæ regno pro Rege imperitantem, adhortabatur Joannem, ut aliquam saltem, quæ fœderi juvando sat esset triremium partem fœderatis conjungeret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 101 fol. 99.

Dilecto Filio Nostro, Antonio Tituli Sancti Petri ad Vincula, Presbytero Cardinali Granvelano Nuncupato, Regni Neapolis Proregi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Cognovimus tandem summo nostro cum dolore, et Christianæ Reipublicæ detrimento quorsum evaderet tam longa mora dilecti filii Joannis ab Austria; scripsit enim ad Nos Philippus Hispaniarum Rex Catholicus suas triremes proficisci non esse e re sua; at erat e re Ecclesiæ, itaque etiam maxime sua; quid viderit, aut quos motus tantopere formidare debuerit, ut communem Ecclesiæ causam sic destitueret, non est nunc disputandi locus, sed tantam calamitatem mœrendi. Quod extremum est rogavimus dilectum filium Joannem, ut de regiis triremibus saltem quadraginta vel certe triginta, fœderi, atque Ecclesiæ commodaret; nihil enim his demptis minuitur de præsidio Regis Philippi, cui ad ea quæ formidat tam satis sunt septuaginta triremes, quam centum; fœderis autem auctoritas, et vis retinetur, dum Philippus aliquid ut debet confert de suo; retinentur etiam Veneti, de quibus ut in re desperata fieri solet verendum est ne consilium aliquod capiant sibi, atque Ecclesiæ minime salutare, quod seram pœnitentiam, et lacrymas afferat: hæc te pro tua sapientia videre, et vereri non dubitamus. Et quia scimus litteras tuas magnum apud Joannem pondus habituras rogamus, ut in eandem sententiam de triremibus commodandis quam diligentissime ad eum scribas ac plane persuadeas; postquam eo miseriarum pervenimus, ut quod pro nostro proque ipso fœderis jure imperare debuimus rogemus. Fusius ad te scribet pro jussu dilectus filius noster Ptolomæus Cardinalis Comensis nuncupatus, ejus litteris eandem quam nostris fidem adhibebis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXVI. Junii 1572. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Idem quoque ipsi Joanni Austriaco mandabat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 100. f. 99.

Carissimo in Christo Filio Nostro Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Et superioribus literis scripsimus Nobilitati Tuæ, quantopere cuperemus, quantumque esset e re Ecclesiæ, Te quam primum proficisci, et cum longiorem moram vereremur de nonullorum fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quos de rebus fœderis nobiscum consilio esse voluimus, sententia, alias ad te literas parabamus. Ecce autem dum in consilio eramus afferuntur et recitantur literæ a carissimo filio nostro et fratre tuo Philippo Hispaniarum Rege Catholico hoc rerum statu funestissimæ; itaque omnes qui tum aderamus vix lacrymas continere potuimus, pacemque et veniam a Deo precati sumus, quem iratum arbitramur. Scribebat Philippus idque nonnullis rationibus suadere conabatur, suas triremes proficisci e re sua non esse; at erat e re Dei, atque ejus Ecclesiæ, itaque etiam maxime sua; cujus quidem Ecclesiæ spei, quantum hoc consilio decesserit, quantumque hostibus accesserit utinam nunquam experiamur, sine summo quidem dolore cogitare non possumus. Et quanquam speramus Philippum meliore consilio de sententia decessurum, et salvis suis rebus quidquid poterit opis communi Ecclesiæ allaturum, nec sanctissimi fœderis jusjurandum violaturum, tamen quia ad eum scribere, responsumque expectare longius esset, quam præsens necessitas postulat, rogamus nobilitatem tuam, pro tua pietate, proque ista tua singulari virtute, atque inexhausto Christi gloriæ desiderio, ut quod extremum in tanta calamitate est ex ipsis Philippi triremibus saltem quadraginta vel certe triginta Ecclesiæ commodes, cumque nostris, et Venetorum triremibus proficisci sinas; hoc enim facto nihil debilitatur præsidium Philippi, cui ad eos motus quos veretur, tam satis sunt septuaginta quam centum triremes: fœderis quoque ipsius vinculum retinetur, dum Philippus, quod quidem eum facere oportet, aliquid confert de suo ad hostem communem debellandum, omnes enim sine Regiis triremibus fœdus dissolutum esse existimabunt; quæ res, quantum afferret hostibus animi, atque alacritatis, quantum contra nostris terroris, et luctus! retinentur et Veneti, de quibus ut in re desperata fieri solet verendum est, ne quid consilii capiant non satis sibi atque Ecclesiæ salutare, quodque seram omnibus pœnitentiam, et lachrymas afferat. Quo in loco simus, quantoque in mœrore, et luctu versemur vides; summam autem in hujus postulationis æquitate, atque in tua, dilecte fili, pietate spem repositam habeamus; tibi omnia cupimus; tantam tuæ virtuti laudem invideri, expeditumque ad

immortalem gloriam cursum intercludi, communem causam sic destitui incredibiliter dolemus. Fusius ad dilectum filium Marcum Antonium Columnam, et Paulum Episcopum Pennensem scribimus; ab iis omnia quasi a nobis ipsis accipies, atque eorum verbis eandem, quam nostris fidem adhibebis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXVI. Junii 1572. suscepti a nobis Apostolatus officii Anno primo.

Nec non regio provinciæ Mediolanensis Prætori. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An I. Epist. 169. f. 182.

Dilecto Filio Nobili Viro Aloysio de Requesens Commendatori Majori Castellæ et Status Mediolani Gubernatori Generali.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus literas carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, quibus significabat non posse hoc tempore suas triremes adversus Turcas mittere, propter quasdam bellicos tumultus, quos vereri se dicit; et quoniam existimamus ejus motus causam quam a principio habuit, sublatam esse, et suæ Majestatis res in Flandria meliore nunc statu ac conditione esse, nec ullum in Rege Christianissimo alienatæ ab ipso Philippo voluntatis indicium apparere, atque omnia quieta et pacata esse cum aliis in locis, tum vero in confinibus Mediolani, facile speramus Philippum ipsum hoc rerum statu cognito, et sua sponte et tum nostris literis tum Nuncii nostri, quem ad eum mittimus, verbis de sententia decessurum ac jussurum, ut sua classis eo proficiscatur quo jam pridem destinatum erat. Verum quia non tam cito possumus ipsius Philippi responsum accipere, neque debemus præsentem facultatem amittere, et nihil longius habemus quam dum classem profectam videamus, rogavimus per nostras literas dilectum filium Jo. ab Austria, ut interim de ipsis regiis triremibus saltem triginta commodet Ecclesiæ, reliquæ enim Philippo satis erunt ad reprimendos tumultos quos tantopere veretur. Cupimus igitur in tanta postulationis æquitate, ut Nobilitas tua eadem de re scribat ad Joannem, eumque horteris quantum potes; tuas enim literas magnum apud eum pondus habituras esse non dubitamus, qua de re plenius intelliges ex literis dilecti filii nostri Ptolomæi Cardinalis Comensis nuncupati, cui jussimus, ut Nobilitati tuæ fusius scriberet nostro nomine. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Junii 1572. Pont. Nost. Anno primo.

LXXXIII. — Monitus interea a Venetis Gregorius est, Turcas tanta clade percussos minime tamen animo concidisse; quin immo vehementius insolescere, novas instruere triremes, bellum adversus fœderatos Principes restaurare. Tum vero Gregorius hos instantissime monet ut audaces Turcarum conatus impunes ne sinerent. Catholicum Regem imprimis orat, ut Joannem Austriacum moras nectentem Venetæ et Pontificiæ classi quantocyus conjungi jubeat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 183. f. 227

Carissimo in Christo Filio Nostro Philippo Regi Hispaniarum Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus literas datas Constantinopoli. Earum literarum Majestati tuæ particulam mittimus, ut rem ipsam plenius agnoscas, quo in statu quantoque in periculo omnes versemur vides, quid classium disjunctio ubi neutra pars potest hostibus resistere damni et calamitatis in perpetuum Ecclesiæ allatura sit perspicuum est, quid consilii capturus sit hostis omnes intelligunt, quamcunque enim classem adoriri maluerit, ad certam victoriam proficiscetur, altera devicta, alteram nullo negocio se deleturum confidet, summa necessitas et evidentia nullum consultationi locum relinquit, ea enim dubiis in rebus uti solemus, facto et celeritate opus est, revocandus dilectus filius Joannes frater tuus, eique imperandum, ut quamprimum se nostræ ac Venetorum Classi conjungat, (qua etiam de re ad eum scripsimus) non jam de nescimus qua decentia, sed de universæ Ecclesiæ salute agitur, hostis potens est, opportunitatis capiendæ peritus, superiori clade irritatus magis quam fractus, vires nostræ disjectæ. Obtestamur Majestatem tuam, per tuam gloriam, perque Ecclesiæ ipsius quam tanta cum laude semper hactenus tutatus es salutem, ne eam tuamque ipsius classem in tanto periculo deleas, neve cuiquam alteri cogitationi locum des, neve quid hac causa antiquius habeas; hac te cohortatione tametsi nihil egere intelligimus, tamen pro nostro summo desiderio in quo exprimendo nobis ipsis satisfacere non possumus, eam omittere noluimus, nequid diligentiæ omitteremus pro Ecclesiæ salute, pro qua mori cupimus. Deus benedictus qui possidet corda Regum incendat quotidie magis magisque cor tuum caritate sua, teque facilem reddat huic postulationi, quam nostris verbis universa Ecclesia affert Majestati tuæ. Longiores non sumus, fusius enim scribimus ad Nuncium nostrum, a quo omnia quasi a Nobis ipsis accipies. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXI Julii 1572. Pontificatus Nostri Anno primo.

Ipsi Austriaco desiderium suum aperit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An I. epist. 123. f. 199

Dilecto filio Nobili Viro Joanni ab Austria Totius Classis Confœderatorum Principum Christianorum contra Turcas Præfecto, et Capitaneo Generali.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte Fili Nobilis Vir Salutem etc. Postquam, et ex dilecti filii Joannis de Zunica Philippi Hispaniarum Regis Catholici apud Nos

Oratoris verbis, et ex ipsius Regis literis cognovimus cur putaret non posse suas triremes eum reliqua fœderatorum classe proficisci, certiores facti sumus, eam, quæ tum sola Philippum permanebat rerum suarum tuendarum curam, profectioni impedimento esse non debere, nihil enim suis rebus periculi esse; itaque scripsimus Nobilitati Tuæ, quantum triremium Regiarum cuperemus ipsi fœderi non deesse: nunc aliis, atque aliis testimoniis de Regiarum rerum securitate certiores facti, ac plane persuasi nihil esse quod Philippus, cujus res non minus quam nostræ nobis cura sunt suis rebus vereretur, eosque tumultus, et bella, quæ pertimescenda nulla esse; nec inde quidquam periculi esse unde suspicabatur, simul etiam ipsius brevitate, et oportunitate coacti; quæ oportunitas ut magna ex parte præteriit, ita eam penitus perire pati non possumus, ad eas literas, quas superioribus diebus Nobilitati Tuæ scripsimus, has etiam addendas esse censemus, quibus petimus, ut omnino de regiis triremibus cum nostra et Venetorum classe quinquaginta aut minimum quadraginta, neque enim paucioribus potest nostra classis, hostium classi æquari, et universam hac destitutione non posse sine magna jactura et Ecclesiæ detrimento diutius detineri perspicuum est, simul etiam petimus, ut magnum vexillum cum his triremibus mittas, iisque triremibus quas petimus aliquem præficias, cum Nos, Rex, et Veneti æque confidamus; pollicemurque Nobilitatem Tuam hoc facto in nullam Regis ipsius reprehensionem, aut offensionem incursuram, hocque in Nobis recipimus, quæ omnia, et pro Nostro summi Pontificatus munere, quo de Ecclesiæ bono nos maxime laborare oportet, et pro eo jure quod habemus in istis triremibus regiis in quas tot annos tantum Ecclesiasticorum reditus erogamus, et pro ipso fœderis jure, cujus etiam caput existimus, petimus, et si opus est, jubemus. Speramus autem te Regis ipsius jussu, qui nihil suis rebus timendum esse intelliget, non multo post cum reliquis omnibus triremibus secuturum, quod quidem te pro tua pietate, atque invicta virtute incredibiliter desiderare non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die III. Julii 1572. Pontif. Nostri Anno Primo.

Eadem iterum suadere conatur, ut omni tandem cunctatione seposita contra communem hostem cum classe proficiscatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 162. f. 235.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ Totius Classis Confœderatorum Principum Christianorum Præfecto, et Capitaneo Generali.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Haetenus ex literis Catholicæ Majestatis et ex tuorum apud Nos sermonibus aperte cognovimus, quid mandatorum ab ipso Rege de ejus classe acceperis, quamque arcte ea te observare oportuerit, ut in illo triremium numero, quem nostræ, ac Venetorum Classi concessisti, tuam optimam voluntatem agnoscamus, ac laudamus. Nunc autem ex literis datis Constantinopoli accepimus classem Turcarum summo cum apparatu, atque alacritate procedere, esse autem triremium amplius CLXXX. aliorumque navigiorum complurium, cui multitudini perspicuum est nostram, ac Venetorum classem obsistere non posse, debereque nos magis cogitare de Nostris triremibus tuendis, hostibusque vitandis, quam de illis adoriendis, aut lacessendis. Itaque non putavimus cunctandum esse quin tuam Nobilitatem quamprimum certiorem faceremus, non enim vane id, quod hactenus factum est, agitur de deliberando, deceat ne magis regiam classem huc, an illuc navigare, neque quid pulchrius, aut utilius sit in controversiam vocatur, sed quid facto opus sit; ac ne hoc ipsum quidem ullam consultationem admittit, res in promptu est, necessitas perspicua, agitur de universa tum regiæ, tum Fœderatorum classis salute, intelligent hostis ex hac disjunctione egregiam sibi occasionem oblatam esse rei benegerendæ, et non solum superioris anni ignominiæ, sed universæ etiam Christianorum classis delendæ, eaque occasione uti scient, et quamcumque primum classem adoriri statuerint, sive regiam, sive nostram facile fore ea devicta (quælibet enim per se inferior est) reliquam delere, nullus hic deliberationi locus esse potest, qua in rebus ambiguis uti solemus, res ipsa loquitur, necessitas urget, hostis adventat, non fractum se, sed irritatum ostendit, in hoc temporis puncto omnem suam in perpetuum sive spem, sive desperationem sitam esse intelligit. Quid ergo facto opus est? quod res ipsa declarat, ut nostræ classi tuam conjungas, idque ea, qua majore poteris celeritate. Jam non hortatore indiges, ac ne monitore quidem in re tam perspicua, quamvis enim certa tibi lex a Rege constituta sit, tamen in re tam subita, et gravi nihil est, quod verearis, ne ab ejus præscripto discessisse videaris, Rex enim ipse tali in re idem præciperet, et ejus ministros ea facere oportet, quæ illum pro rei ipsius necessitate fieri voluisse intelligunt. Mittimus particulam earum literarum, quas ex Constantinopoli accepimus, ut rem ipsam plenius agnoscere possis: Fac quod tua virtute dignum est, quod Ecclesiæ, ac Dei ipsius causa quam tuendam suscepisti, magnopere postulat. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXII. Julii 1572. Pontificatus Nostri Anno primo.

Idem iterum scribit VII. Idus Sept. et novos stimulos admovet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 220. f. 306

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir Salutem et Apostoli-

cam benedictionem. Tametsi nec possumus, nec debemus dubitare de tua præstantissima tum voluntate tum prudentia, quarum altera efficit, ut nihil antiquius habeas Christianæ Ecclesiæ gloria, altera ut nullam rei benegerendæ opportunitatem amittendam putes; tamen pro nostro summo desiderio, proque eo, in quo eidem Ecclesiæ inservimus munere, facere non possumus, quin Tuæ Nobilitati ea perscribamus, quæ utrique nostrum curæ esse intelligimus; nescit enim tantum desiderium aut tacere, aut moram ferre. Quo in statu nostræ, atque hostium res sint vides; hinc scilicet optimo, illinc deterrimo; quæ spes illius devictæ reliquiarum classis conficiendarum præclare intelligis, certissima scilicet quæ ratio, omnes vident si te ad Nostram ac Venetorum classem adjunxeris, quod tempus, si quam primum, totum igitur in celeritate est; maxima enim anni pars præteriit, si id quod superest ex demoratione præterierit, elapsa e manibus res erit. Ac si insequenti anno eodem loco hostium res futuræ essent, quo nunc sunt, ferri hæc temporis jactura quoquo modo posset; nunc autem dies ipsa hostem jam profligatum colligit, desperatum recreat, perditum confirmat, atque immaniorem reddit. Nemo enim non intelligit illum nihil aliud moliri, nisi ut classem instauret, seque superiore prælio non fractum sed irritatum ostendat; quam quidem ad rem nihil potest oportunius habere nostra cunctatione tantam autem virtutem, tam ab ipsis hostibus expertam nunc in ocio languere, ac victis ludibrio esse, classemque istam tam omnibus rebus instructam tanta cum impensa contineri, ac tuorum militum ardorem restingui omnes clamant neque ex re Ecclesiæ, neque ex tua dignitate, et gloria esse. Perge igitur ad nostros quantum potes, teque illis adjunge; hostemque si fieri poterit aut adorire aut fugientem insequere; universamque Ecclesiam cujus in te unum conjecti sunt oculi tuo adventu exhilara, atque ad eam palmam contende, quam tuæ virtuti reservavit Deus, neque istum in quo es gloriæ cursum intermitte. Hoc ut quamprimum facias per eundem Deum, qui te ad tantam gloriam quasi manu ducit, totius Ecclesiæ nomine etiam atque etiam rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die VII. Septemb. 1572. Pontificatus Nostri Anno primo.

LXXXIV. — In hasce angustias adactus Gregorius ad Italiæ sese Principes convertebat: Allobrogum et Hetruriæ Duces litteris adibat, rogabatque Pontificiam classem suis opibus juvarent et additis triremibus fortiorem efficerent. Paratos se esse uterque Princeps professi. Hetruscus per suum apud Pontificem legatum et per fratrem suum Medicæum Cardinalem addidit Philippi Regis excusationem, quod hucusque classem contra Turcas mittere moraretur. (*)

(*) Mantissa documentor. N. 36.

LXXXV. — Nemo unus tamen Catholicorum Principum juvandæ rei christianæ contra Turcas alacrior aderat, quam piissimus Lusitanorum Rex. Paucos jam ante menses Pio Pontifice nondum vita functo non solum Pontificis classem se adjuturum, sed et Turcas ipsos ancipiti bello immissis Erythræo mari triremibus susceperat distrahendos. Hac animi magnitudine Gregorius commotus suavissimas non sine lacrimis litteras ad eum dedit, et ut sanctum hoc inceptum sine mora perficeret, est adhortatus. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 231. f. 313.

Carissimo in Christo Filio Nostro Regi Portugalliæ Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Quanquam in literis Majestatis tuæ ad nos datis 30 Junii, et 15 Julii omnia erant te digna, hoc est singularis prudentiæ, humanitatis, et pietatis plenissima; tamen nihil erat, quod non antea esset de te omnium consensu, et sermone celebratum: bonus enim Christi odor est, quo ejus domus, summa cum piorum omnium lætitia est repleta, itaque magis putavimus agendas gratias Deo, virtutum omnium auctori, quam respondendum ad ea, quæ Tu tam pie, tamque sapienter in illis literis disserebas de hoc tam gravi, tamque periculoso Pontificatus munere, deque omni spe in summa Dei benignitate figenda, et locanda, unam illam literarum tuarum particulam minime adgnoscebamus, in qua, sive quod ita putabas, sive quod cupiebas, tam multa nobis tribuebas; laudamus nos quidem desiderium ea in nobis cernendi quæ ipse commemorabas, nostræ autem ad omnia infirmitatis ipsi nobis conscii sumus. Lectis vero aliis tuis literis, multo ante Cardinali Alexandrino Legato Apostolico datis ad Sanctissimum Pontificem Pium, quas idem Pius videre non potuit, tanto gaudio exultavimus in Domino ut neque legendo, neque tua insigni pietate collaudanda, neque Deo gratiis agendis, nobis satisfacere possemus; tantum in illis cernebamus studium Majestatis tuæ, tam ardoris desiderium triremibus, navibus, armis, omni denique bellico apparatu, atque omnibus opibus Christianam Ecclesiam juvandi; nec solum nobis auxilio veniendi, sed a rubro etiam mari Turcas adoriendi, insequendique, sique illos usquam quietos relinquendi, atque omnem eis, quem ingentem ex Oriente percipiunt fructum adimendi; eosque hac ratione a nobis avertendi. An potest quisquam majora auxilia desiderare, quam quæ Majestas tua pollicetur? Imperabimus, inquis, copias, munitiones, naves, atque reliquas res necessarias ad instruendam, ornandamque classem statim in hoc Lusitaniæ regno comparari; ut vel tota, vel ejus pars sancto fœderi auxilium ferat. Benedicat tantæ virtuti omnipotens Deus,

eamque augeat, et remuneretur omni terrena, ac cœlesti prosperitate; nam nos quidem nihil aliud possumus, nisi Sedis hujus Apostolicæ atque universæ Ecclesiæ nomine gratias agere Majestati tuæ, eique amplissima præmia polliceri ab eo, qui cum Ecclesiæ suæ sponsus sit sanguinis, quo cariore eam sibi pretio adjunxit, eo majora habet reposita præmia iis, qui eam tuentur. In quo etiam insigniorem facit pietatem Tuam locus ipse; quo enim a nostri periculo, atque ab hostium metu remotior es, eo in te apertior apparet caritas Christi, quæ non quærit quæ sua ipsius sunt; tametsi nihil potest esse nostræ matris Ecclesiæ, quod nostrum quoque non sit. Hæ igitur literæ, quas non minus ad nos, quam ad Pium Quintum scriptas esse arbitramur, (perspicuum enim est Majestatem tuam non personam, sed ecclesiam, non tempus illud sed causam spectasse) incredibilem nobis spem, atque alacritatem attulerunt. Itaque et Deo et Majestati tuæ gratias agendas duximus, postulandumque totius Ecclesiæ nomine, ut eam in annum sequentem iis auxiliis juves, quæ tam prolixe polliceris; quod tametsi te facturum non dubitamus, tamen pro nostro summo desiderio facere non possumus quin etiam atque etiam rogemus. Nos enim noctes diesque ut æquum est, de ecclesia cruciamur; nec cessamus carissimos filios Maximilianum in Imperatorem electum, et Regem Christianissimum ad hoc Sanctissimum fœdus vocare, cumque iis quantum possumus agimus; nec desperamus; sed sive illi venerint, sive, quod Deus avertat, quid impedimenti erit; tu certe carissime fili tuo nos auxilio ne destituas: animadvertimus enim, te, in illis ad Pium V. literis duo polliceri, alterum de fœdere, cum illa exceptione, si cæteri quoque Christianorum Principes adduci potuerint; quod utinam faxit Deus, nosque hoc videre permittat, ut te, atque alios, tam gloriosi fœderis socios, et consortes habeamus; alterum, de auxiliis mittendis, deque hostibus a rubro etiam mari adoriendis cum illa exceptione, nisi si necessitas aliqua, cui parendum sit, id prohibeat; quam quidem necessitatem nullam fore speramus, Christianamque Ecclesiam, si primum illud non poterit, tuo certe beneficio, tua ac tuorum majorum perpetua fide, pietate, virtute in Christi hostibus arcendis, inque ejus honore et gloria tuenda et propaganda dignissime fruituram, sublatis divina manu impedimentis iis, quæ hactenus tuam optimam voluntatem remorata sunt. Hæc Majestati tuæ scribere voluimus per dilectum filium Joannem Tellum Menesium Tuum apud nos Oratorem; cujus gravitatem, modestiam, ac summam in tuis rebus fidem et diligentiam et sanctæ memoriæ Pius V. et nos experti sumus; confirmamusque magnam illum hinc ab omnibus laudem et benevolentiam reportare, quibus etiam nominibus eum Majestati tuæ commendatissimum esse non dubitamus. Tibi vero cui tantum debemus, quidquid valemus esse supervacaneum putamus; quidquid tamen valebimus, tibi ac tuis valebimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XVII. Septembris 1572. Pontificatus Nostri A. Primo.

LXXXVI. — Præter triremium parandarum curam plura alia, quæ bello usui esse possunt, Gregorius sollerter prospiciebat. Corcyræ in insulæ oppido (par utrique est nomen) Nosocomium ædificavit militibus curandis excipiendisque, qui sacro hocce bello vel morbos, vel alio quocumque corporis incommodo afflictarentur. Anconitanam arcem, nobile in Piceno emporium, firmissimis mœnibus vallabat, bellicis tormentis instruebat, lectissimis præsidiis obfirmabat. Operi perficiendo iusumptis ad CL. scutatorum aureorum nummorum millibus, omnes illas oras, quas creberrimis excursionibus infestas Turcæ fecerant, clausit, et periculo subtraxit.

LXXXVII. — Dum hæc Romæ agerentur Venetorum legati adventarunt, qui nomine Reipublicæ solitam obedientiam Summo Pontifici sponderent. Jam anni initio Dux Venetorum IV. Idus Febr. Paulum Theupolum suum apud Pontificem legatum jussit [*] cum eodem de bello agere opportuno anni tempore instaurando, prout dictis sacri fœderis conditionibus convenerant. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 37.

[*] Mantissa documentor. N. 38.

Hanc animi alacritatem Dux idem jam testatus Gregorio erat XVI. Kal. Junias, cum de suscepto Pontificatu gratularetur. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol. 89.

«Sanctissimo, et Beatissimo in Christo Patri, et Domino, Domino Gregorio XIII. digna Dei providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Aloysius Mocenigo Dei gratia Dux Venetiarum etc. pedum oscula Beatorum. Accepto nuntio, quem quidem nobis lætissimum, atque optatissimum deferri Oratores nostri diligentissime curarunt, Sanctitatem tuam, mirifico Cardinalium omnium consensu, cum primum convenerunt, approbante Divino Spiritu, ad Pontificatum elatam esse, tanta voluptate affecti sumus, quantam percipere jure optimo debeant ii, qui ejusmodi Pontificem, ea præditum mente, sapientia, integritate, Christianis rebus in magnum discrimen adductis, maxime cuperent. Itaque cum immortales imprimis Summo Rectori Deo gratias egissemus, nihil postea nobis fuit antiquius, quam nostræ hujus communis lætitiæ, aliquam Sanctitati Tuæ significationem dare, ac conceptum gaudium per litteras statim exprimere; cui quidem nos, nostraque Respublica universa vehementer gratulatur: ad navis enim Ecclesiæ turbulentissimis jactata procellis gubernacula accersitus unus est, qui eam servare a naufragio recte potest; atque in Sancta ista Sede Ponti-

ficia est collocatus is Christi Vicarius, Religionis Dux, qui Christianæ Reipublicæ conservandæ, ac propagandæ studio incensus in eam præcipue curam incumbat, ut post gloriosam victoriam, quæ divinitus parta est, immanissimi Turcarum Tyranni vires penitus dissipentur, maritimaque ipsius Imperia deleantur. Sanctitatem vero Tuam pro Christi fide, pro Ecclesiæ dignitate, pro publica salute excubantem animo huc cogitationes hoc tempore conversuram, nomenque Christianum prudentissime et fortissime defensuram non dubitat; atque hac de causa omnes perpetuam illi vitam optant, quasi sibi perpetuam felicitatem optare videantur. Nam si Pastorem et Gubernatorem tam pium, tam prudentem, tam peritum ulla unquam tempora desiderarunt; nostris certe hunc esse datum omnes intelligunt; ac magnopere lætantur, istum maxime omnium in terris editum, et illustrem locum obtinuisse præstantissimum Virum, quem liberales doctrinæ erudiverint, magnarum rerum usus docuerit, admirabilis vitæ innocentia, singularis virtus ad altissimum dignitatis gradum evexerit. Nos autem debitum, ac solemne gratulandi officium, more majorum, primo quoque tempore nobilissima Legatione præstabimus, ut Sanctitas tua perpetuam nostram erga ipsam observantiam, veteremque erga Sedem Apostolicam cultum cognoscere possit apertius. Ac quemadmodum nos tantum eidem ultro deferimus; ac libenter pollicemur, quantum ab optimis, et obsequentissimis filiis potest expectari; ita etiam confidimus Sanctitatem Tuam a paterni animi benevolentia, atque officio erga Rempublicam nostram nunquam discessuram.

Datæ in nostro Ducali Palatio, die XVII. Maji. Indictione XV. MDLXXII.

OCTAVIANUS MAGIUS Secretarius.

En modo ejusdem litteras, quibus Legatos Reipublicæ Pontifici sistit, commendatque. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 38. fol. 84.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri, et Domino, Domino Gregorio XIII. Digna Dei Providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Aloysius Mocenigo, Dei gratia, Dux Venetiarum, etc. pedum oscula Beatorum. Delegimus ad Sanctitatem Vestram Oratores nostros Nobiles dilectissimos, et ex primariis Reipublicæ nostræ viris Nicolaum De Ponte, D. Eq. et Divi Marci procuratorem, Vincentium Maurocenum, Andream Baduarium, et Paulum Theupulum Eq.; quibus in mandatis dedimus, ut una cum dilectissimo Nobili nostro Joanne Superantio Eq. istic Oratoris nostri munere fungente eam Sanctitati Vestræ obedientiam Reipublicæ nostræ nomine præstent, quam Pontificibus Maximis, Sanctissimæque isti Sedi majores nostri semper præstandam censuerunt. Quamobrem, ut eam illis fides habeat, quam nobismetipsis, si eam coram alloqueremur, haberet, Sanctitatem Vestram etiam atque etiam rogamus.

Datæ in nostro Ducali Palatio die XIV. Septembris, Indictione Prima MDLXXII.

DOMINICUS DE VICO Secret.

LXXXVIII. — Adventantes ad Urbem Legatos maximis honoribus excipi, atque Urbem intrare Gregorius summopere curavit. Lubet hac de re Mucantium audire. [*]

[*] Diarior. Tom. XIV. fol. 36

« Die Dominica 5. Octobris ingressi fuerunt Urbem Oratores quinque a Republica Venetorum destinati, ut Sanctissimo Dño nostro obedientiam de more præstarent, quibus obviam iverunt familiæ Revñorum DD. Cardinalium multique Prælati, et nobiles usque ad Vineam Julii Papæ III. extra Portam Flaminiam, ubi substiterant expectantes horam ingrediendi, prout nostro tempore omnes fere Principes et Oratores, qui solemni pompa et frequenti totius Curiæ comitatu recipiuntur per breve temporis intervallum cum in locum secedere solent, et salutationes obviam prodeuntium audire et excipere tamquam ad id opportunum et modicum ab Urbe distantem. Familia vero Papæ, hoc est Magister Domus cum Prælatis assistentibus pontificali habitu indutis, cubiculariis quoque et scutiferis eorum habitu festivo, id est rubeo, vestitis subsequentibus, usque ad dictam portam, et parum extra eam prodierunt, et advenientibus illuc Oratoribus, ipse Magister Domus brevi sermone congratulatus est eis de felici adventu nomine Summi Pontificis, significans optimam illius voluntatem erga Rempublicam Venetorum et ipsos Oratores, ac propterea ad eos honorandum familiam suam misisse, et habito ab eisdem paucissimis verbis responso, in Urbem consueto ordine ingressi sunt. Nam prius et ante omnes equitarunt milites, seu equites levis armaturæ de custodia Sanctissimi bini, non tamen armati, nec cum lanceis, sed super eorum sagos pallia communia habentes: post hos parafrenarii Cardinalium mulis suorum dominorum stragulis ac phaleris rubeis ornatis insidentes, ipsi vero galeros rubeos eorundem Cardinalium post terga appensos gerentes, eodem modo bini: Parafrenarios sequebantur familiæ Cardinalium et Curiales, deinde familiæ Oratorum, post hos tubicines, mox Scutiferi Papæ cum vestibus rubeis, postremo Barones et Illustres Viri, tum duo Clavigeri seu Mazerii Papæ, et medius inter eos Magister Cæremoniarum immediate ante Oratores equitans. Primus Orator equitabat medius inter Magistrum Domus Papæ a dextris, et primum Prælatum assistentem a sinistris, alii Oratores in medio, vel a dextris aliorum Prælatorum assistentium, quos sequebantur alii Prælati et Cubicularii Papæ vestibus et caputiis rubeis induti; a lateribus incedebant pedestres milites Helvetii hastati de custodia Sanctissimi, Tympanistæ vero præibant ante

familias Oratorum. Hoc ordine equitarunt usque ad hortos Rmi D. Cardinalis Ferrariensis in Monte Quirinali, ubi consistentes ante fores egerunt gratias de more. In mole Adriani bombardarum sonitus ingens auditus fuit, quamvis illic Oratores non transierint.

« Placuit distincte ordinem nunc Comitantium Oratores in Urbis ingressu describere, ut appareat diversitas ab eo ordine qui ponitur in Cæremoniali, et qui observabatur dum Paris Grassus fuit Cæremoniarum Magister, hoc est temporibus Julii PP. II. et Leonis PP. X. prout ipsemet in suo quodam opusculo de Oratoribus et Principibus venientibus ad Urbem testatur, ad hoc ut judicari possit quid magis deceat. Etenim in libro Cæremoniali ordo sic describitur, ut scilicet primo procedant familiæ Cardinalium et Curialium qui brevibus vestiuntur, tum Sarcinæ et familiæ Oratorum novorum, omnes bini; deinde familiares Papæ laici et Nobiles ac Barones, mox servientes armorum cum suis baculis argenteis, demum Oratores novi, quorum primus medius esse debet inter duos primos Prælatos a Pontifice missos, et si plures Oratores erunt equitabunt unus post alium in medio Prælati Pontificis a dextris, et aliquem ex oratoribus Principum in Curia existentibus a sinistris. Et si Orator novus erit tantummodo unus, sequuntur Comitantes post eum bini, videlicet Prælati Palatii a dextris, Oratores antiqui a sinistris; si vero Oratores novi essent plures, quam ut possent a Prælatis Palatii et ab Oratoribus antiquis medii retineri, tunc ire debent post primum (qui semper medius inter duos primos Prælatos equitat) bini ac bini alternatim, hoc est in prima copula unus Orator novus a dextris, et unus Orator antiquus a sinistris, in 2.ª copula alter Orator novus a dextris et Prælatus Palatii a sinistris, in 3.ª copula Orator novus a dextris, et Orator antiquus a sinistris, et sic deinceps usque ad ultimum: deinde sequuntur alii Prælati quisque suo ordine, mox Subdiaconi, Auditores Rotæ, Clerici Cameræ, Accoliti, Cubicularii et alii Papæ familiares togati. Jam ex his unusquisque intelligere potest quam diversus sit usus nostri temporis ab eo qui in Cæremoniali recensetur. Primo enim in Cæremoniali nulla fit mentio de Equitibus levis armaturæ, qui omnes præcedunt, viam cæteris demonstrantes, nec etiam de Parafrenariis Cardinalium, qui post prædictos equites subsequuntur cum mulis et galeris rubeis suorum dominorum; quod autem dicitur in Cæremoniali Sarcinas ac jumenta clitellaria Oratoris sequi post familiares Cardinalium et Curiales, hodie non est in usu, ut eo loco incedant, sed quando adsunt, præmittuntur ante omnes etiam milites levis armaturæ: ordo etiam Prælatorum Palatii et Oratorum antiquorum in associandis Oratoribus novis non servatur amplius; immo nec ipsi Oratores antiqui veniunt obviam novis, sed tantummodo Magister Domus Papæ cum Prælatis Assistentibus, ut dictum fuit; nulla etiam fit mentio in Cæremoniali de bombardis in ingressu Oratorum exonerandis pro lætitia et honore. Paris autem Grassus in prædicto suo opusculo cap. XI. testatur, consuevisse Gubernatorem Urbis cum Prælatis Palatinis obviam Oratoribus prodire et primum locum inter omnes habere, et verba erga Oratores nomine Pontificis facere: nostris temporibus nunquam venit Gubernator, sed nec Prælati Palatini, quorum etiam nomen fere obsolevit, adeo ut perpauci hodie eo nomine appellentur, nec habent privilegia, quæ olim habebant. Nec in specie in hujusmodi Principum Oratorum receptione antecedebant omnes, et quoscumque alios Prælatos, etiam assistentes. Nunc vero ipsi Prælati assistentes una cum Magistro Domus Papæ hoc officio funguntur, et præferuntur omnibus. Nec etiam aliqui Principes amplius interveniunt, et fortasse melius fit hodie ad removendas plures controversias, quæ sæpe oriebantur super præcedentia inter ipsos Principes et Oratores ac diversos Prælatos, quæ facile quandoque rixis et tumultibus occasionem præbere poterant, ac certe ipsum actum diutius remorari quam par esset, dum pro suo quemque loco cæremoniarum Magister congrue disponere, et differentias componere studebat. De qua re late disseruit Paris in dicto opusculo cap. 16. referens multiplices differentias procedendi pro diversa personarum qualitate, qui etiam dicit Equites levis armaturæ in hoc actu venire armatos, et cum lanceis. Hinc colligimus, ipsas cæremonias frequenter et facillime in hac Romana Curia mutari arbitrio et voluntate Pontificum, et nonnunquam sua sponte, nemine advertente aut contradicente, quandoque in melius, quandoque in deterius, cujus rei plura exempla adducere possem, quæ alibi commodius et aptius, Deo dante, commemorabo. Non omittam hunc usum præmittendi Parafrenarios Cardinalium cum mulis ornatis et galeris rubeis, ut supra dictum est, olim tempore Paridis Grassi fuisse alio modo; non enim simul quasi collegium facientes, sed singuli cum familiis suorum dominorum equitabant; et cum tempore Leonis PP. X. incœpissent procedere simul juncti, et in loco honorifico, videlicet immediate ante scutiferos Papæ, fuerunt jussu Leonis repulsi, et mandatum, ut irent unusquisque eorum cum familia sui Domini, ut ante solebant, nec haberent collegium, ut notat idem Paris in suis Diariis Leonis X. sub die 24. Maji 1513. In ingressu Oratorum Florentinorum nihilominus Decretum Leonis procedente tempore obsolevit; nam, et Collegium habent, et simul juncti et bini Oratores in Urbem ingredientes comitantur, hoc tantum mutato, ut primi ante omnes familias et Curiales equitent post

Equites levis armaturæ; et certe meo judicio magis convenit, ac magis conspicuum est, ut sic simul incedant, quam mixti inter nobiles, ac familias Cardinalium suorum dominorum accedere debere, quasi ex hoc demonstretur ipsos Cardinales mittere obviam Oratoribus mulas et Parafrenarius, qui postremi sunt de familia, idque in modicum Oraturum decus redire: his enim facile respondetur tale judicium nunquam ab intelligentibus ferendum fore; cum satis constet quemlibet Cardinalium totam suam familiam obviam Oratoribus mittere, idest a primo ad ultimum: quilibet enim destinat illuc Magistrum Suæ Domus, vel aliquem Prælatum, una cum nobilioribus suæ familiæ, ac etiam inferioribus usque ad Parafrenarios, quod apparere non posset, nisi ipsi Parafrenarii ab aliis dignoscerentur; jam enim prius illi nobiliores sese oratoribus ostenderunt, illosque salutarunt nomine suorum Dominorum. Aliud quoque circa hæc animadvertendum duxi, quod nostris temporibus fere nunquam post ipsos Oratores et Prælatos assistentes, qui eos comitantur aliqui alii Prælati, nec officiales præter Cubicularios, vel admodum pauci veniant, cum tamen in Cæremoniali libro caveatur Subdiaconos, Auditores Rotæ, Clericos Cameræ, Accolitos et alios Curiales togatos sequi debere, ut prædixi. Immo et ex ipsis Prælatis Assistentibus pauci admodum veniunt, quod certe minuit decus et majestatem hujus Curiæ. Ideo consulto Pontifice erit in posterum providendum.

« Die 7. Octobris feria 3. fuit Consistorium publicum in Palatio Sancti Marci in aula majori, quæ loco Aulæ Regiæ in Palatio Vaticano habetur ad recipiendum Oratores Venetos, licet alias consuetum esset eos recipi in aula Ducali, sed a tempore Pii PP. IV. sic observatum fuit. Oratores venerunt curru ob multam pluviam, nec defuit comitatus familiarum Rñorum Cardinalium, quamvis confuse et sine ordine, pluvia impediente. Ingressi Palatium substiterunt in mansionibus Rñi Dñi Cardinalis Comensis, quas in Palatio habebat, donec in Consistorium vocarentur. Præstita reverentia per Cardinales in Consistorio, sex Prælati ex assistentibus iverunt ad introducendum Oratores in Consistorium, quorum primus venit medius inter duos primos Prælatos, cæteri a dextris aliorum Prælatorum. Ingressi in aperturam subselliorum fecerunt primam reverentiam genuflexi, 2.am in medio, 3.am ante gradus solii, mox ascendentes osculati fuerunt singuli pedem, manum, et os Papæ juxta ritum, et primus præsentavit litteras, addendo pauca verba. Redeuntes a Papa, et inclinantes se hinc inde versus Cardinales, qui eos vicissim resalutarunt, locarunt se scamno posito retro sedile Cardinalium Presbyterorum, ex quibus ille, qui orationem habiturus erat omnium postremus e regione Pontificis constitit, et lectis litteris per Secretarium Papæ peroravit cum omnium laude et attentione, et responso accepto per eumdem Secretarium, accedentibus Cardinalibus amicis, et ab ipsis Oratoribus prius invitatis, apud Pontificem honoris causa, ipsi quoque denuo ad Pontificem venerunt, ejusque pedem osculati sunt; tum surgentes et stantes ad dextram Pontificis petierunt osculum pedis S. S. pro suis familiaribus, prout omnes deosculati fuerunt, et in fine Papa recessit ad se exuendum paramentis, et duo primi ex ipsis Oratoribus sustulerunt fimbrias posteriores pluvialis. Mox omnes redierunt in curribus ad eorum hospitium, comitantibus amicis.

LXXXIX. — Theupolus in Pontificis conspectum receptus gravem omnino, quam addimus, et satis ornatam orationem habuit, qua mandata suæ gentis Pontifici et Purpuratis S. R. E. Patribus aperit, vota Reipublicæ, cujus maxime de sacro bello intererat, ut eidem instetur, exponit. [*] [*] Venetia Vol. 23. f. 3.

Oratio Venetorum ad prestandam obedientiam.

« Primo illo nuntio, Gregori Pontifex Maxime, quo Senatus et universa civitas nostra tibi Pontificiam dignitatem, favente divino spiritu, et miro omnium Cardinalium conspirante consensu delatam esse cognovit, uberrimum lætitiæ fructum cepit, quod cum rei christianæ augendæ perpetua in te voluntas fuisset, ad eam voluntatem summa etiam facultas accesserat. Quod etsi nobis fuit commune cum multis, quæ tua privata felicitas ad plurimarum gentium tranquillitatem atque otium redundat, et cum publica utilitate conjungitur; tamen idem sentiu magis ad nos pertinere, qui cum impiis et barbaris nationibus hoc tempore bellum gerimus, si dignitas quæratur, gloriosissimum; si causa spectetur, justissimum; si periculi magnitudo, etiam maxime necessarium. Vides enim, Pater Sanctissime, tu, qui alte perspicis, quæ in tempora nostra ætas incidit, quam difficilia, quam turbulenta, cum ex altera parte hæretici homines catholicæ Religionis veritatem conentur evertere, ex altera nobis Turcæ bellum inferant, hostes Ecclesiæ sempiterni.

« Nec vero post hominum memoriam tot, tamque multiplices atque inter se dissidentes hæreticorum hominum opiniones extiterunt, qui a recta pietatis via ita aberrant, ut non tam Religionis, quam humanæ societatis fundamenta convellere, nec tam sacrorum rituum veterem disciplinam et majorum suorum instituta, et consuetudinem deserere, quam cum temperantia, cum honestate, cum justitia, cum ratione pugnare videantur. Et quia Europæ magnam et pulcherrimam partem occuparunt, quas seditiones concitaverint, quantas Reipublicæ calamitates importarint, recordari sine maximo dolore non possumus.

« Bellum præterea geritur cum Tyranno ac

Principe omnium importunissimo: qui se in suscipiendo imperio insolentissimum, in gerendo iniquissimum præbuit: nec minus christianorum Principum dissensionibus ac dissidiis, quam suis opibus fretus, orbis terræ imperium appetit: omnia enim concupiscit, et, quæ armis et viribus si consequi posse diffidit, in dolosis consiliis tentat; nec enim fidem datam ac sollemni jurejurando constrictam violare dubitavit, cujus nomen etiam apud omnes barbaras nationes sanctum atque inviolatum semper fuit. Et quoniam superiore anno maximas classes, quas ad nostram perniciem pararat atque instruxerat, præter spem, præter consuetudinem amisit, nunc iracundia et dolore ardens in hanc unam cogitationem, et curam incubuit, ut victoriam illam ulciscatur; atque huc quidem deducta res est, ut nobis ille vel sit omnino profligandus, vel, ut levissime dicam, in perpetuum metuendus: etenim jam vidimus perculsum illud monstrum et prope intermortuum se repente extulisse, et ad bellum renovandum revixisse.

« Quare civitas nostra, quæ in gremio Christianæ Religionis nata, et alta semper est, spesque omnes suas in unius Dei præsidio posuit atque defixit, quæ urbem non propugnaculis et mœnibus, sed religiosorum hominum sanctissimis ædibus et templis circumsepsit, atque his munita præsidiis in maximis superiorum temporum conversionibus se ab omni labe impietatis liberam, incorruptamque semper præstitit; quæ pacis et belli rationes cum sacrosancta hac Sede ita habuit conjunctas, ut omnes motus et varietates cum ea sibi communes esse semper duxerit; nunc minime omnium ignorat, quantum vel ad suas, vel ad communes aliorum rationes momentum afferant tam variæ atque in contrarias partes districtæ de Religione sententiæ, quæque ex hoc fonte ad universum Dei populum mala profluxerint. Quod pro sua in Deum pietate iniquissime quidem patitur, nihilque cupit ardentius, quam ut salutaribus consiliis et remediis hæc incommoda quam primum subleventur.

« Belli autem offensiones eo gravius fert, quo propius ab hostium præsidiis et armis Venetæ ditionis fines absunt, nosque ad eorum impetus et casus subitorum periculorum fortuna magis objecit, omnes enim formidines et tempestates, quæ a Turcis impendent, nobis sunt potissimum subeundæ, quibus ii maxime sunt ob bellorum contentiones infensi, et ob finitimas regiones ad nocendum parati.

« Quam vero Religionis nostræ perpetuis hostibus naturali quodam odio infesti atque adversi Veneti semper fuerint, testes sunt res ab illis gestæ et amplissimis annalium monimentis consecratæ, toties Maurorum copiæ fugatæ atque devictæ, tot militum et classium expeditiones in Syriam factæ ad Hierosolymam, Dei terrestre domicilium, sanctamque illam regionem recuperandam et conservandam.

« Nam quid de Turcis dicam? cum quibus gravissima bella persæpe gessimus. Centesimus fere hic est annus, cum eorum vim et impetum Veneti soli exceperunt, et per annos decem tam pericolose, quam fortiter sustinuerunt. Hoc vero bellum quanta alacritate et studio susceperint, instruxerint et persequantur, certe nemini dubium est, cum præsertim classis et exercitus nostri ac reliqui apparatus bellici non modo sociorum, sed ipsorum etiam hostium expectationem superarint.

« Atque utinam nostris conatibus fortuna adfuisset! Non enim opulentissimo regno spoliati hostium vim, crudelitatemque pertulissemus. Ac nobis quidem Cypria illa clades calamitatem et luctum attulit, cæteris Christianis Principibus documentum esse potuit instantis periculi, nisi immanissimorum hominum potentia opprimatur.

« In hac communium rerum perturbatione et motu, Pater Sanctissime, cum sancta hæc Sedes suo moderatore et Principe esset orbata, et more institutoque majorum cuncti Cardinales unum in locum convenissent, ut novum Pontificem legerent; tibi postridie, quam cum cæteris Cardinalibus eo conveneras, quod erat maxime optandum, maximeque his temporibus consentaneum, universæ Ecclesiæ potestas et gubernatio concredita est. Cujus rei deliberatio tam subita, tam plena consilii et æquitatis, tanto amplissimi ordinis et Spiritu Sancto congregati consensu atque lætitia, non dubitamus, quin divinitus acciderit, et nostrorum temporum felicitati, quasi salutare quoddam sidus, antecesserit atque præluxerit.

« Tibi, Pater sanctissime, ad gloriam majus atque splendidius dari nihil poterat, quam, quod ex tota Europa lectissimi viri, Christianæ Reipublicæ lumina et firmamenta, suo judicio atque consensu tribuerunt, qui cum virtute et auctoritate excellerent, teque amplissimæ dignitatis socio uterentur, tamen tibi parere, quam tecum de summo honore contendere gloriosius esse judicarunt: tuæque fidei et sapientiæ omnem existimationem suam, omnia Religionis jura et instituta, omnium fere populorum et gentium salutem crediderunt. Neque hoc habes a fortuna, propterea quod in sapientium consilia nunquam temeritas incurrit, sed a gravissimorum hominum proposita ratione, qui in te ornando non minus judicii laudem quæsisse, quam tuæ probitati, et virtuti potestatem jam diu debitam tribuisse videantur.

« Multis laboriosisque muneribus in Urbe exercitatus, extra Urbem honestissimis legationibus perfunctus, etsi omnia non ad tuam privatam laudem, sed ad publica Ecclesiæ commoda et ornamenta referebas; tamen ita contigit, ut ex tua

fide, consilio et diligentia, ad alios utilitas, ad te honor benemerendi perveniret. Ergo his innocentiæ et virtutis quasi gradibus ad eam dignitatem ascendisti, ad quam nulla in terris fieri accessio honoris potest. Quod cum tam mature atque in tempore successit, justissimæ et gravissimæ sunt causæ, cur nos in primis tuæ amplificatæ dignitati, nostræque felicitati gratulemur, ea a te expectantes, quæ ad Religionem optime constituendam, et ad belli subsidia comparanda sunt necessaria. Quæ enim certos homines primum temere, deinde etiam impie ab Religione abduxerint, ea sunt non incertis rumoribus ad te perlata, sed suis vestigiis indagata, tibique explorate perspecta. Quod vero attinet ad hostium audaciam comprimendam, jam inde ab initio tui Pontificatus ea omnia a te statim sunt imperata, quæ hujusce belli comparatio, et administratio exigebat: nullamque tuam operam et diligentiam desiderari passus es. Ex quo perspicuum est quantæ tibi curæ sit christiani populi non modo salus, verum etiam dignitas.

« Huc accedit quod propter rerum maximarum usum, singularemque prudentiam a te ratio iniri potest, quemadmodum Christianorum Principum mentes et voluntates inter se copulentur, et ad communem Catholicæ fidei hostem profligandum et expugnandum consentiant. Quod tentare honestissimum est; perficere autem non tam difficile, quam gloriosum, tibi præsertim, qui eorum consilia et rationes habes exploratissimas.

« Nobis nulla umquam occasio aut tam ampla, aut tam præclara dari potuit, ad quam arripiendam omnes, quibus populorum salus commissa est, quasi ipsius Dei vox exhortatur. Usus jam nos docuit insolentissimi Tyranni opes, et intollerabilem potentiam frangi debilitarique posse, quem nunc verisimile est populos habere partim perterritos, partim desiderio libertatis erga nos optime animatos, ut si ipsi deesse nobis nolumus, etiam mutæ illæ regiones et loca majorum nostrorum signata vestigiis nos non ad dubiam pugnam, sed ad certissimam victoriam invitare videantur.

« Itaque, Pater Sanctissime, non ex stellarum cursibus et rerum cœlestium contemplatione, sed ex tuis præclarissimis virtutibus libet nobis augurari, ea quæ de summa Christiani imperii decernenda sunt, nostro felici quodam fato tibi esse reservata, atque ita fore ut christiani Principes universi tua prudentia et auctoritate ad Dei hostes sanctissimo bello opprimendos inducantur, et dum Religionis jura dignitatemque defendant, suas quoque regiones tueantur, multa ad suum imperium adjungant, posteris perpetuum otium pareant, ipsi denique ob res præclare gestas a Deo gratiam ineant, et immortalem gloriam consequantur. Quæ si evenerint, ac potius cum evenerint, o fortunatam christianam Rempublicam, o beatam tui Pontificatus conditionem, cum Religio bene constituta uberius efflorescet, communi bonorum omnium hoste devicto atque afflicto pax, justitia, pietas, innocentia, et fides vigebunt, nos pacatis rebus omnibus perpetuis plenisque gaudiis cumulabimur, et tuo potissimum consilio, et virtute etiam Dei Ecclesia tranquillis vereque aureis temporibus perfruetur.

« Harum rerum spe et expectatione ductus Senatus Venetus, Pater Sanctissime, gratulatum nos oratores ad te misit, quod tua ista omni laude cumulata amplitudo eum bonorum omnium animos, tum præcipue Venetorum, qui tibi sanctissimis et amoris et observantiæ vinculis sunt adstricti crexerit, et recrearit. Quod valde ex voluntate nostra facimus, atque hoc ipso die maxime, qui dies divinam illam superioris anni victoriam et mortalium omnium laude celebrandam nobis attulit, summamque etiam meliorem rerum expectationem dedit.

« Alterum legationis nostræ munus est, ut Principis, Senatus et civium nostrorum nomine, qui Sacrosanctam hanc Sedem in primis venerantur et colunt, tibi, Pater Sanctissime, debitam venerationem et obedientiam præstemus, id, quod conjunctissimis animis et voluntatibus pie et libenter facimus: tibique omnia amoris et pietatis officia pollicemur, quæ parenti optimo et sanctissimo tribui a gratissimis filiis solent, Te obsecrantes, ut nos Tibi, Sedique Apostolicæ conjunctissimos et obsequentissimos fore semper statuas, neque recuses, quo minus nostrorum temporum fortunam esse ducas tuam, cum præsertim quarumcumque rerum nobis unquam erit facultas et copia, earum rerum usus Tibi, et Sanctæ Sedi Apostolicæ paratissimus sit futurus.

« Reliquum est, Pater Sanctissime, ut quoniam eo in loco te virtus tua collocavit, infra quem cœteri homines sunt, incolumitatis et gloriæ fructum tibi maxime diuturnum exoptemus. Quod pro communi omnium utilitate, et Ecclesiæ amplitudine summe cupimus, nostra vero causa a Deo omnium bonorum auctore, etiam summe assidueque præcabimur ».

XC. — Venetorum oratione, monitis, precibusque, atque aliorum alacritate excitatus eo magis ad Joannem Austriacum Gregorius convertitur. Messanæ cum triremibus adhuc morabatur, sed in eo erat, ut e Sicilia Hispaniam et Batavorum insulas versus vela faceret. Monet igitur Pontifex, ut exitiosum hoc consilium animo deponat, et ad profligandas Turcarum vires Venetis et Pontificiis triremibus cum suis consociatis penitus incumbat. (*) (*) Reg. Gregorii XIII An. I Epist. 282 fol. 349

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecte fili, nobilis vir, Salutem et Apostolicam benedictionem. Dilecte fili, incredibiliter dolemus eam Tuæ Nobilitati rei benegerendæ facul-

tatem atque adeo victoriam ereptam esse, ad quam te, virum clarissimum, atque ad maximas res natum, inque eis ingenti semper cum laude et gloria versatum, spe sua homines vocabant, quamque Ecclesiæ Dei pollicebatur virtus tua, et superioris anni victoria. Hoc dubitamus te non minus quam nos ipsos dolere, tum communi, tum tua etiam privata jactura; eo enim loco erant res nostræ, ut jacturam fecisse existimemus, quod non ingens aliquod lucrum fecerimus. Primum illud optandum erat universam hostium classem deleri; proximum, insigni aliqua eam clade affici; tertium quam longissime fugari; postremum in aliquo sive Venetorum sive hostium portu, quam proxime ipsos hostes hybernare. Quæ quoniam nobis omnia erepta sunt, providendum est, ne majorem aliquam jacturam nostra culpa faciamus. Ea autem duplex esse potest, si tu in Hispaniam discesseris, aut siquid triremium, aut militum sejungi, atque abire permiseris. Tuum discessum mira quædam apud nostros animorum abjectio, et desperatio; apud hostes autem spes atque alacritas consequetur; quæ quidem quantum utrinque valeant in rebus bellicis, nemo te melius intelligit. Omnes enim vident te totius fœderis quendam quasi nexum esse; eodem absente te existimabunt omnia dissoluta esse; quæ res incredibilem hostium audaciæ afferet accessionem, nostrorum autem virtuti decessionem. Ipsam vero militum aut triremium missionem, summa, fractis animis, si minus quod veremur desperatio, ac certe redeundi tarditas, consequatur necesse est. Interim vero hostes majore, atque instructiore classe comparata, summa cum celeritate accurrent, tum reliquas Christianorum, tum vero utriusque Siciliæ eorum incursionibus maxime expositæ, oras depopulabuntur, et quidquid reliquum erit classis nostræ adorientur, ac perdent, et misere conversa rerum omnium ratione, victi, de victoribus (quod dicere exhorrescimus) triumphabunt. Ad Christianorum igitur Reipublicæ rem et spem retinendam, atque ad militum animos confirmandos, et hostium audaciam retundendam necesse est te Messana non discedere, et classem, quam instructissimam ac paratissimam habere; et ipso veris initio majoribus etiam copiis et classe in hostem contendere; neque committere ut illum ad nostras oras accedere sinas, ac belli a se periculum et calamitatem ad nos convertere. Neque vero hæc temere scribimus, aut de tua virtute, et rei militaris peritia dubitantes, sed quia veremur, ne Philippus Rex Catholicus tui desiderium ferre non possit, teque in Hispaniam revocet; hoc enim adhuc incerto quodam rumore accepimus. Quod si ita est, paucos saltem nobis dies largire, neque te Messana commove, neque milites mitte, aut classem dissolve; sed omnia integra ad novum Regis ipsius responsum, quod propediem aderit reserva; nos enim ad eum misimus quam celerrime et expeditissime. In hac autem brevi mora nihil detrimenti erit, contra summa utilitas. Quod sive Rex de sententia, ut speramus, decesserit, sive in ea permanserit, integrum tibi erit utrique sententiæ parere aut posteriori, aut certe priori. Hos igitur paucos dies quantum possumus postulamus, quos, te propter postulationis æquitatem non negaturum confidimus. Quæ omnia latius explicabit dilectus filius Claudius Gonzaga Noster Cubicularius secretus cujus fidei propter generis atque animi nobilitatem plurimum confidimus. Ejus igitur orationi eandem quam nostræ fidem ut adhibeas rogamus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 27. Octob. 1572. Pontificatus Nostri Anno primo.

Nec defuere rursus ejusdem Gregorii ad Granvellanum litteræ et preces, ut Joanni jungendæ classis auctor fieret. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 260. f. 317.

Dilecto Filio Nostro Cardinali Granvelano

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Magnopere veremur ne dilectus filius Joannes ab Austria revocetur in Hispaniam a carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico, sive quia ejus desiderium ferre non possit, sive quid aliud causæ sit; arbitreturque posse illum sine ullo fœderis detrimento hac hyeme in Hispania manere; quod ut verum fateamur, rumore quodam accepimus. Ab hac mente Regem quantum possumus per literas deterremus; ab ipso autem Joanne postulamus, ut saltem maneat tandiu, dum responsum ab ipso Rege expectamus; mittimusque hac de causa dilectum filium Claudium Gonzagam Nostrum Cubicularium Secretum. Videmus enim Joannis discessu omnem spem abjectam, contraque hostium audaciam confirmatam atque auctam iri, nec facilem postea, fractis jam animis, militum reditum fore. Contra autem opus esse corporum, animorumque præsentia, et maxima in futurum annum classis et copiarum comparatione, summa item veris initio celeritate, quæ te quoque sentire non dubitamus. Cupimus igitur, ut hanc Claudii legationem, ut summa causæ æquitas postulat, tua prudentia, atque auctoritate adjuves, et quam accuratissime ad Joannem scribas, literasque ipsi Claudio des, eique super iis quæ nostro nomine exponet fidem adhibeas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 27. Octobris 1572. Pont. Nost. Anno primo.

XCI. — Gregorius interea in sacri fœderis societatem cæteros etiam Principes pertrahere nitebatur. Ut apud Cæsarem hac de re vehementissime instaret, Petrum Fasardum urgebat, qui non ita pridem a Philippo Rege ad Maximilianum Cæsarem missus fuerat, ut de sacro fœdere,

jungendo verba faceret. Hisce porro Fasardum Gregorius hortabatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An 1. epist. 292. f. 387.

Dilecto Filio Petro Fasardo Regis Catholici apud Cæsarem Legato.

GREGORIVS PP. XIII.

«Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Quo quidque est præclarius, atque Ecclesiæ Dei fructuosius, eo sæpe est ad perficiendum difficilius; non quia desit voluntas, aut conatus; sed quia antiquissimus Christi, et Ecclesiæ hostis nunquam cessat moliri impedimenta, eaque majora ostentare, quam sint. Hoc et quotidie experimur, et in ista tua legatione facile cernitur. Missus es a Philippo Rege Catholico ad Maximilianum Imperatorem electum, de sanctissimo hoc adversus Turcas fœdere cum eo jungendo; quo quidem nihil potest esse præclarius, atque ad Ecclesiæ res augendas hostiumque audaciam frangendam, et delendam utilius. Et quanquam non dubitamus quin tu hac in re et tuo muneri, et pietati, et publici boni studio satisfeceris, tamen cum negocium tardius ire videamus, quam Christianæ Reipublicæ res, et temporum necessitas ferat, facere non possumus pro nostro summo desiderio, quin te hortemur, ut eo acrius in istam curam incumbas quo majore celeritate opus esse intelligis; utque ad tuam hactenus diligentiam hic etiam nostræ cohortationis stimulus accedat, quamquam nos quidem cum et per literas, et per Nuncios cum Maximiliano ageremus, nunquam illum ab hoc fœdere abhorrere intelleximus; maximamque in spem venimus illum, et nostræ, et Philippi, et suæ ipsius optimæ voluntati satisfacturum. Hoc idem urgebit nostro nomine venerabilis frater Jo. Episcopus Torcellensis, noster apud Maximilianum Nuncius, ut communi consilio atque opera hoc tam præclarum negocium facilius conficere possis; in quo et Reipublicæ Christianæ et Regis tui gloriæ et commodis, et tuo ipsius muneri et nostro summo desiderio satisfacies; præterque eam, quam a Domino feres amplissimam remunerationem, magnam quoque a nobis gratiam inibis, nosque ubi facultas dabitur, memores et gratos esse intelliges: nihil enim magis nobis cordi esse potest. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 29. Novembris 1572. Pont. Nost. An. primo.

Cæsar horum precibus exoratus, sese Gregorii vota obsecundaturum certis tamen quibusdam additis conditionibus spopondit. (*)

(*) Mantissa documentor. N. 39.

XCII. — Gallorum rex Carolus unus erat, qui a sacro fœdere abhorreret. Multa porro eum movebant, animoque abalienabant. Verbo quidem tenus teneri se ajebat, ne ulla Hugonottis novarum majorumque turbarum occasio præberetur. Hac quoque de causa Flavium Ursinum, ut innuimus, Legatum a Pontifice missum, ut de fœdere contra Turcas sociando ageret, Septembri mense, scriptis litteris oravit Lugduno, ubi regis mandata opperiebatur, ne discederet, nisi prius aliis litteris accedendi copia illi fieret. (*) In Hugonottorum, inquiebat, inflammatis jam animis facile suspicionem hæsuram, hanc omnem fœderis societatem contra se parari, et Regem de suo omnium interitu cum Hispano Rege, Pontifice, cæterisque Principibus conspirare. Verendum ne istiusmodi suspicionibus in desperationem adducti, extrema omnia adorirentur. Cæterum paullo serius Ursinus legatus a Rege et Regina ejus matre invitatus Lutetiam x. Kal. Decemb. venit, (*) magnaque frequentia et honore excipitur. Nihilo tamen secius a sacro fœdere ob istum Hugonottorum metum Rex abhorrere perseverabat. Alias vero etiam abnuendi causas pectori Regis inhærentes prudens legatus facile retexit. Acerbius enim Regi Catholico irascebatur, quod filiam Duci Andegavensi matrimonio conjungere detrectaverat. Altius insuper de se ipso sentiebat, paratioremque sese dixisse ajebant, ut si res cogeret, una cum Gallorum gente omnem Turcarum impetum sustineret, quam ut nothum illum (Joannem Austriacum innuebat) Germanici Imperatoris filium Gallicis legionibus triremibusque imperare pateretur. Hæc tamen verba adhuc aliud abstrusius Regis molimen operiebant. Quo enim tempore hæc verba protulisse ferebatur, eodem Episcopum Aquensem, suspectæ tamen in sacris fidei virum, legatum Constantinopolim clam mittebat, qui veteris amicitiæ fœdus cum Turcis renovaret, et Turcarum Imperatoris suffragium Andegavensi Duci conciliaret, quem a Polonis Regem seligi satagebat. (*) Quid mirum proinde Ursinum re infecta summo Pontificis dolore Romam redire coactum?

(*) Mantissa documentor. N. 40

(*) Mantissa documentor. N. 11.

(*) Cardinalis Ursinus ad Cardin. Comensem Parisiis 7. et 14 dec. Gallia Vol. 6. fol. 292. - 332. - 339

XCIII. — Ut primo statim vere omnia instructa et parata essent, quæ ad bellum pertinerent, suum cuilibet fœderatorum pensum Gregorius æstimabat, singulosque Italiæ Principes Sabaudum, Hetruscum, et Genuensem Duces, tum Hieromilitum Hierosolymitanorum Joannicianorum Magistrum cohortabatur, ut naves classi fœderatorum jungendas quantocius adornarent. En litteras Sabaudo missas. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An 1. epist. 303 f 407.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Sabaudiæ

GREGORIVS PP. XIII.

«Dilecte fili nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Monstrum illud teterrimum, quod superiore prælio fractum, et comminutum videbatur, tamen collegit sese, et repente extulit, atque ita extulit, ut quod incredibile videbatur pares ad resistendum vires afferret; nunc etiam, ut accepimus, et verisimile est, majores comparat, itaque majore ei classe occurendum est; ac nobis reliquisque fœderatis æqua proportione, sua cuique classi augenda. In quo pernecessariæ nobis inter cæteras sunt duæ illæ triremes, quas Nobilitas Tua pro magisterio S. Lazari

Nobis, atque Apostolicæ Sedi pollicita est; quas tanto ante postulamus, ut possis interim eas adornare, et veris initio (neque enim tardius opus est) instructas ut oportet ad nos mittere. Ita tamen has postulamus, ut nihilominus quantum possumus rogemus, ut quemadmodum ante hac summa cum nostra, et reliquorum fœderatorum gratia, ac bonorum omnium laude, et quod maximum est apud Deum mercede fecisti tres item alias fœderis classi adjungas, ita instructas, ut tanto Principi, tanta existimatione, virtute, gloria prædito par est; neque putes propter eas, quas nobis pollicitus es triremes quidquam huic sancto fœderi decedere debere, quin hanc oportunitatem libenter amplectere, tua ac tuorum majorum virtute et gloria dignissimam; de Christi Ecclesia optime merendi, eamque quantis maximis potes auxiliis juva; tibique piorum omnium animos adjunge; ac sic cogita; cum iis, quas a Christo accepisti opibus sponsam ejus Ecclesiam juveris, illum ut est benignissimus, atque amplissimus remunerator, non sua se recipere, sed tua sibi impertiri existimaturum, teque hoc nomine præmiis sempiternis, atque omni beatitudine cumulaturum. Longiores non sumus ne in summa postulationis æquitate, in egregia tua ad omnia justa, atque honesta voluntate, in summa item ejus rei quam postulamus apud te facultate, cohortatione uti velle videamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xi. Decembris 1572. Pont. Nostr. Anno Primo.

Non modo per litteras apud eosdem res agebatur, sed et missus qui præsens ageret Marcus Antonius Columna, qui eodem consilio iter Hispanicum parabat. [*] Percelebris etiam Auriacus Andreas et opere et consilio sacri belli inceptum juvabat. [*]

[*] Mantissa docum. N. 42.

[*] Mantissa docum. N. 43.

XCIV. — Sed non ita totus bello Gregorius inhærebat, ut pacis opera penitus seponeret. Quo emendatiora haberentur SS. Bibliorum Hebraica volumina, edenda Philippus Rex curaverat Antuerpiæ additis Syriaca lingua confectis Paraphrasibus, Targum vocant, tum quæ Græca et Latina versio vetustate maxime commendabantur. Quadrilingue hoc præclarissimum opus longissimis adhibitis curis absolverat Arias Montanus Theologus Hispanus, vir suorum temporum bonorum artium peritia facile princeps, cui idcirco coævi miraculum mundi cognomen imposuerant. Poliglotta hujus biblia, etsi tantopere de suis in sacras litteras studiis, et Catholicorum ignavia superbirent, nondum aggressi erant hæretici, nec nisi longo post tempore et nostrorum hominum laboribus ditati id ausi. Rex Catholicus Ariam Montanum ex Belgio Romam miserat, ut Albanus Dux testatur, [*] qui Gregorio hæc Bibliorum volumina dono daret, et simul exoraret, ut id operis Pontificia auctoritate comprobaret. En litteras Regi a Pontifice responso missas. [*]

[*] Mantissa docum. N. 44.

[*] Reg. Gregorii XIII. An. I. epist. 395. f. 289.

Carissimo in Christo Filio Nostro Philippo Regi Hispaniarum Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster, Salutem et Apostolicam benedictionem. Præclarum Majestatis tuæ consilium, diligentemque operam a tuis tuo jussu positam in sacris libris, quæ Biblia appellantur emendandis, tuaque magna impensa quadruplici lingua edendis vehementer probamus: est enim opus vere regium, tuaque insigni virtute et pietate dignissimum. Siquidem in tantis occupationibus, tamque multis exercitibus, populis, regnis, tanta tua cum laude et Christi, atque ejus Ecclesiæ gloria administrandis, horum quoque sic emendatorum librorum beneficio Christianam Rempublicam afficiendi curam suscipere voluisti. Quod quidem beneficium permagnum est; nam quod ad Theologiam attinet, quæ est summa philosophia, his libris omnia nostræ religionis, et divinitatis mysteria explicantur; quod vero attinet ad eam partem, quæ moralis nominatur, sunt quoque omnia quæ ad omnes virtutes præcepta colliguntur, quibus quidem duabus partibus omnis nostræ salutis, et felicitatis ratio continetur; ut nihil possit esse horum librorum lectione dignius, nihil fructuosius, nihil omni hominum generi accomodatius, nihil majori doctrina, et sapientia refertius: quæ omnia Gregorius quodam in loco divinitus explicat et alibi sic brevissime complectitur: Quid est scriptura Sacra, nisi epistola quædam Omnipotentis Dei ad creaturam suam? Nihil autem sapientius Deo, nihil melius, nihil nostri amantius; nihil igitur ejus scriptura præstantius, nihil utilius, nihil necessarius. Hunc fructum agnoscentes hæretici dum insito quodam, et implacabili in Christum, atque ejus Ecclesiam odio nobis invident sempiternam beatitudinem, conanturque eam fidem, quam Christus suo ipsius sanxit sanguine evertere; corrumpunt codices, eosque ad suas impietates accomodant, veteri suo scilicet artificio, atque a Sanctis Patribus multis locis cognita et detecta; id enim scribit Gregorius, fecisse eos in Synodo Ephesina et Chalcedonensi idem; quoque aliis in locis factum esse deprehenderunt Leo, Basilius, aliique per multi; quo scelere nihil potest fieri perniciosius; depravata enim lege, et norma recte pieque vivendi, sentiendique, universæ religionis et sanctitatis interitus consequatur necesse est. Quod si tantum in incorrupta horum librorum auctoritate utilitatis positum est universæ Reipublicæ Christianæ, perspicuum est optime de eadem Republica pietatem tuam meritam esse meditanda et curanda quam emendatissima horum librorum editione; unde te neque rei ipsius difficultas, neque tanta, quan-

tam sustines, tot, tantarumque, et tam longe, terra marique disjunctarum rerum moles deterrere potuit. Utinam autem qui hos libros legerint, Sanctissimi Spiritus rerum auctori in amore respondeant, suasque omnes cogitationes, euras, actiones dirigant ad illum, qui principium est sine fine, et finis sine principio Deus benedictus, trinus et unus, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum Amen. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris die XXIII. Augusti 1572. Pont. Nost. Anno Primo.

Alteras deinde addidit, quibus pro meritis Ariam Montanum Regi commendabat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. 1. epist. 256 f. 313.

Carissimo in Christo Filio Nostro Regi Hispaniarum Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster Salutem. Revertitur ad Majestatem tuam, dilectus filius Benedictus Arias Montanus; quem in iis sermonibus, quos cum eo habuimus de Sacris Bibliis, Majestatis tuæ jussu tam multiplici lingua, tamque accurate editis, atque ad nos allatis, deque aliis rebus ad religionem pertinentibus, cognovimus pium, ac prudentem, quibus de causis non dubitamus Majestati tuæ commendatum fore, atque ubi res tulerit a tua benignitate fautum atque adjutum iri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXV. Octob. 1572. Anno Primo.

XCV. — Canonibus Ecclesiæ recensendis jamdiu curæ adhibebantur, Collegium Purpuratorum virorum, aliorumque scientia et virtute commendatorum Pius V. jam A. MDLXVI. constituerat, reique præfecerat. Gratiani Decretum et Decretalia Gregorii IX. ad trutinam revocabantur, ot emendatiores in lucem prodirent. Immatura Pii V. morte, et infelici temporum conditione paullisper opus intermissum fuerat. At Gregorius, qui ante Pontificatum inter Purpuratos Patres rei præpositos fuerat adlectus, majori alacritate opus resumi absolvique jussit. Fusius de his verba fecimus, cum præfaremur Disquisitionibus criticis in præcipuas Canonum et Decretalium Collectiones, quas Romæ in Collegio Urbano A. MDCCCXXXVI. edidimus.

Gregorius idcirco Aleiato Cardinali Collegii hujusce Præfecto mandavit, ut quotquot per Germanias, Italiam, Belgium, Hispanias hujusmodi litterarum periti haberentur, tum Episcopi, Abbates, missis litteris in auxilium adsisceret, et eos omnes excitaret, ut pro virili quisque symbolum ad optatissimam hanc emendationem cooferret. Præsertim tamen operam dedit, ut tum conciliorum tum cæterorum scriptorum ecclesiasticorum, quorum codices in Romanis bibliothecis minus probati, aut nulli omnino erant aliunde compararentur, aut e bibliothecis exterorum perquam atteote exscriberentur. Neque id satis illi fuit. Novas eorumdem operum editiones, quæ ad præstantissimorum codicum fidem a Germanis, Gallis, et Belgis tunc vulgabantur, pari cura ac sumptu colligi, ac conferri examinarique curavit, ot hinc etiam novæ emendationes incrementi aliquid commoditatisque habereot.

Gregorius ipse præclarissimas et amantissimas litteras, eadem commendantes, dedit viris doctis, sive qui in Italia, sive qui apud exteras gentes commorarentur. Lubet unam alteramve epistolam afferre. Habeto quæ Christophoro Thuano Supremæ Parisiensis curiæ primo Præsidi est scripta. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. 1. epist. 283. f. 383.

Dilecto Filio Nobili Viro Christophoro De Thou, Primo Supremæ Curiæ Parisiensis Præsidi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Salutem et Apostolicam benedictiooem. Summa eum voluptate accepimus a Cardinalibus Gallis, cæterisque qui istinc venerunt viris gravissimis, quanta eum pietate et catholicæ religionis zelo in turbulentissimis Galliæ rebus versatus fueris, quanta autem apud Deum mercede, pro tua prudentia intelligis, quanta apud nos gratis haud facile explicare possumus. Nec dubitamus quin in reliqua vita tua semper similis futurus sis, atque ea, qua præditus es pietate, et sacrorum canonum, eorumque omnium, quæ ad ecclesiasticam disciplinam pertinent scientia, Christi Ecclesiæ maxime profuturus. Est aotem quiddam hoc tempore, in quo tua opera indigemus. Superiores Pontifices voluerunt veteres canones, quorum maxima pars habetur in Decreto Gratiani quam emendatissimos esse; inque eo Decreto emendando, et corrigendo summam diligentiam adhiberi; quæ res ad exitum fere perducta est: Desiderantur multi canones, quorum indicem mittimus; rogamus, ut adhibitis joris canonici doctoribus, atque istius Academiæ Theologis iis, quos antiquitatis peritos esse cognoveris, ac præsertim Antonio Demochare Theologo Parisiensi, quem in hoc studio diligenter, et magna cum laude versatum esse accepimus, videas si qua forte sint vel in Regia, vel in Sancti Victoris, vel aliis antiquis bibliothecis ad hanc rem pertinentia, eaque exscribi, atque ad nos mitti cures. Qua etiam de re ad venerabilem fratrem episcopum Autisidorensem scribimus, ut tum sua pro se quisque opera, tum communi consilio, et labore nostrum desideriom adjuvetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV. Novembris 1572. Pont. Nostri Anno Primo.

Tum quæ Ilerdensi Episcopo datæ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. 1. epist. 295 f. 393

Venerabili Fratri Antonio Augustino Episcopo Ilerdensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater, Salutem et Apostolicam benedictionem. Libenter postulamus a fraternitate

tua ea, quæ te pro tua præstanti conditione et cum antiquitatis, tum variarum atque optimarum, in quibus magna semper cum laude versatus es doctrinarum cognitione, proque perpetuo earum doctrinarum studiosos juvandi desiderio et posse et velle intelligimus. Cujus quidem tum voluntatis tum facultatis tuæ, et sæpe alias aliis in rebus et in hac ipsa, in qua versamur præclarum documentum dedisti; ea enim quæ antea misisti ad Decreti Gratiani emendationem, in qua et nostro et superiorum Pootificum jussu laboratur, magno usui fuerunt. Itaque rogamus, ut qua in initio fuisti cura, et diligentia, eadem hunc laborem adjuves in extremo; cupimus enim hoc opus exire quam perfectissimum, atque emendatissimum. Multa desiderantur, quorum indicem mittimus; ac si in bibliotheca Cæsaraugustana vel opera Isidori quibus caremus, vel concilium aliquod Ilerdense in quo sint canones illi, qui citantur a Gratiano, quique in impresso nusquam sunt, aut siquid omnino uspiam repereris eorum, quibus indigemus; rogamus, ut id quam diligentissime exscribi atque ad nos mitti cures. Erit hoc nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die vi. Decembris 1572. Pontificatus Nostri Anno primo.

Inter cæteros, qui de hoc negotio appellati sunt, eminuere Supremæ Curiæ Tholosanæ primus præses, Joannes Amyotus Episcopus Autissiodorensis, Franciscus Richardotius Atrebatensis, Merlinus Ritonius Iprensis, Didacus Covarruvias Segobiensis et Supremi Senatus Hispanorum Præses, et Petrus Peoco Placentinus Episcopus, Laurentius Surius Carthusiensis monachus, Jacobus Pamelius, Vigilius Zvichemius Supremi Consilii Mechlinensis Præses. [*]

(*) Reg. Gregorii XIII. An 1. epist. 281-298

XCVI. — Dum in melius converti omnia Catholicis videbantur, oon defuit tamen exeunte anno pridie Kal. Octobr. gravissima luctus causa. Diem quippe suum obivit sanctitate morum spectatissimus ille Franciscus Borgia tertius ab Ignatio Patre Societatis Jesu universæ Præpositus Generalis, cujus sæpissime et consilio et ope in rebus Ecclesiæ gerendis Pontifices usi fuerunt. Quam impense eum Gregorius dilexerat, Pontificis litteræ testantur paucis ante obitum mensibus ad illum datæ. [*]

(*) Reg. Gregorii XIII. An. 1. epist. 84. fol. 137.

Francisco Borgiæ Societatis Jesu Præposito Generali.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Salutem etc. Nihil potest Nobis optatius contingere, nec quidquam est, quo magis indigeamus in hoc tam gravi munere, tamque omnium difficultatum, et periculorum pleno, quam ut tu, tuique similes id faciant, quod te facere et tuis litteris summa cum voluptate intelleximus, ut Nobis a Deo precemini thesauros gratiæ suæ, in hoc tam gravi onere, quod nostris humeris imposuit, ad sui nominis gloriam, et Christianæ Reipublicæ beneficium, sustioendo, et ferendo. Tu enim, ipsa experientia intelligis, tum in illa veteri, tum in hac, in qua nunc versaris longe majore et præstantiore homioum ratione quam difficilis sit hæc sapientia; quanto aotem ipsi cum periculo clavum hujus naviculæ teneamus, tam vasto in mare, tamque omnium procellarum, et scopulorum pleno et seotimus, et ingemiscimus; semperque illud in ore habemus, ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me. Perge igitur, ut facis nostram imbecillitatem precibus adjuvare, ac tuis fratribus, ut idem faciant, impera. Polancum nostrum et ut veterem amicum, et ut a te venientem libenter vidimus, libentissimeque eam, quam totius vestræ sodalitatis nomine obtulit Nobis obedientiam accepimus: quam quidem sodalitatem semper plurimi fecimus, et omnibus in rebus quam commendatissimam habebimus. Reliqua ab eodem Polanco, cum quo fusius locuti sumus, accipies. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Junii MDLXXII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Franciscus ab Urbano PP. VIII. postr. Non. Sept. An. MDCXXIV. Beatis adnumeratus, et a Clemente X. An. MDCLXXI. tertio Kal. Majas Sancti titulum prænomenque accepit.

I. — Cum afflictissimæ per Germanias Catholicæ res Gregorii animum summopere excruciarent, Petro Canisio clarissimo e Societate Jesu viro, et de confirmanda, restituendaque per Germanias Catholica fide optime merito imperavit, ut cum pluribus Germaniæ Episcopis Principibusque de juvanda, erigendaque Ecclesia accuratissime ageret. Per eos ille dies iter e Germania Romam versus habebat, ot indictis Comitiis ad novum suæ totius Societatis Præpositum eligendum interesset. Facile erat illi proinde Principes convenire, et de conditionibus Ecclesiæ et ejus tutandæ rationibus sermonem habere. En Gregorii de hac re ad Canisium litteras. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib III. fol. 31.

Dilecto Filio Petro Canisio Ordinis Jesuitarum Presbytero.

GREGORIVS PP. XIII.

«Dilecte fili Salutem etc. Inter eas curas, quibus in hoc pastorali munere nobis a Deo assignato incredibiliter angimur, illam semper primam gravissimamque esse duximus, quam huic muneri maxime convenire Deoque in primis cordi esse intelligimus, hoc est quæ in animarum salute omni studio atque omnibus opibus quærenda versatur: neque ullam tantam difficultatem esse posse existimamus, quæ nos ab hac curatione abstrahere debeat: speramus enim Deum ipsum suæ causæ adfuturum, quem etiam scimus facile posse corda lapidea auferre et carnea reponere. Huic etiam curationi te pro tua caritate libentissime incumbere non dubitamus. Itaque cum audiremus te huc venturum generalis vestri ordinis capituli celebrandi causa, voluimus te hujus nostri desiderii adjutorem esse; cumque Ferdinando Archiduce Austriæ, cum Duce Bavariæ et Archiepiscopo Salisburgensi iis de rebus agere, de quibus ad te fusius perscribet dilectus filius noster Cardinalis Comensis, eorumque sententiis et voluntatibus perspectis et cognitis, omnia nobis cum veneris exponere. Adibis ad eos principes quos diximus, quamprimum poteris, curabisque hoc negotium quam diligentissime; veniesque ad Nos ut quid consilii capere oporteat sciamus, et quod agendum cognoverimus, exequi possimus quod ut facere valeamus. Ora Deum omnis rectæ in nobis voluntatis atque actionis effectorem. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XXIII. Januarii 1573. Pontificatus Nostri Anno primo.

Singulos Germaniæ Principes de præstanda Canisii verbis fide Gregorius admonuit, suoque nomine acturum ut reciperent hortatus. Omnium loco sint, quas Bavarorum Duci litteras dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 32.

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Bavariæ Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir Salutem etc. Caritas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, facit, ut noo dubitemus quin ardeas ejusdem Dei desiderio, quo Catholicos omnes, tum vero principes ardere oportet. Communicabit cum nobilitate tua nonnulla nostro jussu Petrus Canisius quæ maxime ad Christianæ Reipublicæ bonum, atque ad eam quam diximus Christi gloriam pertinent, ejus verbis ut fidem

adhibeas rogamus; aperiasque ei quid ipse sentias pro tua prudentia, quam ut perspectissimam habemus, sic plurimi facimus. Datum Romæ apud S. Petrum die xxiii. Januarii 1573. Pontificatus nostri Anno Primo.

II. — Collegii Augustani in Vindelicia condendi, et Ignatianis Patribus tradendi negotium pluribus et difficultatibus, et civium dissensu quotidie conflictari et impediri summopere Gregorius dolebat. Fuggeros igitur atque Ilsungos nobilissimos homines ejus rei ut retulimus auctores humanissimis iterum litteris adhortatur, ne animo deficiant, sanctum animi propositum teneant, alacriores operi insistant, neque conceptam de eorum liberalitate spem ob minus rectas adversariorum querelas irritam reddant. [*]

(*) Reg. Gregorii XIII. Lib III. fol. 69

Dilectis Filiis Marco, Joanni, Hieronymo Fuggerris et Georgio, Joanni Achilli, et Maximiliano Ilsungis.

GREGORIVS PP. XIII.

«Dilecti Filii Salutem etc. Laudamus quantum possumus, neque tamen satis digne laudari posse intelligimus vestrum sanctæ et incorruptæ religionis studium, ardentissimumque quem illis literis perspeximus, quas ad Ven. fratrem firum Card. Augustanum scripsistis syncerae Catholicæque fidei zelum. Quem ut debemus pari ardore amplecti et fovere, sic nihil est, quod nos Christo gratius facere posse intelligamus, quam prædam diabolo ex ore eripere, ipsumque suis ab eo membris disjungendis Christoque restituendis, atque adjungendis concidere et conficere, hæc omnia consequentur divinam illam vestram cogitationem de Jesuitarum istic Collegio et Schola ac Seminario ingenti vestro sumptu constituendo. Nihil longius habemus, quam dum hoc tantum tamque præclarum istic restituendæ, retinendæ, propagandæ, tam apud multos corruptæ et deperditæ religionis initium videamus, cui quidem vestræ optimæ voluntati si quid, quod Deus prohibeat, obstiterit, vos certe facti ipsius fructum referetis ab eodem Deo, cui voluntas et conatus pro facto est. Et quamquam nihil magis cupimus quam vestro nostroque incredibili desiderio satisfacere, tamen quia accepimus, post literas a vobis datas electum esse ad monasterium Sanctæ Crucis quendam monachum, ignoramusque quid ille ex ea electione in eis adeptus sit, ac simul etiam accepimus permultos istic cives catholicos tum laicos, tum ecclesiasticos vehementer a Jesuitis abhorrere ac resistere paratos esse. Cupimus vestram sententiam cognoscere, et quid impedimenti hæc allatura esse existimetis, aut qua potissimum ratione impedimenta omnia amoveri posse judicatis: nos enim tantum vestræ caritati et sapientiæ tribuimus, ut si in negotio progrediendum esse existimabitis, nec quidquam seditionis aut impedimenti pertimescetis nihil moræ interposituri sumus quominus et templum ac domum eam, quam postulatis Jesuitis concedamus, et quæ vos ei domui ac religioni iis quibus opus esse putabitis conditionibus largiemini, omnia Apostolica auctoritate firmemus. Expectabimus igitur vestras litteras omniaque in vestra sapientia sita esse putabimus. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die xii. Martii 1573. Pontificatus Nostri Anno primo.

Hujusce collegii res Duci Bavarorum et Maximiliano Cæsari identidem commendabat Gregorius; quos tamen alacres omnino et paratissimos operi juvando reperiebat. Quin et vicissim illi Pontificem aggrediebantur, et orabant ut impedimenta quæcumque adhuc operi conficiendo obstiterant, auctoritate Pontificia dimoveret, En Alberti Ducis Bavariæ litteras ad Pontificem. [*]

(*) Germania Vol 29 fol. 16.

Beatissime in Christo Pater Dñe Benignissime.

«Perpetuam obedientissimi filii observantiam pedumque beatissimorum devota oscula. Mirifice me exhilaravit S. V. benignum responsum. Ex quo spes mihi concepta est, nihil admodum impedimentum futurum, quin Nobiles viri Fuggeri, atque alii quidam cives Augustani Catholici, de Religione et Republica optime meriti, ad sanctum suum desiderium pertingere brevi possint. Quia non de summo totius rei negotio, hoc est de templi ac habitationis ad S. Crucem facultate consequenda, non obscure sperare jubentur, atque ea ipsa, quæ adhuc desiderare videtur S. V. ejusmodi esse judicent, in quibus S. V. voluntati satisfacere recte queant, parum ipsis adhuc deest, quod gaudium illorum, zelo pietateque plenissimum, penitus absolvat. Neque non vel novi Præpositi electio, contra expressum Ordinarii mandatum facta, vel id quod ex quorundam malevolentia fortasse timendum putaretur periculi, tanti habebitur a S. V., ut rem universæ Reipublicæ Augustane, adeoque ipsi Germaniæ longe saluberrimam difficilius admittat. Sed nec ipsi piissimi viri ab obfirmati constantisque animi judicio, ullis temporum horum impedimentis, aut contrariorum etiam studiorum motibus facile dimovebuntur. Præsertim cum et Electi persona ob enormia scandala minus bene audiat, quam ut huic muneri imponi debeat, et res istius Civitatis ita sint constitutæ, ut tale aliquod pro religione et pietate susceptum consilium extra magnum discrimen versari censeatur. Fratres vero istius loci quod opponere honeste queant, nihil magni timetur cum et numero sint paucissimi, inque alio hujus Ordinis vicino Monasterio degere commode possint, et sacra negligentius facere dicantur, quam ut eo nomine gratia aliqua illis fieri debeat. De quibus tamen omnibus Fuggeri, et communis pietatis Socii alii ad S. V. copiosius literis agent. Ego superiores meas preces, cum humillimis novis obtestationibus, iterum ad S. V. devote trans-

mitto, ingens beneficium habiturus, si hæc resurgentis Catholicæ Religionis initia ibi videam quam primum, ubi toti Germaniæ tantum incommodorum diu jam datum est. Vestræ vero Sanctitatis non infima laus erit Augustam, primariam Christiani Imperii urbem, hac ratione, hæresibus et erroribus ereptam, Sedi Sacrosanctæ Electorumque communioni restituisse. Valeat vivatque diu S. V. cui me iterum atque dedo et offero reverenter. Monachii prima die Aprilis anni 1573.

S. V.

Obsequentissimus filius
Albertus Dux Bavariæ.

(*) Germania Vol. 29. fol. 19.

Tum alteras quas Idibus Aprilis idem dedit. (*)

Beatissime in Christo Pater ac Dñe Dñe Benignissime.

Humilis ac obedientissimi filii studia pedumque beatissimorum oscula devota.

«Accepi paulo post cum gratias nuper egissem S. V. de promisso in usum Societatis Jesu monasterio S. Crucis Augustæ, triste admodum ouncium de obitu Rmi et Illustrissimi Cardinalis Augustani, amici quondam et compatris mei longe charissimi. Quod equidem multis oonimibus vehementer me affecit, neque enim facilis mihi esse potest ejus viri jactura, quo tot annis, totque Reipublicæ discriminibus amicissime et commodissime usus sum. Desidero jam in Urbe rerum negotiorumque meorum antiquum fidumque patronum; ablatus mihi est ex vicina sede antistes optimus, cujus et perjucunda fuit consuetudo, et pietas non suis solummodo, sed etiam meis subditis utilis ac necessaria. Quod si vero jam S. V. efficiat, ut in eo ipso negotio supradicti Monasterii, pro usu Societatis applicandi, ipsius Cardinalis, monitoris ac promotoris opportunissimi, mors nihil impedimenti, nihilque moræ adferat: et Ecclesia Augustana idoneo ac utili pastore primo quoque tempore ornetur, permultum mihi exinde consolationis accedet. Et utrumque oon incertam dabit Augustanæ Reipublicæ imo et Germaniæ ipsi salutem, quam utique charissimam esse S. V. nihil plane dubito. Sed et oro humillimo ac devotissimo studio, ut S. V. in utrumque benigne et paterne intendat. Quo nimirum exercendæ Nobilium Virorum Fuggerorum et sociorum pietatis ac disseminandæ confirmandæque catholicæ religionis in amplissima ista Republica occasio quamprimum exhibeatur atque perduret, quod procul dubio fiet, si S. V. benificio et liberalitate publicæ utilitati servire ceperit, quod jam pauci et parum utiles sibi occupant: si denique per ejus sapientiam et pietatem caveatur, ne apud futurum Episcopum malesana quorundam consilia, pia ac necessaria conservandæ augendæque societatis studia intervertant aut impediant. Non possum enim oon suspicari, cum iis in rebus, quæ ad Societatis commodum et honorem spectabant, ex ipsis Ecclesiæ suæ visceribus atque membris, tot tantaque impedimenta et injurias perferre coactus fuerit optimus Cardinalis, noo defuturos jam qui prisci illius sui odii occasionem, ex eligendi novi Episcopi juramento repetere fortasse cupient; quorum importunitatem egregie represserit S. V. si futurum Episcopum iis vinculis, quæ forte ante Electionem in præjudicium Societatis injicientur suo tempore exemerit. Qua in re ex summa sua sapientia consilium accipiet S. V., quam reverenter oro ot sane meam admonitionem, ex ingenti erga Religionem ac Rempublicam amore profectam, paterne admittat, eidem simul me meaque omnia humiliter offerens et commendans. Monachii XIII. die Aprilis Anno MDLXXIII.

S. V.

Obsequentiss. filius
Albertus Dux Bavariæ.

Quasque ad hocce negotium urgendum Maximilianus Cæsar perscripsit (*)

(*) Lit Principum Vol. 35. fol 8.

Beatissimo in Christo Patri Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Dño Reverendissimo.

«Beatissime in Christo Pater, Domine Rme. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Cum non modo ex iis, quæ Sanctitatis Vestræ nomine ejusdem Nuntius, Reverendus, devotus, syucere nobis dilectus, Joannes Delphinus, Episcopus Torcellanus nobis antehac viva voce exposuit, verumetiam S. V. Brevi, ad Nobiles et nostros Sacrique Imperii fideles dilectos, Marcum, Joannem et Hieronymum Fuggeros, Dños in Kürchberg et Weissenhorn, fratres, ac Georgium, Joannem, Achillem et Maximilianum Ilsungos Consiliarios nostros, non ita pridem dato, cognovimus, Sanctitatem Vestram sponte eo inclinare, ut dictorum Civium Augustanorum desiderio ac precibus, de Monasterio Sanctæ Crucis, in eadem Civitate nostra Imperiali Augusta sito, ipsis, una cum templo, in usum Collegii et scholæ fratrum Societatis Jesu convertendo, ac illorum ære dotando, benigne satisfaciat: supervacaneum quidem existimamus, ut S. V. negotium hoc pluribus commendemus. Verumtamen, cum cives illi nobis etiam ea de re perquam humillime supplicaverint, se sui istius consilii et instituti idoneas admodum gravesque rationes, quas S. V. jam antea intellexisse, vel ex ipsorum responso, ad dictum S. V. Breve, intellecturam esse non dubitamus, attulerint, simulque eam difficultatem quæ antea de redditibus ac proventibus ejusdem Monasterii fore videbatur, quaque Honorabiles, devotos nobis dilectos, Decanum et Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ, antehac potissimum motos fuisse arbitramur, ut se huic instituto opponerent, re-

moverint, aliud non petentes, quam ut conjunctis paucis illis Monachis, qui ad Sanctam Crucem sunt, cum aliis quatuor, in ejusdem ordinis et regulæ Cœnobio, ad Sanctum Georgium existentibus, translatisque simul proventibus, nudum ac vacuum Sanctæ Crucis Monasterium, una cum templo, ipsis, ad constituendum fratrum Soc. Jesu Collegium concedatur. Non videmus sane, quidnam ejusmodi pio, et hoc præsenti religionis statu, tum ipsi Civitati Augustanæ, tum vicinis quoque Principibus, aliisque statibus catholicis maxime necessario utilique instituto, ulterius obstare possit vel debeat: præsertim cum re bene considerata appareat, præter id, quod in neutro monasterio quicquam cultui Divino detrahitur, ac nec clerus, neque alterutrius monasterii redditus minuuntur, sed in iis omnibus magna utrinque fit accessio, non modo tenuioris fortunæ pueros et adolescentes, sed potioris quoque civium liberos, ad veram pietatem, solidam doctrinam, et omnis virtutis studia, institui, sicque ibidem tanquam in seminario educari posse viros eruditione, honestate morum, ac pietate catholica præstantes, quibus tum Ecclesia Catholicorum, tum Senatus ipse fulciri, cæterique ordines et Magistratus, recte constitui, et universa demum Respublica illa Augustana sarta tecta conservari queat. Quæ cum ita se habeant, ac præterea, tam ad Dei gloriam, publicamque salutem et utilitatem non solum Civitatis illius, quæ in Germania præcipui nominis est, sed et eorum, quos diximus, vicinorum Principum et statuum catholicorum plurimum pertineat, quam Nostra quoque et Sacri Imperii referat, hac ratione, utpote omnium commodissima efficacissimaque religionem catholicam, quæ pro validissimo habetur obedientiæ vinculo, in nostra illa Imperiali Civitate Augusta, non prorsus opprimi vel extingui, quin potius jugiter foveri et retineri. Equidem nec nos huic rei juvandæ promovendæque deesse possumus. Quapropter Sanctitatem Vestram obnixe summoque studio rogamus, ut eidem negotio, quod S. V. pro eximio suo tum religionis catholicæ conservandæ, propagandæque, tum Nationis Germanicæ juvandæ studio, hactenus paterne amplexam esse perspeximus, ad optatum effectum deducere, adeoque sæpefatis civibus Augustanis, memoratum Sanctæ Crucis Monasterium vacuum, una cum templo, ad erigendum ibidem suoque ære dotandum Jesuitarum collegium ac scholam, benigne concedere velit. Quod si fiat, nos (si quidem ita operæ pretium fuerit) nostras quoque partes, tam apud præfatos Decanum et Capitulum, quibus etiam nunc hac de re scribimus, quam alias, ubicumque opus fore videbitur, interposituri sumus. Sanctitas autem Vestra in eo factura est rem sua pietate dignam, nobisque longe gratissimam, quam filialis nostræ observantiæ studiis atque officiis nos quavis occasione promerituros pollicemur. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. precamur, ut Sanctitatem Vestram Ecclesiæ Suæ diu incolumem felicemque præesse velit.

Datum in Civitate Nostra Vienna, die IX. mensis Maii Anno Domini 1573. Regnorum Nostrorum Romani XI. Hungarici X. Bohemici vero XXV.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ.

Obsequens filius.

MAXIMILIANUS.

Pari animi ardore ei quoque rei Dux Austriæ Ferdinandus instabat. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 10.

Beatissime in Christo Pater et Domine Dñe Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, filialem observantiam et pedum oscula beatorum. Ex litteris Sanctitatis Vestræ non ita pridem ad me datis singulari animi voluptate cognovi, quam plane parato sit animo Sanctitas Vestra, monasterium et templum Sanctæ Crucis Augustanum Jesuitis pro collegio et schola instituenda concedere, atque adeo summe pio illi quorundam Catholicorum ac præstantium civium et habitatorum Augustanorum desiderio satisfacere. Et hæc quidem res eo gratior mihi accidit, quod non solum ad præclarum fidei catholicæ augmentum, totiusque inclitæ Nationis Germanicæ salutem spectet, sed etiam propterea quod filialis meæ intercessionis litteras tantum apud Sanctitatem Vestram momenti habuisse, simulque ei meum Catholicæ religionis studium ita benigne probari videam. Quod igitur ad ipsam Jesuitarum collegii et scholæ institutionem attinet, etsi tunc cum Sanctitas Vestra hæc ad me scriberet, impedimenta quædam inciderint, quæ aliquatenus obstare visa sunt, tamen cives et habitatores illi Augustani iis, quas jam humillime scribunt ad Sanctitatem Vestram litteris prætensa ista impedimenta plurimis gravissimis rationibus adductis ita refellunt, et confutant, ut Sanctitatem Vestram nihil plane amplius desideraturam confidam, quominus ipsis Augustanis satisfaciat. Neque quicquam insuper hic ex parte mea addendum censeo, nisi quod Sanctitatem Vestram pro solito meo erga rem Catholicam studio iterum atque iterum quam reverentissime hortari et rogare volui, ut ipsa Augustanis illis hac in re, piissima sane et maxime salutari omni paterna benignitate gratificetur, neque aliud a Jesuitarum malevolis sibi persuaderi sinat. Id quidem ut summo isto Sanctitatis Vestræ Apostolico munere dignissimum, et ad religionis Catholicæ incrementum in primis accommodum, ita etiam omnibus bonis Catholicis hisce in locis gratissimum erit. Cum his Sanctitati Vestræ ea qua debeo filiali reverentia atque humilitate me commendans.

Datæ Oeniponte decima octava die mensis

Junii anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio.

Vestræ Sanctitatis

Obediens Filius Archidux Austriæ FERDINANDUS.

Fuggeri atque Ilsungi tantorum undique virorum auctoritate et studio suffulti, quos ut supra jam fusius enarravimus, una cum Pontifice impie de re patrum S. Augustini deceperant, preces ad Pontificem iterato miserunt, ut tandem templum S. Crucis titulo præsignatum additamque domum ab Augustinianis patribus ad Societatem Ignatianam transferret. Potuerunt tamen in scriptis hac de re datis aliquantisper animis et stilo temperare, ne nimis acriter, atque iniquo animo desperatas citra veritatem depingerent Augustinianorum res, et plurima in eos congererent immoderata convicia. Fuggerorum enim consilio maxime proderat et Principum et Pontificis animis inflammandis summopere erat opportunum, si quam pessimi, et nihili homines illi viderentur. Moderari tamen linguæ æquitas omnis et Christianum jubet institutum. [*]

[*] Germania Vol. 36, fol. 33.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. S. R. Universalis Ecclesiæ Pontifici Opt. Max. Dño Nostro Clementissimo.

« Sanctissime in Christo Pater et Dñe, Dñe Clementissime. Post Sanctissimorum pedum humillima oscula, nostrorumque obsequiorum humillimam oblationem.

« Sanctitatis Vestræ datas ad nos clementissimas literas summa (ut decebat) animi gratitudine obedientissime accepimus. Indeque ab omnibus prædicatam Sanctitatis Vestræ diligentiam, studium et animum, quem ad corruentis Germanicæ Reipub. miserum in religione statum restituendum habet, promptissimum tanquam o specula cum summa animi voluptate perspeximus. Idque S. V. innata nimirum virtute plane dignum et ad Sedis Apostolicæ tuendum honorem, atque Imperii dignitatem et Nationis hujus inclytæ prosperitatem conservandam inprimis necessarium existimamus. Talem namque faciem, afflicta Germaniæ Respub. aliquot ab hinc annis nacta videtur, ut nisi divino numine et Sanctitatis Vestræ maturo consilio et opera, pauci qui passim, potissimum autem in hoc totius fere Germaniæ meditullio, Augustana nempe civitate adhuc supersunt, Catholici suffulciantur, penitus de Catholicismo apud nos actum videatur, verendumque ne propter labem et pestem hanc grassantem contiguæ quoque nationes alioqui plus satis infectæ Lutheranorum furiis ulterius agitentur et pessum eant.

« Quamobrem ob S. V. in tuenda Germaniæ Repub. tam præclaram voluntatem magnas quidem, sed ob id omnium maximas perpetuas et humillimas gratias agimus, quod nobis Monasterium et Ecclesiam Sanctæ Crucis Augustanam ad Jesuitarum collegium et scholam instituendam clementissime concedere dignata est.

« Cæterum quod ad impedimenta quædam attinet, quæ incidisse intelleximus: Nempe an electus Præpositus ad S. Crucem Ordinis Canonicorum Augustinianorum juris aliquid adeptus sit etc. Ad hæc respondemus. Rñi et Illñi fœlicissimæ memoriæ Cardinalis Augustani Consiliarios, mortuo tum priori Præposito ad S. Crucem, Celsitudini suæ quamprimum Romam scripsisse, nullum ex quinque illis qui adhuc in prædicto Monasterio supersunt Monachis, idoneum esse, qui in Præpositum eligi possit, propterea Illña Celsitudo sua mandavit, electionem usque ad reditum Celsitudinis suæ in Germaniam omniuo differendam, cui quidem mandato prædicti Monachi haud gravatim paruerunt. At cum paulo post nonnihil suspitionis exoriretur, prædictum Rñum nostrum vel alium Præpositum aliunde postulaturum, vel Monasterium S. Crucis Dominis Jesuitis concessurum. Tum demum Electus iste, astu quodam capitularibus suis persuasit, ut ipsum in Præpositum contra mandatum, imo in despectum Rñi Ordinarii, incapaces ipsi, magis incapacem eligerent, suadentibus quatuor capitularibus summi templi qui tunc temporis totum capitulum repræsentabant, sicque Rñio Dño Cardinali, nostroque plus quam necessario instituto in fundando ibidem Seminario negotium quantum posseut facesserent. Quamobrem cum neque electio firma esse possit, quæ idoneis tantum convenit, neque inobedientis ista Monachorum, et contemptus erga Rñum impune ferendus, tantum abest, ut intrusus sive electus iste quicquam juris sit adeptus, ita quidem ut omnia jura, si quæ habuisset, ipso facto etiam amisisset.

« Prætereundum profecto esset Pater Sanctissime, et S. V. piissimis auribus parcendum in enarrandis dicti Electi vitiis, nisi vicissim communis Reipub. Augustanæ necessitas urgeret, aliquid idque præter voluntatem nostram enarrare. Constat enim palam sæpedictum Electum paulo ante postpositis votis monasticis, fractaque palam fide cucullam ter abjecisse. Primo per integrum fere annum hinc inde vagantem publicum Apostatam egisse, vixque tandem non Religionis zelo, sed paupertate et inedia coactum ad Monasterium rediisse. Secundo vero et tertio, ut hujusmodi hominum levitas et natura ad malum educata fert, cum totius ordinis dedecore ex Monasterio aufugit, ob quas et multas etiam alias causas, sine ingenti scandalo, præposituræ præfici non posse dubium nullum est: cum et id in canonibus aperte et graviter cautum sit, quod videlicet eligendus non debeat esse Apostata, ita quidem ut etiam si ad ordinem redierit, eligi tamen non possit, quodque talis electio plane sit nulla cap. Nos consuetudinem 12. dist. et ibi Dominicus 1. quest. VII. cap. quia diligentia de elect. etc.

« Huc accedit, quod etiamnum dissolutissime communi bonorum scandalo ibidem vivat, et sæpius noctu laico immo militari habitu tectus, extra Monasterium ab Urbis custodibus non sine ingenti Catholicorum dolore, et Lutheranorum scandalo fuerit inventus, unde etiamsi legittime electus et confirmatus esset, tamen in tanto hic hæreticorum numero, qui occasionem inde perquam facile arripiunt, clerum et catholicos in publicis concionibus erga plebem non sine periculo in majus odium et invidiam trahendi, et rursus certe submovendus videatur.

« Huc accedit, quod non solum electio per se sit nulla, verum etiam quod capitulum Cathedralis Ecclesiæ evidentissimam inobedientiæ notam et pœnam incurrerit. Nam paucos post dies quum rumor hic perlatus esset, Rñum Cardinalem Augustanum piæ memoriæ mortuum esse, statim præfatum Capitulum prætensum Electum contra expressum mandatum Ordinarii defuncti in odium Jesuitarum solemniter confirmaverunt. Quæ sane res ut est livoris plena ita maximum omnibus scandalum præbuit.

« Porro apparet quinque tantum una cum intruso Præposito Monachos ad S. Crucem adhuc superesse, quorum unus paralisi correptus Sacrum Missæ offitium celebrare nequit. Alter Levita tantum qui una cum reliquis ejusmodi vitam miseri exigunt, ut dicere pudeat. Unde neque Missæ offitium neque cæteræ horæ canonicæ digne peragi possunt. Si autem hi cum quatuor illis Monachis ad Sanctum Georgium degentibus, quod Monasterium ejusdem plane ordinis est, una cum redditibus conjungerentur, Templum vero et Monasterium S. Crucis nudum et vacuum sine ullis censibus Dñis Jesuitis assignaretur. Tum demum fieret, ut cultus divinus ad S. Georgium per Augustinianos, nec minus per Jesuitas ad S. Crucem recte et cum ædificatione totius Ecclesiæ perageretur, cum alioquin utroque in loco primæ fundationi modo minime satis fiat. Frustra enim Canonicorum Augustinianorum, apud nos Germanos ordo jactitatur, ubi Monachi Sacerdotes desunt, et ubi neque ordo, neque regula servatur, sed cum aperto scandalo, Lutheranorum quidem ingenti gaudio, totius vero Ecclesiæ dedecore vivitur.

« Denique cum alia modo sint tempora, alia quoque rebus restaurandis remedia sunt quærenda: nam ubi morbus, ibi remedium adhibere maxime omnium convenit. Quspropter si paucorum fratrum habenda esset ratio, qui in summa licentia sine regula passim vagantur, suoque arbitrio non sine ingenti multorum scandalo et ordinis sui dedecore sibi magis quam aliis vivunt, et utinam sibi recte viverent. Quanto longe majoris faciendi sunt illi, quorum conatus omnis ad publicam spectat utilitatem et evidentem in Germania Catholicæ religionis successum quasi digito nobis ostendit, undeque tantus piorum et doctorum virorum numerus educari potest, ut in posterum non solum Canonicorum Augustinianorum, sed etiam aliorum ordinum Monasteria probis et doctis Monachis iterum institui ac universa apud nos Resp. rectius restaurari possit. Nec ullam plane rationem cernere possumus, quum plerisque principibus viris ad collegia vel seminaria erigenda, ampla Monasteria una cum redditibus concessa sint, cur nobis vacuum hoc Monasterium sine ullis censibus in tam præclaro loco ubi insignis fructus expectandus, denegari debeat, præsertim cum quasi nulla spes reliqua sit, Monasterium istud idoneo et justo Conventualium numero resarciri posse, cum res ipsa, nobis vel tacentibus loquitur, ætatem hanc adeo esse corruptam et discolam, ut ad rem Monasticam paucissimi jam Germani idonei aspirent, neque se facile ad eum ordinem sinant adduci. Proinde ut passim videre licet, multa præclara opulenta et pervetusta Monasteria magis ac magis tot in locis ruinam minitantur extremam, eaque sæpe a duobus aut tribus, nescio quibus Monachis incoluntur, aut ab ipsis etiam adversariis plane occupantur ac misere prophanantur.

« Quod autem ad alterum impedimentum attinet, nempe permultos hic cives Catholicos tum Ecclesiasticos vehementer a Jesuitis adeo abhorrere, ut tumultus vel seditio inde oriri, totumque negotium impediri fortassis possit. Hac in re S. V. constanter affirmare possumus, nullum in tota hac civitate catholicum Laicum præter unum aut alterum, ineptos plane viros extare, qui Patres Jesuitas non tanquam numen quoddam et exemplar virtutis et antiquæ religionis et venerentur et colant, ita quidem ut ii Beati sibi videantur, quibus ipsorum consuetudine, gratia atque benignitate perfrui liceat. Ab his enim rei Catholicæ accessio major, quam complurimis ab hinc annis facta est, confirmati in vera fide plerique nutantes, et complures ad emendationem vitæ adducti sunt, quotidieque adducuntur. Quamobrem is qui ad S. V. rumor est delatus, plane vanus et ex mera invidia ad famæ alienæ dignitatisque oppressionem excogitatus est.

« Porro quod ad nonnullorum Ecclesiasticorum adversus Jesuitas odium pertinet, fatendum quidem, Clerum nonnihil alieniori ab ipsis animo esse, fit autem hoc non juditio sed morbo animi et quadam impotentia, longe ab illo prioris sæculi candore et devotione erga Deum dissentiente : quæque bonis, viris doctis, et pietate florentibus ingeniis, propter laudis multitudinem atque splendorem plerumque incumbere solet invidia. Si clerus hic esset, ut esse deberet, non indigeremus Jesuitis. Tam vero Clerus passim in Germania (quod tamen bonorum pace et contra morem ac voluntatem pene nostram dictum sit) literarum et rerum sacrarum rudis et ignarus, sed

moribus quoque ita corrupte et dissolute vivit, ut plerosque Canonicos et Sacerdotes videre liceat, qui immodica crapula, vestitu, fastu, blasphemiis et omni voluptatum genere nefandissimos quoque milites facile vincant. Hinc fit, ut abjecto Dei timore et debitæ obedientiæ jugo palam in hæreses labantur: ita sane ut apud plerasque Ecclesias, vix unus aut alter catholicus reperiendus, qui aliquando in defuncti Episcopi locum digne suffici queat. Constat in quibusdam Germaniæ locis ob defectum Catholicorum, Lutheranos Canonicos, Lutheranos quoque Episcopos et Abbates elegisse, qui neglectis votis ad conjugia nefanda et sacrilegia palam transierunt, obtentis interim contra jus Canonum, et Imperii decreta prælaturis et censibus, unde ingens profecto Catholicæ religioni detrimentum imminet; timendumque est, ne hæc pestis, nisi Catholici pluribus in locis iisque principalioribus denuo et a pueritia instituantur educenturque, latius serpat.

« Cæterum quod ad communem Clerum præsertim parrochos spectat, ii communiter in tota fere Germania ita luxuria diffluunt, ita vino addicti miseri debachantur, ut interim miseram plebem, quam in religione confirmare et instruere deberent, magno bonorum omnium luctu et lachrimis in Atheismum pene in dies prolabi videre liceat. Talis certe in Germania quondam clerus, causam apertam præbuit exorti Lutheranismi. Hi profecto sunt, qui suis moribus sacrosanctam religionis nostræ doctrinam, pertinaces adhuc apud indoctum vulgus obscurant et ansam præbent, quod plures a Catholica fide indies deficiant, multique terreantur, nec ad gremium et unitatem Ecclesiæ redeant.

« Hi denique sunt, qui Jesuitis aliquantulum adversantur eo quod eos sibi tam propter eruditionem', quam vitæ integritatem longe præferri vident. Dum quippe Electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris excitantur, et bona nascentia quæ nolunt imitari persequuntur. Alit quoque livorem infœlix inertia, et omnes destrui cupit qui se provehere non possunt, nulla enim tam modesta fœlicitas fuit unquam, quæ malignitatis dentes vitare potuerit. Quapropter talium ignavorum hominum invidia non tam suspicienda, quam Scholæ nostræ institutum promovendum videtur: cum inde quam plurimi gravitate, eruditione et vitæ exemplo præstantes viri, tam ad Ecclesiasticum quam politicum Reip. statum restituendum, brevi tempore, sine dubio nobis sint expectandi, quo certe unico remedio collapsum propemodum veræ religionis statum refici posse speramus. Alioquin timendum certe est, ne hæc nostra in Germania Resp. quæ undique ruinam minatur, in tanta cleri desidia et Lutheranorum vigiliis et malitia penitus corruat, præsertim cum nec Ecclesiastici S. V. neque sæculares Imperatori debitam obedientiam præstare, sed quilibet in Germania suo arbitrio libere et impune vivere videatur.

« Quapropter magna profecto necessitas incumbit, ut diligentissime dispiciatur, quo modo huic malo maturo consilio, virtute et ratione mederi queat, quod nos quidem in tanto rerum discrimine, consultiori modo et ratione fieri posse vix credimus, nisi juventus Germanica a teneris annis, singulari cum diligentia pie et catholice instituatur, ut subinde tam Ecclesiasticus quam politicus status bonis, doctis et gravibus viris, ut in veteri Ecclesia olim factum legimus, in integrum restitui possit. Proinde non solum Tridentino Concilio, sed bonis omnibus Germanicarum rerum compertis, omnino visum fuit, ut plurimis in locis Seminaria instituantur. Ad hanc vero rem nemo nostra hac ætate omniumque juditio magis idoneus præsertim apud nostrates extat, quam sæpe dicti Dñi Jesuitæ, qui præter cultum divinum, cui enixe student, juventutem quoque tanto studio, diligentia et assiduitate adeo indefesse instituere solent, ut pares non habeant. Jacta fœliciter sunt fundamenta in Austria, Comitatu Tirolensi, Bavaria, Bohemia et multis aliis in locis. Illique Principes omnes, maximum inde incrementum Catholicæ religioni accessisse libere fatentur, adeo ut jam circa quadraginta dictæ Societatis patres principalioribus fere Germaniæ cathedris cum magna Ecclesiarum ædificatione et singulari laude præsint. E contra vero clerus noster, neglecta cura juventutis pie probeque instituendæ vix unum aut alterum ex suis opponere queat, qui plebem de religione palam docere, nedum suis scriptis in publicum editis adversariorum dolos et strophas opprimere possit.

« Cesset igitur Cleri in Jesuitas intempestiva amarulentia, desinant Capitulares hujus Cathedralis Ecclesiæ tam ipsismet quam universæ Reip. nostrum longe salutiferum conatum, sine juditio vel ulla ratione impedire, quem eos maxime totisque viribus juvare et promovere oportebat. Sileant inepti, qui nihil aliud quam pocula crepant, de optimis istis viris sinistre judicare, quos venerari vel omnium maxime conveniret, sed commodum proprium quod ex Monasterio expectatur unum infligat alterum livor animi impellit, ut velis remisque obsistant, ne hoc negotium successum habeat. Sinant reformatioris vitæ homines defectus et vices eorum supplere, gratisque idem perficere, quod plerique optimis beneficiis onusti præstare nec volunt nec possunt. Danda igitur invidia affectui venia non est, quæ de suis non dolet malis, sed de alienis bonis eaque sibi fraudi existimat. Quæ sane Capituli insolentia Imperatoriam Majestatem movit, ut non solum S. V. pro collegio ad S. Crucem Jesuitis erigendo scripserit; sed etiam Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Capitulo serio injunxerit, ut relictis pri-

vatis animi affectibus ab inepta machinatione otius desistant, atque prædictum Monasterium in usum collegii ultro concedant, ne forte graviora remedia adhibere oporteat. Quamobrem eas quas a prædictis capitularibus quibusdam ad retardandum nostrum summopere necessarium propositum, Romam rationes et argumenta convolasse audivimus, plane nullius momenti apud Sanctitatem Vestram fore existimamus, præsertim cum appareat, translatione conventualium S. Crucis ad D. Georgium facta, nec Episcopatui nedum Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, multo magis Monachis quibus redditus integri manent, non solum nulla diminutio, sed quod ad fundationem et cultum divinum apud S. Crucem per Dños Jesuitas exequendum, tum etiam novam nostram donationem attinet, major potius accessio sit futura. Tum demum enim priorum fundatorum piæ intentioni satisfieri videtur, cum res in melius mutatur, cum præsertim sicut hæc requirunt tempora, ob communem tum Religionis tum Reip. utilitatem, ejusmodi varietas plane expectetur.

« Postremo quod ad seditionis periculum inde oriturum attinet, quem nos rumore a Capitulo Augustano ad impediendum tam sanctum institutum sinistro juditio intempestive sparsum esse existimamus. Sanctitas Vestra omnino sibi persuasum habeat, nos hæc nostra consilia, de constituendo collegio, multo ante cum iis qui Augustanæ hujus Reip. gubernandæ præsunt, ita privatim contulisse, adeoque certos esse, ut id hos non solum approbare, sed omnino in Catholicæ Religionis augmentum necessarium salutiferumque fore existimaverint, nempe ut Collegium et Schola Jesuitarum aliquando hic erigi et fundari possit. Neque enim Senatui neque plebi quicquam juris in ædes sacras hujus Episcopatus competere, sed Reverendissimo cuilibet Episcopo liberum esse, ut eo quem velit Clerum introducat vel omnino transferat, quod vel inde apertius constat: quod Monachi ad S. Crucem postquam rumor hic de substituendis ipsorum loco Dñis Jesuitis percrebuit, paucos ante dies libellum supplicem Senatui Augustano obtulerunt, ipsum Senatum inculpantes quasi ejus negotii author extiterit. Mira hæc res apud Senatum visa fuit, quod Electus a Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, quod tamen eum peracriter (sed præter omnem rationem hactenus defendit) defecerit, et Laicorum etiam Lutheranorum, quorum certe magna pars in Senatu est, in maximum Ecclesiæ præjuditium et præter Ecclesiasticorum vota, auxilium imploraverit, eo nimirum consilio; ut Lutheranis patres Societatis Jesu magis infensos redderet, atque indignationem aliquam Senatui erga eosdem commoveret. Sed hæc omnia frustra: Senatus enim re diu considerata, num ipsi juris aliquid in prædictum Monasterium competat etc. eaque aliter comperta, respondit breviter et modeste, se Senatus nomine de transferendis Monachis ad S. V. plane nihil scripsisse, neque posthac scripturum etc. Novit nempe Senatus hanc rem ad se non pertinere, neque ipsius esse, ut S. V. vel Episcopo hujus diœcesis modum præscribat, qualem suis templis et ædibus clerum præficiat. Quod autem ad Catholicas personas ejusdem Senatus attinet, ipsi uno ore uno vel altero ut supra meminimus excepto, patres Societatis Jesu summa devotione colunt et expetunt, Lutheranis autem Senatoribus perinde est, an iste Conventus ad S. Crucem maneat, an vero Jesuitæ illis substituantur, quatenus decreto Imperiali, quoscumque Catholicæ religionis ordines eos ferre conveniat. Neque nos rationis tam expertes sumus, quin ut diximus de voluntate Senatus ita nobis constaret, sive ullum seditionis periculum subesse suspicari potuissemus, certe nobis quorum potissimum interest omnia hic tranquilla esse, jam dudum nostrum propositum mutandum censuissemus.

« His evidentissimis rationibus Sanctissime Pater, et Domine Clementissime arbitramur satis perspicuum esse, Electum apud S. Crucem nihil unquam juris acquisivisse, multo minus ei quicquam competere posse. Jesuitas porro summo amore, observantia et veneratione Catholicos Laicos complecti. A Clero autem, injusta sane invidia, qua nullam unquam virtutem caruisse constat, plane inepte onerari: nullumque seditionis hinc oriundæ periculum subtimescendum, neque aliud quicquam impedimenti modo subesse, nisi quod nonnulli Capitulares Cathedralis Ecclesiæ pro solita sua erga hunc sacrum ordinem indecenti amarulentia nostro instituto sine ratione adversantur, cum tamen ipsimet liquido perspiciant (modo verum fateri volunt) Augustanam Remp. eo quotidie prolabi, ut nisi Catholicorum juventus, quæ parvo adhuc numero superest, quamque inter Lutheranorum dolos et insolentem proterviam educare maxima civium pars cogitur, maturo consilio juvetur Remp. hanc brevi, ad Lutheranorum Barathrum unde vix aliquantulum emersit, omnino redituram. Quod certe minime futurum confidimus modo unico hoc et extremo remedio Seminarii erigendi non destituamur.

« Extant proh dolor quæ nos terrent nimis acerba exempla. Scimus enim quod mera ignavia Catholicorum Clerus Norimbergæ, Argentorati, Ulmæ, Francfordiæ et in reliquis Imperii civitatibus turpiter ejectus fuerit. Sola fere cum perpaucis civitatibus superest Augusta eaque inter omnes primas tenens, quæ adhuc S. V. et Imperii constitutionibus paret: de qua tamen obedientia nisi maturo S. V. clementissimoque auxilio subveniatur, actum propediem fore, dubitandum non est.

« Quapropter a Sanctitate Vestra cum humil-

lima submissione et quanta possumus reverentia enixe rogamus, ut eum quem ad resarciendum deploratum Augustanæ Reip. statum suscepit animum, sua innata clementia constanter retineat, expendatque secum (quemadmodum omnino nobis pollicemur) pro sua quidem inclyta providentia, quanti referat, tum ad Sedis Apostolicæ tuendum honorem, tum ad Imperii et Germanicæ nationis incrementum, ut hæc civitas Augustana, quæ Lutheranorum edita quondam confessione prophanata fuit, Sanctissimi Dñi nostri Gregorii XIII. Pontificis Max. constituto ibidem Jesuitarum Collegio, ad pristinam religionem reducatur. Agatque non quod privatus Capituli Augustani suadet male sanus affectus, sed quod huic loco et tempori conveniat magis. Imo quod ad religionem lectissimo in loco conservandam atque fulciendam, nunc vel maxime necessarium prorsus esse videtur, præsertim cum translatione hac facta, cultui divino non solum nihil detrahatur, sed idem augeatur. Neque redditus adimatur, imo major eorundem accessio ex ære nostro fiat. Neque templum vacuum distrahatur, sed protinus, ornatius clero maneat, atque per nos nihil aliud petatur, nisi quod ad Dei Opt. Max. gloriam propagandam et S. V. inclytum Germanicæ Nationis juvandæ studium evehendum pertinere quam maxime videtur.

« Quod si vero aliter res accidet, ut minime speramus, et irrita consilia nostra manebunt, dolebimus quidem, non tam nostra causa quam quod vidimus divini cultus et honoris conservationem et incrementum negligi, rem catholicam in tali et tanto loco deseri, Catholicos tam graviter a Lutheranis oppugnatos, hac etiam consolatione gratiaque fraudari, totque Christianas mentes necessariis mediis et remediis opportunis in tanta destitui necessitate, ut nos quidem adversus tot sectas et pestes nos ipsos, ac nostros in officio Catholico tueri ægerrime sustineamus. Hoc enim S. V. persuasum habeat, si nos Catholici unico et ultimo hoc auxilio, prædictoque Monasterio destituamur, nullam apparere spem, Dños Jesuitas, quorum tres tantum hic habemus amplius hic sustentandi atque retinendi. Tum nobis quoque hoc periculum prorsus expectandum est, ut ipsis abeuntibus, nos ut saluti consulamus, hinc discedere, civitatemque tam præclaram bona ex parte relinquere oporteat: quæ vero tunc facies, quantaque calamitas hujus Reip. futura sit, prudens secum quivis facile perpendere potest. Rogamus igitur et obsecramur, quod S. V. præfatum Monasterium nobis ad collegium Jesuitis constituendum, tamquam extremum remedium ad Catholicam fidem apud Augustanos retinendam clementissime concedere dignetur, futuroque Episcopo Augustano confirmationem non admittat, nisi prius prædicta translatione facta, eamque tam ipsi Episcopo quam vicinis Principibus, quorum interest et qui pro nobis scripserunt, committat, ut suo et consilio et authoritate Cathedralis Ecclesiæ Capituli proph anos conatus opprimant, et S. V. voluntati executores esse velint, ut hæc translatio quam commodissime fiat, et prædictum Collegium in honorem Dei rite constituatur. Commendamus nos interim et totam causam S. V. cum omni submissione et reverentia, qua possumus et debemus humillima. Datæ Augustæ die 30. Maii Anno a Nato Christo 1573.

S. V.

Humillimi

Marcus Fucarus – Joannes Fuggerus – Hieronymus Fuggerus – Görg Ilsung præfectus Sveviæ – J. Achiles Ilsung – Maximilian Ilsung.

Collegium Patrum Cardinalium, qui Romæ habebatur sacris rebus per Germanias moderandis, Fuggeri atque Ilsungi paribus adiere precibus, et sibi apud Gregorium patronos poposcerunt. [*]

[*] Germania Vol. 26 fol. 30.

Rñis in Christo Patribus et Principibus Illñis Dño Cardinali Morono Sacri Collegii Decano etc. Cæterisque Congregationis Germanicæ Deputatis Cardinalibus etc. Dñis Nostris Gratiosissimis Romæ.

Rñi in Christo Patres et Principes Illñi.

« Norunt Illñæ Dñationes Vestræ, quam pio planeque paterno affectu nostram petitionem admiserit Illñus et Rñus Cardinalis noster Augustanus felicis recordationis pro erigendo hic collegio Societatis Jesu ad S. Crucem. Nobis sane certa spes erat, fore, ut petitioni huic fieret satis, præsertim cum intelligeremus, Sanctissimum hoc nostrum institutum probasse. Verum immatura mors, quæ nobis nostrum optimum Antistitem eripuit, nostra circa hoc negotium hæc desideria nonnihil retardavit. Non enim videbatur aliquid posse effici, donec alium nobis divina clementia concederet Episcopum. Cum itaque preces supplicum jam talem impetrarint antistitem Augustanum, qui non vulgarem præseferat zelum juvandi Germaniam nostram afflictam, hoc tempore nobis denuo revocanda videbantur nostra antiqua et diu præmeditata desideria. Præsertim cum intelligeremus Illñam suam Dñationem petituram a Sede Apostolica confirmationem. Proinde rogamus Dñationes Vestras Illñas, ut quæ sua erga Germaniam animi promptitudo est, nobis quoque more solito adesse velint intercedendo et agendo causam nostram apud Sanctissimum Dñum nostrum, ut paternas suas cogitationes, quas dudum de applicando Monasterio S. Crucis admisit, tandem in opus deducere velit. Facient certe DD. VV. II. rem Deo gratam, tantis Principibus dignam, nobis vero nostræque patriæ admodum utilem DD. VV. II. nos commendamus, quas ut Deus suæ

sanctæ Ecclesiæ catholicæ diu servet incolumes precamur. Augustæ 30. Maii Anno 1573.

Ill.mis Dominationibus VV.

Addictissimi

Georg Ilsung præfectus Sveviæ – Jo. Achilles Ilsung – Maximilian Ilsung – Marcus Fucarus – Johannes Fuggerus – Hieronymus Fuggerus – Johannes Paulus Herwortus.

Quod Cæsar et summo illi genere inter Augustanos nati poscebant, facturum se Gregorius reponebat, Cæsarisque studia ad tuendum quod erigeretur Collegium excitat. (*)

(*) Seg. Gregorii XIII. An. II epist. 79. fol. 37.

Carissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Et antea cupiebamus dilectorum filiorum Fuggerorum, aliorumque nobilium Augustanorum optimo, maximeque pio desiderio satisfacere, quodque illi postulabant, templum et domum Sanctæ Crucis Jesuitis concedere, et hoc tempore gravissimæ Nos in eam sententiam adducunt literæ Majestatis Tuæ, cui cum omnibus in rebus, quantum possumus, morem gerere cupimus, tum vero in hac, quam ad Catholicæ Religionis incrementum, atque ad Dei gloriam magnopere pertinere ex eisdem literis intelligimus. Fuit hæc tua postulatio, tua sapientia et pietate dignissima. Deus enim, qui facit, ut Reges regnent, eum videt, illos curare, ut ipse etiam per fidei in Nobis sinceritatem, perque vitæ sanctitatem regnet, facit, ut ipsi quoque pacatius ac diutius regnent; dumque Nos agimus causam suam, ipse agit nostram: ut sapienter Majestas Tua scribat, duplici hoc sinceræ incorruptæque religionis et morum sanctitatis vinculo Regnorum fidem et salutem ad summam tranquillitatem et diuturnitatem maxime contineri: quod quidem utrumque ex ea, quam postulas, domus et templi ad Jesuitas translatione Nos consecuturos esse facile declarant eædem literæ tuæ, quo etiam magis Collegium illud tibi in posterum commendatum iri speramus, ac fore, ut quemadmodum Augustani illi nunc tuam charitatem in postulando, sic in posterum Jesuitæ ipsi tuam in eo Collegio amplectendo, et tuendo benignitatem experiantur. Datum Romæ apud S. Marcum etc. die VIII. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Eademque scribit Bavarorum Duci. (*)

(*) Seg. Gregorii XIII. An II epist. 79 fol. 38.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis Vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Tam gratas, quam scribis, fuisse Nobilitati Tuæ nostras literas, quibus pollicebamur, Nos (modo ne quid gravius obstaret) Templum, ac Domum Sanctæ Crucis ad Jesuitas translaturos, minime miramur: hoc enim ab eadem illa pietate proficiscitur, quæ te ad id postulandum adduxerat; unde etiam has nostras tibi gratissimas fore non dubitamus, ex quibus intelliges, nihil in Nobis moræ esse, quoniam ea impedimenta, quæ tum verebamur, quantum ex tuis literis accepimus, nulla sunt. Jesuitas vero ipsos tuæ Nobilitati commendatissimos fore spondent eædem tuæ literæ: ejusdem enim est pietas optima, Deoque gratissima exoptare, et adepta tueri, idque te facturum speramus, adjuvante Deo omnis bonæ voluntatis, atque actionis largissimo donatore, atque effectore. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die VIII. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

III. — Quod nobiles illi viri Augustæ constituebant, id sibi quoque Carolus Austriæ Dux in Stiria, quæ ei regenda pars obvenerat, conficiendum ratus; Græcii igitur in nobilissima illius Provinciæ civitate collegium condere constituerat, quod Patribus Societatis Jesu attribueret, ad teneros juvenum animos rectis moribus et sanioribus disciplinis imbuendos. Quod sanctum hoc opus aggrederetur, et summo studio prosequi vellet, et suis ita votis apprime satisfaceret, maximas illi laudes Gregorius attribuit. (*)

(*) Seg. Gregorii XIII. An. II. epist. 79. fol. 34.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis Vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Tametsi nunquam fuit Nobis obscura pietas tua, tamen incredibili Nos voluptate afficiunt ea, quæ de te in dies magis, ac magis audimus; quia et tuæ Nobilitati omnem laudem, et Deo cultum, et Sanctæ, Catholicæque Religioni incrementum toto pectore exoptamus. Hæc omnia facile existunt ex eo Jesuitarum Collegio, quod te in civitate Grezensi constituere accepimus. Itaque et virtuti tuæ, et populo illi gratulamur, et intimo ex corde Deo gratias agimus. Mirum enim, quantum in hoc facto situm sit Nobilitati Tuæ ad mercedem, populis illis ad salutem, Deo ad gloriam. Tribuis Christi ovibus ministros, unde illæ cœlestem petant cibum vitæ Sanctitatis in moribus, doctrinæ sinceritatis in religione, divinæ gratiæ in Sacramentis. Perge, ut facis, Christi causam amplecti, ac tueri multoque ampliora ab eo præmia expecta quam ut ulli unquam oculi hominum videre, aures audire, cogitationes assequi potuerint, Nosque hoc nomine tuæ Nobilitati semper devinctos fore existima. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die III. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

IV. — Paria conabatur religiosissimus Fuldensis ex inclyto S. Benedicti Patris Ordine Monachorum Abbas, et nihil intentatum relinquebat, ut Ignatianos Fuldam advocaret, ut in conditum a se collegium induceret, ad adolescentium edu-

candorum munus capessendum. Omnem tamen lapidem movebant hæretici, ut rem infectam efficerent, et qui verbo tenus Catholici veneno novarum hæresum animos occulte inficerent. Dolendum vero imprimis fuit ex ipsa Fuldensi Benedictinorum familia fuisse quosdam, qui Abbati in re gerenda ita acriter adversarentur, ut ipse coactus fuerit ad Gregorii auxilium et auctoritatem confugere, eumque precari, ut suos vellet monachos ad saniora consilia revocare. [*]

[*] Germania Vol. 23. fol. 7.

Beatissime Pater.

Post debita obsequia, et sacrorum pedum oscula.

«Beatissime Pater, expertus nuper S.T. vere paternam erga me meosque curam, cogor denuo eodem recurrere, et a S. T. in difficultatibus, quibus premor, sicut humilis et obediens filius, consilium auxiliumque implorare. Angustiæ autem meæ B. P. hæ sunt: Abbatia Fuldensis, eique annexus Principatus, cui, quamvis indignus, Dei et Apostolicæ Sedis beneficio, præsum, ab omni fere parte, hæreticis potentibus cincta est. Ex quorum vicinia accidit, ut, licet nunquam publice et libere hæresis permissa sit, in populo tamen fidei sinceritas, atque in monasteriis, ac Canonicorum Collegiis mihi subjectis, piorum et religiosorum morum observantia, paulatim connivenția et temporum iniquitate, plurimum sit debilitata. Quæ mala cum ego statim ab initio electionis meæ, quantum possem, amovere cogitarem, et cuperem, egi diligenter, et gratia S. T. obtinui, ut Patrum Societatis Jesu collegium, a quibus in hisce rebus juvarer, in civitate mea Fuldensi haberem. Quo jam erecto, primo quidem fratres meos Capitulares, cum sint religiosi S. Benedicti, et Sacerdotes, instituti ordinis ac professionis suæ, atque adeo præstiti juramenti, quo Sedi Apostolicæ, et mihi obligantur, paterne admonui, mediaque nonnulla præscripsi, quibus non importune, sed suaviter, pernitiosam et scandalosam vitæ licentiam existimabam posse impediri. Deinde circa Pascha anni præsentis ordinavi in Civitate mea Fuldensi ut omissis quibuscumque alienis ritibus circa Sacramentorum dispensationem, omnia Catholico more peragerentur. Hac re cives mei commoti, supplicationem mihi obtulerunt, qua petunt, ut juxta Confessionem Augustanam Sacramenta administrari, et conciones ad eos fieri permittam, rogantes Capitulares, ut pro ipsis apud me intercedant: qui quidem, ut diligentius id præstarent, Nobilibus ditionis meæ se conjunxerunt, communique consilio, non solum ut Cives exaudirem, rogaverunt, sed Romani Imperii decretis me ad id faciendum obligari, persuadere sunt conati. Quibus, et maxime Civibus, cum respondissem, causasque sufficientes dedissem, quare nec æqua esset eorum petitio, nec a me, ut S.V. et Catholicæ Ecclesiæ filio, deberet, aut posset concedi, atque jam sperarem nullam mihi amplius fore molestiam: accidit, ut elapso mense Octobri, Augustus Elector Saxoniæ, Georgius Fridericus Marchio Brandeburgensis, Wilhelmus et Ludovicus Hassiæ Principes, Legatos viros nobiles ad me miserint, importunis precibus comminatione mixtis audacter sollicitantes non jam solum liberum exercitium Confessionis Augustanæ, sed etiam ut Patres Societatis a Civitate et ditione mea quamprimum ablegarem. Quibus cum respondissem, me post maturam deliberationem, Principibus ipsorum, per litteras vel legatos satisfacturum atque illi in eo responso tandem acquievissent, turbæ denuo a meis commoventur. Nobiles enim per Capitulares, indebite, me inscio, Fuldam 3. Novembris convocati, magno impetu, et minis diebus aliquot apud me instant, et urgent, ut Jesuitas, quos malitiose vocant, sectam hæreticam, blasphemam, et seditiosam, quamprimum dimittam, permissa Civibus Confessione Augustana.

« Quibus omnibus cum apud me nihil efficerent, viderentque Capitulares vitam mihi potius eripi posse, quam Patres Societatis: ipsi imperandi audaciam ultro assumpserunt, literasque sub suo nomine ad Collegium Societatis miserunt, denunciantes, ut intra dies 14. Fulda, totaque ditione mea discedant, alioquin se auxilio Nobilitatis ipsos profligaturos. Hac temeritate commotus, rem totam Imperiali Cameræ exposui, ac contra Capitulares, et Nobiles, mandatum, de non offendendo vel me, vel Catholicum aliquem, et nominatim Societatis personam, sub pœna banni Imperialis obtinui. Quo publicato quieverunt illi quidem ab opere, sed non a pravo proposito, nam Capitulares a me paterne pro officii mei ratione admoniti, ut se mihi adjungerent, dictosque Patres mecum diligerent, in sua sententia perseverarunt. Cum autem sperarem sedatis Principibus, me finem turbationis consequi posse, horum enim metu Capitulares referebant, se hos motus concitasse. Scripsi Electori Saxoniæ, eumque de jure meo pluribus informavi, atque rogavi, ne contra Imperii Statuta, mihi in gubernandis meis velit esse molestus: At ille ita respondit, ut, rationibus meis parum consideratis, exercitium Augustanæ Confessionis, subditis dicat concedendum, et Jesuitas tamquam novam sectam, in concordia Religionis, quam Imperii Principes constituerunt, non comprehensam, ad suum locum esse relegandos.

« Quæ literæ cum rursum pericula non obscure minentur, non solum Electori sed et Hassiæ Principibus rescripsi, ac de utroque illo controversiæ puncto plenius instruxi. Cum autem timendum sit, eos mihi minime acquieturos: S.T. quam in hisce adversitatibus post Deum primum et præcipuum refugium habeo, humili hac supplicatione coactus sum interpellare, primum obnixe

et humiliter orans, B. P. ut S. T. hoc negocium cum sibi habeat, tum per literas Romano Imperatori faciat commendatum. A sua enim Majestate id necesse est, in hac causa impetrare, primo quidem ut apud externos Principes efficiat, ne meam impediant jurisdictionem, neve sub religionis specie, meum invadant Principatum, tum etiam ut declaretur, me, ex Imperii decretis, potestatem habere, collapsam in meis terris Catholicam religionem restituendi, meosque subditos in hoc debere mihi obedire, ac Societatem Jesu a Sede Apostolica, et Tridentino Concilio approbatam, in concordia religionis, quam Imperium Romanum constituit, comprehendi. Quibus S. T. auctoritate ab Imperatore impetratis, cum sperem ab externorum Principum molesta turbatione me fore quietum: tum alterum est, in quo S. T. gratia non minimum indigebo, in uniendis fratribus Capitularibus meis cum me capite suo. Cum enim separatio illorum hactenus malis hisce præbuerit occasionem, et plura mala paritura videatur, S. T. supplex oro, ut eos ad obediendum in iis, ad quæ ratione ordinis, professionis et juramenti Deo, S. T. et mihi sunt obligati, literis paternis S. T. admoneat, illisque significet, institutionem Collegii, et abusuum abrogationem a me inchoatam S. T. gratam esse et acceptam. Haec B. P. ita humili sobjectione S. T. propono, ut sive nunc dicta, sive alia media commodiora judicabuntur, id totum S. T. committam, a qua hoc unum tantum rogo, ut me humilem suum filium, inter Romani Imperii Principes minimum, habeat commendatum, quo sic Catholicæ Religionis restauratio in his terris, quæ olim ad totius Germaniæ conversionem servierunt, fœlicem effectum sortiatur. Ego interim non desinam Deum Opt. Max. etsi indignis, attamen assiduis meis precibus rogare, ut S. T. Ecclesiæ suæ quam diutissime incolumem servet. Datum in Civitate mea Fulda die 28 Decembris Anni 1573.

BALTHASAR Dei Gratia Abbas Ecclesiæ Fuldensis, Divæ Augustæ Archicancellarius, per Germaniam et Galliam Primas.

V. — Quo studio juvenibus universis Catholicis recte educandis, informandisque per Collegia recens condita viam sternere satagebat Gregorius, eodem inflammabatur, ut juxta dictas a Tridentinis Patribus leges Seminaria erigerentur, et adolescentibus aperientur ad Ecclesiastica munia informandis. Germaniæ præsertim rebus per illa auxilium querebatur. Scribebat idcirco Pontifex ad Ratisbonensem et Passaviensem Præsules. Damus litteras ad Ratisbonensem missas. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 148. f. 73.

Venerabili Fratri Episcopo Ratisbonensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater Salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil aliud expectari par erat a Fraternitate Tua, quam quod eam maxime decebat, quodque isti Episcopi loco, et muneri in Ecclesia Dei dignissimo congruentissimum erat; scilicet te ea, quæ Dei sunt, toto pectore cupere, et curare, Christique ovibus, quibus præpositus es, ad ipsum illa, quæ una est, rectæ, sinceræque fidei, et vitæ via perducendis excubare parareque ei in Seminario constituendo ministros idoneos, qui a pueris sincera doctrina, et optimis moribus instituti possint Catholicam veritatem, et dignitatem tueri, et quam plurimos doctrinæ veritate, ac vitæ exemplo ad Christum perducere; unde ejus gloriam vehementer augeri necesse erit. Hujus vero totius rei fructus, quem permagnum fore non dubitamus, ad tuam fraternitatem redibit. Ut enim nihil Christo gratius est salute animarum, pro quibus ille se morti turpissimæ, et crudelissimæ objicere non dubitavit, sic ei gratissimos esse oportet eos, qui in eam curam maxime incumbunt. Fac igitur charissime frater quamprimum id quod præclare cogitas, summamque a Nobis, ab universa Ecclesia, a Deo ipso gratiam inire stude, Nosque tibi ut munere, sic charitate conjunctissimos esse existima; ac si qua in re tuam optimam voluntatem a Nobis adjuvari posse intelligis, fac Nos certiores, invenies certe paratissimos. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XVII. Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

VI. — Cæterum Germanos Episcopos dum verbis hortabatur, confirmabat exemplo Gregorius. Collegium enim adolescentibus Germanicis olim a Julio III. Romæ ædificari et constitui cœptum, quod rei familiaris angustiis non satis annuo redditu instructum ad inopias redigi cœperat, et paullatim deficere, Gregorius pro suo Catholicarum rerum confirmandarum officio sibi restituendum est arbitratus. Addito igitur annuo perpetuo decies millium scutatorum nummum censu, inopiæ metum omnem levavit, ut centeni in eo juvenes ali possent et sacris imbui disciplinis effecit, et lege sanxit. Germanico-Hungaricum appellari voluit, quod in illo permixtis ex utraque gente juvenibus hospitium esset constitutum. Istæ Collegii leges a Pontifice litteris consignatæ postr. Non. Aug. [*]

[*] Jul. Cordara Soc. Jes. Colleg. Germanici et Hungarici historia. Romæ 1770.

Tantis auctum Pontificis beneficiis maximam mox sibi famam Collegium acquisivit. In patriam reversi lectissimi, qui in eo alti educatique fuerant adolescentes, conservandæ, et provehendæ avitæ religioni omni ope insudarunt, factumque ut Episcopi Germaniæ certatim omnes lectissimos quosque suarum civitatum juvenes Romam destinarent, et ut illis locus a Pontifice præberetur, orarent. Nosce eorum studium ex iis, quæ Moguntinus Archiepiscopus Pontifici scribit. [*]

[*] Germania Vol. 20. fol. 60.

« Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio ejus nominis Decimo Tertio Sacrosanctæ Romanæ et Universalis

Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

«Post debitam obedientiam et devota semper sacrorum pedum oscula. Beatissime Pater et Dñe, Dñe Clementissime. Has literas ad S. V. quanta quidem decet animi demissione ut darem, haud prætermittendum duxi, præsertim cum S. V. paterna quadam in me pietate ad id quodammodo me per suas invitaverit. Ego equidem hactenus communi rei Christianæ plurimum gratulatus sum, Ecclesiæ Dei divinitus eum contigisse pastorem Universalem, qui non modo vigilantia, prudentia ac sanctitate prædecessores suos æquet, verum multos post se longo etiam relinquat intervallo: at nunc non possum non gaudere, et mihi ipsi privatim certam quoque porrigi spem, posse me si quando usus erit, S. V. tanquam pientissimi patris perfrui benignitate et clementia. Cujus rei non parva mihi profecto sunt testimonia, donaria, quæ a S. V. ad me detulit lectissima, Casparus Grōperus Rotæ Auditor, nec non ejusdem propositum alendi aliquot Theologiæ studiosos in usum tam Ecclesiæ meæ quam aliarum nostræ nationis laudatissimum. Quare pro ista S. V. in patriam nostram, me, ecclesiamque meam pientissima affectione, eum gratias agere dignas quantumvis velim, me haud posse videam: oro omnis boni et authorem et retributorem Deum, ut is præter alia quorum jam plurimo procul dubio, ad futuram gloriam reposita habet, etiam hæc merita S. V. digno condecoret præmio. Ego vero ne et officio meo deessem, et Ecclesia mea tanto beneficio S. V. mea injuria defraudaretur, quatuor sub initium adolescentes, qui ad istud institutum idonei mihi hocce tempore oblati sunt, isthuc hinc ablegare statui. Spero illos frugi fore, et officium suum facturos. Plures futura æstate Deo dante, ac subinde alios, dummodo advenientibus receptus non fuerit interclusus, submittere decrevi. Nihil enim mihi magis in votis est, quam complures, maxime vero scientia doctrinæ catholicæ, et puritate vitæ conspicuos, habere mecum in vinea Domini cooperarios. Hactenus vix tantum mihi est loci relictum, ut reliquias ecclesiæ meæ ad me transmissas, a luporum hiantium quibus undequaque cingor, rictu, non tamen absque magna contentione, et multorum invidia, intra ovile continere potuerim, ulterius extendere curam cum profectu aliquo ægre datum est. Animadverti autem et experientia didici, hujusmodi negocium tantisper differendum, donec vel ipsi qui a nobis defecerunt, agnito errore ad saniorem mentem sua sponte redeant, vel misericordiarum pater nostri tandem misertus opportunius remedium reducendi eos in viam nobis commonstret. Quale quidem istud institutum S. V. futurum minime dubio. At cum messis valde copiosa apud nos deprehendatur, impossibileque sit, ut numerus alumnorum S. V. licet et ille peramplus sit, universo operi sufficiat, percuperem sane alicunde exemplo S. V. angustiorem libertatem cieri, aut aliam quandam rationem iniri posse. Unde vel isthic, vel alibi idoneus numerus eorum, quos ipsa Dei Ecclesia jam diu afflicta, ad sibi in opere et sermone sucurrendum, efflagitare videtur, opportune ali, recteque institui queant. Quam quidem in rem cum hactenus sedulam quantum in me fuit, absit tamen arrogantia verbo, impenderim curam, tum in posterum non facile me quicquam admissurum cogito, in quo meam vel diligentiam vel fidem, aut observantiam S. V. jure desiderare debeat. Jam vero ut Ecclesiam meam et me eo favore ac benevolentia qua cœpit deinceps prosequi dignetur, etiam atque etiam clementissime rogo. Pro cujus vicissim perpetua salute felicissimaque administratione istius sacrosancti augustissimique muneris, ut æterno Deo preces meas quam ardentissime offeram et officii mei esse agnosco et libens seduloque facio. Datæ Aschaffenburgi Calend. Decembris. Anno reparatæ salutis 1573.

Sanctissimæ Paternitatis Vestræ

Humilimus

Daniel Archiepiscopus Moguntinus.

At tot undique præcibus circumfusis, jam omnibus satis fieri nequibat, et cooptato, qui par erat juvenum numero, cæteris locus deficiebat. Necessum fuit igitur, ut vel invitus Gregorius modum tamen rei faceret. Diœcesibus certum solummodo numerum mittendorum constitueret, conditionesque in excipiendis adolescentibus servandas arctius constitueret, ut litteræ testantur, quas Cardinalis Comensis Augustano Episcopo dedit. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 26 cp 81

Episcopo Augustano.

« Reverendissime Domine. Quid expositum tibi fuerit a Reverendo Domino Nuntio Groppero de pueris conquirendis et Romam ad Collegium Germanicum a Sanctissimo Domino Nostro institutum mittendis, ex tuis literis die VIII. hujus mensis scriptis cognovi simulque promptum ipsius animum adjuvandi hoc tam pium et germanicæ nationi salutare opus perspexi. Quæ omnia cum Sanctitati Suæ nota fecissem valde ei grata fuerunt. Sed quod ad numerum adolescentium, qui mittendi sunt, attinet; scire te oportet, hoc collegium ad totius Germaniæ regionumque septentrionalium illi adjacentium commodum erectum esse, æquum esse unicuique regioni congruam in eo portionem et locum servari adeo ut satis futurum sit, si ex istis diœcesis tuæ locis decem, vel ad summum duodecim adolescentes huc mittantur. In his autem præcipue cuperet Sanctitas sua dari abs te omnem operam, ut aliqui essent nobiles, ex quibus, ut nosti, major ad ecclesiam Dei fructus pervenire potest, eorumque loci ac nobilitatis digna hic in educatio-

ne et institutione habebitur ratio, quod quidem ipsis, eorumque parentibus, vel agnatis prolixe polliceri poteris. Quoniam vero in ipsa collegii erectione inter cætera statutum est, ut nemo admittatur, qui literas dimissorias a suo Ordinario non habeat, poteris eos, quos mittendos censueris, ad Comitem Portiarum Sanctissimi Domini Nostri Nuntium, qui non longe aberit, dirigere vel ei scribere. Ab eo enim quid agendum sit de expensis itineris quam de cæteris rebus plenius cognosces. Quod reliquum est Amplitudinem tuam bene valere ac Deum propitium habere opto. Romæ die XXVII. Novembris MDLXXIII.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

VII. — Nec vero Gregorius vel curis pepercit, ut quibus capiendis Collegium Germanicum impar esset, eos alibi per Pontificiæ ditionis urbes alendos instituendosque tribueret. Hoc videre est inter cæteros in Laurentio Surio celebri illo Carthusianæ familiæ decore, viro et sanctitate morum, et scientiæ laude spectatissimo, cujus nepotem Surio efflagitante Gregorius bonis artibus informandum Perusiam miserat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 70. fol. 23.

Dilecto Filio Laurentio Surio Fratri Carthusiano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus literas tuas, nec multo post quartum tomum, quem edidisti de vitis Sanctorum, qui liber fuit Nobis gratissimus, vehementerque laudamus tuum istud studium et laborem Sanctorum vitas colligendi scribendique et vulgandi: nihil enim potest esse hac historia aptius ad hominum animos ad veram pietatem, atque in omni genere virtutum excitandos. Nepotem tuum Perusiam misimus, qua in civitate vigent studia litterarum, collocavimusque eum in quodam collegio, quod ibi Sapientiam appellant. Speramus, illum et optimorum doctorum opera et sodalium exemplo et tui absentis recordatione et imitatione magnos progressus facturum tuoque pio desiderio et expectationi responsurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die II. Julii 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

Habeto et Surii ad Gregorium litteras. (*)

(*) Germania Vol. 90. fol. 3.

Beatissimo et Sanctissimo Domino Nostro D. Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

« Salutem et æternam a Domino felicitatem. Tomum IIII. de Sanctorum historiis Sanctitati Vestræ, beatissime Pater, inscripsi; qui si illi gratus fuerit, quemadmodum primus Pio V. sanctissimo Pontifici, mihi satisfactum erit. Oro autem, ne S. V. impudentiæ aut temeritati adscribat, quod vilis homuntio ausus sum illi scribere. Nam ad id me quædam adigit necessitas. Habeo Romæ nepotem ex germana sorore mea, quem summopere cupio S. V. commendatum, ut ejus liberalitate possit aliquid adipisci, unde in Italia in studiis sustentetur. Nam parentes ejus, qui inter hæreticos manent catholici, propter multas proles non possent eum alere in Italia: et ego nullo pacto ferre possum, ut redeat in patriam, ne ab hæreticis corrumpatur. Non puto ego S. V. difficile esse adolescentem adjuvare, maxime cum et catholicus sit, et libens absit a patria et parentibus, ne hæresi inficiatur. Non audeo allegare labores meos, quos pro Ecclesia suscepi jam annis multis, sed tantum oro, ut S. V. gratuita benignitate velit opitulari exuli et peregrino adolescenti. Ea res etiam parentes ejus non parum in catholica religione confirmabit, et me ad porro laborandum reddet alacriorem, tametsi certe, qui hodie aliquid scribunt, quod hæreticos male habeat, in multis periculis versantur. Nolo esse prolixior, ne occupatissimæ S. V. molestus sim, et parum de ejus liberalitate fidere videar. Dñus Jesus S. V. diu tueatur salvam et incolumem. Ubi primum commode fieri poterit, Tomus IIII. accurate compactus Romam perferetur, et S. V. præsentabitur. Jam ejus extrema folia excuduntur. Iterum valeat S. V. Ex Carthusia Coloniensi XV. Februarii Anno MDLXXIII.

S. V.

Servus obsequentissimus.
F. LAURENTIUS SURIUS
Carthusianus.

VIII. — Quam absens per litteras gerebat Gregorius de Collegiis et Seminariis curam, eam quodammodo præsens per Legatos extra ordinem missos in Germaniis adhibere satagebat. Selecti igitur viri, qui Principes, Episcopos, cives coram alloquerentur, rem propriis oculis inspicerent, consiliis hortationibusque ad felicem exitum Seminaria condenda perducerentur, Bartholomæus e Porciæ Comitibus ad Bavariæ Duces, nec non ad Cæsarem et Austriacos Archiduces mittitur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 30 fol. 12.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Summa Bartbolomæi e Porciæ Comitibus atque Abbatis Modii integritas et prudentia multa cum pietate conjuncta fecit, ut ejus potissimum isthic opera utendum putaremus, faciendumque istis in locis nostrum et Sedis Apostolicæ Nuncium ordinarium, quibus nominibus Nobilitati tuæ acceptissimum fore non dubitavimus. Habebis virum paratissimum ad ea omnia, in quibus apostolica auctoritate opus esse intelliges ad Religionis sinceritatem atque ad animarum salutem, quam tibi pro tua insigni pietate summopere cordi esse certo scimus. Ei igitur omnem ut fidem adhibeas, utque iis in rebus, quibus opus esse intelliges eum juves rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die quinta Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Gratum id porro Principibus fuisse, et sancto auctum consilio Ferdinandi Austriaci Tirolensis litteræ apprime demonstrant. (*)

(*) Germania Vol. 88. fol. 17.

Beatissime in Christo Pater et Domine Domine Clementissime.

«Humillimam mei commendationem, filialem observantiam, et pedum oscula beatorum. Bartholomæus Purlitiarum Comes et Abbas Modii, quem Sanctitas Vestra in hæc loca ad meque ipsum Nuncium destinare voluit, redditis mihi Sanctitatis Vestræ litteris, de iis quæ a Vestra Sanctitate in mandatis habuit, magna cum ipsius prudentiæ atque integritatis laude diligentissime mecum egit, nihilque plane studii, curæ ac sollicitudinis prætermisit. Ex quo ipse non sine singulari animi voluptate facile perspexi, quanti Sanctitas Vestra me faceret, quod præclarum hunc Virum, multis egregiis virtutibus excellentem, rerumque agendarum peritissimum ad me mittere dignata sit. Qui cum Beatitudinis Vestræ, et Sanctæ istius Sedis Apostolicæ negotia tanta cum fide, diligentia, atque dexteritate agat, Sanctitati Vestræ merito charissimus esse debet. Nec dubito sane illum a Sanctitate Vestra inter eos annumerari, quos ipsa peculiari quadam prosequitur benignitate paterna. Quæ autem per ipsum mecum tractata et a me responsa sint, Vestra Sanctitas ex eo ipso rem omnem clarius intelliget. Et ea quidem Sanctitati Vestræ pro solito meo filialis observantiæ studio benigne probari, meque eidem quam commendatissimum esse summopere cupio. Datæ Œniponte tertia die mensis Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

IX. — Gaspar Gropperus eodem pacto legatus proficiscitur ad Episcopos, tum eos qui inter Germanicos Principes censentur, tum cæteros omnes; nec non ad Cliviæ et Juliæ Ducem Guilielmum, et Colonienses Cives. En ad eum commendandum litteras ad Moguntinum Præsulem. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 48. fol. 21.

Venerabili Fratri Danieli Archiepiscopo Moguntino Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

«Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Quo gravius est hoc, quod a Deo impositum sustinemus Apostolicæ servitutis munus, eo Nobis chariores esse oportet venerabiles fratres nostros, quorum prudentia et laboribus nostrum hoc onus ea ex parte, qua eos Dominus ad eandem servitutem vocavit, allevatur. In his Fraternitatem Tuam in primis numeramus, cujus curam et vigilantiam in grege Domini pascendo, in tantaque hæreticorum multitudine et vicinitate ab omni ea peste integra conservando tuendoque perspectissimam habemus. Et quamquam scimus, virtutem tuam ad immortalem illam atque omni existimatione ampliorem gloriam, quæ tibi apud Deum reposita est, contendentem nihil cupere laudem humanam, tamen nostrum esse duximus, judicii quoque testimoniique nostri laudem Fraternitati Tuæ tribuere, nostramque omnem, quam in Christo habemus, auctoritatem et potestatem, ad ejusdem Christi, catholicæque Ecclesiæ ejus sponsæ causam tuendam, amplificandamque paratissimam polliceri; ac sic confirmare, nihil te Nobis gratius facere posse, quam si certiores Nos feceris, quibus potissimum rationibus possimus istis in locis tuæ optimæ hac in re voluntati, nostroque incredibili desiderio satisfacere. Neque vero satis habuimus, hæc Fraternitati Tuæ his litteris significare, mittimus etiam dilectum filium Gasparem Gropperium Cappellanum nostrum, nostrique Palatii Apostolici causarum Auditorem, virum summa fide, integritate, religione præditum, ut te nostris verbis salutet tibique has nostras literas reddat, tecumque de his deque aliis rebus fusius agat. Ejus verbis eandem, quam nostris fidem te adhibiturum esse non dubitemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima prima Junii 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

Jam per eundem Gropperum salutaverat Colonienses Gregorius eisque de vehementi eorum studio in avita tuenda fide gratulatus fuerat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII Liber III. fol. 29.

Dilectis Filiis Consulibus et Senatui Coloniensibus.

GREGORIUS PP. XIII.

«Dilecti filii salutem etc. Legimus libentissime vestras literas, quas nobis reddidit dilectus filius Gaspar Gropperius, nostri palatii Apostolici causarum auditor: ut autem vos non sine maxima pietatis laude, ea quæ scribitis optatis per nos præstari Ecclesiæ Dei, sic nos in gravissimo hoc munere nobis a Deo assignato ingenti cum timore et periculo versamur; neque ulla alia in re, nisi in ipsius Dei auxilii spe respiramus, quod quidem auxilium postulamus nobis conciliari, et vestris et piorum omnium orationibus; nostram enim imbecillitatem semper cognitam habuimus, nunc vero in tantis periculis atque in tanta eorum omnium perturbatione et conversione expertissimam habemus. Laudamus vestrum perpetuum studium in Catholica religione tenenda et tuenda, caritatemque in ejus propagatione tantopere cupienda; sed ita ut omnis vestræ voluntatis atque actionis Deum auctorem agnoscamus. Quæ postulatis de gratiis aliorum summorum Pontificum confirmandis et renovandis, ita concedemus, ut postulatis, hoc est ne beneficia dentur iis, qui et vitæ sanctitate et doctrinæ præstantia ac synceritate possint obstruere ora loquentium iniqua; quod quidem ut perpetuo facere decrevimus, sic omnem quæ sese in hac re nobis

offerret facultatem arripiemus, nec unquam vestræ optimæ voluntati deerimus; quod quidem libentius rebus ipsis confirmabimus, quam verbis pollicemur. Hæc fusius perscribet Gropperius noster, cum quo diutius locuti sumus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die xxiii. Januarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Solerti usus opera Gropperus cum Episcopis egerat, de quibus certiorem Pontificem extemplo fecit, suaque illi consilia aperuit de adolescentibus Romam ad Collegium Germanicum evocandis, de Herbipolensi præsule, de rebus Monasterientibus, de misera Osnabrugensis Ecclesiæ conditione, et de instaurandis Coloniæ litterarum studiis. [*]

[*] Germania Vol. 34. fol. 117.

Illustrissimo et Reverendissimo Principi et Domino Ptolomeo Gallio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Presbytero, Archiepiscopo Sipontino et Domino meo Colendissimo.

Reverendissime et Illustrissime Domine Dñe Colendissime.

« Novissimas Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vestræ litteras vii. et xv. Novembris Romæ datas, ix. et xvi. Decembris accepi. Et quoad priores, ut inter adolescentes deligendos, et Romam mittendos maxima eorum, qui nobilibus sint procreati parentibus, ratio habeatur, attinet etc. Ea sane in re (cum et illa, quæ antea mandata fuere, tale quid innuirent) nihil diligentiæ prætermissum. Sed cum constitutiones nobilium parentibus in quibusdam viderentur rigidiores, eorum filii animo et deliberatione aliquandiu suspensi substiterunt. Adeo ut quidam Principes Electores et cæteri Episcopi, cum quibus egi, putaverint cum iis, qui nobili loco nati essent, paulo benignius agendum: prout satis copiose xx. Octobris perscripsi. Eaque potissimum ratione (quæ et istis Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ litteris nunc comprobatur) movebantur, quod nobiles plerumque aptiori sint ingenio, et illi fere soli in Metropolitanis et Cathedralibus Germaniæ Ecclesiis locum habeant, et ad sublimiores Archiepiscopales, aliosque majores gradus ascendant. Unde non minor (quam si concionibus et Christianæ institutioni præsint) ad Ecclesiam Dei utilitas perveniat. Curatum igitur, qua decuit sedulitate, ut inter illos (qui proxime patentes obtinuerunt) plerique nobilibus procreati natalibus (quique eas qualitates habere visi sunt, ut tempore opportuno desideratum, expectatumque fructum Ecclesiæ Dei videantur allaturi) conscriberentur. Offeruntur et quotidie similes complures, sed quoniam vereor Austriacos, Bavaros, Salisburgenses aliosque ex Germaniæ populis Italiæ vicinioribus natos loca præoccupasse. Unde quoad ulteriorem receptionem statui subsistere, donec intelligam quid hac in re per me fieri debeat. Literis meis xii. Decembris hinc scriptis, inter cætera quidem memineram, me eorum, qui hactenus patentes obtinuissent, catalocum transmittere, sed charta illa, nescio qua incuria, hic tum neglecta remansit: quare hisce conjunctam mitto. Si præter eos, qui literas et testimonia impetrarunt, alii insuper adhuc mittendi sint, ejus certior fieri cupio. Interea interpellantium nomina et qualitates scribentur, ut veniente responso ex voluntate S. D. N. tum de illis quoque statui possit.

« Quoad alteras, quæ afflictæ valetudinis quondam Herbipolensis Episcopi (cujus anima Deo vivat) meminerunt, jam dudum xxvi. Septembr. perscripseram, quam gravi et periculoso morbo illum oppressum reliquissem. Et quoniam tum etiam medici male augurabantur, illius vitam non futuram diuturnam. Ego tum quibus poteram modis, egi, ut si Deus illum ex istis miseriis evocaret, ejus quantocitius fieri possem certior. Ac statim, ubi illum defunctum cognovissem, scripsi Moguntino Archiepiscopo (cui Ecclesia Herbipolensis est suffraganea) ut ipse solita sua vigilantia provideret, ut tantæ Ecclesiæ idoneus Episcopus, et tali pastori dignus daretur successor. Scripsi jam Decano et Capitulo Herbipolensi ut Christi et Ecclesiæ suæ causam tuerentur, ac positis omnibus affectibus talem deligerent, qui fidei Catholicæ constantia, pietate, eruditione, moribus et vita illi nobilissimæ et amplissimæ provinciæ recte præesse et prodesse posset. Cum ipsi probe cognoscerent, si talem tantamque Ecclesiam in manus alicujus minus in Catholica religione probati incidere contingeret, quantum periculum non ipsis solum, sed toti Germaniæ et Religioni impenderet. Postea antequam S. D. N. sacra Brevia ad ipsum Capitulum et me missa (quæ primum, ut supra memini xvi. Decembr. reddita fuerunt) supervenissent. Jam certo cognoveram Capitulum ad electionem processisse, et cooperante gratia Spiritus Sancti et Deo clementer illi Ecclesiæ commiserante, et palam auxilium offerente Julium Echter (quo in illa societate melior non erat) elegisse. Ejus viri (sive eruditionem sive pietatem, sive Catholicæ fidei constantiam respiciamus) dona et qualitates, hic pluribus non commemoro, cum ista jam Illmã et Rmã D. V. ex literis meis xxvi. Septemb. scriptis cognoverit. Si is vir, Deo duce, qua cœpit via progrediatur, Franconum populi merito gaudebunt optimo defuncto Episcopo, optimum datum successorem. Adeo ut nunc minime necessarium putem, ut vel ego hinc Herbipolim me conferam: aut et Breve S. D. N. Decano et Capitulo Herbipolensi inscriptum aut ipse perferam, aut perferri curem. Cæterave quorum S. D. N. sacra jussio, et Illmæ et Rmæ D. V. literæ meminerunt, coram (ut paratissimus eram) exequar, cum Deo propitio eligentium vota in illum inciderint, qui fide, vita, doctrina et moribus sit probatis-

simis. Illique Ecclesiæ et populo (Christo gratiam et benedictionem clementissime largiente) futurus sit salutaris. Ubi Dominus Electus confirmationis suæ negotium urgere cœperit: quæcumque tunc S.D.N. illi Ecclesiæ et provinciæ magis necessaria et utilia indicabit, facile statuet. Ac ut re ipsa compleantur, apud Electum sua paterna et Apostolica authoritate facile efficiet.

«Quæ Theutonicorum militiæ Magnum Magistrum concernunt, curabo, ut Apostolicum sacrum Breve ad ipsum perferatur: ac in cæteris S. D. N. clementissimam voluntatem meis literis illi explicabo. Neque dubito, ubi cognoscet S. D. N. (quantum recte fieri potest) ipsius Ordinis dignitati et commodis libenter consulturum. Tum ipsum quæ ad Catholicæ religionis conservationem spectare videbuntur, (ut hactenus libenti et prompto animo semper fecit) vicissim curaturum. Moneho etiam ut quæ ad privilegiorum confirmationem, et si quæ erunt alia, spectare videbuntur, Procuratorem in Curia constituat vel mittat, quo per illum suis desideriis plene explicatis, S. D. N. ea, quæ juri et æquitati consona compererit, solita sua clementia et Apostolica pietate et authoritate statuere possit.

«Dum ista scribo ad me perfertur Juliæ, Cliviæ et Montium Ducem etc. tandem ex Prussia (infeliciter elocata filia) Duisseldorpium reversum. Nunciatur etiam eodem pene momento Monasteriensem Episcopum periculosa et gravi valetudine affligi. Adeo ut si illum morte finiri contingeret, et in confirmationis negotio cuncta firmata conclusaque tum non forent, Westphaliæ universæ non minimam cladem imminere. Decreveram itaque quam primum de iis, quæ mandata fuere, cum ipso Duce tractare. Sed ipse Dux meis literis monitus, ut actioni diem et locum sibi magis commodum præscriberet. Ille post Natalia festa (quæ instant) rejecit. Audio illum nunc ex iis, quæ in itinere et Prussia acciderunt, turbato esse animo. Sponsus enim ille, (cui filiam imprudenter desponsaverat) furore correptus, ipsum maximo mœrore et gravissima amaritudine affecit. Quamprimum cum illo agere licebit, nihil eorum, quæ S. D.N. illi explicari voluerit, prætermittetur.

«Illa quæ Monasteriensi, Osnaburgensi et Paderbornensi Ecclesiis (si istum Episcopum hinc evocari contigeret) metuenda videntur, sunt fere ejusmodi: Quod vicini Principes maxime satagunt, quibus tandem possent exquisitis modis et artibus hos amplissimos Episcopatus suis temporalibus dominiis conjungere. Qua etiam pessima solicitudine omnes fere cæteri laici Principes per totam Germaniam nunc infelicissime occupantur. Monasterienses autem et Paderbornenses Julium Ducem Brunschwicen: (qui nescio quæ mirari videtur, quasi aliquid usurpati juris in illis Episcopatibus sibi competat) maxime metuunt. Nam ante aliquot annos istius Julii fratres Philippus et Carolus utrumque Episcopatum manu hostili indicta causa misere vastarunt, ac multa millia florenorum extorserunt; ac insuper Capitulares adegerunt, ut etiam inviti et reluctantes cogerentur Coadjutoriis in favorem istius Julii (qui tunc vitam Ecclesiasticam sequebatur,) consentire. Mox deinde uterque frater Philippus et Carolus uno conflictu, dum cum Marchione Alberto Brandenburgico congrediuntur, trucidantur. Et ipse Julius tum Brunschwicensi Ducatu potitur, ac ducta uxore ex Brandeburgensi Marchionatu plures liberos suscitat. Ac unum ex illis adhuc infantulum Halberstatensi Ecclesiæ propria præsumptione præfecit, ac potissimam partem Hildesemensis Ecclesiæ usurpavit. Adeo ut Monasteriensis et Paderbornensis Ecclesiarum Capitula, cæterique subditi maxime vereantur, si contingeret illas Ecclesias pastore destitui, ne idem Julius ille grave negotium facesseret. Cum ut plurimi constanter affirmant, ille acriter et audacter asseveret, illorum Episcopatuum coadjutorias sibi antea concessas, nunc vero in suos filius et posteros translatas esse. Et hæc dicitur potissima causa, quare Capitulum Monasteriense illi Ducem Cliviæ per coadjutoriæ concessionem opponendum putaverit. Ipsius Clivensis Consiliarii, dum proxime mihi adessent, dicebant se facile curaturos, si quid turbarum moveretur, ne Diœcesis Monasteriensis indefensa remaneret. Quod ipse Dux (jam ditionibus suis restitutus) facilius etiam curare poterit. Dum autem negotium coadjutoriæ adhuc tractatur, et mors Episcopi ob assiduas, easque valde difficiles ægritudines in dies timetur, aliqua alia necessaria provisio per SSmum Dominum Nostrum fieri debeat, aut alia remedia sint quærenda, prudentissimo Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationis Vestræ judicio relinquo.

«Intelligo Paderbornenses agere cum Electo Coloniensi, ut casu occurrente ille ipsorum patrocinium et defensionem suscipiat: ultro illi administrationem deferentes. Cum et illa Ecclesia non ita dudum per Colonienses Archiepiscopos, idque per plures annos, et cum illius Diœcesis maximo commodo et incremento gubernata et administrata fuerit.

«Scio etiam Clivensem Ducem tractare cum Capitulo Osnaburgensi, ut pro eodem filio suo consensum Coadjutoriæ illius Ecclesiæ quoque impetret: sed jam a Postulato Bremensi Capitulares dicuntur præventi. Sunt et alii, qui extrema quæque sive jure, sive injuria tentare et aggredi non verentur. Adeo ut sæcula illa rediisse appareat, de quibus Regius propheta olim dicebat: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam et cætera, quæ sequuntur. Omnes ambiunt principatus et

ditiones maximas, pastoralem curam, et Pontificalis offitii exercitium fugiunt et abjiciunt omnes; adeo ut nisi Omnipotens Deus multorum corda excitare et illuminare dignabitur, propediem Catholica Religio in tota pene Germania in extremum periculum deducatur. Nulla vitæ vel morum emendatione neque in Clero, neque in populo usquam apparente; rogandus itaque ut respiciat vineam suam Sanctam Ecclesiam, quam feri apri undique demoliuntur, et funditus evertunt. Ego sane (etsi nihil possum) eorum tamen nihil prætermittam, quæ ad conservationem Ecclesiarum quovis modo pertinere videbuntur.

« Quæ ad studiorum instaurationem in hac civitate firmandam spectant (dum omnes tantum quæ sua, non quæ Jesu Christi et illius Ecclesiæ sunt, quærunt, et iners otium et nescio quæ alia sequuntur), multas sane patiuntur difficultates. Sperare tamen non desino, venientem nunc Salvatorem corda eorum, ad quos ista functio potissimum pertinet, illuminaturum, ut omnibus affectibus postpositis ipsius gloriam et Ecclesiæ suæ salutem sint quæsituri, ne forte et ipsi quandoque audire cogantur: Quia repulistis disciplinam et ego repellam vos etc. Quicquid autem Dei benignitate tandem in toto negotio concludetur, ad Illmam Rmam Dominationem Vestram (quam Christus Jesus sua gratia et protectione perpetuo custodiat) perscribetur. Colonia 22 Decembris Anno Virginei partus 1573.

Rmæ Illmæ Dnis Vestræ

Devotissimus et obsequentissimus servus
Caspar Gropperus.

X. — Postquam viderimus, quas adhiberet curas Gregorius in adolescentibus Ecclesiæ ministris alendis educandisque, cernere est, quas in seligendis ad Episcopalia munia lectissimis viris gereret. Rebus humanis paullo ante functus fuerat magnus ille Augustanorum Præsul Otho Cardinalis Truchsesius. Monet idcirco Augustanæ Ecclesiæ Canonicos viros Gregorius, quibus eligendi successoris jus erat, ut omnia partium studia seponant, eumque sibi pastorem adsciscant, qui decessoris exempla sectari et ecclesiæ commodis consulere queat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 93.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Augustano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Othonis Cardinalis Augustani obitum de quo facile ex aliorum litteris cognovistis, graviter tulimus, ut fratris scilicet optimi et carissimi, propter ejus præstantem in Deum, in pauperes, inque omnes homines pietatem, caritatem, humanitatem; quibus etiam de causis talis episcopi et pastoris interitum vobis acerbissimum accidisse non dubitamus. Sed quoniam visum est divinæ bonitati eum ex miseriis hujus vitæ eripere, et ad sempiternam ac beatissimam evocare, debemus æquiore animo nostram jacturam ferre. Quod restat cogitate vos in maxima gravissimaque deliberatione de novo episcopo deligendo versari, nec quidquam esse in quo major aut ovibus salus, aut Ecclesiæ honor, aut Dei gloria sita sit quam in ipsius pastoris bonitate et sanctitate, contra vero nihil posse fieri malo et vitioso pastore perniciosius ac detestabilius. Primum igitur omnium supplices ad Patrem luminum adite, eumque orate, ut qui novit corda omnium, quique abditissimas animorum cogitationes perspectissimas habet, eum vobis episcopum tribuat, qui omnia ad suæ Majestatis gloriam, atque ad commissi sibi gregis salutem et tranquillitatem dirigat. Tum quantum ipsi humanis consiliis providere poteritis de optimo viro cogitate; eum autem optimum in episcopatu fore statuite, cujus religionis, prudentiæ, vigilantiæ, sanctitatis, gravitatis cæterarumque virtutum testem habebitis superiorem vitam: nam si quis hactenus non potuit sese ipsum et domum suam regere, qui poterit sine maxima pernicie Ecclesiæ præsidere? præclare enim monet Gregorius, optimum esse cogitare quemadmodum is, de quo ad episcopatum eligendo agitur, sese in aliis curationibus gesserit, et ex parvis de magnis judicium facere; non solum enim homines non evadere in episcopatu et potestate meliores, sed sæpe etiam deteriores. Precamur etiam vobis maxime cavendos esse ambitiosos atque ipsius episcopatus appetentes; qui enim laborem considerat, episcopatum non appetit; qui vero appetit, nec laborem considerat, quid aliud quam salutationes in foro, primos recubitus in cœnis, primas cathedras in templis, antistitis nomen, ecclesiarum fructus desiderat. Avertat hanc a vobis pestem divina misericordia; eo enim esset istic exitiosior, quo magis vos propter tam vicinos hæreticos optimo et vigilantissimo pastore indigetis. Hæc cogitatio tum ab ea, quam pro nostro munere suscipimus de omnibus ecclesiis sollicitudine, tum a præcipuo quodam in vos amore profecta nos ea scribere cogit, quæ vos pro vestra prudentia intelligere, pro pietate velle existimamus. Deum orabimus, ut quæ eo auctore facienda esse cognoscitis, eodem quoque ipso adjutore perficiatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die VIII. Aprilis 1573. Pontificatus nostri anno primo.

Dillingense Collegium Othonis curis institutum et Societatis Jesu sacerdotibus traditum eisdem Augustanis Canonicis commendat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 94.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Augustano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Inter cætera, quæ summa cum laude et istius Ecclesiæ fructu ab Othone Cardinali Augustano istic instituta esse accepimus, laudatur in primis apud nos a viris gravissimis collegium Dilingæ. Quoniam autem quæ præclare instituta sunt, minime sunt evellen-

da aut labefactanda, nolumus in eo collegio quidquam aut a vobis aut a futuro Episcopo nobis insciis mutari aut novi constitui. Si quid autem opus esse existimabitis certiores nos facietis, nulla enim in re deerimus, quantum quidem æquitatis et pietatis ratio patietur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die VIII. Aprilis 1573. Pontificatus nostri anno primo.

In utroque negotio Albertum Bavariæ Ducem fautorem sibi et adjutorem deposcit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Lib III. fol. 99

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Bavariæ Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Nihil est, quod Nobis magis curandum sit hoc tempore, quam ut Ecclesia Augustana eum Episcopum habeat, qui iis virtutibus, quæ in Othone Cardinali Augustano præstantissimæ fuerunt, efficiat, ut ei Ecclesiæ Otho ipse desiderandus non sit. Qua de re ad Capitulum perscribimus. Cupimus etiam ut Nobilitas tua, cujus auctoritas et gratia apud idem Capitulum propter dignitatem et necessitatem, ut debet, magna est, eadem de re cum eo agat. Interim rogamus quantum possumus, ut commendatum habeas Collegium Dilingæ, eique quibus rebus opus esse intelliges faveas, ne quid detrimenti accipiat. Erit hoc propter illud, quo hujusmodi opera amplectimur studium, optatissimum; Othonis ipsius ejusdem Collegii auctoris animæ propter egregiam illius voluntatem, propterque eam quam in tua virtute spem repositam habebat gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VI. Aprilis 1573. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Martinum Eichstettensem Episcopum, qui inter Augustanos Canonicos locum olim fuerat nactus et retinebat gravissimis verbis ad eandem rem juvandam impellit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Lib III. fol. 20

Venerabili Fratri Martino Episcopo Eistetensi

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Quantum situm sit in Episcopi vita et moribus ad Christi gregis sive salutem sive perniciem, et tu pro tua prudentia facile intelliges et quotidiana experientia declarat. Quantam autem ipsi solicitudinem suscipere debeamus, ut optimus cuique Ecclesiæ pastor præficiatur, ex nostro munere sentimus; in qua quidem solicitudine eos quam conjunctissimos habere debemus, quibus Christi ejusque ecclesiæ causam aliqua ex parte commissam esse intelligimus. Quoniam igitur accepimus quantum Fraternitas tua auctoritatis habeat in electione Episcopi Augustani, has ad te literas dedimus non monendi aut hortandi causa, (neque enim opus esse intelligebamus,) sed nostrum munus recognoscendi. Et quidem quæ universe a sanctis Patribus de optimo Episcopo sunt tradita, ex eorum libris perspicua sunt, quæ tibi nota esse non dubitamus, quæ etiam privatim in Augustani Episcopi electione vitanda sint, divinare non possumus, neque enim in quos propendeant Canonicorum voluntates, novimus, et quales illi sint ignoramus. Unum est, quod magnopere curandum esse existimamus, ut nemo eligatur, qui hactenus ordinem sacerdotalem accipere et ut decet gerere et exercere distulerit; docet enim experientia, eos, qui ante Episcopatum sacerdotes esse neglexerint, etiam post Episcopatum negligere idque non sine gravissimo scandalo et populorum pernicie. Et nos quidem qualem oporteat Episcopum deligi fusius aliquanto ad ipsum Capitulum Augustanum scripsimus, ad ea vero, quæ tum commemoravimus, hoc etiam quod diximus de Sacerdote addendum esse existimavimus, quod ad Fraternitatem tuam ideo scribere voluimus, ut id pro tua auctoritate et loco quantum possis curares, et ipsi Capitulo per eum quem interesse oportebit nostris verbis significares, ac sic existimares gratius te hoc Nobis facere nihil posse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die II. Maii 1573. Pontificatus nostri anno primo.

XI. — Gregorii votis obsecundati Canonici unanimi voto spectatissimum sane virum Ducique Bavarorum summopere gratum Joannem Egolphum, inter Collegii sui Canonicos Seniorem in Episcopum seligunt. Bavariæ Dux hujusmodi Canonicorum suffragiis lætatus vehementissime Pontificem orat, ut electum Episcopum nuncupare et Pontificia auctoritate confirmare non renuat. [*]

[*] Germania Vol 29. fol. 22.

Beatissime in Christo Pater ac Domine benignissime.

« Humillimi et ad Sanctissimorum pedum oscula devote proni filii officia paratissima.

« Non possum non humillimas et agere et habere gratias, quod S. V. ad humilem instantiam meam nuper ad utrumque Capitulum Eystetense et Frisingense Brevia scripserit illisque benignissime injunxerit, ut eorum legati ex præscripto S. V. mandato apud Decanum et Capitulum Augustanum instarent, pro eligenda in Episcopum digna aliqua et idonea persona, qualem videlicet ego descripseram. Et licet jam dictum Capitulum, antequam huc Brevia illa S. V. ad me pervenirent, Reverendum ac Nobilem virum Dominum Egolphum a Knöringen, amicum meum charissimum, quo certe nullum habebant in toto Capitulo digniorem, unanimiter et sponte sua elegerit; nolui tamen (ut et merito) omittere, quin S. V. de tanta gratia mihi et præcipue Augustensi Ecclesiæ, tam benigno ac prompto animo concessa, hisce non quidem quas deberem, attamen quas possem, perhumiles agerem gratias. Porro cum nihil nunc magis quam novus Electus tantopere desiderat, eoque nomine me perquam studiose rogavit, ut apud eandem pro

dicta confirmatione humillime nomine suo intercedere velim, non licuit mihi, ut id saltem officii ei denegarem. Eo itaque quo decet humillimo studio S. V. oro, ut pro solita benignitate sua eum, quem antea electione dignum judicaverat, authoritate quoque sua confirmare non dedignetur; nec non et benignissime jubere velit, quo dicta confirmatio quam primum fieri possit, expediatur, in maximum præfatæ Ecclesiæ beneficium, utque ejus necessariam administrationem suscipere, eaque uti decet, legitime fungi possit. Quod certe uterque nostrum humillima observantia et perpetuis ad Deum precibus pro S.V. diuturna valetudine ac fœlicissima Ecclesiæ Dei administratione promereri studebimus. Ex Thermis Uberchingensibus, quinto Calendas Junii. Anno reparatæ salutis MDLXXIII.

Ejusdem S. V.

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

XII. — Nulla interposita mora annuit, Præsulem confirmat Gregorius. (*)

Dilecto Filio Joanni Electo Augustano

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. Te ad Ecclesiam Augustanam electum esse optima bonorum omnium, ut accepimus, spe non tam tibi, quam ipsi Ecclesiæ gratulandum judicamus; ubi enim bonus pastor præficitur, ipse quidem ad summum laborem, summo cum periculo sustinendum, vocatur; gregi vero omnis tranquillitas, atque a lupis latronibusque securitas proponitur. Est tamen, quod tibi gratulemor. Habes enim in tanto labore, tantaque hæreticorum vicinitate præclaram, maximeque expetendam facultatem sinceræ pietatis, et charitatis exercendæ, aversis nimirum a Christo, atque ab ejus sponsa Ecclesia reducendis, aut certe ne sincero gregi exitio sint, procul arcendis. Hujus nostræ gratulationis, desiderii, deque tua virtute expectationis voluimus testes esse has nostras literas, sermonemque dilecti filii Gasparis Groppérii nostri Cappellani nostrique Palatii Apostolici causarum Auditoris, viri integerrimi atque omni fide et virtute præditi, cui de his rebus, deque aliis, quas tecum aget nostro nomine, certissimam, ut par est, fidem adhibebis. Tuæ Fraternitati ad ea, quæ diximus, quæque ad Christi causam pertinere intelliges, omnem nostram Apostolicamque auctoritatem atque operam sine ulla defatigatione pollicemur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Junii MDLXXIII. Pontificatus nostri anno secundo.

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 31. fol. 21.

Electus ille Joannes tum Gregorio grates reddit, tum se omni studio curaturum profitetur, ne conceptam de Episcopatus susceptione expectationem ulla ex parte minuat, aut fallat. (*)

(*) Germania Vol. 20. fol. 69.

Beatissimo D. N. Gregorio, Divina Providentia hujus nominis XIII. SS. Rom. ac Universalis Ecclesiæ Pontif. Opt. Max. Dño suo Clementissimo.

Beatissime Pater ac Dñe Dñe Clementissime.

« Humilitatis, obedientiæ debitæ perpetua officia osculaque beatissimorum pedum devota. Nihil optatius mihi evenire potuit literis seu Brevi S. V. mihi per ejosdem S. V. Nuncium Rñum D. Casparum Gropperum, fratrem mihi honorandum, traditis, in quibus S. V. ex innata ac bonis omnibus perspecta benignitate et clementia sua, mihi propter electionem de me in Episcopum Augustanom factam, perquam clementissime congratulatur, et ad ea quæ Episcopalis sunt muneris paterne adhortatur. Ego quamvis tenuitatem meam, ad istud munus, quod hoc calamitosissimo tempore, præsertim in Germania, satis grave esse solet, ante satis agnoverim, et adhuc ingenue fatendo agnoscam, precibus tamen ac judicio majorum, præsertim illorum, quibus mihi nullo modo resistendum erat, devictus, vocationi tum divinæ tum ordinariæ humeros meos, licet indignos humiliter submisi: omnem spem meam in eum, qui est dator omnis doni perfecti collocans. Nunc vero majorem spem dat mihi non tam S. V. clementissima congratulatio, quam ejusdem S. V. judicium, quo me in Episcopum Augustanom declaravit ac confirmavit. Quapropter authorem omnis boni assiduis meis precibus indesinenter invocabo, ut huic muneri ad nominis sui gloriam, SS. Sedis Apostolicæ ac Ecclesiæ suæ Catholicæ utilitatem, inservire, S. quoque V. de me expectationi, si non in totum, tamen pro virili mea, satisfacere possim. Quemadmodom et ea omnia, quæ præfatus S. V. Nuncius Rñus et Honorandissimus D. Gropperus S. V. nomine intimavit, mihi, ut obedientissimo filio, studio atque curæ magnopere sunt et erunt, quoad effectum deducantur. Rogo autem S. V. quam humillime, ut me et Ecclesiam Augustanam, mihi per eandem modo concreditam, gratia, clementia, auxilio et favore paterne complecti, ac non minus quam antea prosequi velit. Ego vicissim S. V. fidem officiumque meum probabo semper, cui meam perpetuam obedientiam, studia et officia omnia offero et dedo humillime. Datæ Dillingæ XXVI. die Septembr. Anno MDLXXIII.

S. V.

Obedientissimus filius et humillimus
Capellanus
JOANNES EGOLPHUS EPISCOPUS AUGUSTANUS.

XIII. — Cum interea adversa gravissima valetudine Herbipolensis Episcopus adflictaretur, Gregorius Augustanum monet Episcopum, ut si quid tristius de hoc Episcopo accidisset, Herbipolim se conferat, omnemque adhibeat diligentiam, ut qui optimus reperiri possit, Episcopus eligatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 152. fol. 85

Venerabili Fratri Joanni Egolpho Episcopo Augustano.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Ex iis literis, quas ad dilectum filium nostrum Cardinalem Madrucium scripsit Fraternitas Tua, cognovimus venerabilem fratrem Episcopum Herbipolensem graviter ægrotare. Perspicuum est, si forte eum Deus ex hac vita evocarit, quantum Catholicæ Ecclesiæ atque animarum salutis intersit, eum potissimum deligi, qui et fidei sinceritate et vitæ ac morum sanctitate, cæterisque virtutibus, quibus oportet Episcopum esse præditum, possit tantum munus sustinere, suamque Ecclesiæ, Christo, ejusque ovibus operam navare: quæ quidem optimi Episcopi deligendi cura, ut te non minima ex parte attigit propter eum, quem in illa Ecclesia obtines Canonicatum, sic quæ tua est pietas, speramus, tuam operam tantæ rei paratissimam futuram. Facies igitur, ut ei electioni intersis, quæque Christi causa exposcit, tuaque virtus pollicetur, omnia provideas quam diligentissime. Tuas literas pietatis atque erga Nos et Sanctam hanc Sedem observantiæ plenas libentissime legimus, confidimusque ea, quæ tecum nostris verbis amanter egit Gropperius noster, te omni studio atque opera, ut scribis, curaturum, nostræque de te expectationi præclare responsurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Quam grave id officium esset, et quantopere in Ecclesiæ commodum verteret, vel ei malo esse posset, si minus recte Episcopus eligeretur, ejusdem Herbipolensis Ecclesiæ Canonicos monet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 137. fol. 88.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Herbipolensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Accepimus venerabilem fratrem vestræ Herbipolensis Ecclesiæ Episcopum gravissime ægrotare, ac desperata salute esse. Itaque sic scribimus, quasi cum hæ ad vos pervenerint, in ipso electionis negocio versemini; quod quidem negocium gravissimum est, atque eo gravius, quo de Christi gloria, deque universa istius Ecclesiæ et provinciæ nobilissimæ salute agitur; nihil enim est, in quo major aut ovibus salus, aut Ecclesiæ honor, aut Dei gloria sita sit, quam in Pastoris bonitate et sanctitate: contra vero nihil malo ac vitioso Pastore fieri ad ea omnia perniciosius ac detestabilius. Omni igitur ope contendite filii charissimi per vestram salutem et laudem, in qua semper vixistis, Catholica fide pie sancteque retinenda, perque Christi ipsius gloriam, ut optimum Episcopum deligatis, eum autem optimum esse statuite, quem et sanctitate vitæ et fidei sinceritate præstare intelligetis, ne si forte secus vivat, quam oporteat, aut aliis rectam vivendi rationem præcipere reformidet, aut certe si præcipiat, rideatur; neve si de religione impie sentiat, conetur omni studio quam plurimos possit a Christo ad Sathanam abducere. Quam vero spem de quoque habere debeatis, anteacta cujusque vita facile ostendet; nam si quis antea privatus sese ipsum regere non potuit, qui poterit in Episcopatu alios regere? Ut autem tam gravi in re purius sanctiusque versemini, ac Spiritus Sancti gratiam consequi mereamini, ab omni electionis commercio hæreticos arcete, nec illos quidquam in eo sibi vendicare, aut tentare sinite; perspicuum enim est quo spectent omnes eorum conatus, eo scilicet, quo patris sui Sathanæ consilia et rationes, ut secum omnes perdant; vos vero vigilate et Christi ope, qui certe ipsius negocium agentibus aderit, omnes diaboli machinas frangite, ac si qua in re nostram auctoritatem atque operam vobis prodesse posse intelligetis, certiores Nos facite, invenietis paratissimos. Ipsi autem Gropperio Nuncio nostro, nostrique Palatii Apostolici causarum Auditori, viro gravissimo et propter multas ejus virtutes Nobis charissimo, per quem has literas vobis reddi voluimus, omnem fidem tribuite. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris. Die VIII. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Ut Herbipolim se conferat Groppero imperat, et ibidem Legati sui munere fungatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 138. fol. 90

Dilecto Filio Magistro Gaspari Gropperio Sacri Palatii Nostri Causarum Auditori, ac Nostro et Sedis Apostolicæ ad Partes Germaniæ Nuntio.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. In gravissima venerabilis fratris Episcopi Herbipolensis ægritudine, de qua accepimus, non possumus ipsi pro nostro munere, proque Ecclesiarum omnium sollicitudine Nobis a Deo imposita non gravissime de illa Ecclesia angi. Volumus igitur, ut cum primum cognoveris, Episcopum obiisse, te Herbipolim conferas, nostrumque Breve, quod mittimus ejus Ecclesiæ Canonicis et Capitulo, reddas, cumque iis, quantum possis, agas nostro nomine, ut Episcopum optimum, et Catholicum, atque ab omni hæretica non modo impietate, sed etiam suspicione alienum eligant, inque eo consulant nobilissimæ illi Ecclesiæ ac provinciæ, quæ sinceram semper hactenus religionem retinuit magna cum Christi gloria et sua ipsius salute et laude; ac sic cogitent nihil se hoc posse facere gratius Christo, qui sese pro animarum salute addixit morti acerbissimæ, quæ quidem salus optimi Episcopi labore, atque opera maxime continetur. Hoc illos et intelligere, et pro sua pietate curaturos esse non dubitamus; tuam vero prudentiam et Christi zelum perspectissimum habemus. Itaque et te hortando, et illos omni ope incumbendo Christi ipsius causam com-

mendatissimam habituros confidimus. In primis autem monebis eos nostris verbis, ut hæreticos omnes ab omni commercio atque electionis negotio arceant: ut enim Christi hostes sunt, nec Sathanæ, cui serviunt, deessent, nec quidquam pie recteque agi sinerent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris. Die VIII. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Vitam interea Herbipolensis Præsul cum morte commutaverat, renovat proinde Gregorius curas, alterisque litteris ad novum eligendum Episcopum Præsulem Augustanum iterum exhortatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 180 f. 105.

Venerabili Fratri Joanni Egolpho Episcopo Augustano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Cum primum accepimus de ægritudine Episcopi Herbipolensis, scripsimus Fraternitati Tuæ, ut si forte eum Deus ad se evocasset, statim te Herbipolim conferres, omnemque curam adhiberes, ut optimus Episcopus eligeretur; inque eo perspectam Nobis pietatem tuam probares, gratissimamque Christo et toti ei provinciæ salutarem operam navares. Hoc propria etiam quadam ratione ad te pertinere judicabamus; es enim ejus Ecclesiæ Canonicus, quem Canonicatum hujus ipsius eventus, de quo propter Episcopi senectutem timebamus, cogitatione tibi reliquimus. Nunc igitur ejus obitus nuncio accepto, ut intelligas, quantopere id Nobis cordi sit, illud idem iteramus, ut eo quam primum contendas, tuaque auctoritate, atque opera efficias, ut is deligatur, qui fidei sinceritate et vitæ sanctitate, cæterisque virtutibus, quibus scis, Episcopum præditum esse oportere, possit tantum munus sustinere. Erit hoc Nobis gratissimum, tuaque insigni pietate dignissimum. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XII. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Mox et ejusdem Herbipolensis civitatis Canonicos. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 178. f. 104.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Herbipolensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Accepimus vestrum Episcopum obiisse, quod quidem graviter dolemus vestra ac totius istius provinciæ causa: nulla enim major jactura fieri potest, quam talis hominis tanta virtute et pietate præditi, vos etiam pro vestra pietate gravissime dolere non dubitamus, orbati enim estis optimo Pastore et patre: sed quo magis doletis, eo majori studio et cura incumbite, ut optimum virum deligatis, ac sic cogitate in isto electionis negocio agi de Christi gloria, deque universæ istius Ecclesiæ et provinciæ nobilissimæ salute; nihil enim est, in quo major aut ovibus salus, aut Ecclesiæ honor aut Dei gloria sita sit, quam in Pastoris bonitate et sanctitate: contra vero nihil posse fieri malo pastore ad omnia perniciosius ac detestabilius. Omni igitur ope contendite filii charissimi per vestram salutem et laudem, in qua semper vixistis, Catholica fide pie sancteque retinenda, perque Christi ipsius gloriam, ut eum deligatis, quem et vitæ sanctitate et fidei sinceritate præstare intelligetis: ne si forte secus vivat, quam oportest, aut aliis rectam vivendi rationem præcipere reformidet, aut certe si præcipiat a sua ipsius vita arguatur: neve si (quod Deus avertat) de religione impie sentiat, conetur omni studio quam plurimos possit a Christo abducere. Quam vero spem de quoque habere debeatis, anteacta cujusque vita facile ostendet: nam si quis antea privatus se ipsum regere non potuit, qui poterit in Episcopatu alios regere? Neque vero hæc scribimus, quod non maximam spem in vestra prudentia et pietate habeamus, sed cogit Nos zelus Christi, ac summum vestræ salutis et tranquillitatis desiderium. Ut autem tam gravi in re purius sanctiusque versemini, ac spiritus sancti gratiam consequi mereamini, hæreticos ab omni electionis negotio arcete, neque illos quidquam in eo sibi vendicare, aut tentare sinite; perspicuum enim est, quo spectent omnia eorum consilia et conatus, eo scilicet, quo patris sui Sathanæ, ut perdant opus Dei. Vos vero vigilate et Christi ope, qui certe ipsius negotium agentibus aderit, omnes ejus machinas frangite, ac si qua in re nostram auctoritatem atque operam vobis prodesse posse intelligetis, certiores Nos facite, invenietis paratissimos. Mittimus ad vos super hoc negocio dilectum filium Joannem Schenching virum maxime pium, Nobisque probatum. Ejus verbis eandem, quam nostris, fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XIV. — Gurcensis Ecclesia Salisburgensis Archiepiscopi Provincia et juribus continebatur. Cum et illa Pastore suo orbata tunc temporis esset, Gregorius graviter Salisburgensem monet, ut vigilantem solertemque custodem eidem præficeret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 166. fol. 96.

Venerabili Fratri Joanni Jacobo Archiepiscopo Salisburgensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Accepimus obiisse Episcopum Gurcensem, novit autem Fraternitas tua, quantum ad Christi gloriam, atque animarum salutem situm sit in optimo Pastore, dum doctrinæ sinceritate, ac vitæ et morum sanctitate pascit oves cibo saluberrimo, easque incolumes conservat summo Pastori Christo. Quod si quis locus est, qui tali Episcopo indigeat, is certe Gurcensis Ecclesia est: nosti enim, quo in statu sint Carinthia et Styria, quot lupis tum

vicinis, tum intestinis Christi oves expositæ sint, qualem Pastorem exposcant, qua fide, qua vigilantia, qua doctrina, quibus virtutibus, quo zelo Dei præditum. Quoniam igitur res in tua potestate est, cura per eundem ipsum Christum, cui servimus, quique oves suas adeo charas habet, ut sese pro illis in sacrificium offerre non dubitavit, exactissimamque ideo ab illis, quibus eas commisit, rationem exacturus est, ut ei Ecclesiæ optimum Pastorem præficias; neve id accidat, quod in duobus illis episcopatibus Secoviensi et Lavantensi factum esse accepimus, ut aliquis minus idoneus præficiatur, hoc amplius in illis accidit, ut cum vix possit unus homo quamvis perfectus unum Episcopatum, ut oportet, gubernare, committerentur tamen duo Episcopatus uni non satis idoneo. Non dubitamus, fraternitatem tuam in eo aliqua ratione deceptam fuisse, novimus enim tuam insignem pietatem, et Christi zelum. Quæ cogitatio efficit, ut Gurcensem Ecclesiam tibi commendemus non tam hortantes, quam nostrum munus exequentes, tecumque illud recognoscentes. Præsit Deus omnibus cogitationibus, atque actionibus tuis, charissime frater, easque dirigat ad sui nominis gloriam, atque ad tuam, tuorumque populorum salutem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XV. — At porro Salisburgensis ille Archiepiscopus paucos in Germania tunc temporis habuit, qui cum ejus studio vel in reformandis Ecclesiasticorum virorum moribus, vel in tuenda et provehenda Catholica fide conferri possint. Qui illi esset et suasor et operi socius missus fuerat anno superiori ut retulimus a Gregorio Felicianus Ninguarda ex Ordine Dominicano lectissimus doctissimusque vir; eum benignissime exceptum apud se Archiepiscopus Salisburgensis habebat, sibique gratulatur, quod tantum virum consiliis suis adhibere posset, ut pientissima Pontificis vota impleret atque exequiretur. Archiepiscopi studium apertissime testantur ipsius Ninguardæ litteræ, quibus Gregorium de rebus Salisburgi gestis monet, necnon de teterrimis in comitatu Tirolensi et in Stiria temporum conditionibus. (*)

(*) Germania Vol. 32. fol. 1.

SSmo in Christo Patri ac Domino Gregorio XIII. Pont. Opt. Max.

Beatissime Pater.

« Quod ante S. V. certiorem non feci: quid actum sit post discessum meum ex Urbe, de synodo provinciali Salisburgensi, a S. Sede Apostolica revisa, atque huc per me ad Revmum Metropolitanum a S. V. remissa, adjunctis Brevibus quibusdam Apostolicis, tum ad Archiepiscopum ipsum, tum ad Episcopos ejus, ac Capitula Ecclesiarum Metropolitanæ et Cathedralium, tum etiam ad Cæsarem, et cæteros Principes sæculares hujus provinciæ: in causa fuit, quod rei totius exitum expectare decreveram, ne literis meis S. V. maximis semper in rebus occupatissimam, a gravissimis actionibus causisque Reipublicæ Christianæ interpellarem, nisi quid certum, ac perfectum afferretur. Verum cum negocium istud longius protractum cernam quam arbitrabar, mutavi consilium, hocque scribendi munus modo subeundum mihi existimavi, ut S. V. de rebus his initiis gestis partim, gerendis ex parte monerem.

« Ingressus Germaniam, in Comitatu Tirolensi, Brixinæ quidem duo Brevia apostolica Sanctitatis V. R. Coadjutori unum, alterum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis obtuli, tertium vero Oeniponti Sermo Arciduci Ferdinando, exposuique coram, non solum quid iis contineretur: verum etiam præter hæc, alia multa adjeci, quæ mihi secundum mentem S. V. ad necessitatem atque utilitatem illarum partium, potissimum ad hæresum extirpationem, correctionem morum, et catholicæ religionis propagationem esse visa sunt: ex quibus non mediocris fructus sperandus est, præsertim cum synodus super eadem causa, hic brevi habenda sit, ad quam Coepiscopi omnes, cæterique minores Prælati Provinciæ hujus convocabantur. De his autem per scriptum plenius docebitur S. V. vel habita hac synodo Salisburgensi, pro qua non parum laboro, ac sum sollicitus: vel negotio toto confecto. Nam tunc S. V. omnia sigillatim scripta habebit eo ordine, ac modo, quo gesta et peracta fuerint: ut inde Ecclesiarum hujus Provinciæ statum facile cognoscere, illisque, ubi opus fuerit, paterne succurrere pro eximia ac singulari, qua est, vigilantia, charitate, ac sapientia possit.

« Postea Salisburgum recta contendi, ac Brevia Apostolica S. V. synodumque Provincialem Rmo Archiepiscopo, ac Capitulo Ecclesiæ metropolitanæ dedi, pluraque in eandem sententiam dixi, ut Brixinæ, et Oeniponti feceram, quæ e re totius Provinciæ hujus fore sciebam. Cum autem discessum hinc maturarem ad cæteros Coepiscopos, Capitula, et Principes seculares, ut illis quoque Brevia sua apostolica deferrem, ac mentem animumque S. V. declararem: Rmus Metropolitanus, re bene considerata, utile ac necessarium judicabit, ut tamdiu ego hic morer, atque hac profectione tantisper supersedeam, dum, Coepiscopos suos, ac cæteros minores Prælatos congreget, synodumque habeat, in qua decreta provincialia a Sancta Sede Apostolica revisa, hucque remissa a S. V. eis exhibeantur, impereturque, ea ut in Ecclesiis suis publicanda illuc, ac servanda pro sibi commisso pastorali munere, et horum temporum urgente necessitate diligenter curent: cum ut S. V. nomine exhorter eos, ac inflammem, et quasi calcaria addam, quo in tam pio, ac necessario officio, ad anima-

rum salutem diligentes et seduli esse velint: tum ut post habitam synodum cum legatis ejus proficiscar, quos ad quatuor Principes seculares hujus Provinciæ, suo, ac Coepiscoporum omnium nomine mittet, ad petendum auxilium pro executione decretorum synodi, atque ad exponenda gravamina quibus clerus ab eorum Ministris molestatur. En enim tempore profectinnem meam commodiorem ideo putavit, quod nomine S. V. eum per Brevia Apostolica, tum oretenus idem ego etiam præstare possim, ut Principes interposita tunc authoritate S. V. facilius adducantur, quo paratos se, ac promptos, ubicumque opus fuerit, exhibeant. Cui consilio lubens acquievi, non modo, ut urgeam, et instem, quo res hæc quamprimum perficiatur: sed etiam, ut inter agendum curem ea omnia, quæ fient, ut ad Dei gloriam, Ecclesiæ Romanæ splendorem, et utilitatem commodumque hujus Provinciæ vertantur.

« Huic synodo præscripti fuerant primi dies Quadragesimæ: verum justas ob causas in mediam Quadragesimam res dilata est. At eum modo illud malum etiam accesserit, quod rustici in partibus Stiriæ tantum tumultum concitarunt, ut magnam omnibus formidinem injecerint, ne tunc quidem commodum est, sed expectandum quoad res pacatæ sint, ac seditiosi homines sublati. Nam si Coepiscopi illius regionis, aliique minores Prælati sedes suas hoc tempore desererant, non parvam facient jacturam, cum Rmi Archiepiscopi Salisburgensis arcem rustici illi jam ceperint, expugnarintque. Quia potius Prælati omnes Serm̃o Archiduci Carolo subsidio esse debent, cui per legatos opem petenti Rm̃us etiam Archiepiscopus et Metropolitanus in eorum gratiam quoque non parvum auxilium misit. Sed spero seditionem hanc brevi sedandam, ad synodum postmodum celebrandam, et decreta provincialia promulganda, quod ego vehementissime cupio, et insto semper, tum pro utilitate hujus Provinciæ, ad perditos ac depravatos nostræ ætatis mores corrigendos, tum etiam ut re bene confecta in Italiam redire possem. Interea sit hæc Provincia commendata S. V. pro qua ego Deum Opt. Max. assidue precor, ut eam salvam incolumemque Reipublicæ Christianæ diu conservet: cuique ad beatissimos pedes prostratus me humillime commendo.

« Salisburgi die decima octava Februarii, Anno a Christo nato 1573.

« Post scriptionem affuit ex Stiria certus tabellarius, qui multorum literis ad Revm̃um Archiepiscopum perlatis, nunciavit, pugnatum a nostris esse, et rusticos illos partim cæsos, partim captos, partim diffugisse, ac ducem seditionis unum interfectum, captum alterum, tertium sibi fuga consuluisse. Ita a nostris in eos adeo sævitum est, ut ab cædibus, et ab incendiis, ne pueris quidem ac mulieribus parceretur. Tanta vero clades illata rusticis illis existimatur, ut dubitetur a plerisque, cultum agrorum iis in locis per aliquod tempus negligendum, ac deserendum, nisi eo externi agricolæ accersantur. Interea autem eventus totius rei expectatur.

Beat. V.

Minima Creatura

Fr. Felicianus Ninguarda a Morbinio.

Paullo post alias litteras addidit, quibus uberius illarum provinciarum res et conditiones exponit. [*]

[*] Germania Vol 38. fol. 6.

Rm̃o atque Illm̃o Domino Domino Cardinali Ptolomeo Novocomensi Dño ac Patrono meo Colendissimo.

Rm̃e et Illustrissime Cardinalis, ac Domine Colendissime.

« Superiori hebdomada, eo die, quo tabellarius cum literis meis discessit hora secunda noctis, epistola reddita mihi est, quam Illm̃a D. V. ad me scripsit testatissimum humanitatis in me suæ argumentum, ac pignus gratissimum. Ad eam tum non respondi, quia volumen literarum nuncio discedenti datum jam esset; huc accedit, quod res erat ejuscemodi, ut tempus ad consultandum flagitaret. At nunc rescribo paucis, ac quid in hac causa sentiam, breviter explico.

« Perlectis literis Illm̃æ D. V. Breve S. D. N. ad Illustrissimum Archiepiscopum Salisburgensem scriptum, ab eoque mihi exhibitum, summa diligentia ac studio lectitavi. Totum autem in eo fere versabatur, ut viam aliquam faciliorem, rationemque certam quæreret, qua hæretici homines ætatis nostræ in Germania ab interitu eripi atque in sinum Ecclesiæ Romanæ reduci tandem aliquando possint; tum vero, si qui sint, qui gratia et auctoritate apud Electorem Saxoniæ valeant, aut ejus principibus viris sanguine vel amicitia juncti, per quos id negotium tentari debeat. Ad quod hortatur me etiam Illm̃a D. V. ut apud Reverendissimum Archiepiscopum manibus pedibusque contendere velim, id ut præstet, ac Summo Pontifici quamprimum aut per literas, aut per certum hominem respondeat: cui rei certe non deero: quin omnem movebo lapidem apud Illm̃um Archiepiscopum, (licet is hoc jam sit animo in S. Sedem, ut id sua sponte libentissime facturus sit) quo tam opera, quam consilio huic rei adhibeat, quicquid suarum virium fuerit, ac tam pio ac salutari S. D. Nostri desiderio cumulate satisfaciat. Quod si Reverendissimus Archiepiscopus ad Urbem me hac de causa proficisci velit, ut cupit Illm̃a D. V. suscipiam hujus itineris laborem libenti animo; non tam quod rem gratam in eo S. D. Nostro facturus sim, quam etiam propter commune bonum, et utilitatem publicam Germaniæ et totius Ecclesiæ. Verum meo quidem judicio, oporteret his rebus tantisper supersedere, dum negocium, cujus causa huc a Sum-

mo Pontifice, ita petente Rmo Archiepiscopo, remissus sum, conficeremus, ne quod jam bene cœpimus, inchoatum imperfectumque relinquamus: atque dum illud persequimur, occasio hujus rei præclare gerendæ nobis e manibus effugiat: quod eo magis faciendum arbitror, quandoquidem ex hoc illud maxime pendeat: cum hæretici per finitimos ac vicinos catholicos, in fide optime instructos, ac confirmatos, et ferventes in cultu divini obsequii, juvari plurimum possint. Nullam enim aliam rationem commodiorem video Germaniæ in pristinum statum catholicum restituendæ, quam ut eas partes prius, quæ propinquiores sunt, quæque adhuc sub Romani Pontificis imperio, et Ecclesiæ Catholicæ ritibus vivunt, optimis præceptis, ac moribus Christiano homine dignis confirmemus, et perficiamus, ut catholicam fidem, pietatem Christianam, avitamque religionem pro viribus ita retineant, ut quosvis cruciatus sibi potius sustinendos putent, quam ab orthodoxa veritate, et a Romanæ Sedis obedientia, ad falsas novorum hominum sectas, in summamque rerum omnium libertatem desciscant: aut si qui jam a veteri religione priscisque christianæ pietatis cærimoniis, pravis falsisque opinionibus decepti, aliqua in parte defecerunt detestatis erroribus, ad saniorem mentem redeant, atque Catholicæ Ecclesiæ recuperentur. Inprimisque Clerici ita instituantur, informenturque, ut laicis clarissimum vitæ vere christianæ exemplum sint: tum deinde ad seculares omnis correctio, reformatioque convertatur: nam cum Clerici ita se in omnibus vitæ partibus gesserint, ut nihil reprehendi possit, difficile factu non erit, prophanos etiam homines ad optimam bene recteque vivendi normam revocare. Postea demum remotiores et alieniores ingrediamur, ne dum incerta ac dubia sequimur, neglexisse certa, ac propria videamur. Illud addo quoque, quod curatis propinquioribus, facilius se semper offendit remotiorum curatio: nam magni refert ad publicum commodum Germaniæ, religionisque orthodoxæ propagationem, si vicini ac finitimi hæreticis in officio sint, ut iis etiam auctoribus illi ab insania resipiscant. Atque hoc quidem est, cujus causa huc revocatus sum, et in quo nos modo tantopere laboramus, quodque a fel: rec: Pio Quinto Pont. Max. excogitatum fuit, cum viam aliam meliorem, facilioremque nullam inveniret, qua tam mature commodeque Germanis consuleretur. Quem finem laudatissimum, sanctissimumque scopum egregiæ suæ ac propensæ voluntatis, bene de Germanis promerendi, facilius ut assequeretur, re cum peritis viris communicata nihil accomodatius, aptiusque esse existimavit, si secundum decreta Concilii Tridentini per totam Germaniam synodi provinciales haberentur: cumque tota difficultas in eo posita esset, ut aliquis inciperet, futurum postea ratus, ut ejus exemplum cæteri sequerentur, cum Reverendissimo Metropolitano Salisburgensi per Brevia Apostolica, Nuncios, ac legatum egit, is ut primus esse vellet, qui hanc provinciam caperet, exequereturque: tum quod viri probitas, religio, virtus, auctoritas, ac singularis diligentia in rebus fidei promovendis, plurimum adjumenti allatura essent: tum etiam quia Provincia Salisburgensis maxima sit, finitima multis, ac tota fere catholica. Quo etiam nomine idem Pius Quintus fel: rec: anno primo Pontificatus sui hinc me in Urbem vocavit, quod putaret synodo Salisburgensi habita, cæteros quoque Metropolitanos Germaniæ facillime induci ad id, atque ita paulatim Saxoniæ etiam consuli posse. Ubi cum Sanctitas sua iis de rebus mecum sæpe contulisset, tandem decrevit, huc ut redirem, eniterer que quantum possem ejus interposita auctoritate, quod hæc synodus Salisburgensis haberetur, atque idcirco Brevia Apostolica etiam ad id pertinentia, cum ad Illmum Archiepiscopum tum ad provinciam totam dedit. Quæ synodus sublatis omnibus difficultatibus, quas hostis Christiani generis infestissimus injiciebat, tantum ut bonum impediret, tandem Deo duce habita est, nihilque in ea prætermissum, quod ad sananda vulnera sauciæ Germaniæ faceret. Postea ut Summi Pontificis voluntati satis fecisse jam videremur, ea synodus, per me jussu Reverendissimi Archiepiscopi ac totius Provinciæ, Romam perlata est, ibique a Sede Apostolica approbata, a plurimisque commendata, præsertim ab Illustrissimis Cardinalibus, Morono, Commendono et Alciato, qui eam totam quoque mandato Pii Quinti felicis recordationis perlegerunt et examinaverunt accuratissime; quod in ea multa non minus utiliter, quam studiose decreta continerentur, quæ Provinciæ huic ac toti Germaniæ aliquando fauste feliciterque cessura essent. Quamobrem tanta spectata utilitate, ut synodus ista in publicum proferri, atque executioni mandari primo quoque tempore possit, cum ea et diversis Brevibus Apostolicis ad Reverendissimum Archiepiscopum, Coepiscopos, Capitula Ecclesiarum Cathedralium ac Principes quatuor seculares hujus Provinciæ in hanc regionem reversus sum. Idque unum nunc curo, hoc ago, huc labores omnes cogitationesque refero, ut ea, quæ a Prælatis provinciæ hujus uno omnium consensu, et una voce sancte salubriterque constituta, et a Sancta Sede approbata sunt, in singulis Ecclesiis provinciæ hujus publicentur, inviolateque serventur. Quod ut quam citissime fiat, Rmus Metropolitanus Coepiscopos suos ac Prælatos omnes (ut in proximis meis scripsi) brevi congregaturus est, eisque imperaturus, ut hæc ipsa decreta diligenter ubique locorum exequantur. Quæ certe si fuerunt servata, habebimus intra paucos annos provinciam firmissimam in fide, ac Romanæ Sedis studiosissimam: nam et sa-

cerdotum boni nominis in dies augebitur numerus ac seculares homines majores progressus in religione ac pietate catholica facient, aut si qui hactenus a recta via aberrarunt, facillime reducentur. Ne vero successu temporis in charitate frigescant, Summi Pontificis erit, paterne eos per Brevia Apostolica quandoque monere. Hæc eadem si (ut initio dixi) in cæteris Germaniæ Provinciis erga Sedem Apostolicam bene adhuc affectis fierent, paulatim non hæ provinciæ solum firmarentur: verum Saxonia etiam, ac cæteræ a fide catholica jam alienæ brevi reciperentur: hæreses undique tollerentur; augeretur divini obsequii cultus; et fides catholica ac Romana veterum cærimoniarum majestas integra, incorruptaque retineretur, aut ubi exulat, restitueretur. Cum itaque S. Dñus Noster summa qua est vigilantia, ac singulari studio curandi gregem christianum ab omnibus morbis quibus est infectus, restituendæ Germaniæ animum adjecerit, omnibusque nervis contendat, atque in hoc summa vi, summaque industria elaboret, ut eam hæresi liberet: ne tam nobilis, et tam ampla Natio, quæ tanto in discrimine periclitatur, ad interitum ruat voluntarium, faciliorem viam ac modum non invenerit, quam si cæteros Metropolitanos magnopere hortetur, ut synodos provinciales ad legem hujus nostræ Salisburgensis habeant: cujus exemplum verum, ac fideliter transcriptum Romæ S. Dño N. in meo discessu reliqui. Quod si Summus Pontifex aliam succurrendi rationem inire velit, expectet saltem exitum hujus negocii: eo quod brevi, quæ animadversa sint diligenter a me ubique, exceptaque scriptis, cum publice, tum privatim pertinentia non tam ad communitatem universorum, quam ad singulorum vitam ac salutem, ad S. Suam dabuntur: ut inde postea cognoscere, qui status rerum, quæve temporum conditio quoque in loco hujus provinciæ sit, atque singularum Ecclesiarum necessitatibus providere pro sapientia sua non difficulter possit. Ex hac autem scriptione mea, quam dabo, præterquam quod S. Dñus Noster totam hanc Provinciam exploratam habebit, conjiciet etiam sine dubio cætera vulnera aliarum partium Germaniæ iisque malis remedia inveniet. Idque idcirco dico, quia eadem fere ratio sit omnium Provinciarum Germaniæ. Mirum autem videri non debet, si res non tam cito perfici, ac perscribi potest: nam ars hæc salvandi hominum animas, piscatoriæ simillima est. Ut enim piscator in piscando aquæ tranquillitatem, serenitatemque cœli expectat: ita eum, qui salutem animarum tractat, personæ, rei, loci, temporisque rationem habere oportet; calleat naturas eorum, quibuscum agit, ac latentes penitusque abditas voluntates exploret, eisque interdum obsequatur, et ad nutum sese accommodet, si quid velit obtinere, atque ea omnia tandem præstet, quæ sibi in dicendo proponere bonus orator solet. Id quod profecto usu, atque rerum experientia in hac habenda provinciali synodo jam didici: in qua si præceps fuissem, nec multorum voluntatibus obsecundassem quandoque, nihil prorsus effecissem. Hæc sunt, quæ mihi in mentem venere, non tam ut literis Illñæ D. V. responderem, quam ut sententiam meam quoque hac in re aperiem: quam eam in partem, eoque animo accipiat velim, quo a me perscripta est. At vero si fui longior in scribendo, quam institueram, id mihi Illña D. V. ne vitio vertat, sed rei, quæ me longiorem fecit, tribuat. His me Rñæ et Illñæ D. V. humillime et officiosissime commendo, pro cujus felicitate Deum Opt. Max. assidue precor. Salisburgi die 24. Februarii 1573.

Rñæ et Illñæ D. V.

Servitor addictissimus

F. Felicianus Ninguarda a Morbenio.

XVI. — Præsul Salisburgensis suæ provinciæ Episcopos cæterosque præcipuos Ecclesiasticos viros sibi subditos ad diem viii. Kal. Sept. Salisburgum evocaverat, ut habito consilio eos consuleret, et cum iis ageret de legibus per provinciales alias synodos latis confirmandis et exequutioni mandandis. En litteras quibus Gregorium hac de re Ninguarda monet. [*]

[*] Germania Vol. 32 fol 10.

Beatissime Pater.

« Proxime elapso mense Februario scripsi ad S. V. me Rño Archiepiscopo Salisburgensi, Domino meo, synodum provincialem, et Brevia Apostolica reddidisse, explicasseque ea, quæ in mandatis a S. V. habebam. Quibus rebus certe Rñus Archipræsul ita affectus est, ut nihil sibi antiquius putavit, aut officii sui magis duxerit, quam ut menti ac voluntati S. V. obsequeretur. Dum itaque opportunam, commodamque occasionem huic rei quæreret, tot repente inopinati motus hinc inde extiterunt, ut ejus sanctum ac pium desiderium non sine acerbissimo dolore hactenus interpellarint. Hinc factum est, ut habendo conventu provinciali invitum supersedere oportuerit, ac me etiam interesse voluerit, et ea referre ad omnes, quæ in Urbe apud S. V. ac Prædecessorem suum fe: re: circa synodum totius provinciæ nomine acta sunt, et alia, quæ S. V. mihi commisit, ut proponerem ad communem utilitatem hujus provinciæ. Nunc temporis tandem difficultatibus omnibus superatis tam magno animo id negocium aggressus est, ut dici non possit, quam inflammatus sit ad rem gerendam. Condixit itaque Coepiscopis, cæterisque diem vigesimum quartum mensis Augusti, qui D. Bartholomæo sacer est, ad quem huc veniant, ut publico in conventu synodus superioribus annis habita, apostolicaque auctoritate jam confirmata, et approbata promulgetur, ac foras detur, et recte statutis rebus ea, quam S. V. maxime desiderat, executio addatur. Quod ut

cum facilitate ac fructu fiat, voluit me ea, a quibus dixeram videri S. V. ut totius reformationis exordium capiatur, scriptis quoque dare, id quod feci, ut Coepiscopos, cæterosque partim consulere, partim inflammare ad hanc actionem possit. Est enim animo tam erecto, tam prompto, tamque excelso ad tuendam religionem catholicam et ad provinciam universam reformandam, ut alios omnes cum verbis, tum rei exemplo vehementer ad id agendum incitaturus sit. Proinde quæcumque gerentur (ut spero) in Dei gloriam, Sedis Apostolicæ dignitatem, ac Provinciæ hujus utilitatem cedent. Quæ S. V. postea sigillatim perscribentur, ut quemadmodum hujus laboris consors est, ita fructus ac lætitiæ etiam particeps sit. Ego interea nihil defui, nec in posterum deero, quantum vires meæ ac tempora ferrent, cum solicitudine ac consilio, tum etiam opera et labore, ut aliquid præclari geratur, quod et Deo placeat, et S. V. desiderio ac voto respondeat. His me S. V. humillime commendo, sanctissimos pedes osculatus, quam Deus Opt. Max. pro sua clementia diu nobis, Ecclesiæque suæ salvam incolumemque conservet. Datum Salisburgi die decima Julii MDLXXIII.

S. V.

Minima creatura

F. Felic. Ninguarda a Morbinio.

Rebus mox in eo Concilio summa animorum concordia, et maturitate in disceptationem vocatis peractisque Ninguarda de felici et commodo ejus eventu Pontificem monuit. [*]

[*] Germania Vol 32. fol. 19.

Sanctissimo Domino Nostro Domino Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

Beatissime Pater.

« Summa rerum capita Conventus Provincialis Salisburgensis ad S. V. perscribere, ac de articulis aliquot, quos Reverendissimo et Illustrissimo Metropolitano, Coepiscopisque ejus in utilitatem hujus Provinciæ, publicumque commodum Ecclesiæ, proposui, docere paucis decreveram, prætermissis iis, quæ mihi scriptione minus digna ac necessaria videbantur, eo consilio, ne gravissimis in rebus, ac necessariis causis Reipublicæ Christianæ continenter occupatam magno scriptorum fasciculo, et longa lectione molestarem. Verum cum me monuerit Reverendissimus Nuntius, Dominus Bartholomæus ex Comitibus Purlitiarum, non ingratum fore S.V. si acta omnino diligenter, sigillatimque perscribantur, neque invite lecturam, etiamsi ea paulo longiora sint, adductus sum ejus hortatu, ut sententiam mutarim, et quod ego alioquin sponte ac libens fecissem, nisi mihi ille timor obstitisset, id nunc Reverendissimi Nuntii voluntate accedente multo etiam libentius faciam.

« Mitto S. V. Acta Conventus Provincialis Salisburgensis, ex quibus facile intelliget, Decreta synodalia coram Episcopis præsentibus absentiumque legatis ita publicata fuisse, ut a Sancta Sede Apostolica correcta, et approbata erant; atque Ordinariis munus injunctum, ut quamprimum redierint domum, facere velint, ut per Diœceses promulgentur, ac ubique locorum ad effectum adducantur, quoad ejus fieri poterit.

« Mitto etiam relationem rerum a me gestarum in Urbe, quam coram patribus multis quidem feci, paucioribus vero scripsi. Hæc duas partes continet, una complectitur rationem temporis, et actionum mearum; altera ea omnia, quæ ad correctionem, ac censuram decretorum provincialium pertinent.

« His accedunt duæ orationes, quarum unam ineunte conventu, extremo alteram habui.

« Discessuro mihi ex Urbe Sanctitas V. diligenter mandavit, ut Ordinarios omnes, ac Canonicos Cathedralium Ecclesiarum hujus Provinciæ, cum privatim, tum publice multis de rebus monerem et hortarer, quæ ad executionem Decretorum Synodalium ac cujusque Diœcesis necessitatem, animarumque salutem maxime pertinerent. Quod ut facilius commodiusque præstare liceret, S. V. literas etiam fidei mihi ad eos dedit. Quas ego ipse Episcopis partim reddidi, partim etiam misi, cum discedendi potestas ante Conventum hinc mihi non fieret, qui me tum scriptis literis, tum etiam quidam coram rogarant, ut primo quoque tempore eos adire, ac convenire velim, ut mentem S. V. ex me accipere, ac mecum de rebus omnibus consultare possint; id quod brevi facturum me respondi. Brevia autem S. V. ad Capitula Cathedralium Ecclesiarum, consilio ac voluntate Reverendissimi Metropolitani, apud me adhuc habeo, præterquam duo, quorum unum in itinere Brixinæ, alterum hic jam reddidi, cætera tamen intra paucos dies ego ipse perferam, et eodem tempore Episcopos conveniam, ut simul omnia secundum mentem S.V. exequar. Id quod multo ante summo studio effeci cum iis, quos mihi adire contigit, præcipue vero cum Reverendissimo Metropolitano, cui, ut appuleram, multa cum sigillatim pro ejus Diœcesi, tum universim pro tota provincia explicavi. Dici autem non potest incredibilis plane fervor ejus ac studium, quo accensus est ad hæc atque alia omnia capessenda, quæ ad animarum salutem curandam faciunt. Nam in obeundis rebus et se ipsum primum fore ostendit, et Coepiscopos ad id, cum verborum stimulis, tum exemplorum calcaribus, ubi opus est, sedulo excitat et inflammat.

« Inter alia multa autem, quæ Reverendissimo Metropolitano dixi, cum quædam monita exposuissem, partim ex Decretis Provincialibus petita, partim etiam ad communem Provinciæ universæ utilitatem addita me attentissime, ac libentissime audivit, petiitque, ut ea scripta darem, quod non tam facile memoria retineri om-

nia possent; obsecutus sum, et quæ verbis tantum dixeram scriptis etiam dedi. Quæ cum mirifice placuissent, voluit ut ea coram consiliariis suis ecclesiasticis proponerem. Quibus per eos vehementer laudatis, ac commendatis decretum est, ut exempla ad singulos Coepiscopos darentur, ut parati, ac meditati ad conventum venirent. Cum autem omnes convenissent partim, partim legatos suos misissent, rem inter se consultarunt, et ad singula monita admodum pie religioseque responderunt. Articulos vero a me propositos, responsis Patrum in margine ascriptis, ad S. V. sigillatim, et ordine perscribo, ut habeat ea omnia, quæ in hoc negotio confeci, et videat, num sint secundum mentem suam, ac quis fructus inde sperari possit, et expectari debeat; maximus autem et sperandus et expectandus est.

« His addo eos articulos quoque cum responsis Patrum in margine, quos Reverendissimus Nuntius proposuit, quibus partim aliquot ex meis inculcabantur, partim etiam alii quidam novi adjuncti erant.

« Quoniam vero S. V. quod sciret Decreta Provincialia non tamen commode ad effectum adduci posse sine ope, et auxilio Principum secularium, quatuor Brevia fidei ad Sacram Cæsaream Majestatem, ad Serenissimos Archiduces Ferdinandum, et Carolum, ac Ducem Bavariæ Albertum mihi dedit, horum unum in itinere oblata commoditate Serenissimo Archiduci Ferdinando reddidi, alia tria apud me retinui Reverendissimi Metropolitani jussu, quod conventus haberetur, quod ante hinc discedere non liceret. De his quorumdam etiam suasione Patres monui, et scriptum exemplum quoque dedi, ut inde intelligere possent, quam benevolo animo S. V. provinciam hanc prosequatur; id quod ipsi libentissime agnoverunt, ac gratias multas egerunt. Verum opus esse existimant, facere cum S. V. ut renoventur, tum propter vetustatem, quod annus jam elapsus sit ab ascripto die, tum etiam ut clausula inseratur de gravaminibus Cleri. Cujus exempli quartum quoque desiderant ad Dominum Landgravium Principem in Leuchtenberg, qui jurisdictionem suam in hac provincia habet. Quæ S. V. ex eo scripto partim, quod propositionem hac in re factam, et responsum Patrum complectitur, partim etiam ex Actis ipsis melius intelliget. Mitto autem simul exemplum horum Brevium Apostolicorum, ut alia conscribendi facilior ratio sit. Præter hæc placuit etiam mittere exemplum Recessus (ut vocant) Conventus provincialis, ut nihil sit, in quo Sanctitas Vestra officium meum desiderare possit.

« Alia quædam adhuc ad Sanctitatem Vestram haberem, quæ cum nonnullis Episcopis peregi præsertim cum Reverendissimo Passaviensi, qui post Reverendissimum Metropolitanum latissimam Diœcesim habet et ad omnia optime animatus est: verum ne volumen scriptorum nimis excrescat, differam illa quousque Episcopos omnes ac Canonicos adiero, et negotium universum confecero. Ne vero Sanctitati Vestræ nimis molestus sim in scribendo, paucula quædam alia audiet ex Illustrissimo Cardinale Comensi. Hæc sunt quæ ad Sanctitatem Vestram in præsentiarum mihi scribenda potissimum duxi, quam rogatam velim, ne me longioribus scriptis importunum putet; sed id tribuat cuidam magno meo desiderio animum Sanctitatis Vestræ lætificandi, quam Deus Optimus Maximus toti Reipublicæ Christianæ diu salvam incolumemque servet. Salisburgi die 2. Octobris 1573.

Sanctitatis Vestræ

Minima Creatura

FRATER FELICIANUS NINGUARDA.

Sed et ipse Archiepiscopus Salisburgensis pro officii sui munere rem Gregorio aperuit. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 62.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino meo Clementissimo.

« Sanctissime Pater, ac Domine, Dñe Clementissime. Obedientiam et reverentiam debitam ac condignam, cum humillima mei commendatione et devoto beatorum pedum osculo. Die decimo Julii scripsi ad Sanctitatem Vestram me tandem post tot impedimentorum curas, quibus hostis humani generis opera interpellabat, ut perficere non potuerim, quod maxime cupiebam, conventum ad diem 24 Augusti Coepiscopis ac Prælatis meis indixisse, ut in eo Decreta Provinciæ meæ, a S. V. cum approbatione remissa, publicarentur, ac facilis aliqua ratio iniretur, qua commode utiliterque ad effectum adducerentur; id quod jam inde ab initio hujus actionis nobis omnibus propositum ac constitutum fuit. Convenerant itaque omnes ad tam præclarum et gloriosum opus, ut est veteris religionis fideique catholicæ in pristinum statum restituendæ, aut conservandæ studium, optime animati, partim ipsi qui per occupationes poterant, partim legatos suos cum auctoritate misere, exceptis duobus qui se propter adversam valetudinem et alias necessarias ob causas abesse per litteras significarunt. In hoc conventu, summo Dei beneficio, ita res acta est, ut ad eum exitum finemque perducta sit, qui et optandus et expectandus erat. Nam Spiritus Sancti invocato primum numine, qui mentes pulsis tenebris illuminat, a cuncto consessu Consiliarius et fidelis meus P. Felicianus benevole attenteque auditus est. Is retulit, quæ in Urbe nomine Provinciæ egisset. Deinde narravit, quantam benevolentiam S. V. in me ac Coepiscopos, cum omnes tum singulos non obscure declararit. Dum remissum a S. V. librum Synodalem obtulit, docuitque, quod Sancta Sedes Apostolica in Decretis Provincialibus

correxisset et in melius retulisset. Postremo cum nomine S. V. postquam ex Urbe advenerat, præcipua quædam rerum capita, partim ex Decretis Provincialibus collecta, partim etiam, ut necessaria atque utilia, aliunde petita, oretenus mihi retulisset, quæ non ego solum, verum etiam Coepiscopi mei, primo quoque tempore exequeremur; quippe semel ad effectum adducta, faciliorem nobis aditum ad reliqua datura, ei commisi, ut literis mandaret, quæ deinde singulis Coepiscopis meis, ut ad ea consultanda meditati venirent, transmissi, nec non eidem P. Feliciano præcepi, ut eadem etiam coram cæteris Prælatis in publica congregatione proponeret, et alia quædam, quæ Rmus Nuntius Apostolicus Dnus Bartholomæus Comes Purtilianus, nomine S. V. etiam subnectere voluit. Ita vero placuere hæc S. V. monita, ut explicari vix possit, quam concordi animo, et consentientibus, applaudentibusque voluntatibus fuerint audita. Pro quibus in nos omnes collatis beneficiis, ac tam paterno animo, quo S. V. erga hanc Provinciam effectam, plus satis perspicimus ego et Coepiscopi mei, cum tota provincia, gratias quam maximas possumus et agimus et habemus: precamurque Deum Optimum Maximum, ut qua est erga Christianum populum clementia, S. V. nobis ad Ecclesiæ suæ tranquillitatem, multorumque salutem, quam diutissime conservet. Et quod nostrarum partium est, pollicemur nos in officio fore, et omnem in quantum poterimus, daturos operam, ut S. V. expectationi opinionique respondeamus. Decreta Provincialia publicata sunt et accepta; in quibus autem correctum atque emendatum aliquid fuit, Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio ac censuræ libenter acquievimus, ut æquum erat. Quod autem ad Præbendam Præposituris uniendam et monasteria exempta Ordinariis juxta Sacrum Concilium Tridentinum subjicienda, ac ad Canonicatum nobiles XIII. annorum juxta inveteratam consuetudinem admittendos attinet, alio tempore magis opportuno apud S. V. meo et Coepiscoporum meorum nomine instabo; nec dubito, quin illa gratiose sim impetraturus, maxime cum in duobus primis capitibus etiam prædecessori suo Pio Quinto fe: rec: ita visum est, ut faciamus, testibus Rmis et Illmis Cardinalibus Morono, Comendono et Alciato, quibus totum negotium Synodi provincialis nostræ commissum fuit. Injunxi Coepiscopis meis, faciant, quam primum redierint domum, ut Synodus cum impressa fuerit, cujus curam in me suscepi, in suis Diœcesibus promulgetur, et quam diligentissime fieri potest, observetur. Id quod volenti animo in se receperunt. Ita me etiam ubique locorum Diœcesis meæ pro totis viribus facturum, ac velut Metropolitanum exemplum daturum, remque a meipso et Metropoli mea auspicaturum polliceor. Quod ad monita S. V. attinet, non est cur aliquid scribam, tum quod S. V. a præfato Reverendissimo Nuntio suo ex parte certiorem ea de re factam jam esse arbitrer: tum etiam quod S. V. Pater Felicianus per literas non de his solum, sed etiam jussu meo, de cæteris omnibus actis, quæ per eos dies confecta sunt, quibus conventum habuimus, diligenter edocebit. His me, Coepiscopos atque universam provinciam meam S. V. sacris pedibus provolutus humillime commendo, ac Dominus Deus S. V. omnia semper prospera et felicia largiatur. Datum Salisburgi die 2. Octobris MDLXXIII.

E. Sanctitatis Vestræ

Humillimus et devotiss. Capellanus
JOANNES JACOBUS
Archiepiscopus Salzeburgensis.

XVII. — Ea de re apprime lætatus meritas et Archiepiscopo et Ninguardæ laudes libentissime impertitur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 165 fol. 93

Venerabili Fratri Joanni Jacobo Archiepiscopo Salisburgensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis fraternitatis tuæ, atque ex actis, et decretis Conventus Salisburgensis, quæ ad Nos misit Felicianus, facile cognovimus, quanta in eo negotio diligentia versatus sis, quamque vehementer cupias ea agi, quæ iis decretis continentur, quæque nostris verbis exposuerunt tum Felicianus, tum Nuntius noster; quæ quidem tua voluntas, atque opera præclare respondet tuo muneri, et pietati Nobis perspectissimæ. Sic autem existimare te volumus, nihil Nobis longius videri, quam dum ea, quæ in Synodo, et Conventu sanctissime sunt decreta, per universam regionem tuam servari, Seminaria constitui, Diœceses visitari, malos mores omnes, de quibus audisti, extirpari, et sanctam Christianæque Religioni congruentem vitam degi cognoscamus. Hæc Nos tua opera assequi posse confidimus; et quamquam nihil nostra apud te cohortatione opus esse arbitramur, tamen pro nostro munere, proque incredibili desiderio, ut in eam curam toto pectore incumbas, quantum possumus, rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima quinta Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Et ipsi etiam Ninguardæ peculiaribus ad eum litteris gratulatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 167 fol. 96

Dilecto Filio Fratri Feliciano Ningardo Ordinis Prædicatorum Theologo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. Legimus libentissime literas tuas, cumque iis Acta Conventus Salisburgensis, cæteraque omnia quæ ad Nos misisti, tuamque omnibus in rebus diligentiam, laborem, operam vehementer laudamus, pariaque ea summo nostro desiderio fuisse agnoscimus, utque præclara hactenus fundamenta jacta sunt, sic to-

tius operis absolutionem a Divina primum ope, tum ab eadem tua diligentia, ac venerabilis fratris Archiepiscopi Salisburgensis opera expectamus: apud quem quantum vales gratia, et auctoritate, contende, ut per totam ejus Diœcesim serventur, quæque ipse sapienter monuisti: nec unquam desiste, donec ea omnia perfecta esse videas. Ad eum autem, quem hactenus suscepisti, laborem, hunc etiam adde, ut te conferas ad ea Capitula, ad quæ tibi eum hinc discederes, literas dedimus, suasque cuique reddas, neque earum vetustatem verearis; ipse enim docebis, quid causæ fuerit, cur non eas antea reddideris. Longiores non sumus, quia omnia te pro tua pietate et velle libenter facturum esse confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xv. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XVIII. — Cæterum eo magis insudandum Pontifici erat, ot ad rectam normam et a Patrum canonibus constitutam Episcoporum electio reduceretur, quod pessima quædam consuetudo, et Ecclesiæ penitus adversa legibus oon per Germanias solum, sed et per reliquas Christiani Orbis regiones invaluerat. Clerici enim viri inter minores modo ordines constituti, quin et in prima adhuc adolescentia ad Episcopatuum regendorum munus designari consueverant. Mox illi venia a Pontifice impetrata, plebes suas Vicariis seu coadjutoribus, sic enim appellabant, Episcopis qoo demum cumque modo regendas tradebant, sola ipsi Ecclesiasticarum divitiarum exactione contenti. Vix demum ætate provecta, et senectute jam patiscentes sacros ordines inire et Episcopalem consecrationem subire patiebantur. Quod etsi ægerrime Pontifices et Gregorius ferebant, misera tamen temporum conditione fiebat, ut tam vesana et pessima consoetudo penitus eradicari non posset. Episcopales enim cathedras sibi adrogare parati erant protestaotes, nisi ad eas tutandas principum virorum opes et arma advocarentur, quorum plerumque pueri ad munus Episcopale hocce modo seligebantur. Quin immo et ad reliqua Ecclesiastica munia et beneficia non virtutis merito, sed nobilitate generis perstruebatur via et certa nobilium avorum series deposci sæpe consueverat veluti necessaria ad singulos quosque dignitatum Ecclesiasticarum gradus capessendos.

Hos inter Salentinus ex nobilissimo inter Germanos Comitum Isenburgensium genere natus jam a x. Kal. Januar. A. 1567. Archiepiscopus et S. R. I. Princeps Elector fuerat renuntiatus. At vix demum hoc anno sexto a designatione sui Episcopatus a Pontifice confirmari nuncupatique poposcit, additis tamen precibus, ut sibi liceret aliquo adhoc temporis spatio in minoribus cleri ordinibus censeri; utque Coloniensi Ecclesiæ melius provideretur, novum Episcopum, qui pro se vice sacra fungeretur, concedi postulavit. (*)

(*) Colonia Vol.I.fol.I.

Beatissimo Patri et Dño, Dño Gregorio, hujus nominis Decimotertio Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo Domino Meo Clementissimo.

« Consideranti mihi, ac sæpe et multum cum animo repetenti, Sanctissime Pater, Pontifex Optime Maxime, qua prudentia et moderamine S. V. Reipub. Christianæ gubernacula teneat, et Christo rerum servatori vicariam in terris operam navet (ea enim S. V. præconia totum Christianorum orbem jamdudum rumore secundo impleverunt, ut et oviculæ omnes, oviumque omniom quasi substituti Pastores per universum mondum dispersi, de præstantissimis S. V. virtutibus tantum quantum ab omni memoria de aliquo, qui quidem in Apostolicæ Sedis fastigio resedit, expectent, promittant, confirment): ob curam provinciæ hujus fœliciter quieteque agendam moresque ac instituta majorum adservanda, denique ad statum Ecclesiæ nostræ ex omni parte, quantum in me est, juxta Catholicam Romanæ Ecclesiæ normam sartum tectumque tuendum, ac defendendum necesse esse visum fuit, quorum ad eam rem maxime opus esset, et sine quorum opera ea res confici non posset, coram S. V. per litteras exponere, ejusdemque amorem ac charitatem, quo universalem Ecclesiam amplectitur, super ea re etiam atque etiam implorare.

« Quare posteaquam compluribus jam annis Episcopalia munera, quæ a Suffraganeis peragi solent, provintiæ nostræ, cum ipsa Suffraganeo careret, ab aliis certe cum perpetuis omnium querimoniis et provintialium molestia summa, tam decessoris nostri quam nostris temporibus petita: diligenterque ac sæpe pro confirmatione designatorum successive Suffraganeorum apud Sedem Apostolicam intercessum, nihil autem, nescio quo fato, impetratum fuerit: unde non solum adversus decessorem nostrum, atque nos ipsos, sed et ipsam Sedem Petri, ut quæ inferiorem prælatorum negligentiam supplere, ne dicam diligentiam juvare deberet, obloquendi, obtrectandique data ansa est: cernamque ego jam nunc animo atque oculis, quæ detrimenta, scandala et incommoda, provintiam nostram ob eam rem comitata, quæ sequutura sint, nisi S. V. benignitas, quamprimum affulserit, et modum aliquem finemque hisce rebus, velut clariore ac novo quodam Lucifero, fecerit. Hic S. V. Ecclesiæ meæ ore compello, ut ei hanc gratiam facere specialem, et designato a me Suffraganeo Theobaldo Crassello Sacræ Theologiæ Doctori, Canonico atque Pastori viro et litteris et moribus citra controversiam præstanti, officium munusque Suffraganei impartita ei confirmatione concedere atque permittere velit ac dignetur.

« Quo nomine S. V. offitium, quod gerit in terris, faciet, et dignitatem authoritatemque istius

Sedis conservabit, augebitque, et Ecclesiæ Coloniensis jam multo desiderio satisfaciet. Sed quia hæc S. V. plane intelligere arbitror, nihilque addubito, quin pro sua prudentia a decessorum suorum rigore ob pacem tranquillitatemque harum nationum conservandam, benigne in hac parte recessura sit: pluribus non agam. Tantum me ad S. V. pedes provolvo, observantiamque meam eidem non nisi cum vita defuturam promitto, multosque annos ad salutem Reipub. Christianæ diu fœliciterque procurandam comprecor. Datum Brulæ nonis Maii Anno Domini 1573.

E. S. V.

Devotissimus filius
SALENTINUS ELECTUS ECCLESIÆ COLONIENSIS
SALENTIN manupp.

Erat enimvero Salentinus egregiæ indolis vir, magno præditus ingenio, Catholicæ Ecclesiæ addictissimus, et unus qui videretur aptissimus gubernandæ Ecclesiæ. Anceps animo hærebat, et quid sibi consultius foret, dubitabat, num Ecclesiastica munia majora iniret, an negotiis Imperii gerendis, quibus magnam sibi famam acquisiverat, se totum daret, et clerici nomen ab se abjudicaret. Nemo unus igitur mirabitur, Gregorium hujusmodi virum pluribus hortatum esse, ne sortem Domini abjiceret, ac in ea constanti alacrique animo perseveraret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 184. f. 109.

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ut nihil erat, quod magis hoc tempore cuperemus, quam tales a fraternitate tua literas accipere, quales misisti; sic iis perlectis immortales egimus gratias Deo, teque animo, et cogitatione amplexi, atque osculati sumus ea charitate, qua oportet Nos esse conjunctos fratribus optimis in iis, quæ ad Christi laudem, et gloriam pertinere intelligimus, quam quidem tuæ fraternitati summopere cordi esse non dubitamus: tantam Nobis fidem faciunt literæ tuæ plenæ pietatis, charitatis, atque erga hanc Sanctam Sedem devotionis; multa præterea addidit dilectus filius Gropperus Nuncius noster in suis literis, ex quibus gaudium nostrum cumulatum est in Domino. Communicavimus illud statim venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in nostro Consistorio tuamque electionem Apostolica auctoritate confirmavimus, omnibus approbantibus, mirificeque tuæ pietati faventibus. Et quamquam speramus fraternitatem tuam in sua vocatione, atque Ecclesiasticæ vitæ professione permansuram, tamen declaramus post hanc confirmationem, liberum tibi esse ab ista pastorali professione discedere, sicut antea poteras. Absolvimus etiam eadem auctoritate fraternitatem tuam de omnibus fructibus Archiepiscopatus, quos ante confirmationem non jure percepisti: dispensamus etiam tecum, ne per annum necesse habeas consecrationis munus suscipere; Suffraganeumque eum, quem postulas, dabimus, nec unquam Nobis ipsis satisfacimus, quantum quidem Apostolica hac, quam a Dei benignitate sine ullo nostro merito accepimus, auctoritate tuæ fraternitati gratificari poterimus. Quod Ecclesiam istam tibi commendemus, nihil est, sic persuasum habemus, te perniciosa inde omnia, si quæ sunt, amoturum, Ecclesiasticam disciplinam, ubi opus fuerit, restituturum, diligentissimeque retenturum, plebemque perfectam Deo paraturum, omniaque optimi pastoris munia impleturum adjuvante eodem ipso Deo, quod ut faciat, toto corde atque animo precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Canonicis ejusdem Coloniensis Ecclesiæ Gregorius gratulabatur, quod Salentino ad suscipiendas Ecclesiæ illius habenas animos addidissent, eosque hortatur, ut in cæteris omnibus rebus, quæ erigendæ illius Ecclesiæ sint, Præsuli constantes et fideles administros se præbeant. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 184. f. 110

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Libentissime confirmavimus, ut postulabatur, vestram dilecti filii Salentini ad Coloniensem Archiepiscopatum electionem. Hortamur vos, ut sicut nostram confirmationem necessariam esse vere pieque sensistis, decrevistisque, sic ad nostrum factum vestram quoque operam adjungatis, cumque ipso Salentino nunc vestro Archiepiscopo, eodemque nostro venerabili fratre conjunctissimi sitis in iis, quæ ad istius Ecclesiæ utilitatem et dignitatem, perniciosarum rerum extirpationem, Ecclesiasticæ disciplinæ, ubi opus fuerit, restitutionem, retentionemque, atque optimarum rerum constitutionem pertinere intelligetis. Hæc enim omnia ipsum Archiepiscopum cupere, curaturumque esse ex ejus literis incredibili cum voluptate cognovimus. De vestra vero pietate dubitare non possumus. Restat igitur, ut quæ ipsi recta esse cognoscetis, atque ad divinum cultum, Religionis synceritatem, vitæque et morum sanctitatem necessaria, quam commendatissima habeatis, eaque una cum vestro Archiepiscopo toto pectore amplectamini, gratissimamque operam navetis Christo, atque ejus ovibus, quarum ille saluti suam ipsius dum hic erat, vitam posteriorem habuit. Hæc fieri, ut vestræ curationis, et studii est, sic nostri muneris est, toto corde optare, utriusque autem a Dei misericordia sperare, et postulare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 19. Decembris 1573. Pontificatus Nostri Anno secundo.

XIX. — Iisdem permotus rationum momentis, ob quæ Diœcesim Coloniensem Salentino regendam indulserat, Ernesto quoque Ducis Bavarorum filio, juveni vix annorum XVIII. qui ætatis suæ anno XI. Episcopus administrator Ecclesiæ Frisingensis A. 1565. a Pio IV. renunciatus fuerat, permisit, ut orbatam ab aliquo jam tempore suo pastore Ecclesiam Hildeshemiensem susciperet, et gubernaret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII An. II. epist. 132. fol. 71.

Dilecto Filio Nobili Viro Ernesto Bavariæ Ducis Filio Frisingensis et Hildesemensis Ecclesiarum Administratori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Gratissimæ Nobis fuerunt literæ Nobilitatis Tuæ, quas attulit Andreas Fabritius tuus, tuamque erga Nos atque hanc Sanctam Sedem observantiam, quam et in illis perspeximus, et multo honorificentissimoque de te sermone Fabritius confirmavit, amplexi sumus: qua etiam de causa libenter Hildesemensis Ecclesiæ tibi administrationem concessimus. Speramus enim, te et tua naturali bonitate et fideli ipsius Fabritii opera, et consilio in omnibus virtutibus, quarum hoc tempore non modo semina, sed fructus etiam apud te sunt, maximos in dies progressus facturum. Nostram autem paternam in te charitatem et quibuscumque rebus poterimus, declarabimus, et nunc confirmabit Fabritius, in quo amamus prudentiam, gravitatem, modestiam, fidem, pietatem, quam in eo perspeximus, illumque et tuo amore, et isto, quem apud te possidet, loco dignum judicamus. Ei igitur non dubitamus te omnem fidem adhibiturum. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die IX. Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Jam enim ab anni initio Albertus Dux per Legatum suum a Pontifice hanc veniam impetrare conatus fuerat. (*)

(*) Germania Vol. 29 fol. 9.

Beatissime in Christo Pater ac Dñe Dñe Benignissime.

« Humillimi filii obedientiam pedumque sanctissimorum oscula, cum perampla erga Sedem Apostolicam officii ac observantiæ meæ contestatione, Rev. et doctissimus vir, Consiliarius meus dilectus fidelis et filii mei gubernator Andreas Fabritius Theologiæ Doctor, S. V. meo nomine reverenter jam præstabit. Quem ut S. V. benignissime admittat et audiat, rogo quam possum humillimo studio. Proponet is S. V. mea quædam itemque filii dilectissimi Ernesti Administratoris Frisingensis negotia, quæ utique ad religionis ac Reipublicæ incolumitatem stabiliendam, augendamque pertinere arbitror. In quibus si pontificiam benignitatem liberaliorem fuero expertus, multum equidem addet alacritati meæ. Nihil enim in vita mea tam cupio, quam Religionem pietatemque avitam provinciis meis, quas divina bonitate pacatissimas habeo, salvam florentemque transmittere. Ad quod meum studium plurimum sane facient ea, quæ a S. V. per dictum consiliarium meum impetrata mihi cupio. Sed et illud magni beneficii loco accipiam, quidquid S. V. gratiæ ac benignitatis ipsi Consiliario meo contulerit, viro utique dignissimo, qui a sanctissima Sede, cui multis nominibus utilem ac necessariam subinde præstat operam, perbenigne et honorifice habeatur. Quod si non ingratum erit aliquando, ipsum filium meum charissimum Sacrosanctæ Sedi ac Reipublicæ Christianæ idoneum videre Episcopum, hujus viri virtuti profecto gratiæ debebuntur non postremæ. Valeat S. V. diutissime salva, meque servitiis ejus paratissimum filium paterna benevolentia foveat. Datæ ex Castro nostro Fridpergo 4. die Februarii Anni 1573.

S. V.

Observantissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

Ut et ipse Ernestus Ecclesiæ jam Frisingensis procurator. (*)

(*) Germania. Vol 29. fol. 11

Beatissime Pater ac Domine Domine Clementissime.

« Præmisso illo filialis ac debitæ observantiæ symbolo, pedum nimirum beatorum osculo, studium meum, fidem et omnem animi promptitudinem, tam ad S. V., quam ad SS. Catholicæ nostræ et avitæ religionis usum, dignitatemque semper paratissimam offerens cum humillima mei commendatione.

« Cum Illmus Princeps ac Dominus D. Albertus Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux etc. Dñus et parens meus omni modo mihi colendissimus præsentium latorem, gubernatorem et consiliarium meum, mihi syncere dilectum et fidelem Andream Fabricium Leodium Theologum ad S. V. certis eum mandatis ablegavit; is autem apud eandem et meo nomine quædam humillime præponendi et coram agendi mandatum omnimodamque facultatem et instructionem accepit: ideo filiali ac ea, qua debeo et possum humilitate rogo, ut S. V. eidem Doctori Andreæ meo nomine non solum aures præbere benignas, sed et ejus verbis plenam et eandem, quam mihi ipsi, si præsens cum S. V. agerem, adhibere fidem clementissime dignetur. Quæcumque enim meo nomine proponet et aget, ea omnia ex mea voluntate et mandato acta et gesta S. V. existimabit.

« Præterea dilectus mihi frater Felicianus Morbinius post suum a S. V. et ex urbe reditum ad me literas dedit, quibus significavit, se a S. V. Breve Apostolicum mihi directum, insuper etiam quædam mecum coram agendi mandatum accepisse. Cum itaque S. V. rescriptum primo quoquo tempore accipiendi, ejusdemque voluntatem intelligendi, et pro viribus exequendi summo tenerer desiderio, non passus sum moram, quin statim proprio misso nuncio præfatas S. V. li-

teras, et quæ præterea coram mecum agendi in mandatis haberet, videndi et cognoscendi efflagitarem. Verum cum Felicianus ille aliquali morbo correptus, hujusmodi S. V. mandatum exequi coram non potuit, dictas literas Apostolicas mihi transmisit. Quibus lectis et relectis, sane non sine intima cordis mei commotione summam S. V. in me clementiam, et plane paternum affectum intellexi, ejusdemque monitionem piissimam plene cognovi.

« Quandoquidem vero non tam ab Illmis et omnibus modis mihi sancte colendis parentibus, sed etiam ab avis et majoribus meis jure hæreditario, et quasi per manus acceperim, adeoque nihil prius et antiquius unquam habuerim, quam S. V., sanctæ Sedis Apostolicæ et religionis nostræ catholicæ honorem, dignitatem et incrementum quoad vixero, divina mihi assistente gratia, omnibus quibus potero rationibus, indefesso semper studio, labore et diligentia venerari, conservare, promovere, nec non quæ a Synodo Provinciali, Salisburgi celebrata. laudabiliter quidem et pie tractata, et consentientibus suffragiis, sancte constituta ac deinceps ad S. V. relata fuerunt, debito modo exequi, et qui per non paucos annos irrepserunt abusus, in diœcesi mea in melius reformare. Non possum non dolere, quod hac in parte S. V. clementissimæ ac piissimæ voluntati, adeoque meo ipsius desiderio satisfaciendi mihi facultas desit.

« Non enim S. V. latet, quod elapso anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo sanctissimæ memoriæ Pius Quintus, cum sedes Episcopalis Ecclesiæ Frisingensis per resignationem et intervenientem etiam mortem antecessoris mei vacaret, mihi temporalium, Capitulo autem dictæ Ecclesiæ spiritualium administrationem specialiter commisit; ita ut vigore hujusmodi commissionis Apostolicæ nihil omnino juris, et dispositionis mihi in rebus Ecclesiasticis competat: tantum abest, ut quidquam eo nomine authoritatis præsumere aut arrogare mihi liceat, sed omnis spiritualium jurisdictio in præsentia penes dictum Capitulum sit. Quod si vero S. V. visum, mihique illa administratio ab eodem concredita et demandata fuerit, omni studio et diligentia in hoc semper incumbam, ut non solum præfatæ Synodi Salisburgensis Decreta debitæ executioni mandentur, corrupti tam Cleri quam aliorum meæ diœceseos subditorum mores emendentur, et quilibet in spiritualibus et temporalibus in officio retineatur, sed etiam, ut perpetuus ille meus erga S. V., sanctam Sedem Apostolicam ac catholicam meam religionem zelus evidenter apparere debeat. Hæc S. V. significare quam humillime volui. Plura ex præfato meo Gubernatore Doctore Andrea coram accipiet. Deum Opt. Max. ardentibus deprecor votis, ut S. V., cui me humillime commendo, afflictæ suæ ecclesiæ totique orbi Christiano, quam diutissime incolumem benignissime conservet, regat, tueatur. Datum Frisingæ die undecima Februarii Anno etc. Millesimo quingentesimo septuagesimo tertio.

S. V.

Humillimus et obedientissimus filius
Ernestus Administrator Frisingensis
Bavariæ Dux.

XX. — Venia impetrata effusissimas grates Ernestus Pontifici reddit, seque profitetur et spondet omnia curaturum, quæ e re Ecclesiæ erunt, in concreditis sibi Diœcesibus: sibi cordi fore, ut quæ in Salisburgensi Synodo peracta fuerant, et lege sancita sarta tectaque serventur, et juxta eas leges omnia componantur, et ut educandis neoclericis seminarium quamprimum constituatur. [*]

[*] Germania Vol. 96 fol. 63.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio Decimo Tertio Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Opt. Max. Dño suo Clementissimo.

« Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine clementissime. Post humillimam sui commendationem beatorum pedum oscula. Sanctitatis Vestræ Nuntius Bartolomeus e Porciæ Comitibus Abbas Modii, cujus adventum jamdudum desideraveram, his diebus ad me et meam residentiam Frisingensem venit, literas fiduciarias a S. V. mihi obtulit, mandata etiam quæ habuit, copiosa et accurata oratione explicavit; quæ omnia debita cum reverentia et obedientia percepi. Imprimis magno gaudio sum affectus, quod S. V. mei sit memor, meque tam paterna benevolentia et amore prosequatur. Quod præterea Sanctitas Vestra per eundem Nuntium me ad progressum in virtutibus adhortata est, dabo operam et enitar, quantum divina mihi gratia largietur, ne expectatio de me concepta sit frustranea. Concilii Tridentini et constitutionum Synodalium, quæ nuper Salisburgæ sint confectæ et a S. V. approbatæ, executionem pro viribus meis promovebo, ut sine mora et quamprimum fieri potest, effectum suum consequantur. Postremum fuit de seminario constituendo, in quo adolescentes bonæ indolis ad pietatem catholicam educentur: in hac re quæ sint meæ Ecclesiæ facultates, quod propositum vel consilium Sanctitas Vestra ex ipso Nuntio suo tempore intelliget. Ego quod obedientem S. V. filium decet, me in omnibus præstaturum promitto. Et me Sanctitati Vestræ ad beatorum pedum oscula humiliter commendo. Datæ Frisingæ decimo nono Octobris Anno MDLXXIII.

S. V.

Humillimus et obedientiss. filius
Ernestus Administrator Frisingensis
Bavariæ Dux.

Gregorius et quod Ernestus pertenderat studium erga Ecclesiam collaudat, et ut gesta verbis respondeant, admonet et hortatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 103 fol. 96.

Dilecto Filio Nobili Viro Ernesto Frisingensis et Hildesemensis Ecclesiarum Administratori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Magna cum voluptate accepimus, constitutum nuper fuisse in Conventu Salisburgensi de synodalibus decretis observandis atque exequendis. Et quamquam non dubitamus, te pro tua pietate, ut id fiat in tua Frisingensi Ecclesia, omnem diligentiam, atque operam adhibiturum, tamen pro nostro munere proque rei ipsius gravitate, in qua agitur de catholica Religione, deque Dei honore et animarum salute, facere non possumus, quin Nobilitatem Tuam moneamus, ut in eam rem omni cura et studio incumbas, seminarium instituas, omniaque ut decreta sunt, agi cures; nec quidquam tantum esse putes, quod possit tantam rem, tamque Deo gratam impedire. Longiores non sumus, quia tua virtus et pietas omnia Nobis pollicetur. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XV. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Mox aliis litteris eundem Ernestum Romam evocat, ut presens alloqui, et de rebus Ecclesiæ per Germanias constituendis promovendisque agere possint. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 161 fol. 95.

Dilecto Filio Nobili Viro Ernesto Frisingensis et Hildesemensis Ecclesiarum Administratori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir salutem etc. Incredibiliter delectavit Nos optima voluntas et pietas tua, quam non solum in tuis literis perspeximus, sed etiam ex literis Porciæ Nuncii nostri, aliorumque cognovimus: sic enim scribunt, magnam perspici in te probitatem, pietatem, inque tua Frisingensi Ecclesia gubernanda curam et vigilantiam, certam item ex tuis optimis actionibus colligi fidem optimi animi ecclesiastici maximeque Deo devoti. Quibus de causis vehementius afficimur tui amore, ac desiderio; teque hic apud Nos et videre et habere cupimus, quod quidem futurum speramus, id enim constantissime pollicitus est dilectus in Christo filius noster et pater tuus Dux. Interim Deum orabimus, ut tuam virtutem magis magisque in dies confirmet gratia sua. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XV. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Hoc vero consilium Ernesti filii Romam arcessendi Alberto itidem patri jam communicaverat Gregorius. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 69 fol 33.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Postulatis Nobilitatis tuæ, quæ ad Nos detulit Andreas Fabritius, quibus potuimus omnibus satisfecimus: atque iis præsertim, quæ ad Hernestum natum tuum Electum Frisingensem pertinebant, quæ tibi maxime cordi esse intelligebamus. Illud tamen pro nostra erga te atque illum caritate scribendum duximus, opportunum videri, Hernestum huc ad Nos quamprimum mitti, quod te etiam facere cogitasse certo scimus. Erit ea res tum ipsi, tum populis iis, quibus regendis præerit, vehementer utilis, Nobis vero gratissima. Sic enim facile poterimus et ipsi Hernesto, et in eo Nobilitati Tuæ eam, quam diximus, paternam nostram erga utrumque charitatem probare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXI. — Eundem Albertum cohortatur, ut pro tam insigni in filium collato beneficio grates non reddat modo, sed et rependat et jura Ecclesiæ, quæ jam sedulo tuebatur, strenius usque defendat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 131. fol. 70.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Quantam Nobis attulerit voluptatem commemoratio tuæ erga Nos atque hanc sanctam Sedem observantiæ et obedientiæ, quam testificatus est, præstititque tuo nomine præsentibus venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Andreas Fabritius Orator Tuus, facile existimabit quisquis amantissimi parentis sensum erga filium optimum novit: hunc enim locum Nobilitas Tua pietate et merito suo et apud Nos tenet, et apud omnes semper Pontifices tenuit: nostræ autem paternæ erga te charitatis indicio erunt ea, quæ tuis postulationibus, quantum quidem potuimus, dedimus: in quibus administrationem Ecclesiæ Hildesemensis Hernesto nato tuo libenter concessimus, quia speramus, ipsius virtutem et tuæ et nostræ spei, atque expectationi facile responsuram, cujus etiam non mediocria extant hoc tempore argumenta. Te vero semper tui similem futurum, semperque Catholicæ Religionis causam, et Christi gloriam, quæ eadem religione tuenda, et pure sancteque conservanda maxime continetur, magnopere cordi habiturum dubitare non possumus; tam certa habemus tuæ pietatis, diligentiæ, vigilantiæ testimonia. Et quamquam his de causis intelligimus, Nobilitatem Tuam nihil nostra cohortatione indigere; tamen pro nostro summo desiderio teneri non possumus, quin rogemus, ut quod facis, omni studio incumbas in causam Christi, curesque sanctam Religionem, quam ille suo sanguine fundavit, inviolatam tuis in locis servari, atque ad alios, quantum fieri poterit, propagari. Illud autem in primis cupimus, et postulamus, ut tua prudentia, auctoritate, opera ad Christi gloriam adjuves negocia ea, de quibus nostrum ad istas partes Nuncium misimus. Cætera a Fabritio tuo accipies, quem multum amamus, et quia Tuæ Nobilitatis observantissimum cognovimus, et quia singularem in eo probitatem, pru-

dentiam, doctrinam perspeximus, summa cum modestia, et religione conjunctam, cui te omnem fidem habiturum non dubitamus. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die IX. Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Alteris litteris eundem monet, ne bona, quæ Ecclesiæ collata et monasteriis tributa fuerant, a profanis hominibus diripi, et mancipio contra jus capi permittat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 170 fol. 99.

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quo perspectiorem habemus pietatem tuam, propensissimamque in omnes bonos voluntatem, summumque eos, qui se Deo dicarunt, tuendi studium, eo libentius hujusmodi homines Nobilitati Tuæ commendamus, inque eo nostro officio et muneri satisfacimus. Accepimus, nonnulla monasteria tuis in locis et temporum iniquitate et pestifera hæreticorum vicinitate summis in difficultatibus, et tum Monachorum, tum eorum, qui eis regendis idonei sint, paucitate versari, unde magna etiam Divini cultus minutio consecuta est, maximam vero harum rerum causam sustinere nonnullos tuos, forte etiam aulicos, qui non verentur ipsorum monasteriorum reditus usurpare liberamque suos præfectos eligendi facultatem Monachis adimere; cum tamen eos omnibus commendatissimos esse oporteat, quorum vigiliis, jejuniis, orationibus Deus placatur, communique rerum statui et prosperitati consulitur. Ea quoniam insciente te fieri non dubitamus, satis esse putamus perscribere. Speramus enim te, in cujus manu remedium situm est, ei malo quamprimum provisurum, Nosque maxima cura, usurpatores illos crimine, Monachos injuria liberaturum, inque eo perpetuam consuetudinem tuam, quæ recta sunt curandi efficiendique retenturum omnemque causam divinæ iræ, quæ his rebus graviter commovetur, amoturum, tuumque nostris justis postulationibus gratificandi studium omnibus probaturum; neque ullum in posterum super hac re scribendi Nobis locum relicturum. Hoc Nobis tua spectatissima virtus, pietas, atque erga Nos observantia prolixe pollicetur. Scripsimus alias Nobilitati Tuæ, quantopere cupimus Salisburgensis synodi decreta servari, id ut per totam ditionem tuam fieri cures, his etiam litteris postulamus; nihil enim magis Nobis cordi est. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Novembris 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXII. — Monasterienses etiam canonici, litteris ad Cardinalem Comensem datis, Gregorium exorari cupiebant, ut Episcopo suo jam ætate confecto pariter ac laboribus, in Episcopatus curis socius et successor eligeretur frater natu minor Cliviensis Ducis, etsi adhuc vix XVIII. ageret ætatis annum; ne si forte supremum diem inopinato Episcopus obiisset, aliquis novitati studens ejus locum magno Ecclesiæ malo subriperet. (*)

(*) Germania Vol. 26 fol. 13.

Illmo et Rmo in Christo Patri et Domino Domino Ptolomeo S.R.E. Cardinali Comensi, Dño Nostro Gratioso.

« Illustrissime et Rme Pater. Quam variis scismaticorum dogmatibus passim Ecclesiæ Catholicæ non modo exerceantur, verum etiam affligantur, et præsertim charissima alumna nostra Germania, jam proh dolor, multis sane religionis et doctrinæ viris cognitum. Et tamen præterquam quod dolore et compatientis quadam zeli contabescant, nihil agunt, nisi quod monendo vix aliquos hactenus ab exitiali animarum suarum præcipitatione prohibuerunt. Quorum exigua cohors tandem in Germania nostra antiquam Ecclesiæ Catholicæ formam sustinet et repræsentat. Si etsi postremis his seculis virulentis hæreticorum dogmatibus non vincantur, sed adminiculo fortissimi præsidii Omnipotentis Dei, suique Spiritus sancti, si non fortiter resistunt, saltem illæsa fide tuentur et conservantur, tamen suasu et instinctu nefandi hujus mundi principis Sathanæ, præteritis aliquot annis misere et truculenter bellis et armorum insultibus direpti lugent mœrentque. Inter quos cum ecclesia nostra Monasteriensis minima neutiquam tamen postrema, primum Catabaptistarum furore fortiter oppressa, quasi palma resurgeret, et Illmi ac Rmi optimi principis Johannis ex Comitibus ab Hoya ope, eruditione, consilio et authoritate, qua apud alios principes polleret, quasi respirare videretur, nuper illinc Belgicis tumultibus iterum afflicta, hinc undique vicinorum non modo infestationibus ac insultis, verum etiam timore eam tandem subjugandis, quasi animo consternata jacet. Cepit itaque Illmus et Rmus princeps prædictus consilium Ecclesiam suam nutantem erigendi, et apud posteros sustentandi, videlicet ut ea qua labesceret ratione, arte quoque æquali fulciretur. Ideo namque ut quæ se vivo incolumis esset, se quoque mortuo neutiquam periret, sed ad gloriam omnipotentis Dei superstes ad posteros rediret. Itaque ad perficiendum ceptum negotium, articulos ad propositum Catholicum negotium aptos confecit, et non authoritate propria. Sed si Sanctissimo Domino nostro Papæ ita visum fuerit expedire (de quo certo confidimus) Coadjutorem deligere constituit, qui sponderet pariter et idonee caveret, eosdem articulos se servaturum. Et quandoquidem Dux Juliæ, Cliviæ et Montis, tum generis claritate, tum potentis conspicuus Imperii princeps, Sacræ Cæsareæ Majestatis et Hispaniarum regis Catholici affinis, diœcesi nostræ conterminus, et in subitis necessitatibus adferendam opem admodum opportunus esset, Cels. suæ filium secundo genitum, Illustrissimum Joannem Guillelmum ex filia Imperatoris Catholici Ferdinandi

natum, Coadjutorem adoptavit, ad quod nos habita diuturna et matura deliberatione sub beneplacito Sedis Apostolicæ consensimus, quemadmodum alias ad Illustrissimam et Rmam Cels. Vestram scripsimus, in quo adhuc ob reipublicæ Diœcesis nostræ necessarium præsidium persistimus. Quandoquidem vero hisce tumultuantibus seculis, tutum non est ecclesias in incerto constitutas et positas esse, et principi nostro Monasteriensis ecclesiæ aliquid humanitus accidere posset, ne tum præsidio deficiente, lupus ovile incautum et imbecille opprimat, piæ memoriæ S. D. N. Pio Quinto supplicavimus, ut sua S. coadoptionem Coadjutoriæ clementer approbare et propediem expedire dignaretur. Itaque cum ad tale negotium expediendum, procuratores in Rom. Cur. constituti sint, et ob infœlicem mortem S. suæ negotium expeditum nondum sit, et de optimi nominis Pontificis in defuncti locum suffectum præclare speremus Illmam et Rmam Cels. Vestram pro eo qua erga ecclesiam Monasteriensem et conservationem Catholicæ fidei animo affecta est, devote supplicamus, ut dignetur hoc pium Catholicum et ecclesiæ nostræ necessarium propositum, tum apud S. D. N., tum universum Cardinalium Collegium promovere et juvare. Hoc nostris precibus et omni obsequio tam erga S. suam Apostolicam, quam Illmam et Rmam Cels. Vestram lubens demerebimur. Cui nos et Ecclesiæ nostræ salutem humiliter commendamus. Datum sub sigillo nostro ad causas 18. Maii anno etc. 73.

Vestræ Illustrissimæ et Rmæ Celsitudinis
Obsequiosissimi
DECANUS ET CAPITULUM ECCLESIÆ
MONASTERIENSIS IN WESTPHALIA.

Pro fratre Dux ipse Cliviensis jam non semel supplex Gregorio de hoc negotio scripserat. (*)

(*) Germania Vol. 26. fol. 84.

Beatissimo ac Sanctissimo Domino Nostro Papæ Gregorio Decimotertio.

Beatissime in Christo Pater, post humilia S. V. pedum oscula.

« Cum ex relatione Internuntii S. V. Rmi D. Jo. Delphini Episcopi Torcellani intelligam S. V. velle, ut ego omnibus iis, quæ in negotio Coadjutoriæ Monasteriensis pro Illmo fratre meo Duce Johanne Guilhelmo inter Rmum Episcopum atque Capitulum et Illmum Dominum Patrem meum acta conventaque sunt, assensum præbeam et ad standum satisfaciendumque conditionibus memet obligem, et articulis subscribam: his meis literis eidem S. V. indicare cupio, me intellexisse Illmi Patris mei voluntatem talem esse, ut S. V. mandato obediam. Quod libentissime, ut in omnibus sum facturus et quamprimum Illmus Pater meus conditionum articulos ad me miserit, et approbare jusserit, eos obedientissime subsignabo et approbabo.

« Interea supplico S. V. ut confirmationis istius expeditionem fratri meo dignetur indulgere, atque ejus ad Urbem profectionem, propter imbecillem ætatem et valetudinem ipsius (quippe quem ego discedens febri quartana involutum reliqui et adhuc recidivum esse intelligo,) ad tempus aliquod suspendere; præsertim cum Illmus Pater meus me nunc temporis magno sumptu suo in aula Cæsareæ M. teneat, et propter vicina Guesiorum bella provinciis suis admodum damnosa, aliasque ob causas maximis impensis gravetur. Nam sibi interea offert curæ fore, ut idem meus frater nihilominus in religione Catholica et honestis bonisque moribus vocationi suæ dignis educetur; seque elaboraturum, ut hac in parte nihil in se desiderari queat. Deus Opt. Max. S. V. suæ Ecclesiæ diu superstitem et incolumem servet, cui me quam humillime commendo. Datæ Viennæ Austriacæ III. Kal. Augusti Anno 1573.

Ejusdem S. V.
Obsequentissimus filius
CAROLUS FRIDERICUS ILL. D. GUILHELMI
DUCIS JULIÆ CLIVIÆ MONTIUM ETC.
Senior filius manu propria.

XXIII. — Paribus rationibus ac Monasterienses, permotus Maximilianus Cæsar Gregorium orabat, ut præcipuam inter Ecclesiæ Magdeburgensis beneficia dignitatem (præposituram vocant) filio Comitis de Mansfeld tribueret. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 48. fol. 81.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Edocti, Præposituram Metropolitanæ Ecclesiæ Magdeburgensis vacare, ac permultum referre existimantes, ne tanti momenti beneficium, alicui minus digno conferatur, compertumque habentes, generosum nostrum et Sacri Imperii fidelem, dilectum Petrum Ernestum Comitem et Dominum in Mansfeldt, Baronem in Holdrungen, Militem ordinis Aurei Velleris, Serenissimique et Catholici Hispaniarum etc. etc. Regis, fratris, patruelis et generi nostri carissimi Consiliarium, ac Locumtenentem et Gubernatorem Ducatus Lucemburgensis, cujus præclara et varia in Rempublicam Christianam extant merita, habere filium præter domestici Luminis splendorem, eximia vitæ et morum honestate probatum, eruditioneque haud vulgari præditum, iis denique animi et fortunæ donis auctum atque conspicuum, ut ad subeundum munus Ecclesiasticum plane idoneus, et hujuscemodi atque adeo ampliore beneficio omnino dignus videatur, cupientesque singularem benignitatem, qua universam Comitum Mansfeldensium familiam, de nobis et divis olim Majoribus et Prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus et Regibus inclytaque nostra Austriæ

Domo, optime promeritam, ob synceram fidem et bene navatam Reipublicæ Christianæ operam, merito complectimur, hac etiam occasione testatam reddere; visum fuit, apud Sanctitatem Vestram hoc loci partes nostras pro eodem clementer interponere. Quo circa Sanctitatem Vestram majore quo possumus studio, enixe admodum rogamus, ut cum præsens rerum et temporum status, non minus auctoritate, quam rerum usu graves, et aliis ad tuendam dignitatem Ecclesiasticam requisitis qualitatibus ornatos sacris muneribus adhiberi flagitet, præfatique Comitis Mansfeldensis filius, præter pium Catholicæ religionis, in qua natus et educatus est, zelum, iis ingenii dotibus polleat, ut haud facile quicquam, quod sustinendæ Ecclesiasticæ functioni atque dignitati congruat, in illo desiderari queat, isque præterea natalium suorum ratione, ea auctoritate fulgeat, ut ipsius opera afflictis Catholicæ Religionis rebus, haud parum præsidii accessurum videatur, dignetur eundem ad memoratam Ecclesiæ Metropolitanæ Magdeburgensis Præposituram præ cæteris paterne admittere. Qua in parte, sicuti Sanctitas Vestra nobis rem adprime gratam præstitura est, ita nos idipsum pro eximio propensæ suæ in nos voluntatis argumento habituri, et mutuis filialis observantiæ studiis, per omnem occasionem compensaturi sumus. Eandem Sanctitatem Vestram, quod reliquum est, pro beneficio Ecclesiæ, quam diutissime superstitem optantes. Datum in civitate nostra Vienna, die 16. mensis Junii, Anno Domini 1573. Regnorum nostrorum Romani xi. Hungarici x. Bohemici vero xxv.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

MAXIMILIANUS.

XXIV. — Iniquitate temporum sæpissime fiebat, ut plures variis undique conquisitis, compositisque rationibus, sacræ militiæ nuntium remittere conarentur. Quod ut facilius obtinerent Principum studia omnibus artibus fraudibusque sibi conciliabant, ut eorum favore consilium hoc nec laude dignum, nec sanctum Pontifici probaretur. Id vero tunc etsi pius agebat Ferdinandus Austriacus Tiroli Comes, Gregoriumque adibat, ut sineret Lucam Roemerum, juvenem generis nobilitate clarum, votis in Theutonica sacra militia nuncupatis solvi, etsi jam Provincialis Commendatoris, ut ajunt, munus assequutum, et iterum laicorum vitam inire. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 21.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Clementissime.

« Humillimam mei commendationem et pedum oscula beatorum. Etsi satis scio, Sanctitatem Vestram non temere, nec sine summa modestia et veneratione præcibus interpellandam esse, tamen singularis illa Sanctitatis Vestræ erga me benignitas paterna facit, ut ea quæ a Sanctitate Vestra honeste ac suadentibus certis et legitimis rationibus petenda incidunt, eo fidentius petam. Quod ad præsens a Sanctitate Vestra obtinere valde cupio, tale est. Ex hac mea Tyrolensi provincia familia Römerorum originem ducit, quæ cum vetustissima generis nobilitate, tum pacis ac belli temporibus multis et egregiis in Rempublicam, Domumque nostram Austriacam meritis clara est. Hinc adeo Nobilis Lucas Römer Liber Baro in Maretsh et Maynburg Militiæ Ordinis Teuthonici Baliæ ad Athesim Commendator Provincialis, nec non meus Consiliarius et Athesinæ Provinciæ meæ Capitaneus, propriisque majorum suorum virtutibus et meritis clarior, non solum apud me, sed etiam apud Sacram Cæsaream Majestatem Dominum et fratrem meum observandissimum in præcipua quadam gratia et authoritate existit. Hujus autem fratribus nonnullis (ut varia est, et plane instabilis rerum humanarum conditio) a tempore haud ita longo ex humanis sublatis, nullus jam alius qui hanc familiam conservare et propagare velit et deberet superest, quam unicus adolescentulus, sed valetudine et constitutione corporis ita afflicta, ut nulla ex eo soboles speranda, et sic in ipso Luca omnis generis sui ad posteritatem propagandi spes sita sit. Is ergo consanguineis suis assidue ita suadentibus et hortantibus, et proprio familiæ suæ ab interitu vindicandæ desiderio nec inhonesto sane aut illaudabili permotus, legitimi matrimonii vinculum subire constituit. Nec aliter tamen ipse pro sua erga Sanctitatem Vestram, sanctamque illam Sedem Apostolicam addictissima observantia et devotione hoc desiderat, quam clementer consentiente et dispensante Sanctitate Vestra. Ego quidem si illum aliqua levitate duci, nec causas satis legitimas subesse viderem, præces meas nequaquam pro eo apud Sanctitatem Vestram interponerem. Sed in tali casu ipsius institutum ne familia tam antiqua, tamque nobilis et benemerita plane intereat, non possum non probare, et Sanctitati Vestræ quam commendatissimum reddere, idque eo magis, quod ipsum hactenus nullum Religionis suæ votum solemne fecisse constet, et præterea paratus sit, si ita opus videatur, etiam ab ordinis sui Magno Magistro absolutionem impetrare. Rogo igitur Sanctitatem Vestram omni filiali observantia, ut hujus præclaræ familiæ alioquin intermoriture benignam et paternam rationem habere, atque adeo dispensationem hanc, etiam mea causa eo facilius concedere dignetur. Id uti rem paterna Sanctitatis Vestræ benignitate plane dignam et mihi longe gratissimam omnibus filialis observantiæ obsequiis de Sanctitate Vestra nunquam non promereri studebo. Quam Sanctitatem Vestram ut quam diutissime fœlicem ac incolumem Ecclesiæ gubernaculis assidere opto, ita eidem optime commendatus esse perhumili-

ter cupio. Datæ Oeniponte vigesima nona die mensis Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo tertio.

Vestræ Sanctitatis

Obendiens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

XXV. — Principum quoque studiis inviti exhorrescebant, qui in ipsa Ecclesiæ societate præstantiora munia, et opulentiora beneficia adfectabant. Ita Carolus Austriacus Tirolensis et ipse Comes apud Gregorium intercedit, ut Patavini Theutonicorum cœnobii bona (commendam vocant), quæ societatis Jesu patribus concessa fuerant, Philippus Altensteinius ejusdem Theutonicæ militiæ eques reciperet. (*)

(*) Germania Vol. 26. fol. 18.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe Colendissime.

«Post officiosissimam meam commendationem filialis observantiæ perpetuum incrementum. Ea est Sanctitatis Vestræ erga me benignitas, is meus erga illam singularis animi cultus et observantia, ut in certissimam spem veniam, fore, ut humiles meæ preces facilem apud eam locum inveniant, præsertim cum a justitia et equitate minime abhorrere videantur. Militia Equitum Theutonicorum in Germania habet Patavii domum sive Commendam sub titulo Beatæ Mariæ fratrum Alemanorum, quam ordo ipse per suos ministros atque Equites Germanos continue usque ad id tempus possedit. Quo inter Divum Maximilianum Rom. Imp. Aug. mem. Dominum ac Proavum nostrum colendissimum atque inter Illustrissimum Dominium Venetum gravissimo bello exorto, Philippus Attenstainius ejus ordinis Eques, atque ultimus illius domus possessor ex ejus Commendæ possessione dejectus fuit, atque in ejus locum Andreas Lippomanus patritius Venetus intrusus, qui paulo post a felicissimæ recordationis Clemente VII. Sanctitatis Vestræ prædecessore ea de re Bullam quandam obtinuit, per quam dicta domus cum universis ejus redditibus eidem Lippomano collata est, non sine gravi prædicti Ordinis Theutonici injuria, qui tam insigni Ecclesia sine sua culpa ad hanc usque diem spoliatus remansit, quo facto profecto universum hunc ordinem eo gravius affecisse debuit, quo minus ille dignus cui tanta injuria fieret, cujus omni quidem tempore in Sanctam hanc Sedem, et veterem ac catholicam religionem nostram egregia ac singularia merita extiterunt. Jam vero etsi Divus olim Ferdinandus sempiternæ memoriæ Imp. Cæs. Aug. Dominus ac Parens meus colendissimus in ea tractatione, quæ anno 1533. Tridenti de restitutionibus rerum ultro citroque occupatarum cum eodem Illustrissimo Dominio Veneto suscepta est, hujus Commendæ Paduanæ restitutionem sedulo petiisset, nihilominus tamen fuit ea restitutio per Commissarios in aliud tempus rejecta, post mortem vero ejusdem Divi Parentis mei, cum eadem tractatio inter me et præfatum Dominium renovata esset, missis utriusque in Forojulium Commissariis, qui inter cæteras hanc quoque difficultatem tollerent, evenit, ut Illustrissima illa Respublica proximo bello Turcico occupata congressum illum dissolverit, neque quicquam ea de re confici potuerit. Ab eo tempore Rev. ac Illustris Magnus illius ordinis Magister semper fuit in expectatione præfatæ restitutionis, quam non modo apud Sac. Cæsaream Majestatem Dominum ac fratrem meum observantissimum, verum etiam apud me diligente studio urgere non destitit: sed erat tamen id totum in Senatus Veneti voluntate positum, in cujus dominio domus illa sita est; nam de Sanctitatis Vestræ benigno animo nunquam quicquam dubitavi, utpote quæ optime intelligit Ecclesiam illam præter omne juris et æquitatis meritum dicto ordini ademptam esse. Cum igitur compertum habeam Illustrissimam Rempublicam Venetam a Sanctitatis Vestræ mente ac voluntate non discessuram, atque intelligam fœlicis recordationis Pium Quintum Sanctitatis Vestræ prædecessorem in eam restitutionem jam consensisse, sed rem tum executioni demandatam non fuisse: suppliciter Sanctitatem Vestram rogo, ut posteaquam omnes illæ difficultates, quæ hactenus hujus negotii exitum retardare videbantur, sublatæ sunt, mandare dignetur hanc Commendam cum omnibus ejus juribus prædicto ordini citra longiorem moram restituendam esse. Nam cum altera ejusdem Religionis Commenda ad Brissenicum in Foro Julio sita, quam Lippomanus una cum hac Paduana a Sanctitatis Vestræ prædecessore subreptitie obtinuerat, jam diu restituta sit, omnis equitas postulat, ut et hæc, quæ eodem tempore occupata extitit, ad prædictum ordinem revertatur. Cum utrobique eadem et spolii et restitutionis ratio subsit, ut autem idem Senatus Venetus eo libentius Sanctitatis Vestræ voluntati acquiescat, pollicetur idem Magnus Magister hanc ipsam domum Paduanam Petro Lippomano præfati Andreæ Nepoti patritio Veneto tradere et commendare, ita tamen, ut ab ordine Theutonico semper dependeat. Quod si Sanctitas Vestra (ut spero) hisce meis humilibus precibus locum fecerit, existimabo me ab ejus benignitate et clementia tam singulari affectum beneficio, uti jam nunc profitear hujus me rei gratiam filialis observantiæ meæ studiis atque omni genere obsequii promereri conaturum. Cui Sanctitati Vestræ ego me humillime dedo et commendo. Datæ in mea Civitate Grätz, ultima Septembris Anno MDLXXIII.

E. S. V.

Obsequentissimus filius
CAROLUS DEI GRATIA ARCHIDUX AUSTRIÆ
DUX BURGUNDIÆ COMES TYROLIS ETC.
CAROLUS.

Eademque effusissime totius Theutonicorum militiæ Magister a Gregorio poscebat. [*]

« Beatissime ac Sanctissime in Christo Pater. Post humillima beatorum pedum oscula et debitam obedientiam, clementissime Domine. Nisi mihi S. V. paterna et singularis erga Equestrem militiam fratrum Theutonicorum Marianorum meæ curæ commissam benignitas ac clementia explorata esset cognita, pluribus verbis nunc ob ea supplex contenderem, ut ejusdem militiæ statum et dignitatem salvam esse vellet. Verum quia omnes intelligunt, quo animo et voluntate S. V. (quæ profusa est illius in universam Religionem Christianam charitas) erga hunc ordinem affecta sit, non existimo multis mihi agendum esse, præsertim cum negocium hoc, cujus causa hæc a me scriptio suscepta est, æquitate et justitia maxime nitatur. Existimo igitur S. V. esse cognitum, quemadmodum anno circiter xxxi. gravi bello inter divum Rom. Imp. Maximilianum fœliciss. mem. et Illmum Venetorum Dominium exorto, Ordo hic Theutonicus Domo et Commenda Beatæ Magdalenæ civitatis Paduæ, nullo ipsius merito spoliatus sit, eaque Andreæ Lippomano Patricio Veneto tradita fuerit, ejecto Philippo Altenstainio ejusdem Ordinis Equite ultimo et legitimo ejus Commendæ possessore. Qui Lippomanus ita intrusus curavit ope et authoritate Excellmi ejus Senatus, ut a S. V. prædecessore Clemente Septimo de ea commenda investiretur. Qua in re nulli est dubium, quin Ordo hic insigni injuria affectus sit, tametsi et illud mihi est compertissimum, non eam fuisse S. V. prædecessoris mentem, ut hujus militiæ jura et libertates, quas ex summorum Pon. et Rom. Cæs. liberalitate agnoscit, illo modo convelleret aut labefactaret, sed eam concessionem iniquitate temporum exortam potius quam impetratam a Lippomano fuisse: successit postea id tempus quo ejus commendæ restitutio a Divo olim Cæs. Ferdinando Rom. Imp. Aug. sempiternæ memoriæ in conventu Tridentino, cum dicto Dominio habito, per ejus commissarios diligenter petita fuit. Quæ tamen a reliquis causis segregata, inter res innovatas fuit rejecta. Idem fuit quoque superioribus annis Serenmi Principis D. Caroli Archiducis Austriæ in promovendo hoc negocio studium missis in Forojulium Commissariis suis, qui inter cætera de hujus quoque Commendæ redintegratione cum Venetis Commissariis agerent. Verum cum ea Respub. (ut accepi) bello Cyprio distineretur, factum est, ut ea tractatio absque fructu exierit. Jam vero quia Invictiss. Rom. Imperator Maximilianus Secundus Dñus meus clementissimus pro ingenita Majest. suæ Cæsareæ erga me et universum hunc Ordinem benignitate, eandem curam et cogitationem clementer suscipere voluit, atque hoc negotium per Oratores suos eo jam redegit, ut præfatæ Domus restitutio, non tam in Senatus Veneti voluntate, quam in S. V. arbitrio posita sit, in certissimam spem adducor, fore, ut sæpedicta Commenda S. V. pietate ac beneficio, jam tandem ad Ordinem ipsum, unde divulsa est, citra ullam difficultatem redeat. Etsi enim (ut audio) Lippomanus ipse eam cum omnibus redditibus societati Jesuitarum absque ullo hujus Religionis consensu cesserit ac renunciaverit, ut ejus commendæ titulus plane aboleretur, domusque illa ab Ordine Theutonico divulsa abalienaretur; non tamen existimo, eam rem mihi ac prædicto Ordini fraudi cessuram, cum si a jure discessum est, omnia minus rite ac legitime gesta haberi debeant. Neque nostri hic præclara hujus Ordinis in Remp. Christianam merita cum aliorum meritis in discrimen et comparationem vocanda sunt, quandoquidem S. V. exploratum esse potest. Militiam hanc Theutonicam Marianam omni quidem tempore suæ in S. V. beatamque istam Sedem pietatis ac observantiæ eo certiora documenta edidisse, quo gravioribus periculis ea fuerunt cognita. Ut interim prætercam eas causas, quæ fortasse S. V. animum movere possunt, ne hoc veteris et catholicæ Religionis vestigium quod inter tot præsentium temporum difficultates, utcumque adhuc est integrum, plane abolendum esse censeat. Quapropter supplex ad S. V. venio, ab eaque humillime peto, ut posteaquam res in eum locum redacta est, ut ex benigna S. V. manu tota pendeat, dignetur pro paterna sua et singulari erga me et hunc Ordinem clementia, proque nostro vicissim erga eam cultu et veneratione, quæ jam ad summum crevit, decernere et mandare, hanc domum, quæ tot jam seculis penes Theutonicam militiam fuit, citra longiorem moram Ordini ipsi cum omnibus ejus juribus et proventibus restituendam esse, amotis cujuslibet detentoribus. Nam quod ad Illmum Senatum Venetum attinet, ne locus ullus querelæ reliquus esse possit; assentior ergo in ejus gratiam, ut ea commenda per me conferatur Petro Lippomano Andreæ Lippomani Nepoti, ita ut illam ab hoc Ordine acceptam recognoscat, quo ipsius Ordinis authoritas salva et integra sit. Quam rem spero vel potius plane confido, me a S. V. non laboriose consequuturum, cujus clementiæ me ipsum, atque universum Ordinem meum magnopere commendatum esse cupio. Deum precatus ut S. V. ea fœlicitate conservet, quam præclara ista sua in Deum et Remp. Christianam pietate est promerita. De reliquo me Ordinemque meum quam humillime illi commendo, votivum responsum ab ea expectans. Datæ in Oppido nostro Mergentheim sexta Augusti Anno 1573. Ejusdem S. V.

Obseqmus et deditissimus

Henricus Generalis Militiæ Hiero-

[*] Germania Vol. 26. fol. 34.

SOLIMITANÆ ORDINIS BEATÆ MARIÆ THEUTONICORUM IN PRUSSIA ADMINISTRATOR AC EJUSDEM PER GERMANIAM ET ITALIAM PARTESQUE TRANSMARINAS MAGISTER.

At Gregorius eidem Magistro reponit, se ad examen rem mature revocaturum, et si jura sinerent, ejus se votis obsecundaturum promittit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 168. fol. 97.

Dilecto Filio Nobili Viro Henrico Theutonicorum Militiæ Magistro.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Incredibilem Nobis voluptatem attulerunt literæ dilecti filii Gasparis Gropperii Nuncii nostri, in quibus scribit, se cum istac iter faceret, honorifice a tua Nobilitate acceptum fuisse, summamque in te pietatem atque erga Nos et sanctam hanc Sedem observantiam perspexisse. Itaque te ut charissimum filium cogitatione atque animo amplexi sumus, tuamque istam virtutem Deo commendavimus, utque ipse ejus largitor atque auctor eam in dies magis magisque confirmare, atque amplificare dignetur, oravimus. Nihil autem est, quod tuam virtutem, Christique istam, cui praees, militiam deceat magis, quodque Deo gratius esse possit, et in quo majore tua cum laude et apud Deum mercede, Christi gloria, populorum istorum fructu et salute versari valeas, quam si operam des, ut Catholicam Religionem quam commendatissimam habeas, curesque quantum in te sit, eam istic pure sancteque coli, ejusque hostes, atque animarum Christi sanguine redemptarum interfectores, summique ejus operis eversores a tuis ut pestem certissimam vitari, atque arceri: quod quidem te pro tua pietate, quam etiam in tuis literis perspeximus, et cupere et agere non dubitamus, ac si quis nostræ cohortationi locus relinquitur, ut id quam maxime facias per ea omnia, quæ in hoc tam gravi negocio versari diximus, rogamus. De Commenda Patavina, de qua ad Nos scribis, cupimus tuæ Nobilitati, quantum possumus, satisfacere, idque Nos debere agnoscimus; sed tantum facere posse intelligimus, quantum jus postulat. Quoniam igitur eam possederunt Jesuitæ per annos, ut accepimus, plus minus triginta, idque ex auctoritate et literis Apostolicis, non possumus eam illis adimere, nec quidquam decernere ipsis inauditis, qui si ad Nos vocati fuerint, non deerimus causa cognita quidquid jus æquumque esse intelligemus, efficere, nostramque paternam erga te atque universum istum ordinem voluntatem quibuscumque rebus poterimus, declarabimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimaquinta Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXVI. — Qui vero Episcopi jam adlecti minus servandis gregibus advigilare videbantur suaviter simul et fortiter increpare non prætermittit. Exempli loco habeantur, quæ Bambergensi Episcopo scribit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An II epist 101. f. 100.

Venerabili Fratri Episcopo Bambergensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Has ad fraternitatem tuam litteras exprimit a Nobis charitas Christi, qua tum catholicos omnes, tum vero eorum Pastores diligimus. Gaudemus, vetera quædam in te abiisse, quæ Nos a scribendo hactenus retardarunt, teque illa, ut accepimus, dolere ac detestari; sic agere oportet, charissime frater, commissa dolere et dolenda amplius non committere: ac sic cogitare nequaquam pari jactura offendere privatos, atque eos, qui præsunt: illos enim suo tantum malo et pernicie peccare: Nos vero, qui in oculis omnium sumus, quosque alii sibi statuunt normam ac regulam agendorum fugiendorumque, ut bono exemplo aliis præsumus, sic eos malo perdimus; quo quidem nihil potest esse a Pastoris nomine et munere alienius. Vocat Nos Dominus Noster sal terræ et lucem mundi; quid autem absurdius ac monstro similius, quam si sal putrescat aut lux tenebras offundat? Hæc ut te per Christi gratiam cognoscere, sic libenter in his litteris legere speramus. Expectamus de tua fraternitate in dies majora ac lectiora, quo nomine tibi offerimus omnia, quæcunque potest frater optimus sibi polliceri a fratre amantissimo; hæcque eo tibi a Nobis erunt paratiora, quo majus inter Nos vinculum intercedit: scimus enim Ecclesiam tuam esse Romano Pontifici, atque huic sanctæ Sedi immediate subjectam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. Decembris 1573. Pontificatus Nostris anno secundo.

XXVII. — Apud illos vero etiam acrius instat, quorum Diœceses vel hæreticis hominibus redundabant, vel circumcirca populis in hæresim prolapsis præcingebantur. Ejusmodi erant Ruremondensis, Trajectina, Daventriensis, Monasteriensis atque aliæ per Belgas et Batavos. Monet igitur Episcopos, ne officio desint, et præsertim ut Diœceses perlustrare, et singulas earum partes invisere non prætermittant. En ejus de re hac litteras ad Leodiensem Episcopum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 47. fol. 19.

Venerabili Fratri Episcopo Leodiensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quantam esse oporteat Christi gregis Pastorum vigilantiam, et te pro tua prudentia facile intelligere non dubitamus, et ipsi tecum libentissime recognoscimus, tantam nimirum esse oportet, quantam par est adhiberi in re gravissima, et Deo acceptissima, ipsorumque pastorum curæ, et solicitudini ab eo commendatissima. Nam cum tanta sit nobilitas animarum nostrarum, ut præstet cætera omnia rationis expertia, quam unam animam interire; cum-

que æternum verbum Dei Patris, idemque ipse Deus tanti eas æstimaverit, ut homo factus, quo eas ab interitu vindicaret, morti sese acerbissimæ addixerit: constat Dei ipsius in creatione bonitate, in æstimatione charitate, in redemptione precio magnum quiddam esse animas nostras. Harum curam, quam Sancti Patres his ipsis, quibus diximus, nominibus ponderantes, affirmant posse etiam Angelorum humeris videri gravissimam, non ante commisit Petro idem Dominus Noster, quam singularem quendam ab eo erga se amorem exprimeret; ut scilicet ipsi, cæterique intelligerent, in pascendis ovibus Christi, eximiam se erga eum charitatem profiteri. Fieri autem nullo pacto potest, ut quisquam recte pascat, nisi commissas sibi oves cognitas habeat, intelligatque quibus pascuis, salubribusne, an noxiis utantur, numquid illis sive a lupis, sive a latronibus periculi sit; qua incedant, quæ ex eis sint sanæ, quæ tabe correptæ; nisi denique pastor semper sit in speculis, unde etiam Episcopus nominatur, nunquam poterit recte, atque ut oportet, pascere. Hinc fit, ut omnibus Episcopis pernecessaria visitatio sit, quia eorum munus sine ea constare nulla ratione potest. Hæc cura eo gravius suscipienda est Fraternitati Tuæ, quo propter tam multos, tamque vicinus, atque intestinos hæreticos propius a lupis absunt oves tuæ, quo enim alio congruentiore hoc in loco hæreticos nomine appellemus? quos etiam Sancti Patres vocant latrones, lamias, diaboli filios, figmenta diaboli, antichristos. Vigilat eorum pater diabolus et tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, utiturque eorum opera; dormitabimus ergo ipsi? immo vero vigilabimus, et eo quidem attentius, quo et pro nobis ipsis, et pro iis, qui nostræ curæ, et fidei commissi sunt, vigilare debemus, neque pati eos de fidei sinceritate dejici, aut pravis moribus corrumpi. Oportet igitur, diligentiam tuam per omnes tuæ diœcesis partes intentam esse, difficultatesque omnes superare, quæcunque videntur visitationi, et morum tum apud cæteros, tum quod perniciosissimum est, apud clericos depravatorum emendationi, sinceræque religionis cultui obsistere. Præsertim vero judicamus, ea diœcesis tuæ loca a te visitanda esse, quæ Cliviæ Duci subjecta sunt. Neque vero dubitamus, quin præclare intelligas, quantæ curæ hæc visitatio semper fuerit sanctis Patribus, quam multis eam œcumenicis Conciliis inculcarint, quam sapienter decreverint, quid oporteat Episcopos maxime curare in visitando, ut ædes sacræ, sartæ, tectæ, integræque sint, ut de præsbyteris diligenter inquirant, quibus moribus, qua doctrina sint, qua Sacramentorum administrandorum peritia, ut populum doceant, homicidia, adulteria, perjuria, cæteraque lethifera crimina vitare, hæreticorum consuetudinem, tamquam pestem perniciosissimam fugere, et correptos ad se deferre. Hæc, aliaque de visitatione a sanctis Patribus divinitus sancita, ut te præclare tenere non dubitamus, sic libenter executurum esse confidimus, proque nostro munere, ut id facias, monemus. De his, deque aliis cum tua fraternitate coram aget, si adesse poterit, sin minus perscribet nostro jussu dilectus filius Gaspar Gropperius noster, nostrique Palatii Apostolici causarum auditor, vir summa fide, integritate, religione, atque omni virtute præditus. Ejus verbis, ac literis eandem, quam nostris, fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Eidem mox imparavit, ut leges a Patribus Tridentinæ Synodi consultas in sua Diœcesi publici juris esse quam primum curet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 107.

Venerabili Fratri Episcopo Leodiensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Miramur jamdio factum non esse id, quod quamprimum fieri oportuit, hoc est Sacrosanctum Concilium Tridentinum tot annos in tua diœcesi nunquam promulgatum fuisse; neque in re tam perspicua, tamque utili atque adeo necessaria, et muneris Episcopalis propria monitore aut hortatore opus esse existimabamus. Quorsum enim fiunt Concilia, nisi ut quæ in eis decreta fuerint serventur? Quid autem hujus Concilii decretis salutarius? Quid porro pastorali officio congruentius, quam quæ maxime salutaria sunt proponere, suadere proque imperio observare facere? Necesse est aliquid obstitisse quominus id faceres, (neque enim de tua optima voluntate dubitamus) sed nihil apud te gravius esse debuit tuo munere, atque ea quam diximus Christi ovium tibi commissarum salute. Dolemus igitur atque Apostolica aoctoritate præcipimus, ut quam primum cures Concilium hoc in ista tua diœcesi promulgari, perpetuoque atque inviolate servari. Si quid gravius acciderit, quam ut potes posse te tua auctoritate obsistere certiores nos facito. Dimica fortiter, ut semper hactenus fecisti pro catholica religione, et pace publica; majoremque indies a Deo gratiam, ab omnibus bonis laudem inire contende; nostrasque has literas ab ea, qua perpetuo angimur, et in cujus partem ipse vocatus es de animarum salute solicitudine profectas esse existima. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XVI. Aprilis 1573. Pontificatus nostri anno primo.

XXVIII. — Leovardensium Episcopus, qui nulli pepercerat labori, ut diœcesis suæ res in meliorem formam reducerentur, et quidquid iniquitate temporum labefactatum fuerat, sarciretur a Cardinali Comensi Pontificis nomine pro merito collaudatur. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol 28. epistola 28.

Venerabili Fratri Episcopo Leovardiensi.

« Multum Reverende Domine tamquam fra-

ter. Sanctissimus Dominus Noster eum literas tuas die xxiii. Maji scriptas legisset ad eas ut ipsius nomine ita rescriberem mihi injunxit, Beatitudini Suæ valde gratum fuisse ex eisdem tuis literis cognoscere, te, clerum ac populum tuum, quamquam multis variisque calamitatibus propter hæreticorum insultus afflicti fueritis, in recta tamen fide et obedientia permansisse et permanere. Sperat autem Sua Sanctitas res istarum partium posthac multo meliore loco futuras, eum præsertim proxime huc allatum sit prospere a nostris pugnatum et oppidum Arlemium receptum fuisse. Quare bono animo esse debetis, minime dubitantes, vobis catholicam fidem pie colentibus divinum in primis et regium auxilium affuturum. Concubinatum et alia quæ in civitate et diœcesi sunt zizania omni cura et studio, sicut facis, evellere conaberis. De pueris autem, quos per electionem assumi ad beneficia simplicia scribis, providendum est, ut si qui eorum apti sint ad recitandum Breviarium Romanum id omnino recitent, sicut tenentur, et ubique servatur, vel saltem quoad in puerili ætate fuerint, horas gloriosissimæ Virginis matris Dei recitare ne omittant. In posterum autem si vere populus eligendi jus habet, admonendus abs te erit, ut ejusmodi personas eligere studeas, quæ ætate et cæteris qualitatibus idoneæ sint, quibusque sacri canones et concilium Tridentinum non obstent. Tibi vero, tuæque Ecclesiæ, quotiescumque digna occasio oblata fuerit, Sua Sanctitas et gratificari et favere, pro sua erga te, populosque fidei tuæ commissos charitate maxime cupit. Dominationi Tuæ bonam valetudinem et omnia prospera contingere opto. Romæ die viii. Augusti MDLXXIII.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

XXIX. — Daventriensis Præsul monitu et suasionibus Gregorii expergefactus Pontificem orat, ut sibi Romam venire liceat coram de Diœcesis suæ rebus acturo, et miserrimam earum conditionem apud Pontificem patefacturo. [*]

[*] Germania Vol 26. fol. 68.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Dño D. Gregorio Divina Providentia Papæ Decimo Tertio Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici.

Sanctissime Pater.

« Obedientiam et Reverentiam eum osculo pedum. Recepimus Sñum Breve S. V. de data tertio nonas Junii anni 73. transmissum nobis Colonia a S. V. nuncio et Capellano R. D. Gasparo Gropperio. Agimus immensas gratias de piissima et vere paterna Vestra admonitione, in qua tam serio nostri admonemur officii, dabimus divina adjuvante gratia, ut satisfaciamus tam piis monitis et sanctis votis respondeamus. Certe dici non potest, quantum grex noster undequaque luporum agminibus circumseptus, et inter illos assidue versatus acceperit detrimenti et incommodi. Nam anno preterito omnia nostræ Diœcesis loca (Daventria tantummoda excepta) ab hereticis rebellibus occupata fuere, sacræ Dei ædes pollutæ, altaria profanata, vasa sacra et ornamenta direpta, divinus cultus explosus, ubique sevientibus pauperculæ oves disceptæ, dispersæ fugatæ. Jam vero adhuc sevientibus bellis, ubique grassantibus et itinera occupantibus hereticis crudelibus, vix tutus nobis patet egressus. Nihilominus prestabimus quod in nobis erit. Difficultates vero nostras latius V.S. explicabimus Nuncio. Cuperemus admodum hanc benedictionem a V. S. impetrare, quo liceret coram V. Sanctitati explicare, utraque benedictione perfrui, si placeret nos evocare, putaremus non modicum prodesse, nedum nostræ Ecclesiæ, sed toti nostræ Belgicæ regioni, quæ de fide Catholica retinenda periclitatur plurimum, nisi opportune adhibeatur remedium. Dominus Jesus Altissimus Princeps Pastorum S. V. diu Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ incolumem conservet. Ex Daventria decimo quinto Kal. Decembris Anno MDLXXIII.

Sanctitatis V. humilis Servus

Fr. Egidius De Monte Ep. Daventriensis.

XXX. — Cum per id temporis Catholici incolæ oppidi Weillensis in Ducatu Würtembergensi multis obnoxii vexationibus haberentur, sui officii ratus est Gregorius eorum animos confirmare. Vix igitur id rescivit, eo legavit Joannem quemdam ejus oppidi civem, qui eos adhortaretur, et inflammaret, ut in Catholici nominis professione firmiter et perpetuo perseverarent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 101. fol. 92.

Dilectis Filiis Senatui Weillensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Nulla neque major, neque Nobis optatior, neque vobis pro vestra singulari pietate gratior scribendi facultas Nobis dari poterat ea, quam hoc tempore oblatam cupidissime arripimus. Siquidem nullum negocium potest esse majus animarum salute, pro qua verbum æternum mortalem hanc nostram naturam induere, seque Patri hostiam in ara Crucis offerre voluit, nec quidquam est, quod ut Nos pro nostro munere magis curare debeamus, sic quod libentius amplectamur, quodque vos quorum populorum causa paterne angimur, a Nobis gratius ac fructuosius accipere possitis: qui ut pie vivitis, et Catholicam fidem toto pectore colitis, et tuemini, sic ejus hostes et vitæ ac morum sanctitatis corruptores acerbissime odistis, Christique gloriam quam maxime conservari, et propagari cupitis. Mittimus igitur istuc Doctorem Joannem civem vestrum, virum, ut ipsi optime nostis, summa probitate, doctrina, pietate præditum, ut ea curet, quæ istis populis utilitati, ac saluti sint, Deo laudi atque honori, quæ qualia sint, fusius ex ipso cognoscetis, ei omnem ut fidem tribuatis, piasque ejus actiones et pater-

nam nostram voluntatem vestra quoque ope adjuvetis, magnamque a Nobis, a bonis omnibus gratiam, ab ipso autem Deo tum gratiam, tum mercedem ineatis rogamus per eundem ipsum Christum, cujus charitas Nos de vestris populis, deque ejus gloria solicitos fecit. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XV. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Episcopum Spirensem cujus sacris juribus oppidum illud suberat, jubet Joanni præsto esse, eumque et opera et consilio juvare. (*)

(*) Reg Gregorii XIII. An. II. epist. 162. f. 93.

Venerabili Fratri Episcopo Spirensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Nihil oportet Nobis magis cordi esse, quam quæ Christi sunt; ejus autem summum opus est salus animarum, quod quidem fraternitatem tuam et intelligere et curare confidimus; ipsi autem ut præstemus, quantum possumus, laboramus: et quidem per Nos ipsos pauca admodum possumus: sine divina autem ope nihil plane neque per Nos, neque per alios possumus: itaque et piorum apud Deum precibus et apud homines opera indigemus. Quoniam igitur scimus, Catholicam fidem, extra quam salus nulla esse potest, vehementer laborare in loco illo, qui vulgo appellatur Weil, decrevimus eo mittere Doctorem Joannem ejusdem loci hominem, eaque de causa populo illi, ut speramus, acceptum, insigni certe probitate, doctrina, pietate præditum. Hoc tuam fraternitatem scire volumus, ut ipsius Doctoris piis laboribus nostræque voluntati in re tam gravi et necessaria adjumento sis, quod quidem te pro tua pietate facturum esse non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XV. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXXI. — Quæ Hussitarum reliquiæ in Bohemia adhuc supererant, jam sacerdotibus deficere incœperunt. Vetitum quippe a Pio Pontifice fuerat, ne quis illis novus presbyter institueretur. At Maximilianus Cæsar e re Catholica fore existimabat, si ejusmodi interdicto sublato, aliquot ex illorum Clericis Episcopus Pragensis in sacerdotes cooptaret. Hanc proinde veniam a Pontifice deposcebat. (*)

(*) Germania Vol. 20. fol. 7.

« Beatissime in Christo Pater, et Domine Reverendissime, post commendationem filialis observantiæ continuum incrementum Sanctitati V. imprimis optamus. Admoniti crebris humilibus et ardentibus subditorum nostrorum in Regno Bohemiæ, qui patrio ritu et ex Indulgentia in Concilio Basiliensi olim sibi concessa, communione Sacræ Synaxeos, sub utraque specie utuntur, precibus. Quando quidem ex defectu legitime ordinatorum Sacerdotum, non tantum divinus cultus in primariis plerisque templis negligatur, sed multi scismatici, hæretici, uxorati, ac inordinati vel a non ordinatis consecrati sacerdotes in religionis Catholicæ scandalum ex finitima Germania in deficentium loca advocentur, substituantur: infantes sine baptismo, adulti vero absque confessione, et sacramentorum provisione e vita discedant, ut Rev. fideli nobis dilecto Anthonio Archiepiscopo Pragensi ejusdem religionis clericis sacros ordines, dispensatione speciali et legitima intercedente, conferre liceret. Atque permulti hominum pertinacia, qui de patria et avita, a tenerisque imbibita religione non recedent, cujus gratia Prædecessores Sanctitatis Vestræ Summi Pontifices vacante Sede Archiepiscopali Reverendissimis Patriarchis Aquilegensibus a multis annis ejusdem religionis clericis prædictos ordines in nostra usque tempora conferendos indulsisse intelleximus. Intercessimus pio religionis zelo ae ut majores inde emergentes motus præveniremus apud Summum Pontificem felicis recordationis Pium Quintum anno superiori gratiosissime, proponentes Sanctitati ejus, eum in supradicto Regno nostro Bohemiæ religionis statum esse, ut nisi brevi de opportuno aliquo remedio, illi prospiciatur, timendum ne de ea, sed et de reliquiis religionis Catholicæ invaliscentibus tot, tantisque de die in diem novis usque valde nocivis hæresibus intra breve tempus actum videri poterit. Huic malo autem opportunissimum remedium et anthidotum ad disturbandas easdem passim pullulantes hæreses fore sperabamus, si hominibus supradictis, sub utraque specie communicantibus qui alioquin omnes cæremonias et ritus catholicos observant, ae non raro ad gremium matris Ecclesiæ revertuntur, quod de non ordinandis clericis eorum partis interdictum statuerat paterna relaxione remitteret. Verum cum Sanctitas ejus postulatis nostris nimis cunctanter, antequam morte indigna præriperetur, annuisset, visum est nobis S. V. maturæ et paternæ deliberationi subjiciendum, utrum ad promovendam Sanctam Catholicam religionem et continendos sæpenominatæ religionis sectatores in officio et observantis S. V. magis salutare? Strictum ne interdictum remittere, an vero tam varias et pestilentes sectas, indies magis magisque sese dilatantes cum multarum animarum jactura in prædictum Regnum Bohemiæ ultro invehendas ansam præberi. A S. itaque V. omni filiali observantia etiam atque etiam petendum, ut paterne consideratis omnibus inde provenientibus malis, quæ vitari sine ingenti turba ne dum declinari possunt, quod a Prædecessore S. Vestræ filiali adfectu requisivimus, a S. V. etiamnum desideramus super ordinatione clericorum sub utraque promulgatum interdictum ex suprapropositis evidentibus arduis causis relaxare, ac supra notato Archiepiscopo Pragensi eosdem antiquitus recepto et usitato more ordinandos indulgere, ac committere dignetur. Quam quidem paternam et laudandam

Sanctitatis Vestræ voluntatem nostra in eam filiali reverentia promerendam observanter offerimus; Eidemque nos obsequiose commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriæ decima die Aprilis. Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo tertio. Regnorum nostrorum Romani undecimo, Hungariæ decimo, Bohemiæ vigesimo quinto.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius
MAXIMILIANUS.

Gregorius rem multa consultatione perpendendam reponit, miratus profecto Cæsaris etsi pientissimi viri postulationem, et se nihil in tam gravi negotio nisi prius explorata Pragensis Episcopi sententia acturum respondet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 67 fol. 31.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus literas Majestatis Tuæ de Sacris Ordinibus nostro permissu conferendis a venerabili fratre Archiepiscopo Pragensi Bohemis iis, qui sectam a Catholica Religione aversam sequuntur, quas literas non dubitamus, profectas esse a singulari prudentia, atque optima voluntate; eam enim in illis apertissime perspeximus. Nihil autem est quod magis cupiamus, quam justis Majestatis Tuæ postulatis, quibuscunque rebus possumus, satisfacere. Verum hac tanta, tamque gravi in re nihil agendum, aut deliberandum putavimus, quin prius consuleremus Archiepiscopum Pragensem, quem pro suo loco, et munere hoc negocium maxime attingit, ejusque sententiam exploraremus, qua cognita, tum denique statuemus, quid Nobis agendum maxime sit, quidquid autem decreverimus, Majestati Tuæ perscribemus, idque tibi probatum iri non dubitamus, quia in literis tuis non tam id postulas, quam consulis, rectum ne esse censeamus, et Catholicæ Religioni expediens. Hoc igitur Nobis etiam atque etiam considerandum est. Ubi enim quid novum postulatur, inque eo Catholicæ Religionis causa agitur, numquam tarda deliberatio est. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx. Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Ad hunc Præsulem porro illicet scribit per Cardinalem Comensem, et quantocius de rerum conditione et sua sententia certiorem se fieri postulat. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28. epistola 51.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Pragensi.

« Illme et Rme Domine. Quid Cæsarea Majestas a Summo Pontifice per suas literas petierit, ex earum exemplo, quod cum his conjunctum est, Dominatio Vestra cognoscet. Quod idcirco ad eam mittitur, quia Sanctitas Sua nihil sibi decernendum, nec Cæsareæ Majestati quicquam certi respondendum duxit, nisi prius a Dominatione Vestra certior facta sit de ejus sententia atque judicio. Itaque re ipsa tota accurate ac diligenter cognita atque perpensa quam primum D. V. poterit Sanctitati Suæ rescribet, valde ipsi gratum in hoc factura. Bene valeat D. V. cui me ex animo commendo ac Deum precor propitium. Romæ die XIII. Junii MDLXXIII.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

XXXII. — Maximilianus Cæsar ut in cæteris omnibus religionis negotiis modestiam charitatemque christianam oblivioni mandari dolebat, tum maxime optabat, ut disputationes de sacris rebus, quæ sive sermonibus haberentur, sive scripto ederentur tum argumentorum pondere, tum moderationis laude insignes fierent. Hæc enim omnia si qua decet gravitate agantur, et urbanitate dicendi et suavitate animos delinire satagant, facile posse etiam infestas hæreticorum mentes ad veri professionem adducere noscebat, sin vero conviciis et scommatibus infarciantur ad inflammandas potius iras opportunas reddi, et in ipsius religionis cujus patrocinium suscipiunt incommodum dedecusque convertuntur. Discordiam in sacris rebus his maxime gliscere argumentis, et ipsas rei publicæ turbas ex illis maximopere derivari. Georgius porro Ederus non ignobilis inter Austriacos scriptor librum germanica lingua contra Protestantes vulgarat, in quem temporum illorum genio nimis indulgens, plura potius convicia in suos adversarios calumniasque congesserat, quam argumentorum pondera ad Catholicas doctrinas adstruendas. Libro titulum fecerat « Vera, simplex et accurata imago et descriptio adamussim reddens præsentim religionis conditionem »; et Dillingæ typis ediderat. Doluit vehementissime Maximilianus librum huncce aptum potius fuisse ad excitandas lites, quam ad Protestantes persuadendos et in gremium Ecclesiæ reducendos, quapropter præcipiti quodammodo ingenio et haud observata Ecclesiæ lege eumdem postridie Kal. Octob. proposito decreto proscribendum esse duxit.

Opus Ederi proscriptum fuisse Gregorio displicuit: movitque humaniter et amice Maximiliano querelas per Legatum suum Apostolicum, Episcopum nempe Torcellanum. At sequentibus litteris reverentiæ et humanitatis plenis Pontifici rescripsit Maximilianus, et rationum momenta, quibus Ederi liber damnandus sibi fuerat, exponit, actumque id ad conservandam pacem religiosam humiliter demonstrat. [*]

[*] Germaniæ Vol. 30. fol. 605.

Beatissime Pater.

Post officiosissimam mei commendationem.

« Quæ S. V. ad me manu propria 21. Novembris proxime præteriti perscripsit, ea qua debui observantia percepi, et sicut de S. V. in me nostrosque optimo et pio affectu numquam dubi-

tavi, ita præclara illa animi sui literis expressa contestatio me maximopere exhilaravit. Vicissim vero S. V. certam reddere possum, quod a me non minus quam a progenitoribus meis, quorum vestigia inhærere statui, ea omnia expectare debeat, quæ ab obsequenti filio, ut catholicæ religionis cultore, et defensore unquam præstari possunt, nec vellem quicquam hucusque tantum in parte quantum pro temporum et locorum ratione fieri potuit a me intermissum fuisse. Quod ad eventum Pulonici negotii attinet, mihi plane persuadeo S. V. non defuisse animum juvandi, promovendique filii mei, idque perpetua gratitudine demerebimur, quo autem modo per eos, quos S. V. eo destinavit, hæ res tractatæ fuerint, an ipsi talibus S. V. conatibus non abfuerint magis quam profuerint. Non puto S. V. latere plura ad me in eam sententiam fide digna relata fuisse; sed hæc altissimo judicio relinquenda. Ad Ederum vero ut deveniam, S. V. scire velit, me ad susceptum consilium non facile devenisse. Cum utique nemo germanici idiomatis gnarus negare possit, in libro quem me inscio edidit contra modestiam, quæ in eo requirebatur, multa injuriosis verbis scripta esse, quod ne ab aliqua parte fiat, iis pacis conditionibus, quæ non recens a me, sed jam antea, a divo genitore meo, cum omnium statuum Germaniæ consilio et consensu sancitæ, et sæpius repetitæ ac a me confirmatæ fuerunt, severissime interdictum esse, idque ab ipso extra demandatam sibi provinciam minus quam ab alio violari debebat. Cum is tanquam consiliarius meus aulicus etiam imperii germanici negotiis, in quibus tractandis earum constitutionum potissima ratio haberi debebat, adhibeatur, ita ut non difficile fuerit suspiciari, non solum me sciente, sed et volente ac quodammodo suggerente id factum fuisse, maxime cum etiam privilegii mei in fronte libri, et approbationis Theologicæ facultatis meæ Viennensis Universitatis faciat mentionem, qui tamen talem immodestiam ut quo mihi Christiana charitate quam plurimum adversari videtur, laudare non possum, sed etiam me movit, quod in proximis imperii Comitiis effecerim, ut omnium consensu maledicendi licentia magis cohiberetur, fateor quidem ab altera parte illud secus quam fieri debet observari, curabo tamen ne ab subditis meis quicunque ille fuerit talia committantur, et aliorum etiam maledicentia puniatur, et cum intelligam, S. V. de Edero esse tam solicitam non possum non credere S. V. persuasam esse quasi quid durius in eum sit statutum, cum tamen ipse æque ac antea in meo sit aulico consilio iisdem quibus antea adhibetur negotiis, quum et ipse ut audio errorem fatetur, nec quicquam aliud quam imprudenter commisisse, veniam petit, tantum absit quod catholicos quos defensos potius et conservatos cupio, vel lædere, vel levissima injuria afficere voluerim. Quod vero S. V. in arduis illis negotiis, se erga me meosque tam prompte et propensam offert, eas quas debeo omni reverentia ago gratias, non dubitans S. V. nec in iis nec aliis quicquam intermissuram, quod mihi meisque honori et emolumento esse possit. Idque ut faciat S. V. pro filiali observantia plurimum rogo. De cætero S. V. diu incolumem fælicemque pro beneficio Christianitatis conservari opto. Datæ Viennæ 24. Decembris 1573.

E. S. V.

Obsequens filius
MAXIMILIANUS.

XXXIII. — Interea in Hungaria Calviniani homines et qui Trinitatis osores Sociniani appellantur, belli adversus Catholicam gerendi consilia communicaverant, habitisque clam conventibus ea gerenda decreverant, quæ maxime in Catholicorum perniciem opportuna viderentur. Gregorius a Torcellensi Episcopo suo in Germaniis legato de perverso inito consilio commonefactus Episcopos per Hungariam cohortatur, ut omnem curam adhibeant, ne quid detrimenti eorum greges capiant, et dolos fraudesque impiorum virorum perspectas reddant et irritas. Esto exemplum datarum ad Agriensem Præsulem epistolarum. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II epist. 151 fol. 84.

Venerabili Fratri Stephano Radotio Episcopo Agriensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quo majore cum labore versatur cujusque opera in suo ipsius munere ad Dei laudem et gloriam suscepto, eo majores gratias ipsum Divinæ bonitati agere æquum est, considerantem maximis laboribus maxima quoque a Deo reposita esse præmia, quorum tamen magnitudinem præsentium laborum magnitudo nulla ex parte potest attingere. Hoc te pro tua pietate intelligere non dubitamus speramusque in isto, cui præfectus es, Pastoris munere sancte pieque sustinendo omniaque ad Dei gloriam et animarum salutem dirigendo ad immensa illa atque immortalia præmia contendere, Christique voluntatem et animarum salutem proprio illi sanguine chariorem propositam habere, omniaque optimi Episcopi munera divina ope implere. In quo si quid tuis conatibus obstiterit, aut Turcarum tyrannus, aut quævis alia Sathanæ machina, tu tamen desiderii tui, quantumque in te erit, operæ eundem fructum feres, qui ipsi facto tribuitur. Huic inquam uni rei, si quis nostræ cohortationi locus relinquitur, stude quantum potes; et Religionis synceritate ac vitæ et morum sanctitate omnes Sathanæ atque ejus ministrorum fraudes et machinas repelle, multisque in rebus istic violatam religionem restitue; nostramque curam ea in parte, quam tibi credidimus alleva, ac si quid

tuum studium nostra auctoritate atque opera adjuvari posse intelligis, fac Nos certiores; nihil enim libentius faciemus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Octobr. 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXXIV. — Ejusdem Gregorii monitu novos amplificandæ et defendendæ Christianæ Religionis animos Transilvanus Princeps suscepit, ut Martinus Berzevicejus, qui ei a consiliis erat Cardinali Comensi perscribit. [*] [*] Germania Vol. 96. fol. 32.

Rñio et Illño Domino Dño Ptolomæo Cardinali Comensi etc. Dño suo observantissimo.

Illustrissime et Reverendissime Dñe et Dñe observandissime.

« Mandata Summi Pontificis et Illñæ Celsitudinis tuæ Principi meo diligenter et cum fide explicavi. Adeo sane est confirmatus admonitione Sanctissimi Dñi nostri, ut si unquam pietate et obsequendi studio, erga Sanctissimam Sedem Romanam tenebatur, nunc certe quam maxime flagrat, nullas occasiones in regno suo extollendæ augendæque Catholicæ religionis prætermittet; uti etiam in litteris suis, quas ad summum Pontificem et Illñam Cels. tuam dedit, indicavit. Ceterum pro maximis Illñæ Cels. tuæ beneficiis, Princeps meus dignum se amicitia sua præstabit, dabitque operam, ut tu labores ullos sua causa suscepisse nunquam non gaudeas: et ut illum Illña Cels. tua omnibus in rebus et negotiis quam commendatissimum habeat, eamdem etiam atque etiam rogo. Ego autem tuæ Amplitudini non tantum immortales gratias ago; quod me indignum eo honore te auctore Summus Pontifex clementer isthic ornavit, sed etiam Illñæ Cels. tuæ fidem et perpetuam observantiam obstringo. Etenim mihi in vita nihil antiquius erit, quam perficere, ut Illña Cels. tua intelligat se id beneficii non in hominem ingratum contulisse. Ad Illñum Cardinalem Boncompagnum nihil scripsi. Pertenui enim argumento suæ Amplitudini molestus esse nolui. Cuperem tamen, quod commodo tuo fiat, per Secretarium tuum Christophorum Turetanum, deosculatis prius meo nomine manibus suam Amplitud. admoneri, ut procuratione aurei nummi, in quo Pontificis Opt. Max. effigies affabre exprimi solet, benignam in me sua Illña Celsitudo voluntatem ostenderet, cum enim se curaturum humaniter me discedente in se recepit. Equidem effigies illa non vanæ ostentationis causa a me petitur, sed ut posteritati relicta, perpetua hujus Pontificis in familia nostra memoria vigeat. Is vero commode tradetur Marcello Vestrio, qui recta Pasavium cuidam amico meo Volfgango Kovaciocio Ungaro mittet. Hic omnia sunt tranquilla, Byzantio nuntiatur Piali Bassam satis invitum cum classe illinc soluisse, ita refrixisse hostium animus dicitur ad bellum maritimum gerendum, in quo si adhuc hoc anno constanter perseverassemus, facile omnem laudem in re navali consequuti fuissemus. Male cum Rep. Christiana actum, Venetos ita tempestive a bello abstinuisse. Deus Opt. Max. Dom. tuam Illustrissimam et Rñam protegat et gubernet. Albæ Juliæ XXI. Junii MDLXXIII.

Tuæ Illñæ Celsitudini

Dicatissimus cliens

Mart. Berzevicejus

Eq. et Cons. Illustrissimi Principis Transil.

XXXV. — Bisuntini cives non minus ab hæreticis, quam a Catholicis Regis ministris ipsis vexabantur. Hæretici enim majora semper sibi jura et privilegia arrogabant: Regii vero ministri insciis pariter Cæsare et Philippo Rege leges Ecclesiæ juribus et commodis adversas identidem ferebant. Civitatis gubernatores ad Gregorium confugiunt, et cum Christianarum gentium arbitrum sua utatur auctoritate vehementissime orant, apud Cæsarem et Hispaniarum regem intercessor fiat, ut angustiis, in quas cives redacti erant, eximantur, et leges Ecclesiæ adversæ quam primum antiquentur; Protestantes vero intra permissos sibi fines contineantur. [*] [*] Gallia Vol. 7. fol. 107.

Sanctissimo Domino Nostro PP. Gregorio XIII.

« Antiquius nihil unquam duximus (Beatissime Pater) quam ut a nostris unius veri et summi Dei nomen ubique veneretur, Sanctæque Catholicæ et Romanæ Ecclesiæ, quæ caput est omnium Ecclesiarum, manifesta et indubitata serventur decreta: omnemque dedimus et dabimus operam, ut fidei a majoribus traditæ, et divinæ religionis testimonio atque assertione firmatæ, apud nos observantia semper mansura teneat, dextroque (ut Sanctitas V. suo brevi ad nos ultimo dato admonet) in eo negotio pergemus pede, sperantes Beatitudinis Vestræ cæterorum bonorum auxilium, ea in re nobis non defuturum; sed dum hæc agimus atque meditamur pro officio et munere nostro, nihil non interni adversarii apud Cæsarem Dñum nostrum clementissimum, principesque et status Imperii moliuntur, et tentant, qua civitatis istius quietum alioqui statum turbent. In eo enim toti sunt, ut liceat illis in ea ut prius et morari et stare, sibi multum de Cæsaris clementia et lenitate blandientes. Id quod si forte impetrent (quod Deus nolit,) verendum est ne, quod est in Evangelio, posteriora longe sint deteriora futura prioribus. Neque enim quicquid ipsi ore duplici polliceantur, fideles esse poterunt hominibus, qui Deo semel extiterunt infideles. Audax siquidem quantum sit genus hoc hominum, vel ipsa testis est nobis Gallia, adeoque vicinæ et adjacentes provinciæ, sic ut deinceps iis fidendum minime putemus. Quibus rationibus adducti, Beatitudinem Vestram ausi fuimus jam olim interpellare, (ad quem enim recurras quam ad eum cui vices suas Christus concessit,) ut per Apostolicum Nuntium atque adeo Legatum Regium, eorumque

conjuncta intercessione apud Cæsarem impetremus, ne reditum in nostram Civitatem, quem tantopere desiderant adversarii ut rerum novatores ab ipso Cæsare impetrent, et extorqueant. Eo enim pacto timendum esset, ne Civitas hæc nostra, quæ alioqui nunc Religionis antiquæ est observantissima, de avita sua probitate multum remittat tandem, fiatque ea via, ut cives propter Religionum contrarietatem mutuis sese gladiis confodiant. Quod quam luctuosum futurum sit non solum nobis, sed toti provinciæ haud obscurum est colligere. Id quod sane nos effugere posse diffidimus, nisi Deus Optimus Maximus malum istud, Vestris sanctissimis interpellatus orationibus, a nobis benignus avertat. Proinde Sanctissime Pater, et auctoritatem et potestatem, quam a Christo habetis, et quam ultro et paterne admodum nobis pollicetur Vestra Sanctitas, eam uos demisse et humiliter, et ut filios decet, amplectimur obviis quod ajunt ulnis: si enim unquam S. V. beneficio et opera nobis opus fuit, (fuit enim semper) certe hoc calamitoso tempore, eam nobis concedi ea in re, et in negotio inferius descripto enixe postulamus. Est siquidem hæc nostra Civitas (quæ et Julio Cæsari incognita non fuit) in medulio Comitatus Burgundiæ sita, quæ ditio est Catholici Regis Hispaniarum. Ea a Lyno, Beati Petri successore, est Metropolis effecta, multisque privilegiis munita et a multis sæculis ab istius loci Archiepiscopis reverendissimis jura ita sunt omnibus reddita, ut tanquam ad unum justitiæ asylum, totius provinciæ incolæ ad ejus sedem hucusque recurrere sint soliti. In eaque auctoritate ad hæc usque nostra infelicia tempora permansit. Et donec arrepta nescio qua occasione et quasi nervus ecclesiasticæ disciplinæ Decretis Sacrosancti Concilii Tridentini, sessione 23. cap. 3. sublatus esset, ejusdem Majestatis Catholicæ Officiarii Burgundici edictis publice divulgatis, his nostris literis junctis, ita irruerunt in auctoritatem et jurisdictionem Rm̃i et Illm̃i nostri Archiepiscopi, ut non solum abrogata videatur, sed sublata sit penitus, faciem siquidem a decretis ita alienam illi tribuerunt; adeo ut ne quidpiam pristinæ formæ remanserit. Inde Cleri et Ordinis Sacerdotalis contemptus. Passim etenim et ubique, ut se suaque tueantur et defendant sacerdotes sæcularia sequi coguntur judicia, et inter laicos versari, relinquereque quæ Dei sunt, et suæ Ecclesiæ. Quantum autem detrimenti huic nostræ civitati, quam hujusce ratione omnes adibant, quamque pristini decoris splendorem ipsa amiserit, suæque antiquæ majestatis jacturam jam eo nomine sit passa, nemo non videt. Hoc ferendum diutius nobis non est in animo, et eo maxime quod putemus ista non ex Regis voluntate, sed ipso inscio procedere. Neque enim ita pridem ab eo literas accepimus plenas amoris et in nos benevolentiæ; tantum abest, ut velit his edictis faciem nostræ civitatis ita labefactatam iri. Ita fit Beatissime Pater, ut dum novatores nostra civitate ejicimus, nos nostrosque fame tabescere conspiciamus. Ex commercio siquidem et consuetudine, quam habebant nostri cum advenis et peregrinis, se, uxores, et liberos, alebant. Inde ut non sive injuria, jactura, et damno irreparabili nostrorum civium, hæc edicta contra Tridentini Concilii decreta, sint et fuerint sancita, et promulgata in nostri, et civitatis nostræ exitium, perniciem et ruinam. Quam ut non videant quidem ex nostris civibus, et quidem boni et catholici, relicta urbe, jam alio profecti sunt, nec desunt multi qui de abeundo cogitent. Sic ut appareat et manifestum sit Civitatem hanc nostram Bisuntinam, Sequanorum licet (Cæsare teste) maximum oppidum, brevi civibus et incolis destitutam iri, si quo cœperunt modo Ministri Regii eos premere pergant; de quo exules nostri et quos tanquam novatores ejecimus sibi gratulantur et gaudent. Vident enim ea ratione, se ea facilius potiri atque adeo in ea liberius grassari, et tyrannidem si quam superioribus annis animo conceperant, in bonos exercere posse, cui rei non deerunt, ut conjiciendum est, Gebenenses et alii hujus farinæ homines, cum quibus, ut fama est, inita sunt et fuerunt eorum communicata consilia. Ad eorum enim et sequacium res bene gerendas, peropportuna est hæc civitas tanquam in medio sita inter Gebennas, Basilienses et Argentinenses. Adeoque compertum est nihil restare ipsis pro complenda eorum malicia, quam ut sese occasio offerat, in Civitatem desertam, et suis incolis destitutam irruendi in grave et inæstimabile præjudicium, imo et perniciem manifestissimam, non solum ditionis Burgundiæ, sed totius Galliæ, et ut verius dicamus universæ Europæ. Cum igitur indignum sit antiquissimam hanc nostram Civitatem suo jure spoliari, prætextu decretorum sacri Concilii Tridentini, quæ pro arbitrio suo a dictis Ministris Regiis interpretantur, quamvis et eorundem interpretatio non ad eos, sed ad S. V. pertineat. Si quid super ea re difficultatis emerserit, quæ haud dubie fieret, ut confidimus juxta formam, his etiam nostris literis junctam, visum est nos de ipsis apud S. V. merito posse conqueri. Unde et quantum fieri potest humiliter et devote petimus, atque per omnia sacra obtestamur, ne S. V. sinat aut permittat hanc nostram civitatem, nosque benemeritos, et nostros, ita inhumane urgeri supradictis edictis. Equidem sudoris et laboris, immo et vigiliæ multum impendimus, ut qui supersunt Cives, in officio et pace retineamus, ac bona spe in dies alamus, qua si destituamur, eos diutius sustinere non poterimus. Age igitur Beatissime Pater desolatam hanc Civitatem paterno amore, ut omnes soles, ample-

ctere. Intercessor pro ea apud Catholicam Majestatem accede, quo edicta ista quæ ad exitium nostrum tendunt revocentur. Id autem eo audacius a Beatitudine Vestra petimus, quod sciamus justum esse quod petimus, et nihil Catholicum Regem tanto intercessori derogare posse. Tum etiam non diffidimus de ingenita ipsius Regis bonitate et clementia, atque adeo amore quo nos hactenus amplexus est. His freti rationibus jam ipsos Ministros interpellavimus, quos Archiepiscopus noster Illmus, qui tamen omnem hac in re movit lapidem, insigne Capitulum Bisuntinum, et nos ipsi, inexorabiles experti sumus. Sed ipsum Regem, pro revocandis his edictis, per Legatos nostros, tanquam benignum Principem convenimus. A quo benignum responsum haud dubie accipiemus, si præcator V. S. accesserit. Id ut fiat Sanctissime Pater, uno ore Senatores Bisuntini in nomine totius populi supplices et devoti, per hunc juvenem, qui filius est unius ex collegis nostris, et cui hac de re mandatum dedimus, rogamus et obtestamur, Deum Optimum Maximum præcantes, ut Vestram Sanctitatem ad multos annos toti orbi conservet incolumem. E Civitate Imperiali Bisuntina die II. mensis Martii Anno Domini MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi filii

GUBERNATORES CIVITATIS IMPERIALIS BISUNTINÆ.

Gregorius de Bisuntinorum in avita fide retinenda tuendaque studio sibi et illis gratulatus amantissimis litteris eis animos addit, ut quam ingressi sunt viam alacriter teneant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 97. fol. 90.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Gubernatoribus Bisuntinis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil magis optandum fuit, quam ut Magistratus iste ad viros optimos, Catholicæque Religionis observantissimos perveniret; talium enim virorum fides, et pietas, ubi ad eam jus etiam potestatis accessit, magnam affert Christo gloriam, et populis ipsis salutem. Hoc quoniam a summa Dei benignitate consecuti sumus, ut vobis potissimum viris insigni pietate, et Dei timore, et charitate præditis Magistratus committeretur; et vobis gratulamur, quibus summam facultatem largitus est Deus vestræ in eum pietatis declarandæ, et vero illis gratulamur, quibus vos idem Deus præfecit; speramus enim vos, qui diabolica fraude abducti sunt, Divina ope quoad poteritis, reducturos, et qui in fide manserunt, confirmaturos, neque hæreticam rabiem serpere latius, ac sævire passuros. Hanc spem Nobis affert præclara illa vestra responsio de Confessione Augustana, deque legatorum edicto, quorum alterum retineri, alterum abrogari omnibus viribus nitebatur Comes Palatinus: hæc enim adhuc ex venerabilis fratris Archiepiscopi Bisuntini literis cognovimus, quo quidem nomine et vos uti filios charissimos amplexi sumus, et quantas, potuimus, maximas gratias egimus Deo, cujus etiam bonitatem assidue precabimur, ut vos in dies magis magisque confirmet gratia sua ad sui nominis gloriam, atque animarum salutem. Vobis vero tum universis, tum singulis, publicis, privatisque in rebus quicquid Apostolica auctoritate præstare possumus, debere arbitramur, amplissimeque pollicemur. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die septima Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Tum aliis litteris omnia se præstiturum apud Cæsarem et Catholicum Regem pollicetur, et jam magna ex parte egisse, ut eorum æquissimis desideriis cumulatissime satisfieret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 118. fol. 61.

Dilectis Filiis Communitati et Gubernatoribus Civitatis Bisuntinæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis venerabilis fratris Archiepiscopi Bisuntini, aliorumque cognovimus incredibili cum voluptate vestrum sinceræ Catholicæque Religionis, et veritatis studium, perpetuamque pro ea dimicationem, et Augustanæ Confessionis, hoc est Sathanicæ conspirationis apertam, constantemque detestationem, liberamque, et vere Christianis hominibus dignam earum literarum, quas ad vos Comes Palatinus scripserat, confutationem, nonnullorumque hæreticorum ex ista civitate ejectionem; literarum item, postulatorumque hominum Montisbiliardi hæreticorum asyli apertissimo responso testatam rejectionem, summamque apud Charissimum in Christo filium Nostrum Maximilianum Imperatorem electum de retinendis edictis iis, quæ pro Catholica Religione proposuerunt ejus Legati contentionem. Quibus cognitis immortales gratias egimus Deo, vosque uti filios charissimus cogitatione, atque animo amplexi sumus, vestræque virtuti gratulati, quia nihil cuiquam ad gloriam illustrius, nihil ad sempiternam beatitudinem promerendam amplius accidere posse intelligimus constanti Catholicæ veritatis verbis, factisque professione, ejusque eversorum, hoc est Christi hostium importunissimorum e Catholicorum cœtu, quos illi ad Sathanam abducere conantur, exterminatione. Pergite igitur filii charissimi, ut cœpistis, proque incorrupta Christi sponsa Ecclesia pugnate, inque vestra virtute, et constantia multorum salutem, et Christi ipsius gloriam sitam esse cogitate, nihilque gloriosius fieri posse existimate, quam pro eo sanguinem, si ita opus erit, profundere, summique beneficii loco ducite, si vos ille ea ratione ad fortissimos martyres suos aggregare voluerit. Nos quantum ab eodem Christo habemus auctoritatis, et potestatis, vobis paratissimum habemus, amplissimeque pollicemur.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die undecima Septembris MDLXXII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXXVI. — Helvetiorum pagi, qui Catholicis accensentur, miserant et ipsi ad Pontificem legatos, qui et eum recens renunciatum salutarent, et adflictas suarum publicarum conditiones exponerent. Multa enim tum temporibus patiebantur ob servatam Catholicam fidem ab aliis suorum pagis, qui hæresi nomen dederant. Gregorius legatos humanissime excipit, Helvetiorum constantiam, virtutemque in religione servanda collaudat, seque paratissimum profitetur, si opus foret, ut omnibus suis viribus et ope eis auxilio sit, ad hæreticorum insidias et insolentiam retundendam. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 31.

Dilectis Filiis Helvetiis Quinque Pagorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

«Dilecti filii salutem etc. Legimus libentissime vestras literas, quas nobis reddiderunt Oratores vestri, accepimusque eam obedientiam, quam nobis atque huic Sanctæ Sedi in publico Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consistorio præstiterunt dignam vestra pietate et perpetua catholicæ religionis professione. Sic Deus pro sua bonitate dignetur finitimorum vestrorum, cæterorumque omnium, qui obstinati oculos a purissima catholicæ veritatis luce avertunt, corda liquefacere caritate sua, eosque adjungere ad gregem suum in hac vita, ut in futura perveniant ad sempiternam illam felicitatem. in qua patent pascua suavissima iis, qui ingrediuntur ad divinitatem, egrediunturque ad Christi contemplandam humanitatem; quo quidem una tantum ducit via, catholica nimirum fides, quam S. R. Ecclesia profitetur, cum vitæ innocentia, cumque caritate ea, quæ per dilectionem operatur conjuncta. Quod postulatis, ut vobis opem feramus adversus ipsorum hæreticorum arma, quæ illi religionis causa in vos movenda existimaverunt, nihil unquam libentius faciemus, inque eam rem quidquid virium habebimus conferemus, quoties nos certiores feceritis, nostra vos ope indigere nec dubitamus, quin vos eadem voluntate atque animo erga hanc Sanctam Sedem futuri sitis, quoties eam vestra virtute et armis egere intelligetis. Ad reliqua etiam vestra postulata singillatim respondimus Oratori vestro, a quo hæc atque alia fusius accipietis. Deus benedictus tueatur vos sua gratia, cumuletque omni tum in hac, tum in futura vita felicitate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XVIII. Januarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

XXXVII. — Doluit interea Gregorius et vehementer reprehendit Lucernenses, quod Ecclesiæ juribus contemptis, et inconsulto Episcopo duos seditiosos presbyteros securi percusserant. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 33.

Dilectis Filiis Sculteto et Senatui Urbis Lucernæ Helvetiorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Gravissimus ille vester casus in duobus Presbyteris capitali supplicio afficiendis magis postulat lacrymas, quam verba. Lugendum inquam est non tam illorum crimen, quam vestrum: forte enim idem Deus, qui pepercit adulteræ, et latroni, illis quoque miseris suum crimen agnoscentibus, atque ejus clementiam implorantibus pepercit: ipsi autem vobis conscii estis, nom vestrum hactenus in eo facto crimen agnoveritis; num quid ex eo doloris susceperitis, numquid precum, numquid lacrymarum fuderitis. Majus illud fuit, quam vos forte cogitastis: extant enim gravissima anathemata in laicos, qui vel privata injuria, vel publica magistratus auctoritate audent, vel clericis manus afferre, vel de iis supplicium sumere. Quo quidem anathemate vos illigatos teneri incredibiliter dolemus, vestra nimirum causa, quos ut Catholicæ Ecclesiæ filios unice diligimus: neque dum sciamus vos vestrum erratum agnoscere: possumus vos Apostolica auctoritate ex isto tam gravi vinculo eximere. Quid igitur aliud restat, nisi vestrum casum lugere? Hoc Apostolici pastoris et parcotis, (utrunque enim nomen Dei benignitate sustinemus) munus est, neque libet aliis uti verbis, quam Cypriani: Doleo, inquit, fratres; neque mihi ad leniendos dolores meos integritas propria, et sanitas privata blanditur, quando pius pastor in gregis sui vulnere vulneratur. Illud etiam non leviter dolemus, tam graviter fuisse læsam ecclesiasticam jurisdictionem, ab iis præsertim qui ab eadem Ecclesia ecclesiasticæ libertatis defensorum titulo donati sunt. Quæ quidem libertas non in eo est, ut liberum sit Clericis peccare, debeantque id impune ferre; sed ut in cognoscendo, et puniendo sua Ecclesiæ jurisdictio reservetur. Quod quidem vobis facillimum fuit; habebatis enim Episcopum Constantiensem atque ejus Vicarium, qui nunquam illos impunitos dimisissent. Optandum illud primum fuit, ut ne caderetis; proximum est, ut surgatis; ut vestrum casum agnoscatis et doleatis; ot ounquam postea quid simile committatis; oportet enim commissa dolere, et dolenda amplius non committere. Hæc facite per vestram salutem, per nostram singularem erga vos benevolentiam, per Dei honorem: ac sic cogitate, tum maxime debere nos Deum nobis iratum agnoscere, cum nostrum ipsi crimen non agnoscimus. Sic enim caremus pœnitentia, quæ sola in naufragio tabula est; sine qua Deus tametsi clementissimus tamen nemini ignoscit. Nos ejus bonitatem orabimus, ut sua vos luce perfundat ad crimen agnoscen-

dum; sua gratia molliat ad dolendum; sua in posterum virtute muniat ad vitandum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XXI. Januarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

At paternis Pontificis verbis et hortatione commoti Lucernenses, facinoris pœna, quod Ecclesiæ legibus iis ob eam noxam sacris interdictum esset, a Pontifice solvuntur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 98.

Dilectis Filiis Sculteto et Senatui Urbis Lucernæ Helvetiorum Catholicorum.

GREGORIUS PP. XIII.

«Dilecti filii salutem etc. Vere vos et dilectos et filios appellamus, quorum et sinceram pietatem, et eam quæ pati debetur erga Nos caritatem, et promptissimam erga hanc Sanctam Sedem obedientiam semper perspeximus, nunc autem in vestris literis incredibili cum voluptate recognoscimus. Nos nullo unquam vos anathemate obstrinximus, tantum antiquissima superiorum Patrum anathemata indicavimus ea nimirum cura, qua nos angi æquum est de filiorum carissimorum salute. Sic autem credite, nos non tam tum doluisse vestra causa, quam nunc exultamus in Domino, cum vestras literas legimus pietatis plenissimas. Eam vero quam postulatis absolutionem tam libenter concedimus, ut nihil unquam concesserimus libentius; qui enim possumus non libentissime amplecti et fovere filios carissimos, nobisque atque huic S. Sedi observantia, religione, opera et virtute conjunctissimos suoque ipsorum merito, atque armis gloriosum Ecclesiasticæ libertatis titulum adeptos! Absolvimus igitur vos ab omni illa sacrorum canonum et decretorum in quam incideratis excommunicatione. Eum vero, quem ex superioribus nostris literis concepistis dolorem omnibus officiis compensabimus; nec quidquam erit quod a nostra atque ab hujus Sanctæ Sedis auctoritate proficisci possit, quod vobis non deberi existimemus, eaque omnia amplissime pollicemur, libentissimeque præstabimus. Illud postulamus, ut superiores illas literas a singulari in vos caritate profectas esse credatis, nec unquam nostram voluntatem, atque amorem a vobis abalienatum fuisse, nec quidquam esse quod putetis vos in nostram, ut scribitis, indignationem incidisse. Semper vos unice amavimus nec illo excommunicationis vinculo detineri pati poteramus. Scribimus aliquanto fusius ad Catholicos reliquorum sex Cantonum fœderatos vestros, ex quibus etiam literis nostram erga vos semper optimam et paternam caritatem cognoscetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die X. Aprilis 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Mox gavisus animo Gregorius, quod tanta pietate Lucernenses a Pontifice pœnam essent deprecati ipsam Catholicorum sex pagorum fœderationem de ea re certiorem facit, conceptamque a se voluptatem enunciat, quod tam prompta et sincera admissi criminis pœnitudo eorum animis insedisset. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 97.

Dilectis Filiis Sculteto, Ammanis et Senatui Sex Pagorum Catholicorum Helveticorum, videlicet Uraniæ, Svitii, Subsylvaniæ, Tugii, Friburgi et Solodori Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. In iis literis quas ad dilectos filios Lucernenses scripsimus, nullo eos ipsi anathemate affecimus, tantum indicavimus extare gravissima et antiquissima superiorum Patrum decreta atque anathemata in laicos, qui auderent clericis aut manus afferre aut de iis supplicium sumere, doluimusque illorum factum; rogavimusque, ut in posterum cautiores essent; quæ omnia a nostra paterna in eos caritate fuerunt profecta; quos enim magis diligimus, de iis gravius angimur eosque libentius monemus, neque potuimus pati eos in errore versari, sed vulnus aperire voluimus, ut dolerent, et remedium quærerent, quod quidem nos libentissime Apostolica hac, in qua a Deo constituti sumus auctoritate adhibere parati eramus: nec quidquam postea cupidius expectavimus, quam illorum literas, per quas absolvi postularent; neque enim poteramus nihil postulantibus, eam quam maxime cupiebamus absolutionem impertire. Iis igitur nunc literis acceptis incredibile est quantam ex eorum pietate voluptatem cepерimus; parem quoque nobis voluptatem attulerunt vestræ literæ, propter vestram, quam in eis perspeximus de fratrum salute deque Christi gloria solicitudinem. Itaque et illos Apostolica auctoritate absolvimus, et vos atque illos ut filios carissimos amplectimur; confirmamusque hanc vestram, quam et semper cognitam habuimus et nunc in vestris literis recognoscimus pietatem, atque erga hanc Sanctam Sedem obedientiam ad nostram pristinam erga vos caritatem cui nihil addi posse existimabamus, maximum cumulum attulisse. Idque quibuscumque rebus poterimus declarare paratissimos esse, nec in vobis ornandis et juvandis quidquam prætermissuros nos, ut illas nostras ad Lucernenses literas, sic hoc quod sequatur paternæ, ut æquum est caritati tribuite. Excusatis factum Lucernensium antiqua istic in clericos animadvertendi consuetudine. Scitote, nulla omnino consuetudine, quamvis vetustissima, et ipsorum etiam clericorum voluntate roborata fieri posse, ut laici de clericis judicent; idque a veteribus sæpius decretum fuisse perpetuoque retentum. Quid ergo? peccabunt clerici impune? Minime; sed a judicibus ecclesiasticis punientur. Vos si illos negligentiores esse animadverteritis, Nos certiores facite, nulla enim Nos eos in re connivere patiemur, vobisque nullam eos accusandi causam relinquemus, quod etiam fecissemus, si eam de qua conquerimini, hactenus

eorum negligentiam cognovissemus. Nihil autem minus cogitate, quam ullum Nos in Lucernenses odium concepisse: semper illos amavimus, vosque universos catholicos et ecclesiasticæ libertatis defensores in corde gessimus, vobisque omnia prospera et optavimus et a Deo precati sumus semperque precabimur, nec quidquam prætermittemus, in quo Nostram auctoritatem atque operam vobis ornamento et adjumento esse posse intelligamus; idque vestræ virtuti et erga Nos atque hanc Sanctam Sedem obedientia et pietate debere existimamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die x. Aprilis 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

XXXVIII. — Graves interea rumores de Sedunensis Episcopi in sacris sententia movebantur: nimia enim familiaritate cum hæreticis hominibus conjunctum nova animo concepisse suspicio erat. Angebatur ea de re Gregorius, et graviter eum idcirco hisce verbis reprehendit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III fol. 27

Venerabili Fratri Episcopo Sedunensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Horruimus animo, cum ex viris gravissimis atque omni fide dignissimis audiremus, te Episcopum, hoc est Christi ovium pastorem, cum hæreticis, hoc est cum lupis amicitias atque affinitates copulare. Quod quidem indignum est mercenario, ne dum pastore: ille enim, tametsi oves deserit, tamen neque lupos accersit, neque sese periculo committit; sed, ut inquit Dominus noster, videt lupum venientem, et fugit: tu vero lupos invitas ad prædam, offersque ais oves dilaniandas. Nam illam certe sororem tuam, quam hæretico in matrimonium dedisti, miseram lupo hianti in os inseruisti; cæteras oves, si forte servat divina benignitas, tu quidem prodis, teque ipsum amentissime perdis. Quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? quæ pars fideli cum infideli? Legas epistolas Gregorii, intelliges quantum sit munus Episcopi catholicam fidem docendi; hæreticos ab impietate revocandi; obstinatos quam longissime arcendi et coercendi. Tu vero cujusmodi in docendo ad populum oratione uteris? an illa Hieremiæ? nolite audire eos, qui loquuntur, sed non ex ore Domini; at tu, et audis et amplecteris. An illa Apostoli? vitate eos, qui proficiunt ad impietatem; sermo enim eorum ut cancer serpit, at tu immanissimos serpentes foves in sinu. At illa credo alia uteris, observate eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam didicistis, faciunt, et declinate ab illis; tu vero ad eos delaberis. Qui vero conaberis alienos, hoc est hæreticos ipsos ad pietatem revocare; qui eorum impietati sororem tuam objecisti! Qua ratione coercebis aut arcebis eos, quos in delitiis habes? Voluimus nunc verbis agere; fac ut resipiscas, et tantum facinus detesteris et lugeas; et quidquid scandali attulisti omni pietatis ac sanctitatis exemplo amovere contendas; neque nostram in ecclesiastica disciplina tuenda et animarum salute curanda, severitatem experiri velis. Faxit Deus, ut id consilii capias quod maxime cupimus, ut enim toto pectore tuam ipsius salutem optamus, sic si tu eam neglexeris, Nos certe haud connivendo Nos ipsos atque istas oves nobis commissas ex tuo incendio eripiemus. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die xxi. Januarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

At Sedunensis Episcopus mirari se enimvero reponit, quod tam pessime apud Pontificem audiret; insontem se profitetur, et de conflatis contra se calumniis acerbe conqueritur. [*]

[*] Helvetia Vol. I. f. 35

« Beatissime Pater, Salute in Christo Jesu Dño nostro et Salvatore premissa. Cum novus electus Abbas Sancti Mauritii Legionis Thebeæ apud me intimis precibus institisset tanquam apud Diœcesanum suum quatenus Suæ Sanctitati intimarem electionem suam canonicam: tum etiam quantam jacturam illud cœnobium perpessum fuerit. Quo circa tam æquis precibus suis deesse non potui, qua in re hoc tantum attestabor magis idoneum ipso ex religiosis ejusdem cœnobii eligi non potuisse. Quod non gravia incommoda ipsum cœnobium acceperit, certissimum est veluti conflagratione totius Ecclesiæ ante paucos annos, in qua restauranda suus prædecessor graves sustinuit sumptus non magno detrimento cœnobii. Tum etiam magnam partem bonorum suorum habet Lenes Bernates. Helvetiorum, qui jam ante multos annos orthodoxam religionem in Zwynglianam commutarunt, ex qua commutatione in quantum diminuatur annuus proventus Sua Sanctitas facile judicare potest. Et nisi essent mutua Helvetiorum fœdera, profecto dubium non esset, ne omnibus bonis quæ penes eorum jurisdictionem sita sunt, privaretur cœnobium. Certum quidem est, longa opulentius fuisse olim cœnobium quam nunc non sit. Quare his perpensis, Beatissime Pater pro innata Suæ Sanctitatis bonitate (cujus nomine jam ante electionem Pontificatus cognomen Bonitatis) dignabitur in annatæ taxa benigniter procedere. Quantum vero concernit accusationem meam coram Sua Sanctitate factam, expecto donec Sua Sanctitas me dignabitur responso. Spero autem propediem Suam Sanctitatem intellecturam quo jure grave injuria accusatus fuerim. Residuum est ut Deum Opt. Max. precer quo Suam Sanctitatem toti orbi christiano diu conservet incolumem. Datum Seduni anno salutifero MDLXXIII. decimo tertio Kalend. Aprilis.

Ad oscula pedum Suæ Sanctitatis paratissimus.

Minus idoneus Episcopus Sedunensis

HILTEBRANDUS DE RIEDMATTEN.

Nec unis contentus litteris alteras etiam ampliores ad se excusandum addit. [*]

[*] Helvetia Vol. I. f. 37.

Sanctissimo Domino Domino Gregorio Deci-

nustertio Pontifici Maximo Salvatoris Nostri in Terris Vicario Patri Clementissimo.

« Sanctissime Pater, quantopere doleam propter accusationem Sanctitati Suæ de me factam, nec verbis exprimere nec scripto attestari possum : et potissimum propter rationem illam, quod accusatores mei me lateant, quos nescio cujus status aut conditionis sint; et me etiam fugit, quid illos impulerit ad hanc accusationem. Dumque illos ignoro, minus erga illos excipere possum, qui si mihi non essent, jam apud me perpenderem an illi ad tenorem canonum idonei essent, Episcopum apud Tuam Sanctitatem accusandi: et an in sufficienti numero; an etiam tantummodo moti essent ex mero zelo conservandæ orthodoxæ fidei; seu potius ex emulatione aut etiam ex alia fortassis graviore causa veluti invidia. His visis, Beatissime Pater, si minus idonee excusavero me apud Sanctitatem tuam veniam dabis propter rationes enarratas. Interim tamen nolui committere, ut tua Sanctitas me eo usque suspectum haberet, ut mei muneris tantopere oblitus essem quantopere accusatus fui. Atque ut hæc suspitio a tua Sanctitate tolleretur, nullos magis idoneos testes inveni ad hoc negotium quam Reverendos ac Venerantes Dominos Canonicos hujus Ecclesiæ Sedunensis, apud quos conquestus sum de gravi accusatione Tuæ Sanctitati de me facta. Ex quorum testimonio colligere potes quo jure quave injuria accusatus sim. Nam si ansam darem mutandi orthodoxam fidem (ad quod facinus me Deus nunquam vivum conservet) qui nam magis de eorum vocatione periclitari possent, quam ipsi Canonici, qui longe majorem accusationem haberent contra me apud Tuam Sanctitatem, quam non excusationem? Cum evidentissime constet in illis locis, ubi Orthodoxa religio naufragium patitur, ibi omnes ecclesiasticas personas misere expelli, atque suis proventibus cæterisque bonis spoliari. Quam ob rem Sanctissime Pater hæc æquo judicio perpendet. Sicque de me Tua Sanctitas sibi persuadebit, cum mihi non solum cura mei tradita fuerit, sed etiam multarum animarum (quam tamen cum lacrimis suscepi) me pro toto posse invitare, ut meæ villicationis veniam merear apud Deum. Nam hoc ausim teste Christo Salvatore nostro attestari mihi nihil aut gravius aut molestius contingere posse quam turbulentum seu potius miserrimum multis in locis statum indubitatæ Orthodoxæ fidei, veluti in Galliis, ubi tres fratres cum certis consanguineis dum regias partes me annuente tuerentur amisi. Residuum est, ut me sub protectione Tuæ Sanctitatis committam. Deus Optimus Maximus dignetur Tuam Sanctitatem toti Orbi ad multa tempora incolumem conservare. Sic faxit Deus. Datum Seduni Anno a Virgineo partu MDLXXIII. Tertio Idus Junii.

Ad oscula pedum paratissimus Suæ Sanctitatis
Minus idoneus Episcopus Sedunensis
HILTEBRANDUS DE RIEDMATTEN.

Capitulum vero universum Sedunense Episcopum ab illato crimine sese purgantem testimonio suo juvat, ejusque causam apud Pontificem agit. (*)

(*) Helvetia Vol. I. f. 36.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Nostro Domino Gregorio Decimo Tertio, Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Nostro Recolendissimo.

« Beatissime Pater. Literæ partim admonitoriæ, partimque comminatoriæ per Suam Sanctitatem pridem Reverendissimo Antistiti et Præsuli nostro directæ, fuerunt nobis per ipsum mira cum animi perturbatione et quæremonia communicatæ: quibus lectis mirari satis non potuimus, de talium delatorum et detractorum impudentia et perfidia, qui falsa pro veris Suæ Sanctitatis auribus deferre non erubuerint. Cumce injuriam et infamiam optatissimo et dignissimo pastori nostro per certos æmulos et veritatis impostores illatam, uti nostram, ita etiam purgandam existimemus; ideo iis de quibus optima fide conscii sumus, testimonia nostra ferre minime dubitavimus. Ipse Episcopus noster ab accusatoribus (sit honos auribus) falso delatus, pro natura qua benigna est præditus, ab ineunte jam ætate et maxime postquam hanc attigit dignitatem ita vitam instituit, ut nobis et aliis veræ sit pietatis exemplar. Res autem Ecclesiasticas ita moderatur, ut quæ ad tutandam fidem catholicam apostolicam et romanam faciunt, prorsus nihil omittat. Eousque quod de toto suæ administrationis tempore, nulla penitus Religionis controversia in nostra Republica intercesserit, et prius aliquando exorta disceptatio, non solum sedata, sed prorsus ablata videatur. Interim quoque sua incredibili sapientia, ita pacem et christianam unionem colit, ut non tantum a nobis, sed etiam a patriotis (quibus Deus eum præfecit) diligatur, amplectatur, et ob oculos habeatur. Quamobrem rei veritas nos impulit, prælibatum Pontificem nostrum Suæ Sanctitati commendare et committere, suppliciter rogando, et postposito omni dubio in posterum falsis accusationibus et criminationibus delatis rejectis, ita de eo statuat, in functione ecclesiastica et tuenda fide Catholica et Orthodoxa paucos eo digniores inveniri posse.

Ex Capitulo nostro Sedunensi 4. Non. Junii 1573.

Suæ Sanctitatis usque ad pedum oscula humiles et devoti servuli.

STEPHANUS ALLET Decanus Sedunensis, – CLAUDIUS CUDERERI Decanus Valleriæ, – NICOLAUS LOSHER Sacrista, – CLAUDIUS ORETTETA Cantor, totusque COETUS CAPITULI SEDUNENSIS. »

Attamen Gregorius, quamvis lætaretur, de

Episcopi innocentia tam præclaris testibus patefacta, non parcit tamen quin et suaviter et magna prorsus dexteritate admoneat, ut cautius in posterum sese gerat, nec nimis familiariter cum iis agat, qui prave de rebus religionis sentiunt, quo omnem possit de sua fide suspicionem vitare. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 52. fol. 49.

Venerabili Fratri Hildebrando Episcopo Sedunensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Optavimus semper falsa esse ea, quæ ad Nos fuerant de te delata, cuicuimodi vero essent ad te perscribere voluimus; nam si vera erant, connivere nulla ratione poteramus; si falsa, tamen tuam æstimationem sic lædi dolebamus; tuum vero est sic cogitare, si falsa sunt, non magis me lædit hæc accusatio, quam accusatores ipsos; me vero oportet gratias agere Deo, qui me ab hujusmodi criminibus purum integrumque servavit; si vera, nihil est, quod illis succenseam, magis quam mihi ipsi, qui hanc eis accusandi occasionem tribuerim; ipsi vero nullum mihi tribuerunt ita vivendi; simul etiam cogita, non esse in nostra potestate, quominus alii de nobis male existiment; nullam autem illis causam præbere, hoc vero in nostra potestate esse. Et nos quidem speramus, ea falsa esse, ut ex tuis et Canonicorum tuorum literis accepimus; te vero ex hac re pro tua sapientia hunc fructum relaturum, ut posthac tanta omnibus in rebus, atque in omni vita circumspectione utaris, ut nullum malevolorum criminationibus sis locum relicturus. Volumus has nostras literas Fraternitati Tuæ atque ipsis Canonicis communes esse, quibus omnia pollicemur, quæcumque possunt a patre expectare filii carissimi, atque optimi. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XVII. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXXIX. — Ne clericis vel indignis, vel qui in aliena Diœcesi ortum habuissent, nec a natalis loci Episcopo cum usitatis commendationis epistolis dimissi essent, manus imponantur, et in presbyterorum collegia cooptentur, Præsules Argentinensem et Basileensem monet. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 177 f. 103.

Venerabili Fratri Episcopo Basileensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Quantopere cordi fuerit Sacro Concilio Tridentino eos, quibus Ecclesiastici ordines conferuntur, tali munere et gradu dignos esse, ac tales, qui possint doctrina, probitate, pietate cæteris prodesse, animarumque saluti, quæ sæpe ipsis committitur, consulere, declarant tot decreta et canones, qui in eo sunt, de diligenti examinatione adhibenda, deque alienæ diœcesis homine absque sui Episcopi testimonio et commendatione minime ordinando. Quæ quidem decreta dolemus a tuo suffraganeo violata esse: accepimus enim illum ordines contulisse nonnullis ex diœcesi Constantiensi a suo vicario examinatis, atque indignis repertis et rejectis, id ut insciente te factum esse existimamus, sic satis esse confidimus, te certiorem reddere, neque enim dubitamus, quin omni diligentia provisurus sis, ne quid tale in posterum committatur. Erit id tua pietate dignum, animabus maxime salutare, Deo autem acceptissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die nona Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XL. — Helvetii ex Friburgensi pago gens apprime Catholica, jamdiu de amicitia jungenda omni astu a Genevensibus sollicitabantur, jamque res in eo erat, ut fœdus iniretur. Timendum porro maxime erat, ne necessitudine rerum humanarum conflata religiosi etiam errores ex illa urbe Calvinistarum omnium parente in Catholicam affluerent. A tam pravo igitur consilio et discriminis pleno Gregorius Friburgenses deterret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII An. II. epist. 185. f. 107

Dilectis filiis Helvetiis Friburgi Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti Filii salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, hæreticos Genevenses summo studio niti de societate vobiscum jungenda et fœdere confirmando. In quo agnovimus vetus atque a sanctis Patribus multis in locis detectum Sathanae ejusque Ministrorum artificium: nam ubi aperte id assequi nequeunt, quod unum student, ut quam multos possint a Christo avertant, modestiam et lenitatem simulant: verumtamen venenum aspidum sub labiis eorum et molliti sunt sermones eorum super altum, et ipsi sunt jacula. Hoc autem, quod nunc moliuntur, de fœdere vobiscum ferendo, nihil potuit cogitari vestra gloria alienius, nihil Deo gravius, nihil vestræ saluti adversarium magis. Nam si ideo quærunt vos sibi adjungere, ut vos suis armis atque auxiliis, ubi opus fuerit, tueantur, quid magis alienum est vestra bellica virtute et gloria, quam putare ullam vos in ea fere spem ponere atque ad eam confugere? quam vero illi opem vobis afferre poterunt? oportet vos habitare in adjutorio Altissimi atque in protectione Dei cœli commorari, quæque humano consilio provideri possunt, ea sic comparare, ut nullam spem in Dei inimicis ponatis: si enim vobiscum Deus, quis contra vos? si illius inimici vobiscum, quis pro vobis? certe nemo; nam eosdem ipsos inimicos sua potentia disjiciet Deus, disperdetque, ut tenuissimum fumum ventus validissimus. Quod si ipsi sibi metuunt a divina ira, vosque sibi socios asciscere conantur, redeant miseri ad eundem ipsum Deum, quem deseruerunt, eripiant se ex naufragio, in quo jactantur, redeant ad Matrem Ecclesiam, quæ unicus est portus salutis, et habebunt vos atque omnes catholicos eunjuu-

ctos christiana charitate et fœdere, quo nullum tenacius vinculum esse potest. Interim autem dum volunt in sua pernicie et obstinatione persistere, nihil est, quod ad vestram virtutem confugiant. Quæ societas, ait Apostolus, luci ad tenebras, quæ conventio Christi ad Belial, quæ pars fideli cum infideli? et Joannes; ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, nec quidquam est, quod magis clament sancti Patres, quam ut omnem hæreticorum non modo societatem, sed sermonem etiam vitemus, tamque dicunt posse illus cum catholicis convenire quam amaritudinem cum dulcedine, tenebras cum lumine, pluviam cum serenitate, pugnam cum pace, cum fertilitate sterilitatem, cum fontibus ariditatem, cum tranquillitate tempestatem, et sperant impii posse vos sibi copulare. Non sinit hoc Nos credere vestra spectata virtus et pietas, neque tamen potuimus hac eorum audacia non graviter commoveri, propter zelum Christi, nostramque erga vos charitatem; scimus enim, Christum nullos habere capitaliores inimicos hæreticis, qui summum ipsius opus, hoc est salutem animarum suo ipsius sanguine partam destruere ac delere conantur; videbamus autem vos ad maximum, certissimumque Divinae indignationis atque ultionis periculum vocari, quod quidem vos summopere cavere oportet filii charissimi, semperque in animo habere verba illa a Moyse Divino instinctu ad eos, qui erant cum Dathan et Abiron habita. Recedite a tabernaculis hominum impiorum et nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Hoc vos pro vestra prudentia et pietate facturos esse non dubitamus, ac si ullus nostræ cohortationi locus relinquitur, ut id faciatis per vestram salutem, perque Christi sanguinem et viscera, quantum possumus, rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XIII. Decembris 1573 Pontificatus Nostri anno secundo.

XLI. — Missus insuper jamdio erat extra ordinem a Pontifice ad Helvetios Legatus Comensis Episcopus, qui Pontificis nomine et hoc fœdus impediret, et de cæteris, quæ sacra spectant, rebus cum summis Reipublicæ magistratibus colloqueretur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII An. II epist. 163 fol. 86.

Dilectis Filiis Helvetiis septem Pagorum Catholicorum Ecclesiasticæ libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Cum cogitaremus ad vos mittere aliquem ex nostris venerabilibus fratribus Episcopis super nonnullis rebus, de quibus vobiscum agi oportet, neminem judicavimus aptiorem venerabili fratre Episcopo Comensi, cui ad præstantem fidem cæterasque dum sanctæ hujus Sedis causa istic fuit, vobis perspectas virtutes, vestram etiam erga eum benevolentiam, ejusque in vos charitatem accedere intellegabamus. Mittimus igitur virum et vobis, et nobis probatum, vestrique amantissimum, quem ut vos pro nostra humanitate, atque ejus meritis libenter visuros, sic omnem ejus verbis fidem habituros esse confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XLII. — Ut ad res Polonorum redeamus, interregnum præter omnium expectationem tranquille habebatur. Conventus, quibus ea, quæ ad eligendum regem spectant, præjudicari et adornari solent, quæque ideirco comitia præparatoria, et vulgo Dietinæ nuncupantur, postr. Non. Jan. indicta fuerant. Acatholici (Dissidentes appellant) occultis coitionibus plura contra avita sacra moliebantur, et spem in animum induxerant, aliquem suæ sectæ hominem in regem cooptare. Perplures Catholicorum in suam sententiam pertrahere blanditiis et magnis largitionibus satagebant, et aliqua jam ex parte perfecerant, fœdere quodam inter se conflato Varsaviæ v. Kal. Februar. Foederis capita præcipua hæc erant. Regem nonnisi hæreticum hominem creari placere, aut qui certe, prout cuique visum esset, liberum permitteret de Divinis sentire et disputare; et ita facultas cuique esset, quæ vellet sacra sectari: tum profecto quæcumque ad Catholicam Ecclesiam spectaverant, et ab hæreticis occupata vel distracta fuerant, ne eorum repetendorum jus esset: per totum regnum ministris quorumlibet sacrorum templa æquo jure paterent, in quibus suo quisque ritu sacra faceret, et ad populum conciones haberet.

Franciscus Commendonus S. R. E. Cardinalis et Zacinthi Episcopus per ea tempora legati munere apud Rempublicæ Polonicam summa cum laude fungebatur. Hostium ille dolos vix dum edoctos Episcopos adire, Senatores et Equestris ordinis viros sermonibus delinire, ab impio fœdere, vel rectius conjuratione deterrere. Nec in irritum cessere labores, qui inter Catholicos magis cordati erant, præeuntibus Episcopis omnibus sollemnibus litteris fœdus Varsavicose detestati ad tuendam Ecclesiæ incolumitatem hisce verbis intercessere. (*)

(*) Polonia Vol. VII fol. 71.

« Nos Senatus utriusque status nostro et Internuntiorum nomine ad convocationem Varsovień. ablegatorum, qui non subscripsimus Confœderationi de dissidio Religionis in hac convocatione a quibusdam Senatoribus et Internuntiis conscriptæ et constitutæ. Notum et testatum facimus omnibus et singulis cujuscumque dignitatis, honoris et status in Actis Castrensibus quod cum Varsaviam confluxissemus id tantummodo de loco et tempore electionis Regis futuri constitueremus, quidam Senatores et Internuntii conscripserunt inter se quandam Confœderationem, in qua licet reperiantur aliqua ad

confirmandam publicam pacem pernecessaria; nihilominus tamen quædam eidem sunt injecta, quæ non solum nomine, sed etiam sequentibus temporibus vel maxime sunt nocitura. Illa præsertim clausula, qua cautum erit in rebus ad cultum Dei pertinentibus ad Magistratum quempiam nulla esset provocatio. Atque hac ipsa viam sibi munire videntur ad diversissimas Sectas et alias res improbissimas illicitasque excitandas hujusque licentiæ præsidio, fuisset illis facillime hæreses importare, non solum istas, quæ apud nos fere videntur esse communes, sed etiam horridissimas et deterrimas quasque, utpote Adamitarum, Turcarum et alias iis perquam similes, quæ ad atheismum nos tandem rejicere facile possent, cui nos providentes huic Confœderationi inductis omnibus iis, quæ ad pacis et concordiæ publicæ conservationem pertinent, libenter assentimur, uti decet, hos quos secundum Deum pacis et tranquillitatis publicæ studiosissimos, amantissimosque constat semper fuisse. Atque in eo solemniter protestamur, quod nos nullum genus suplicii, nullam sanguinis Christiani profusionem et maxime genti nostræ Polonæ, charissimisque fratribus nostris optamus, quin potius si quis id facere contenderit vel aliquam ejus rei occasionem præbuerit, huic omnes resistere et sese opponere et volumus et promittimus. Illud tamen in ea Confœderatione probare non possumus, quod omnem penitus Magistratum videtur illa quodammodo tollere et evertere, quod ad blasphemiam nominis præpotentis Dei et ad omnem libidinem novæ religionis introducendæ, cujusvis etiam sortis extremæ homini occasionem præbeat, qua leges, consuetudines et libertates Ordinis Equestris ad interitum prolaberentur. Quapropter cum propter has tam propter alias causas quam plurimas subveremur, ne in posterum inter nos et subditos nostros sub pretextu religionis et libertatis christianæ pariat aliquid tale, quod apud Munsteros Suancaros et in aliis locis superioribus temporibus constat accidisse. Nos itaque huic articulo, qui de dissidio religionis in hac Confœderatione conscriptus est, qui multa in se periculosa et nociva continet consulentes, respicientes priorem Confœderationem et juramentum nostrorum, quod huic est maxime contrarium respicientes conscientias et officia nostra, quæ vel imprimis laudi Divinæ, majoribus nostris, Ecclesiæ Dei, fratribus denique nostri Ordinis Equestris debemus, ad ea integris conscientiis nostris consentire nec volumus nec possumus, proinde quoque non consentimus, qua in re in actis publicis palam testamur, ac petimus, optamusque, ut ejus nostræ protestationis hæc eademque forma in acta queat referri, presertim adeo cum et Internuntii ex quibusdam Palatinatibus ab Ordine Equestri missi denunciare et palam fateri videantur, suos id sibi in mandatis non dedisse, ut de hac Confœderatione quicquam statuere et decernere auderent, imo se vere illos admonuisse, et in hac convocatione propter tempus et locum pro electione Regis futuri constituendum, rebus aliis sese intersererent, quam publice testati sunt in eam Confœderationem se consentire nec velle neque posse.

XLIII. — Omnibus animi ardore, et virtute præibat Gnesnensis Archiepiscopus, cui meritas idcirca laudes Gregorius libentissime tribuit, simulque monet, ut in propugnandis Ecclesiæ juribus pari semper constantia digladietur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII lib. III. f. 85.

Venerabili Fratri Jacobo Archiepiscopo Gnesnensi.

GREGORIUS PP. XIII.

«Venerabilis frater salutem etc. Dici non potest quantum nobis gaudium attulerit insignis virtus et pietas tu, acum a gravissimis viris accepimus, te istic usum esse in illa Sathanæ ministrorum exitiosissima conspiratione rejicienda, et gravissimis verbis detestanda cum ita diceres, te dexteram tibi potius abscissam iri passurum, jugulumque ipsum hostibus præhiturum, quam ut eam fidem proderes, quam Christo ejusque Vicario dedisses; aut pueris puellisque timidior esses, quos a fidei synceritate nulla vis abduxisset, nulli cruciatus deterruissent, tam præclaram vero mortem et tali ætate et rerum statu non solum expectare, sed toto etiam pectore expetere. Nam quid potuit exitiosius cogitari, quam quod illi tentabant, ut liceret hæreticis cum catholicis vivere omni legum et pœnarum metu ademplo, utque catholici eorum impietatis adversus magistratus et principes propugnatores essent? Ubi ullum catholicæ religionis vestigium, aut nomen ex facto residuum fuisset? Est enim Magni Leonis sententia frustra uti catholico nomine eos, qui hæreticorum impietatibus non resistunt, quid igitur illi, qui eos etiam fovent atque armis tuentur! Et quamquam nihil potuit Sathanas flagitiosius cogitare ac per suos ministros curare, tamen ut nihil potest esse tam nefarium, tamque ab omni ratione alienum, quod non sentire et suadere audeant hæretici, periculum erat, ne catholicos tam funestarum conditionum subscriptores haberent, nisi tua virtus et pietas obstitisset, cæterosque ab illis conditionibus deterruisset. Gratulamur fraternitati tuæ, quod ipsa voluntate, et mortis pro Christo oppetendæ desiderio, martyrii ab eo palmam consecutus sis; quodque ista tua pietate tanta in re, tam necessario tempore, tam aperte testificata magnam Christo gloriam, cœlestibus omnibus gaudium, universo isti regno salutem, bonis nunc præsentibus constantiam, posteris præclarissimum præbuisti ad imitandum exemplum. Et quamquam omnia nobis summa pollicetur virtus tua, tamen pro nostro munere, et incredibili desiderio facere non possumus, quin te hortemur, et rogemus ut

in isto Regis eligendi, in quo versaris negotio, tui similis sis, neve desinas Christi causam tueri, tamque præclaram ei, a quo optimam istam voluntatem adeptus es inserviendi facoltatem omni cura et studio amplectaris. Quanto in periculo istius Regni res sint, ex illa nefaria conspiratione et conatu perspexisti, quantum porro utramque in partem, sive ad salutem, sive ad interitum in Rege ipso situm sit, pro tua prudentia facile intelligis, quæ tuæ sint partes in tam illustri dignitate et loco non ignoras, quid bonis omnibus spei pollicentur pietas tua, recens hoc tuum factum declaravit. Perge igitur bonorum omnium atque in primis Dei ipsius caritatem tibi in perpetuum adjungere, a nobisque atque ab hac Sancta Sede Apostolica cui te conjunctissimum atque obsequentissimum ostendisti, omnia expecta, quæcumque possunt proficisci in fratrem carissimum atque optimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XXVIII. Martii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

XLIV. — Septimo Idus Aprilis ad agendum de novi Regis electione Varsaviæ in campum Comitiis inauguratum descensum. Lithuani cum Moscorum Cæsare conspiraverant, qui suum filium Poloniæ Regem renunciari cupiebat. Michael Harabunda Lithuanorum Legatus ad Moscum Cæsarem missus plura de hoc eligendo colloquia cum Novogradiensi Duce habuerat. Cum vero conditiones a Russiacorum Autocratore in superbiam elato ferentur penitus graves, quæque omnem Polonici regni dignitatem pessumdarent, res inani conatu gesta est. Non pigebit narrationem perlegere, quam de rebus cum Mosco gestis legatus ipse Lithuanorum Harabunda conscripsit, quam ex Polonica lingua in Italicam conversam Gnesnensis Archiepiscopus Commendono Cardinali tradiderat, summi Pontificis oculis subjiciendam. [*]

XLV. — Turcarum Imperator ipse etiam electioni sua studia intermiscere conabatur, non quidam sibi Polonorum regnum vindicaturus, sed ut amicum aliquem sibi Principem Moscorum principe penitus rejecto in Regem eligerent hortatus. Machmetus Imperatori Turcarum a consiliis et supremus Dux, Bassa nomen est illis, Selymi Imperatoris nomine ea de re quas afferimus litteras Senatui, cæterisque Polonorum ordinibus scribebat; quibus aliquem ex ipsa Polonorum gente Principem virum in Regem eligi suadebat, vel saltem ex candidatis regibus, qui maxime Turcarum nomini amicus haberetur. Satis constabat Andegavensem Ducem Galliarum Regis fratrem his verbis innui et commendari. [*]

Litterarum Magnifici Domini Mahomet Bassæ Supremi Consiliarii Cæsareæ Celsitudinis ad Illustres Spectabiles et Magnificos Dominos nec non Egregios Viros Polonorum datarum expositio.

« Illustrissimis Spectabilibus Magnificis et Egregiis Dominis Amicis Dilectis salutis et benevolentiæ sinceræ post commendationem. Tenore litterarum nostrarum amice scriptarum significamus suaviter mortuo Rege Vestro Serenissimo dilectissimo amico Cæsaris Nostri excellentissimi mortui et viventis, multum jam temporis esse elapsum necdum quempiam in Regiam dignitatem a vobis esse evectum. Quod prænunciat aliquam inter vos discordiam esse ortam. Nam auditur a nobis, quosdam vicinos Reges sollicite affectare Regium inter vos honorem. Vos itaque diligenter perpendite illos non esse de stirpe Regia Vestra, nec jure sanguineo Regnum Vestrum ad illos spectare considerate: nam illi omnes affectatores Regni Cæsaris Nostri invictissimi sunt hostes, ne alio fine Regnum appetunt, quam ut Imperio et ditioni Cæsareæ Celsitudinis Regnis Vestris vicinissimis molesti esse possint: juxta vestrum consilium sunt insuper Reges quoque quidam, qui Legatos suos ad Portam splendidam Cæsareæ Celsitudinis Nostræ miserunt, per quos supplicant, ut aut filiis, aut fratribus Regium inter vos officium Cæsarea Celsitudo illis impetrare dignaretur. Sed cum Polonia et Imperium Polonorum sit tamquam paries ditionis Cæsareæ Celsitudinis Nostræ, ab antiquisque temporibus Cæsarum et Regum vicinitate, familiaritate et benevolentia summa conjuncte vixerunt cum subditorum utriusque Imperii optata pace et tranquillitate. Nequaquam Cæsareæ Celsitudinis Nostræ voluntas patitur, ut malevolus et Cæsareæ Celsitudinis hostis inconfœderatusque in Poloniæ Regem eligatur; quin potius votum et voluntas Cæsareæ Celsitudinis est, ut ex Dominis naturalibus Regni idoneus quidem ad auctoritatem Regiam evehatur; quod etiam in Litteris proximis diebus ad Vos datis Cæsarea Celsitudo significavit. Qua in re si voto Cæsareæ Celsitudinis responderitis testor Deum, nihil ex Porta hac præter optatum bonum vos sensuros; alienum vero creare in Regem Poloniæ ditionibus Cæsareæ Celsitudinis, nempe Moldaviæ, Transilvaniæ, et reliquis est periculosum. At si juxta votum Cæsareæ Celsitudinis et meum Amici Vestri antiqui operati fueritis, unumque vestrum ad Regiam dignitatem elegeritis, pristinamque inter duos Principes et Regna amicitiam, concordiam et benevolentiam conservaveritis et custodieritis familiariterque in Regnis, Vajevodis, et Regionibus Cæsareæ Celsitudinis vixeritis, Regnum V. salvum et tutum ab omnibus injuriis, et desolationibus permanebit, occasioque laude digna ad subditorum utriusque partis pacificam et tranquillam conservationem ministrabitur. Notum autem est Portæ Cæsareæ Celsitudinis splendidæ et nobis Regnum Poloniæ Dñis Illustrissimis et Prudentissimis esse refertissimum, qui consilio, prudentia et auctoritate, non solum illius

[*] Mucllosa docum. N 13. Narrat iste polonice conscripta typis edita apud Turgenieff Historica Russiæ monumenta ex antiquis exterarum gentium archivis et bibliothecis deprompta Petropoli 1841 T. I p. 227. seq. De Harabunda consule Fr. de Adelung kritisch literarische Uebersicht der Reisenden in Russland bis 1700 S. Petersburg 1846. T. I p. 271.

[*] Polonia Vol. 7. fol. 308

Imperii gubernatione digni essent, imo mundum fere totum regere et gubernare valerent. Procul dubio igitur consultius et æquius tam Vobis, quam etiam Nobis fore judicamus, si ex Dñis Vestris prudentissimis et sapientissimis unumquempiam Reipublicæ præfeceretis. Hoc enim esse notum Cæsareæ Celsitudini Nostræ in litteris suis amanter ad vos datis significavit. Speramus autem ab omnibus vobis, eo vos fore erga Cæsaream Celsitudinem animo, ut litteras Cæsareæ Celsitudinis auribus cordis Vestri exaudire dignati, utile, tranquillum et pacificum Consilio Vestro profundo et sapientia ineffabili decernatis, juxtaque votum Cæsareæ Celsitudinis operamini. Quod tam Regno Vestro quam etiam Nobis utilissimum fore sole clarius perspicietis. Mea quoque unica spes est vos antiquam pacem, coocordiam et familiaritatem non violaturos, sed totis viribus et consilio prudenti petitioni et voto Cæsareæ Celsitudinis morem gessuros. Si autem quispiam ex vobis diversum quid fecerit, jam radicatam amicitiam, benevolentiam et vicinitatem infringet. Quod diligenter caveri debet, nam tandem nulla excusatio apud nos locum est habitura; sed potius prædicta exequentur. Valete fœliciter, legatumque nostrum non remoremini. Datum Constantinopoli (feria quarta ante festum Paschatis. Anno Domini 1573.)»

Paullo post missus etiam cum ipsius Turcarum Imperatoris litteris legatus (Czausias appellant), qui nomine sui tyranni amicitiam, benevolentiam et studia omnia effusissime sponderet, atque eadem fere quæ Machmetus scripserat, monita afferret. Si Polonis arrideret, suæ gentis hominem Regem constituere, commendabantur imprimis Selymi litteris Uchanskius Archiepiscopus Gnesnensis, vel Joannes Firlejus Cracoviensis provinciæ Dux, Palatinos appellant, et totius regni copiarum supremus imperator, tum Georgius Jasloviecius Russiacæ, et Nicolaus Mielecius Podoliæ Palatini. Sin externum Regem præoptarent, iterum ad eum seligendum imitabantur, quocum amicitiam et fœdus incorrupte servare maxime Turcæ possent. En Selymi Imperatoris litteræ quæ non parva dignum laude et admiratione virum abunde portendunt. [*]

[*] Polonia Vol. 7. f. 74.

Expositio Litterarum Invictissimi Cæsaris Turcarum ad Illustres Mag. Spectabiles et Egregias Dominationes Polonas datarum.

«Non clam vos est Rñi Patres Episcopi Illñi Spectabiles et Mag. Domini, atque egregii fideles Principatum et Regiam dignitatem, nemini nisi divinitus dari, illud quoque ex sola misericordia Dei omnipotentis fieri. Audit autem nostra Cæsarea Celsitudo discordias et contentiones inter Vos de eligendo Principe mortuo Rege Vestro Serenissimo Amico nostro dilecto esse ortas. Ideoque nullum ad hoc tempus usque electum inter Vos esse Regem, aut Principem scit, pervenit etiam in aures nostras Cæsareas quosdam vicinos Vestros studiose flagitare et poscere officium Regium Polonicum, non alio autem fine, quam ut in Regna nostra ditionibus Polonicis vicinissima et mutuis limitibus terminata manus immittere possint. Sunt præterea Reges etiam quidam, qui ad Portam nostram Cæsaream Legatos suos miserunt, postulantque a nobis et supplicant, ut aut filiis eorum aut vero fratribus officium Regium impetrare dignaremur. Sed cum Polonia ab antiquis temporibus imperio nostro fuerit vicinissima, et utpote uno pariete determinata; ideo conatus et stodium nostrum Cæsareum est totis viribus Poloniæ excidium mollientibus et vim machinantibus resistere, Poloniamque ab hostibus vindicare; ut coloni et subditi partis utriusque sub umbra et protectione alarum nostrarum pace optata frui possint. Quapropter alienum a nobis et inconfœderatum neminem judicamus dignum officio Regio Polonico. Omni igitur conatu et consilio prudeoti vobis studendum censemus, ut ex vobis et Regni Vestri stirpibus unumquempiam ad Regiam dignitatem, et Regimen Regni eligatis. Alieno enim et nobis inconfœderato deferre Regiam auctoritatem, sine dubio Imperii nostri periculo, videlicet Moldaviæ, Transilvaniæ, et reliquorum vicinitate Imperii nostri junctorum fore perspicimus. At si ex vobis quispiam in Regem fuerit creatus, qui nempe pristinam erga Regna nostra declaret benevolentiam, concordiaque sincera cum Vaievodis nostris, et Regnis vicinitate junctis, vixerit, multiformes nostras gratias et clementias cognoscetis, quietique et tranquillitati subditorum utriusque partis consuletis. Itaque si secundum votum nostrum Cæsareum ceptum negotium ad exitum perduxeritis et Principem nobis gratum, Portæque nostræ splendidæ faventem elegeritis, Deo Optimo Maximo faciente in gratiam et benevolentiam nostram Cæsaream insereremini, et quicquid a nobis optare sciveritis, fœlicissime consequimini. Quod si vero discordes inter Vos fueritis, alienumque in Regem vobis eligeritis, procul omni dubio contra votum nostrum agetis. Quod ut ne accidat, ex vobis aut Jacobum Uchansky virum strenuo ingenio et summa prudentia ornatum, aut Josonem Firlei, aut Jaslowiecsky militari studio illustratum aut vero qui vobis ex filiis Regni libuerit, ad Regiam dignitatem elevare debetis, hocque consultius fore Vobis sentietis. Quare primum ac fidelis noster Achmed mandato nostro ad Vos pervenerit, statim Dominorum prædictorum unumquempiam ad gubernationem Regni postposita omni discordia et contentione debetis elevare, elevatumque honore debito venerari obligamini et totis viribus ad subditorum partis utriusque tranquillam conservationem conari convenit. Cavete igitur ne quid ex debito honore Principi delecto

desideretur, sed secundum præceptum Dei honor et obedientia debita exhibeatur. In his omnibus oportet vos diligentes et vigilantes esse; nam si contra votum nostrum Cæsareum alienum ad dignitatem Regiam ex discordia extolleritis, sine dubio nulla ratio, nulla excusatio Vestra apud Cæsaream Celsitudinem nostram valebit. Idcirco Vos strenuos esse oportet, ut diligentia omnis in hoc negotio adhibeatur, ne alieno nobis ingrato, et hosti officium Regium inter vos deferatur: Valete feliciter. Datum Constantinopoli Anno Domini 1573. (feria 4. ante Festum Paschatis.)

XLVI. — Quam acriter in comitiorum primordiis disceptatum sit, et quam pro virili Archiepiscopus Gnesnensis pro catholica parte tuenda dimicaverit, videre est ab ejus quem addimus libello, quo de rei gestæ ordine Commendonum Legatum certiorem reddidit. [*]

[*] Polonia Vol. 7. fol. 209

« Die 2. Maji cum variæ hominum opiniones essent, et aliis quidem placeret, ut electio Regis terminaretur, aliis vero ut prius quam id fieret lex Regia reformaretur, corrigerenturque nonnulla ex legibus Regni, res ad contentionem non mediocrem pervenit. Quo factum est, ut Palatinatus Plocensis, et Mazoviæ, et Terræ Dobrinensis, aliique multi ex diversis Palatinatibus Archiepiscopum flagitaverint, ut electionis deliberationem in medium proponeret, et si id facere nolit consulturos omnes rebus suis, idque facturos quod ex utilitate Regni existimarent. Non improbavit Archiepiscopus desiderium hoc illorum, declaravitque se id facturum esse, nec commissurum ut correctio legum electionem impediret, expectaturum tamen esse reliquos Senatores, qui nondum in Comitia venerant, ne neglecti et posthabiti esse viderentur. Interim qui abfuerunt venerunt. Palatinus Cracoviensis, Sendomoriensis et multi alii, tandem Nobilitas Siradiensis Terræ sermonem habuit ad Senatum, rogavitque, ut Senatus deliberationem de legibus corrigendis, articulosque pridie porrectos absolveret, ad electionem tandem procederet, cujus mora periculosa esset. Ad hæc Archiepiscopus respondit se nolle de ulla re alia, quæ de electione ipsa exordium sumere, id ipsum petere plurimos, ipsumque cognoscere magis expedire, ut hoc fiat et aliæ deliberationes post electionem differentur. Hanc ejus orationem Samuel Sborowski excepit, seque cum multis aliis ipsi adhæsurum esse vitæ etiam discrimine dixit. Inde acclamatio, fremitusque populi consequutus est. Aliis quidem cupientibus, ut electio statim Regis inciperet, aliis ut reformatio legum absolveretur. Episcopus Cracoviensis accepto exemplari articulorum a Cracoviensi Palatino, dixit nonnulla esse, quæ possint absolvi, et ipse legit primum caput, quo Rex obligatur successorem sibi non eligere, sed neque Comitia ad hoc indicere, quod statim approbatum est, reddidit postea exemplar Cancellario legendum, et cum de confœderatione caput quod sequebatur, legeretur, magna contentio exorta, vixque ad sententias dicendas locus est datus. Archiepiscopus exorsus est, multaque est contra confœderationem locutus. Duas religiones uno in Regno nullo modo esse posse, quemadmodum nec duos Dominos, Deum scilicet et Diabulum una in sede consistere, hæc ille disertis verbis contra confœderationem, cui se subscribere nolle, neque id debere a quoque committi dixit. Secundo loco dixit Episcopus Cracoviensis, videre se caput hoc de confœderatione controversum esse propterea se, cum alii omnes approbassent, tunc approbaturum. Episcopus Cuiaviensis et Plocensis, fortes, et prudentes sententias dixerunt contra confœderationem, Posnaniensis breviter, sed tamen in aliorum sententiam. Item reliqui quoque Episcopi. Castellani Cracoviensis Catholici anceps fuit sententia. Dixit se maxime hoc etiam desiderare, ut hæreses nullæ sint in Regno: sed quia communis hæc Regnorum omnium calamitas sit, potius quam bella inter Christianos fiant, pax et tranquillitas quoque sit in Regno, cujus cum hæc confœderatio causa possit esse, non videri iniquum, ut hæc ab omnibus subscribatur. Cracoviensis Palatinus multa in eam sententiam quoque dixit, et multi post eum hæretici. Primus e Senatoribus Laicis Palatinus Calisiensis decreto contra confœderationem est locutus et longa oratione disserebat, eam non religionem modo et pietatem in Regno evellere posse, sed omnem etiam ordinem politicum evertere dixit. Palatinus Siridiensis non negavit in convocatione Varsoviensi se confœderationi subscripsisse, sed eam tamen videri sibi exitiosam et Reipublicæ valde perniciosam. Quod cum ita sit non se posse approbare eam dixit. Capitaneus Samogitiæ contra confœderationem, et prudenter et acriter est locutus, illiusque oratio multorum animos confirmavit, apposita magis ad eam rem oratione nemo fere usus est. Ex Catholicis autem, quorum sententiæ confœderationem oppugnabant, hi fuerunt Palatinus Mazoviæ, Palatinus Chelmensis, Castellanus Belzensis, Castellanus Leopoliensis, Castellanus Brescianensis, Castellanus Janivilodensis, Castellanus Raciazensis, Castellanus Vilnensis, Castellanus Seprienis. Aliquorum Catholicorum dubiæ erant sententiæ reprobantes quidem confœderationem, sed pacem et tranquillitatem Regni, quæ videbatur ex ea emersura approbantes. Cæterum hæretici in cœlum ferebant confœderationem, eosque aliquot sunt sequuti Catholici Senatores. Vix loqui desierunt Senatores, cum Capitulorum procuratores Gnesnensis, Cracoviensis, Vladislaviensis, Posnaniensis, Plocensis, suo et fratrum et totius Cleri Polonici nominibus contra confœderationem sunt protestati, se nullo modo in eam consentire velle neque posse. Post hæc Nobilitas terrarum Mazoviæ, et alii

multi idem fecerunt. Hæretici deinceps se confœderationem velle protestati sunt, et suo, et ministrorum suorum hæreticorum nominibus. De ministris privatim a nonnullis admoniti sunt, verecunde illos ut nominent, si quidem illi de corpore ordinum Regni non sint, nec privilegia libertatesque Regni illis serviant. Sedato deinceps tumultu Palatinus Cracoviensis dixit, quandoquidem fieri non possit, ut hæc confœderatio Reipublicæ valde necessaria ab omnibus subscribatur, non fore contra justum et æquum, qui hac opus habent, ut eam illi ipsi soli subscribant, qui vero sibi non necessariam existimant in arbitrio eorum esse, ut hac non utantur. Ad hæc Archiepiscopus respondit, rem mali exempli esse consuetudinique Reipublicæ adversariam, si forte in aliquo Senatus et Equites non consentiant, ut una pars præ altera aliquam sibi prærogativam usurpet. Illud vero tantummodo servari velit, et pro concluso haberi, quod omnes concluserint, idque solum publice ab omnibus, et privatim a singulis teneri et observari. Reclamatio deinde subsecuta est hæreticorum, ut id valeat singulis, quod valere potest. Tandem sedato tumultu ad reliquos articulos propositos concludendos descensum est. Quorum nonnulli absoluti sunt, nonnulli vero sicut de judiciis post electionem absolutam reservati. Juramenti vero Regis formula, in quam hæretici volebant ingerere expressum juramentum de confœderatione servanda et licentia religionum, explosa est. Conclusum deinde ut per Dominum Regni Maresciallum in Civitate et Campo publico pro die Lunæ futuro electio Regis proclamaretur. »

Cæterum comitia nundinis similiora, quam publico consilio videbantur, et jam eo res inclinabat, ut regnum Andegavensi Duci addiceretur. Favebat illi imprimis Gnesnensis Archiepiscopus magnum sane præsidium utpote qui regni comitiis præerat. Juvabatur vero maxime Turcarum studiis, eique favebant, qui plurima Moscum et Austriacos Duces oderant. Gallorum legati Joannes nempe Montlucius Valentinensium Episcopus vir novis rebus vel in ipsa religione studens et Guido Lansacius callidissimis artibus regni postulationem sustentabant. Carolus quippe rex totis viribus in id incumbebat, et ardentius etiam regina mater dilectum sibi præ cæteris filium Andegavensem Ducem regiis insignibus decorari deperibat. Nec igitur impensis, nec promissis, nec largitionibus, nec laboribus parcebant, ut proposito potirentur. Enim vero summo impedimento erant tractationi Dissidentes, hoc enim nomine eo in regno appellantur, qui novas de religione opiniones profitentur; hi alieno ab Andegavensi Duce animo erant, et quia ejusdem victoriæ ex iis tantum relatæ fuerant, qui eandem cum ipsis religionem sequebantur, et quia Parisiensis strages acerbius a Protestantibus in admodum remotis regionibus significata, in eam illos sollicitudinem adduxerant, ut suspicarentur, si electus rex foret, ne eos qui a Catholica fide abhorrebant, uti acerrimus ejusdem cunctisque jam notus assertor, vexaret; hanc suspicionem fovebant, augebantque, cum literis, tum crebris nunciis plures Protestantes Germaniæ Principes, Hugonottorum cæde exacerbati, Henricique amplitudinis invidi. Quamobrem Rex, variis evulgatis scriptis, suorumque legatorum opera conatus fuerat eam excutere, quæ hominum menti inhæserat opinionem, Parisiensem scilicet internecionem diu structam, et multo ante perpensam fuisse, verum improviso casu partam ob Classis Præfecti temeritatem, qui inimicorum insidiis vulneratus, exasperatusque in eam præcipiti actus ira prolapsus fuerat deliberationem, ut novam contra universam Regiam familiam conjurationem fecerit: addebat Rex, indicabatque conscientiæ libertatem, non vero apertum, ac publicum Calvinianæ religionis cultum se toleraturum, cumque hoc non satis esse videretur veritus, ne magis irritaret atque lacesseret Protestantium et Evangelicorum hominum animos, lentius Rupellæ expugnationem urgere cœpit, ne Andegavensis Dux eam urbem vi subigens, eorum in se odium augeret ejusdemque Civitatis vastitate, majora ipse sibi impedimenta crearet suæ in Poloniæ Regem electioni, ejusdem feliciter procedente tractatione; hoc autem Rex non adverterat, verum ipsius apud Polonos legati, ac præcipue Valentinus Præsul crebris epistolis monebant, ut mitius cum Huganottis in Gallia ageretur, ne novæ difficultates afferrentur.

XLVII.—IV. Idus Majas Senatus cæterique Reipublicæ Ordines generaliora quædam legum capita sanxerunt in articulos distincta, quæ Rex designatus antequam regnum capesseret, se servaturum sponderet. [*]

[*] Polonia Vol. 7. fol. 261

«Anno Domini 1573. 12 Maji in Comitiis Electionis Regis in Villa Kamyen fuerunt conclusi per Senatores et Ordines infrascripti articuli.

1° Regem electum non debere nominare, vel designare aliquem successorem in Regnum, sed electionem liberam et illæsam relinquere statibus, et Ordinibus Regni.

2° Servare pacem, et tranquillitatem, inter dissidentes de religione juxta contenta cujusdam Confœderationis a quibusdam incolis factæ.

3° Non expedire legationes ad externos Principes, aut ab his ad S. M. adire, nec milites adversus hostes conscribere sine consilio et consensu Dñorum utriusque gentis consiliariorum exceptis his legationibus, quæ non multum ad Rempublicam spectarent, et pro ratione et necessitate temporis possint expediri, quo casu habeat potestatem expediendi cum consiliariis, qui tunc erant penes S. M.

4° Expeditionem publicam, seu generalem sine consensu omnium Regni ordinum non statue-

re, nec exercitum extra fines Regni sine solutione quinque marcarum super quamlibet hastam sine aliarum causa educere, non retinere subditos in loco expeditionis, et illius congregationis assignari diutius quam duabus hebdomadis, quando expeditio, ex publico decreto Comitiorum non est facta, subditis extra Regnum educendis consentientibus omnibus ordinibus solventur quinque marcæ pro quolibet, tam pedite quam equite, ad generalem expeditionem de jure Regno obligato, antequam fines Regni exeant et hoc stipendio non diutius quam per unum quartale retineri possint.

5° Exercitum non dividere in magnas vel parvas partes militibus non deductis extra fines Regni spatio duarum hebdomadarum, liceat unicuique in domum suam redire, tempore expeditionis generalis omnes sumptus ad Rempublicam necessarios facere de suo puta pro tormentis bellicis, jaculatoribus, custodibus, speculatoribus, peditibus, et aliis hujusmodi, quæ usus belli poscit, fines Regni, et ditiones dominiorum ad regnum spectantium ab incursionibus hostium præsidiis, et omni genere munitionis defendere suis impensis servata quarta parte reddituum secundum Regni statuta.

6° Stante varietate in Senatu opinionum, non concludere, sed omnium rationes perpendere et ad unam sententiam si potest omnes deducere, quod, si fieri non poterit, quod legibus libertatibus et commodis Reipublicæ consentaneum S. M. videbitur statuere et concludere exceptis tamen his negotiis, quæ more solito ex omnium ordinum consensu expediendæ sunt.

7° In quibuslibet Comitiis Generalibus 16. personæ ex ordine senatorio eligantur ex communi consensu ordinum, et aliis Regni officialibus adjungantur, sine quorum scitu et consilio et authoritate Rex nihil statuat de negotiis Reipublicæ, qui Senatores omnia cum dignitate Majestatis Regis fieri curabunt, et in futuris Comitiis rationem reddant ex omnibus actis suis, et Regis Senatoribus aliis sit liberum ire ad curiam, hisque omnibus præsentibus omnium consiliorum fiat participatio. Deputati supra alios Senatores quicquam prærogativæ non habeant, nisi quod præfixum sibi ad Regiam Majestatem tempus continuare debeant, sic quid acciderit, quod reliquos consiliarios scire intersit, ad eos juxta morem antiquum deferatur.

8° Provisio deputatis ex fisco Regis detur Episcopis scilicet Terrarum Russiæ et Secularibus 500. floren. pro quolibet pro sex mensibus. Polonis autem Episcopis nihil detur.

9° Comitia generalia singulo biennio ad summum fiant necessitate non exigente et accedente consensu Dñorum Consiliariorum sæpius, et dicta Comitia expediantur omnino spatio sex hebdomadarum.

10° Ante Comitia generalia fiant Conventiones particulares juxta morem antiquum et in Lithuania secundum ejus statuta; in Regno Poloniæ in Kolo et Korein, in Lithuania in Volkoniska; et in his Conventionibus necessaria significentur.

11° Regem non posse uti alio Sigillo in negotiis Reipublicæ tam intra quam extra Regnum præter Regium concreditum Cancellario et Vice-Cancellario Regni et Magni Ducatus Lithuaniæ.

12° Officia Regni integra in sua authoritate retinere et officia curiæ non supprimere nec suffocare et cum vocaverint idoneis et Reipublicæ benemeritis concedere et non extraneis.

13° Relinquere Dominis possessionum libere mineras metallorum, salis et aliarum rerum, quæ in eorum fundis reperiuntur et super his nullam molestiam inferre.

14° Nullas interpretationes aut deductiones ex jure externo admittere, bona a Regibus donata pro feudalibus non habeantur, nisi quæ disertis verbis in eorum privilegiis feudalia esse præscribuntur.

15° Capitanei et Præfecti tam finitimi, qui intra Regnum Castrorum et Civitatum majorum, jurent se tempore interregni loca sibi concredita tradituros nisi ligitime electo ab omnibus Polonis secundum jura liberæ electionis.

16° Diadema Regalis cum aliis insignibus per Thesaurarium Regni Cracoviæ in thesauro publico asservetur sub sigillo et clavibus Castellanorum Cracoviensis, Posnaniensis, Vilnensis, Sandomiriensis, Calisiensis et Trocensis, qui absque consensu Senatus atque omnium ordinum potestatem alicui non dabunt, infirmitate tamen aut alio justo impedimento aliquorum existente dicti impediti teneantur mittere claves ad Collegas, morte autem interveniente alicujus, superstites allato sigillo demortui aperire possint.

17° In judiciis publicis Rex non possit se intromittere, sed forma eorum in provinciis constituta servetur, sit etiam liberum cæteris Provinciis similem formam sibi constituere. Correctio horum judiciorum communi omnium consensu sit semper libera. Rex dicta judicia si visum fuerit Provinciis suscipere teneatur. Rex teneatur confirmare quandam legum correcturam et quendam modum judiciorum, quem consiliarii Magni Ducatus Lithuaniæ, Terræ Volhiniæ, Kioviæ, Braclaviæ, et earum quæ legibus Magni Ducatus utuntur, unanimiter inter se volunt constituere in futuris Coronationis Comitiis, et dictam formam judiciorum et correctionem defectus juris promittere.

18° Nullas contributiones in bonis Regalibus, vel Senatorum spiritualium nec occasione vectigalium Civitatibus Regni, et aliis Dominiis ad Regnum pertinentibus facere sine consensu omnium ordinum, nec monopolia earum rerum, quæ ex Regno vel Magno Ducatu Lithuaniæ extra Regni Dominia evehuntur instituere seu permittere.

19° Matrimonium non contrahere, nec de eo tractare absque consilio totius Senatus, neque contractum dissolvere ullis ex causis nisi quæ verbo Dei expressæ sunt. Conditiones omnes per Oratores Regis Galliæ propositas esse adimpleturum.

XLVIII. — Mox longa habita consultatione peculiares alias quasdam conditiones Andegavensis Ducis legatis proposuere, qui ejusdem nomine postrid. Idus Maji subscripsere, et jurejurando interposito sartas tectas habiturum, auctu-
(*) Polonia Vol. 7. fol. 365. rumque neoelectum Regem promisere. (*)

« Articuli inter Senatum Status Poloniæ et Lithuaniæ et Oratores Galliæ 16. Maji ejusdem anni 1573. in iisdem (Electionis Regis) Comitiis in Villa Kamyen.

1. Fœdus perpetuum inter Galliæ et Poloniæ Regna usque ad adventum Regis reservatur. Hostes hoc Regnum justo exercitu invadentes et molestantes Regem Galliæ primum commonere, ut a bello abstineant, idque si obtinere non poterit, peditatu si status Regni voluerint, juvabit eosque pedites ad fines Regni transmittet, quod si maluerint pro peditatu Vasconico equitatum Germanicum vel pecuniam, Rex præstabit. Rex Galliæ equitatu Polonico indigenis stipendiis ab eo acceptis adjuvabitur.

2. Contra Moscorum Principem 4000 Vasconum peditum dare, hisque dictum Regem Galliæ per 4. menses stipendia solvere et necessitate exigente, pro aliis sex mensibus suis etiam stipendiis non esse denegaturum; et in omnem eventum Rex Poloniæ proventibus seu redditibus Poloniæ non utatur.

3. Rex Poloniæ cum primum ad Regnum venerit, classem necessariam et sufficientem ad tuendos portus et dominium maris et dictorum Regni et Provinciarum adjacentium suo sumptu alat, et instituat, ut res et necessitas suadebit et status Regni censebunt.

4. Primo tempore emporium aliquod nobile in portu aliquo Galliæ mercaturibus Poloniæ, et ejus mercimoniis instituere, eandemque libertatem commeandi, et quævis commercia faciendi in Galliam, Alexandriam atque terras novas Polonis fore, quam ipsi Galli habent.

5. Regem electum singulis annis 450,000. florenorum, quos in Regno Galliæ habet, in Regnum Poloniæ illaturum et in usus Reip. pro arbitrio.

6. Omnia debita assensu Senatus tum a Rege demortuo, tum etiam ab ejus morte usque ad adventum S. Ser. Reip. causa contracta, quorum rationes Senatores et status S. M. indicabunt, et in scriptis proferent, in se suscipere et pecuniis suis persolvere, videlicet cum primum in Regno fuerit, dimidiam partem, reliquam vero termino duorum annorum proxime sequentium.

7. Academiam Cracoviensem ad meliorem frugem litterarum reducere adductis etiam in qualibet professione doctissimis viris, quibus stipendia suis pecuniis perpetuo præstare teneatur.

8. 100 ex nobilium familia filios in Cracoviensi, seu Parisiensi Academia alere suo sumptu, et si statibus Regni placuerit, eorum partem litteris, et aliam armis in aulis Principum externorum se exercere arbitrio statuum esse facturum.

9. Nullos peregrinos homines in Regnum adducturum præter paucos, quorum opera in domestico ministerio uteretur, quos brevi remittere teneatur, prosolutis stipendiis de suo. Et nullas possessiones, officia vel dignitates illis concedere, sed tantum indigenis juxta Regni statuta.

10. Servare omnia privilegia, jura, statuta, immunitates, prerogativas et libertates Regni tam a Regibus concessas, quam quovis nomine acquisitas ac diuturno usu approbatas, seu nunc circa electionem ex unanimi et concordi consensu omnium Ordinum sancitas, et juxta sibi traditam formam juramento corporali ante coronationem confirmare et litteris necessariis munire. »

Jam vero ab ipsa die, quæ fuit postr. Non. Maji Gallorum Legati, quo proniorem sternerent viam suo Duci ad Sarmaticum thronum satis occulte in pacta quædam, quæ non solum Polonicis Dissidentibus, sed et ipsis Gallis Hugonottis summopere favebant, juraverant, et ea sancte servanda tum ab Andegavensi Duce, tum a Gallarum Rege ipso spoponderant. (*) (*) Gallia Vol. 7. fol. 718

« Postulata nobilitatis (quæ Evangelicam Religionem in Polonia profitetur) Rmo D. D. Jo. Montlucio Episcopo et Comiti Valentino, et in privato Regis Christianissimi consilio consiliario, ac Mag. D. D. Guidono Sangelasio Lanssacci D. Equiti Aurato et cæteris Christianissimi Regis Legatis et Oratoribus oblata.

1. Imprimis ut Regi Christianissimo placeat rerum omnium, quæ per bellorum civilium tumultus in Gallia actæ sunt, et eorum omnium, quæ eorum causa fuerint consecuta, memoriam sempiterna oblivione delere.

2. Deinde ut omnibus qui volent Christianissima Majestas concedat pro immensa bonitate sua in omnibus Galliæ locis pacate vivere, ut eis religionis quam amplectentur causa (quæ reformata dicitur) periculum incommodumve nullum creetur domi hisque locis ubi inhabitabunt, in eos non inquiratur si modo ex edictorum prescripto vivant Rom. Eccl. et Catholicæ, ne adesse cogant, nec illis ulla ratione inservire.

3. Iis qui e Gallia excedere volunt liberum Rex Christianissimus faciat bona vendere, aut de iis alias prout libuerit disponere, ac pretium e Gallia transportare, quod si malint bonis non distractis eorum redditum annuum percipere, id illis sine fraude liceat, addita omnibus quoties voluerint in Galliam redeundi, et in ea manendi potestate, dummodo aut ad Regni hostes aut ad

eos quibus cum Rege nulla sunt fœdera non divertant.

4. Præterea ut Rex Christianissimus ad perpetuam clementiæ et mansuetudinis memoriam eos eorumve heredes, qui ob conspirationem, quæ mense Augusto 1572. Parisiis facta dicitur, condemnati sunt, in bona, nobilitatem et existimationem pristinam restituat, non obstantibus aut Edictis Regiis si qua sint, aut quibuslibet Senatusconsultis, nec aliis judiciis decretisve, quibus Rex ob certas graves magnasque causas derogatum esse volet.

5. Ut qui in clade illa, quæ Parisiis mense Augustu et postea per aliquot Galliæ urbes populi insanientis furore commissa est, occisi sunt, eorum heredibus Regiorum munerum, quæ tunc gesserint æstimationem, idest, quanti quodque officium antea vendi solitum est, Rex in sempiternam misericordiæ commendationem restituat.

6. Ut Exulibus ob Religionem ac cæteris omnibus, qui clade illa perterriti e Gallia aufugerant, reditum in Galliam cum omnium inimicitiarum oblivione Rex concedere velit, eosque in bona, famam, dignitatem restituere, dummodo illi arma deponant fidemque regiam agnoscant.

7. Ut Rex benignus cum iis urbibus agat, cæterisque locis, quæ ad eum usque diem, quo hæc capita Chrīīæ Majestati offerentur, religionis, quæ reformata dicitur, exercitium retinuerunt.

Imprimis omnium injuriarum et rerum ante actarum velit oblivisci, illisque concedere, ut religionis libero exercitio sicut antea fecerunt in posterum fruantur, sintque in omnibus præsidiariis militibus immunes, dummodo et ii Regiæ fidei se dedant, armaque deponant.

8. Ut in eos, qui adversus edicta Regia cædes perpetrarunt, severe inquiratur et animadvertatur, ut ad religionis exercitium pueros baptizandos, et matrimonia contrahenda Rex in singulis Galliæ Provinciis unum locum eligere et concedere velit.

« Nos Jo. Monlucius Episcopus et Comes Valentinus in privato Christianissimi Regis consilio consiliarius, et Guido Sangelasius, Lanssaci Dominus Eques, Cataphractarum Equitum turmæ Præfectus, ad Illīīos et Amplissimos Poloniæ ordines Christ. Majestatis Legati et Oratores pollicemur, et sancte juramus Christ. Regem in Illustrium. Magnif. Spectabilium et Generos. Dominorum et Equitum gratiam, qui Illīīo Duci Andegavensi in Poloniæ Regni petitionem faciunt, octo priora capita et postulata Gallis, qui religionem profiteri voluerint, concessarum, prestaturum ac servaturum eisque fidem hoc nomine obstringimus.

« Ad postremum vero caput, quod est de locis in quibuslibet Provinciis ad religionis exercitium assignandis, ita respondemus nos omni studio, et cum nostra atque bona fide apud Illīīum Ducem Andegavensem acturos et eum rogaturos, ut id a Rege Christianissimo impetret et perficiat.

Actum Plosci die VIII. Maji MDLXXIII. sub chirographis et sigillis nostris. »

At Gnesnensis Archiepiscopus, ut id rescivit, et eum sequuti reliqui Episcopi. tum perplures ex Senatorum et Equitum numero iis conditionibus forti animo, irrito tamen conatu, postr. Idus Maji intercesserant.

XLIX. — Rebus ita constitutis Poloni pariter et Lithuani Henricum Andegavensem Ducem unanimes in Regem cooptare consentiunt, et XVI. Kal. Junias hora septima post meridiem Regem renunciant, et more institutoque majorum solemni ritu confirmant.

Conditionibus jamdiu dictis et jurejurando firmatis alia etiam accessit, qua designati Regis nomine Galli Oratores spoponderunt Henricum, etsi adolescentem vixdum XXII. ætatis annum agentem, matrimonium inconsulto Polonorum Senatu initurum non esse, nec aliam ducturum uxorem nisi Annam Poloniæ Infantem ut vocant, Regis vita functi sororem, ætate jam satis provectam, utpote quæ quinquagesimum quintum annum nata esset. Cui hujusmodi sponsio deridiculo non sit? Nulli profecto rei Galli oratores parcebant, quo majoribus largitionibus, et muneribus suffragia Polonorum emerent, et ita Andegavensi Duci regni viam patefacerent. En oblatas Regi conditiones. [*] [*) Polonia Vol. 7. fol. 319.]

« Nos Joannes Monlucius Episcopus et Comes Valentinus, Guido de Sancto Gelasio Lansac Dominus Eques Ordinis Sancti Michælis, et Egidius de Novalles Abbas Insulæ et Sancti Amandi Christianissimi Galliarum Regis, ac item Serenissimi Electi Regis Poloniæ Oratores testatum omnibus facimus, quod cum multi ex Magnificis et generosis Dominis a totius Regni ordinibus ad nos deputati venissent, atque eorum nomine nobis articulos quosdam, quibus conditiones oblati Regni Serenissimo Principi Domino Henrico Duci Andium, videlicet continebantur, nobis proposuissent, in quibus hunc etiam, ne ejus Majestas numquam sine consensu Senatus matrimonium contrahere possit. Nos hoc articulo cum cæteris acceptato hæc addidisse verba, quod cum intelligeret Serenissimus Rex Serenissimam Principem Annam de prædicta Jagellonum familia ortam esse, et raris animi dotibus ornatam esse, si a Senatu prædicto statueretur, ut illam in uxorem duceret, id faceret lubenti animo atque illi esset gratissimum, et id postulare. Deinceps vero Senatum per Magnificum Dominum Joannem Herbertum a Fulstin Castellanum Sanocensem Capitaneum Przemisliensem et Generosum Dominum Joannem Zamosci Capitaneum Belzensem ac Zamoiscensem et Regiæ Majestatis Secretarium nos certiorea reddidisse id ita de matrimonio Serenissimi Prin-

cipis Henrici ac Serenissimæ Principis Annæ conclusum et constitutum ab universo Senatu ac ordinibus etc. Datum Varschaviæ die xxi. Mensis Maji Anno Dñi 1573.

L. — Comitiis nondum dimissis electionis acta confecta sunt, quique in Gallias perferrent, electumque Regem totius gentis nomine consalutarent, tum ex Polonorum et Lithuanorum Senatibus, tum ex Equestri ordine lectissimi quique viri selecti sunt. Legationis Princeps Episcopus Posnaniensis Adamus Konarski.

LI. — Gregorius nuntio accepto de Henrico Polonorum rege salutato sollemnes Deo grates in Sacello Vaticano prid. Kal. Junias reddidit. Considerationem merentur, quæ hujusce rei occasione Mucantius habet. (*)

(*) Diario Tom. 14. fol. 99.

« Die Dominica ultima mensis Maji fuit Missa extraordinaria in Cappella pro lætitia nuntii allati de electione novi Regis Poloniæ videlicet Henrici germani fratris Regis Franciæ, in qua electione constanti fama relatum est, Selim Turcarum Imperatorem suas partes interposuisse, atque adeo ejus potissimum opera effectum habuisse, quod unicuique generaliter displicuit: sed quia Rex Christianus fuit lætandus. Missam celebravit de Trinitate Rñus Cardinalis Varmiens. cum collecta pro gratiarum actione. Sñus D. in sede delatus cum pluviali et mitra preciosa accessit ad Cappellam, ubi adfuerunt Cardinales xxxi, Oratores Franciæ, Venetorum, Hetruriæ et Urbini. »

Henrico deinde Regi Gregorius amoris et benevolentiæ plenissimis litteris de delata regni dignitate gratulatur, et ad eum gratulationis afferendæ causa Seraphinum Olivarium mittit, qui Judicis munere inter eos fungebatur, qui Pontificis explorata sententia in vices jura reddunt, auditores S. Rotæ nuncupantur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II epist. 3. fol. 1.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Duci Andegavensi in Poloniæ Regem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili Noster salutem etc. Summa cum voluptate cognovimus, quanta fuerit Dei benignitas in Poloniæ Regno Majestati tuæ deferendo: neque enim alius hujus rei author agnoscendus est, quam Deus. In quo voluit virtutem tuam, et catholicæ Religionis tuendæ studium tam multis præliis, tam intestinis, tam constanter, tam tenera ætate, tanto tuo cum periculo, tum aliis, tum hoc tempore cum maxime in ista hæreticorum obsidione atque oppugnatione testatum remunerari novo hoc, et maxime hujus Regni gerendi et gubernandi negocio et labore. Sic agit cum suis Deus, ut nova semper munera largiatur iis, qui acceptis antea muneribus recte sunt usi. Puer eras, ut inquit sapiens, sortitusque ab eo fueras animam bonam; præclaramque istam sanctæ Religionis tuendæ ejusque hostium delendorum voluntatem et virtutem; ecce nunc ejus benignitas, quæ nescit largiendo defatigari, quoniam tu quoque in recte agendo defatigatus non es, perduxit te in quemdam quasi campum amplissimum, in quo posset tua virtus latissime excurrere majoremque in dies apud homines laudem, apud se ipsum merita comparare. Hanc tibi pro Christo proque ejus ovibus suscipiendi laboris, solicitudinis, vigilantiæ ab ejus benignitate tributam facultatem jure optimo gratulamur, quo quidem pro Christo laborandi fructu adempto, quid est in Principatu et Regno, quod magnopere sit expetendum? quid quod non cum omni conatu fugiendum? nihil certe, nisi summus angor atque ærumna est. Illis etiam gratulamur, quibus te Regem esse voluit Deus; neque enim tam ille tibi tribuit Regnum, quam te Regno: magisque est, cur illis gratulemur, quam tibi. Ut enim periculosius difficiliusque multo est bene imperare, quam bene imperanti parere, sic illi minimo cum labore, nullo autem cum periculo optimo Regi parebunt: tu unus pro omnibus labores et pericula adibis sustinebisque. Sed aderit idem Deus, siquidem quod tua virtus pollicetur, ipsum semper præ oculis habueris, omniaque ad ejus laudem et gloriam direxeris, hocque ipsum Regnum tibi ab eo commissum esse agnoveris gratiasque ei egeris, quod te potissimum nullis ibi opibus fultum, nulla cognatione munitum, ac ne illis quidem nationibus unquam visum tam longe acciverit, idque eo magis ejus bonitati acceptum tuleris, quo fuit ab omnium opinione alienius. Hæc ut perpetuo cogites curesque assidue a Dei benignitate precamur. Utque hoc nostrum gaudium summamque de tua præstanti virtute expectationem significamus Majestati tuæ per has nostras litteras, perque dilectum filium Seraphinum Olivarium nostri Palatii Apostolici causarum Auditorem, quem ad te mittimus, sic hujus gaudii publice privatimque indicia dedimus, sacrisque solemnibus Deum venerati sumus, eique quod Regnum istud Majestati tuæ elargitus sit. Ipsius autem Seraphini verbis, ut eandem, quam nostris fidem adhibeas rogamus. Mittemus propediem alium nostrum et Sedis Apostolicæ Nuncium ordinarium, qui apud Majestatem tuam sit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die prima Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Eosdem lætitiæ sensus Carolo quoque Regi Gallorum Gregorius effuse testatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II epist. 4. fol. 2.

Charissimo in Christo Filio Nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Poloniæ Regnum ad Henricum fratrem tuum delatum esse, incredibiliter lætamur; gratulamurque et Majestati tuæ, quia Domus tuæ amplitudini omnem accessionem fieri cupimus; et Hen-

rico, quia optimæ voluntatis perpetuæque pro sincera Christi religione dimicationis hunc ab eodem ipso Christo fructum retulit; et vero ipsi Regno, quia cum Regem est adeptum, cujus virtus omnia pollicetur, quæ possunt ab optimo Rege expectari. Nostram hanc et communem bonorum omnium lætitiam cumulet in dies fœlicissimo rerum omnium exitu divina benignitas et misericordia, quam Nos quidem perpetuo imploramus ad sui nominis gloriam suæque ecclesiæ amplitudinem. Mittimus gratulatum Majestati tuæ nostro nomine dilectum filium Seraphinum Olivarium nostri Palatii Apostolici causarum Auditorem. Ejus verbis summam fidem ut adhibeas, rogamus. Datuo Romæ apud S. Petrum etc. die prima Junii 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

Mox etiam ut cumulatius gratulandi officio fungeretur renunciatus ad Polonicam Rempublicam Legatus Vincentius Laureus Montis Regalis Episcopus, qui tunc temporis legatus ad Ducem Sabaudum profectus erat, eique in mandatis datur, ut se Lutetiam statim electum Regem salutatum conferat, eique si Regi placuerit in itinere Polonico comes fiat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 10 fol. 6.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Duci Andegavensi Poloniæ Regi Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Beatissime in Christo fili Noster salutem etc. Posteaquam accepimus, te Regem Poloniæ creatum esse, decrevimus ex veteri instituto superiorum Pontificum atque hujus sanctæ Sedis Apostolicæ aliquem mittere, qui apud Majestatem Tuam esset earum rerum causa, quas cum ea agi oporteret. Maxime autem idoneum judicavimus venerabilem fratrem Vincentium Montis Regalis Episcopum et quia ejus solertiam ac prudentiam perspectissimam habemus, et quia tibi acceptissimum esse existimamus propter singularem tibique minime obscuram ejus erga te observantiam. Hunc ut benigne excipias et commendatum habeas, rogamus: habebis enim eum tum isthic, tum in Polonia, qui Majestatem Tuam comitabitur paratissimum ad omnia, quæ Apostolica, quam a Nobis accepit auctoritate perficere poterit, peragenda; quæ minus poterit Nobis nuncianda. Rogamus Majestatem tuam, ut illis in rebus, quas et nunc in adventu ipso et in posterum nostro nomine tecum aget, libenter eom audias, proque nostro Nuncio ordinario habeas, eandemque ejus verbis quam nostris fidem adhibeas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die prima Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

LII. — Henricus interea certior factus se Regem esse renunciatum Joanni Sborowski Palatino Odolanoviensi, qui eum in regni ambitu præcipuo studio juverat, et inter legatos a Polonis missus in Galliam fuerat, lætantis simul et grati animi sensus aperit. [*]

[*] Polonia Vol. 7. fol. 337.

Excellens Domine Palatine.

« Nos divina ope et Vestra opera Regem Vestrum creatum esse summopere lætamur eoque maxime quod potentes et strenui obstarent competitores, quibus tamen ulla in re cedere nusquam in animo fuit. Quam constanter autem nostram dignitatem sis amplexatus cum ex litteris tuis, tum ex Præczlawki, et Crassowski satis intelleximus. Senties imposterum nos officiorum tuorum non fore immemores. Quæcumque vero scribis nomine nostro a te promissa esse, sancte promittimus, et fideliter nos præstituros pollicemur. Quod si quis supersit, qui nos religionis causa quicquam in nostro Regno perturbaturos esse vereatur, huic audentius nomine nostro significato, nos noo minus pacis, et iotestinæ tranquillitatis severos esse conservatores, quam externi belli fortes, et strenuos propulsatores, artibus utrisque Dei gratia instructi sumus. Oratores interea vestros, qui de creatione nostra, tum de cæteris, quæ a nobis peragenda sunt, certiores nos faciant, non minus desideramus, quod vos nostrum in Poloniam adventum expectatis. His animis erga ducti non dubium, quin brevi cætera, quæ supersint, omnium applausu feliciter exequamur. Bene vale. Datum ex Castris Rupellanis Nonis Junii 1573.

HENRICUS.

LIII. — Angebatur interea animo Andreas Posnaniensis Episcopus, legationis princeps ad regem salutandum missæ, ob conditiones, in quas catholicæ fidei admodum adversas Gallorum legati Dissidentium fraude circumventi descenderant. Consuluit idcirco Commendonum Cardinalem Legatum adhuc in Polonia commorantem, et quid sibi gerendum esset in tanto discrimine postulavit. Timendum enim valde erat, ne cæteri Polonorum legati, ex quibus quatuor Dissidentium partibus erant addicti, et Calvinianorum dogmatum acerrimi propugnatores, regem ad hasce conditiones accipiendas et jurejurando confirmandas adigerent. En Posnaniensis litteras nondum Polonia egressi ad Commendonum datas. [*]

[*] Polonia Vol 7. fol 417.

Illm̃e ac R̃m̃e Dñe.

« Legationem hanc et perdifficilem et meis humeris imparem semper judicavi, sed quemadmodum Senatus ad id me deputantis auctoritatem et preces effugere nullo pacto potui, ita subveritus sum, ne, si et ego, quod omnes fere nostri ordinis faciebant, onus hoc excussissem, res ecclesiastica plurimum detrimenti, ac præjudicii pateretur. Quoties itaque mihi venit in mentem, quid mihi incumbat, cum quot et quibus collegis res sit, et quam perplexa ac difficilis tractatio tam respectu delegantium, quam eorum ad quos delegati sumus, taceo valetudinem aut

itineris longinquitatem, metuo ut non succumbam. Unum me solatur et confirmat nimirum, quod cum alios, tum præcipue Illm̃am at Rm̃am Dominationem V. singulari divina providentia habeo, cujus consilia cum ad meum studium accesserint, securius me omnia, non suo susceptorum modo, sed et perfectorum ex Ecclesiæ et Reipublicæ commodo, confido. Quo nomine cum ad Illm̃am et Rm̃am Dominationem V. expedire vellem, venit Stanievius, litteras summæ benevolentiæ plenas reddidit, multa quin etiam retulit, quæ maxime videntur ad eam rem fore accomodata. Quem tamen angustia temporis urgente illico iterum remittendum necessario esse duxi, petendumque reverenter ab Illm̃a ac Rm̃a Dominatione Vestra, ut in his adhuc, quæ maxime me angunt, et ex quibus secundum Deum salus rerum nostrarum pendet, acre suum judicium mihi impertiri velit. Proponendæ sunt a me Regi electo juramenti formulæ juxta præscripta, quorum exemplaria mitto, proponendi et ad confirmandum articuli: quorum aliqui ab oratoribus Gallis subscripti non sunt, aliqui in dubio relicti, cum de iis inter nos spirituales nobisque adhærentes, et inter seculares conventum non sit, imo protestationes interpositæ. Juramentorum vero formulis omnino a nobis repugnatum, nec a quopiam ex nostris subscriptum est, eo quod licentiose admodum circa religionis dissensionem definirent. Quomodo itaque me gerere debeam, primus cum ad ea proponenda sim, quibus nunquam nec assensi nec subscripsi, et cum totius Ecclesiastici Ordinis personam sustineam, consilio Illm̃æ ac Rm̃æ Dominationis V. opus est. Resp. quæ hoc munus me obire voluit, juxta præscriptas formas omnia mandat proponere: conscientia et studiom Ecclesiæ ac Catholicæ religionis promovendæ, vetat. Abs me si quid hac in parte negligatur, sunt qui promoveant, qui vero me tergoversantem diversasque sententias Regi explicare, vel etiam Cleri nomine protestari volentem juveot ac suffulciant, neminem ex collegis fore arbitror. Publice præterea cum ista agi, ac proponi oporteat, modum quo sine gravi Reipublicæ nostræ scandalo et omnium ferme qui mecum proficiscuntur offensione, subterfugere tanta impedimenta, vel saltem Ecclesiæ, ac rebus nostris providere debeam, apud me nequeo invenire. Plenipotentiæ item sive litteræ facultatis Nostræ Legatoriæ, sunt differentes, quarum unas sub sigillo solius Rm̃i Dñi Archiepiscopi habemus, alias in decreto electionis ab omnibus ordinibus facto. Quarum usus cum primus ac principalis sit, quomodo abs me promendæ erunt in manifesta contrarietate dubius sum. Et quoniam juramenti formulæ mihi ad manus traditæ, neque consensum neque subscriptionem ordinis nostri habent, non abs re fore existimo, ut ab Illm̃a ac Rm̃a Dominatione Vestra aliquid circa hoc perscribatur Rm̃o Dño Archiepiscopo, ut mihi detur alia juramenti formula, quam ego tanquam magis legitimam, et protestationibus nostris consentaneam, et articulis de quibus inter omnes ordines communiter conventum est, non repugnantem pro meliori Ecclesiæ et Reipublicæ tam Regi Christianissimo, quam Regi electo proponere possim. Referet plura oretenus Stanievius, exemplariaque commostrabit, ex quibus Illm̃a ac Rm̃a Dominatio V. informari poterit de iis, quæ me maxime sollicitum in ista Legatione reddunt. Proinde etiam atque etiam diligenter oro velit de his libere ac confidenter mihi suum conferre judicium, currentique stadium pro Ecclesia, viam cum possit dilatare; Illm̃o ac Rm̃o Episcopo Salviato cujus et auctoritate, et gratia plurimum me juvari posse Illm̃a ac Rm̃a Dominatio Vestra censet, ab eadem etiam commendari cupio. Hoc unum equidem in primis propositum mihi est, ut non minus Ecclesiæ, Catholicæque Religioni, quam Reipublicæ ordinumque Regni desiderio inserviam, nec quicquam Deo juvante laboris, diligentiæ, fidei, studii intermittetur, modo cætera non desint. Quam de me existimationem, ut non modo apud se Illm̃a et Rm̃a D. V. integram conservet, sed etiam apud Sm̃um Dñum Nostrum et apud alios promulget, rogo, eamque diu florentem feliciter valere cupio et opto. Datum Cziazemii 13. Junii 1573.

Illm̃æ ac Rm̃æ Cel. V.

Addictiss. servus

Adam Conarski Episcopus Posnaniensis.

LIV. — Gregorius a Commendono monitus, magno ea de re dolore affectus Episcopum Posnaniensem hortatur, ut omnem operam adhibeat, ne conditiones illas rex recipiat, juretve. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 96 fol. 48.

Venerabili Fratri Adamo Conarskio Episcopo Posnaniensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Summa cum voluptate cognovimus de tua ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum Poloniæ Regem electum legatione; quia permultum Christianæ Reipublicæ interesse judicamus, cujus potissimum tam gravi in re fides, atque opera deligatur: idque Divino consilio factum esse arbitramur, ut te Senatus deligeret ejus legationis Principem, cujus pietas, sinceritas, prudentia esset Catholicæ Ecclesiæ pernecessaria. Quæ cum ita sint, tamen teneri non potuimus, quin has ad te literas daremus, testes nostræ voluntatis, paternique in te amoris, solicitudinisque ejus, qua de rebus Ecclesiæ gravissime angimur. Quod tantum negotium tuæ fidei commissum sit, oportet, te immortales gratias agere Deo, quia pulcherrimam tibi facultatem præbuit eam, quam ab ejus bonitate habes, pietatem exercendi, immortalem-

que apud ipsum mercedem consequendi. Summi enim beneficii loco ducere debemus a Divina Majestate, dignos Nos judicari, qui in ejus causa laboremus, quoque graviori, et difficiliori in negocio versamur, eo debemus alacrius, atque acrius incumbere, quia scilicet maximis laboribus scimus quoque maxima esse reposita præmia. Ad hanc cogitationem, qua Catholicos omnes, ubi facultas datur, incendi oportet, accedit etiam proprium istud tuum Episcopi munus, quod quanto cæteris excellit dignitate, tanto debet virtute, et charitate præstare. Nemo te melius novit id, quod incredibili cum alacritate et gaudiu universa Ecclesia accepit, quanta nimirum contentione in Senatu Polono tu, aliique catholici viri obstiterint ei capiti, in quo erat de Religionum concordia; nec dubitari potest, quin illi Sathanæ conspirationi obstiterit in vobis Spiritus Sanctus, vestrasque mentes, ora, animos ad resistendum copulaverit. Idem nunc quoque spiritus debet fraternitatem tuam animare. Etenim cum omnes homines, tum vero Episcopos oportet in recta sententia permanere, neque laboribus cedere, neque terreri minis, aut vocibus sceleratorum hominum, neque periculis propositis moveri, ut de optima sententia, et de dignitato decessisse videantur. Semper vero memoria tenenda sunt verba illa Cypriani ad Cornelium Episcopum. Si ita, inquit, res est, frater charissime, ut nequissimorum timeatur audacia, et quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate, ac desperatione perficiant; actum est de Episcopatus vigore et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac Divina potestate; nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, atque insidias pertimescamus. Sic igitur censemus nefarii illius capitis de religionum concordia, (quæ tamen nulla Catholicis cum Hæreticis esse potest, non magis quam inter lucem et tenebras, vitam et mortem, Christum et Belial,) mentionem apud Regem a te faciendam esse, ut addas, impium esse, atque a Catholicis confutatum, quantumque possis, illud oppugnes, doceasque, quam sit Deo odiosum, animarum saluti adversarium, Regi ipsi, atque adeo Regno universo exitiosum. Hoc facere et tua virtute, et charitate dignissimum erit, et Regi, ut speramus, acceptissimum, neque enim arbitramur, illum ad tale jusjurandum descensurum. Sic autem utrique officio satisfacies, et Legati in mandatis exponendis, et optimi Episcopi in tam impia postulatione confutanda, atque execranda. Quod cum Ethnici quoque fecerint, ut apud suos iniqua postularent eorum nomine, a quibus mittebantur, et eadem ipsa omni contentione dissuaderent, quæ nobis Christianis excusatio relinquetur illis in rebus, in quibus agitur honos Christi, salus animarum, Religionis sinceritas, Regni incolumitas. Quod si non poteris a Rege impetrare, ut illud jusjurandum continuo abjiciat, illud conare, ut rejiciat in illud tempus, cum in Regno fuerit, id quod optima ratione facere poterit, cum ita dicet non ignorare se, quanta de eo capite dissensio, et concertatio extiterit, nec unquam ea de re partium studia consensisse, se autem præsentem multo melius Senatus voluntatem exploraturum, et quod ex illius sententia, atque e re publica esse cognoverit, amplexurum. Hoc te a Rege facile impetraturum pro rei ipsius æquitate confidimus. Neque enim debes perditorum, atque impiorum odia vereri, ubi tuum munus exequeris, conciliasque tibi gratiam Christi, Catholicorum omnium longe et causa et numero superiorum voluntates, Regis denique utriusque, et terreni, et quod caput est, cœlestis, atque immortalis potentiam. Longiores essemus, si pro rei ipsius dignitate possemus omnia persequi, aut si nostra cohortatione, et confirmatione indigeret virtus tua; hæc autem, quæ non necessaria esse videbamus, expressit summum nostrum desiderium Christi gloriæ, laudis tuæ, animarum, ac totius istius Regni salutis, quæ cum illa prodigiosa concordia diuturna esse non potest. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Easdem preces cum Catholicis legationis sociis adhibuit. En quas litteras idcirco Palatino Siradiensi conscripsit. [*]

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Lasco Palatino Siradiensi.

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist 94 fol. 48.

GREGORIVS PP. XIII.

Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. De tua ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum Poloniæ Regem electum legatione eam spem concepimus, quam de optimi viri præstanti ac spectata virtute et pietate concipere debebamus: nihil enim tuæ Nobilitati antiquius fore confidimus Christi gloria, Catholicæ Religionis causa, Regis ipsius, atque adeo Regni universi salute, quæ omnia evertuntur impio illo capite, atque a Sathana excogitato, in quo est de hæreticorum impunitate, et religionum concordia, secundum quod impii homines Regium jusjurandum postulant, cui capiti cum te, cæterosque Catholicos vehementer repugnasse, nec unquam ut assentiretis, adduci potuisse compertum habeamus; non dubitamus, te in ista quoque legatione tui similem futurum, tuumque cor Spiritui Sancto constringendum traditurum, atque omnes Sathanæ machinas contempturum: quod ideo ad te scribere voluimus, ut intelligeres, quantopere tuæ virtuti confidamus, cui quantum Nos debere existimemus, libentius multo rebus ipsis, quam verbis declarabimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die quar-

ta Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

LV. — Legati interea terrestre iter Galliam versus ingressi multis difficultatibus in eo peragendo præpediebantur, eo quod peragrandæ Germaniæ veniam, antequam se in viam darent, ab Imperatore Germanorum non postulassent. Sæpius idcirco cum ad singulorum Germaniæ Principum fines accederent, eos consistere oportuit, et ibi tamdiu expectare donec a Principibus singularum regionum, consulto prius Cæsare, longius progrediendi copia fieret. Ipse Saxonum Dux ex Imperii Electoribus alter, etsi Polonis satis faveret, legatos tamen ob eam causam in sui Electoratus finibus gradum sistere jussit, ut ipsius ad illos litteræ demonstrant. [*]

[*] Polonia Vol. 7. fol. 410.

Rmo Illustr. Mag. ac Nobilibus Viris inprimis Nobis Dilectis Statuum Regni Polonici Legatis. AUGUSTUS DEI GRATIA DUX SAXONIÆ ELECTOR ETC.

« Salutem, ac studia nostra in omni officii genere promptissima Rmus Illustr. Mag. et Nobiles viri inprimis nobis dilecti. De nostra erga Regnum Poloniæ voluntate propensa, dubium vobis esse nec potest nec debet, cum de ea proximis litteris satis testati simus. Quia vero a Cæsarea Majestate ad nos præscriptum est, quid Majestas ipsius statuum Legato de petito salvoconductu responsi dederit, cujus vobis exemplum transmittimus. Nec hucusque de Majestatis ipsius decreto certi quid perceperimus, vel tacentibus nobis intelligitis, quid nos facere hac in re deceat, nimirum ut Majestatis ipsius condignam rationem habeamus, nec prejudicio quasi nostro Majestatis ipsius sententiam intervertamus. Quod cum ita sit, non putavimus fore, ut prius ditionum nostrarum fines ingrederemini, quam certam animi nostri declarationem impetraretis. Facietis ergo a justitia, æquitate et vicinitatis jure non alienum, vestraque prudentia dignum, si vel tantum substiteritis, vel ad Regni fines retrocedetis, donec Cæsarea Majestas de decreto nos suo edoceat, quod in horas expectamus. Idque eam etiam ob causam, ne Cæsareæ illius Majestatis auctoritas a vobis spreta, periculum aliquod vobis creet: atque ita propriam potius quam alienam accusare culpam cogamini. Datæ in Mariemburgo 10. Julii anno 1573.

AUGUSTUS DUX SAXONIÆ
PRINCEPS S. R. I. ELECTOR.

LVI. — Non sine jucunditate aliqua legere est litteras, quas legati de suo per Germanias itinere ad regni Ordines scribebant. Afferemus Lipsia datas ex præcipua Saxonicæ provinciæ tum temporis urbe. [*]

[*] Polonia Vol. 7. fol. 437.

« Illustres et Magnifici Domini. Ex litteris, quas Francfortia ad Oderam ad vos misimus, intellexistis, quas difficultates, et quot pericula hoc in itinere sumus haud dubie habituri; eo quod nos adeo temere commisissemus itineri: neque illud iisdem litteris celare vos voluimus, quod rebus nostris probe consulere cupientes, litteras ad Ducem Saxoniæ misissemus, quibus, ut tutum iter possumus habere, petivimus, qui deinde hunc (cujus copiam vobis mittimus) responsum nobis dedit, propter quod hinc discedere sumus prohibiti; ecquis divinare potest quid tandem nobiscum fiet. Et quemadmodum non solum nunc ex responsis istorum dominorum, sed etiam ante eum ex hominum judiciis, tum etiam ex illorum institutis consiliis, nobis id evenisse sperabamus; ita etiam nobis magnopere optaremus, ut quid cum ejusmodi rebus esset nobis faciendum consilium quoque vestrum dedissetis: sed quoniam a vobis jam perturbatis consilium petere videretur perdifficile, fecimus ut videtur fortassis non imprudenter, quod Mag. Dñum Castellanum Sanocensem ex omnium nostrorum consensu ad Ducem Saxoniæ misimus, ut ex omnibus illis accusationibus, quibus in suis litteris usus est, nos apud ipsum purgaret, utque antiqua pacta et affinitates, quas hoc Regnum et cum Cæsare et cum domo ipsius et aliis Electoribus semper habuit, in mentem illius revocaret, ac ut denique efflagitaret, ne nos in Ducatu suo vexari patiatur, utque recordetur, quod quemadmodum alii Electores, ita etiam fortassis paulo post Dux Saxoniæ de libera nos transmittendi potestate Cæsaris resolutioni acquiescere debebit, quod etiam illum ipsum facere velle constat ex ipsius litteris, ac proinde litteras, quarum etiam copiam vobis mittere instituimus, ad Cæsarem dedimus, ut quemadmodum est pollicitus in favorem nostrum jam aliquod certi constitueret, quamvis multo fuisset commodius si Dñus Castellanus Lublinensis puero illic relicto eum iis rebus nos insequi jussisset, nos ad Cancellariam non rejiciendo. Sed quoniam cum propter longitudinem itineris, tum propter alias causas nos ea celeritate responsum a Cæsare non posse habere prospicimus, ea inquam celeritate, qualem rationes Reipublicæ nostræ in negocio peragendo requirunt: constituimus tamen si durior non fiet retentio a Duce, sed talis qualem hucusque sumus experti, non enim in itinere impediti, sed tantommodo admoniti fuimus hactenus (quamvis nos ignoramus, quanto fiat cum pericolo magnorum dominorum etiam admonitionem vel minimam negligere) ejusmodi periculis posthabitis, non temeritate aliqua, sed amore et utilitate Reipublicæ potius adducti, proficisci ac vitæ periculum potius subire, quam Rempublicam in ejusmodi statu relinquere, duximus. Quod si litteræ passus a Cæsare dabuntur etiamsi nosque hic non præveniant, nihilominus et in aliis locis prodesse nobis poterunt. Ac proinde si nos Dux Saxoniæ summa vi retinere liberamque transeundi per Ducatum suum facultatem denegare voluerit, cumqoe et alii Ducatus transeundi sunt tum

fortassis cum protestatione regredi deinde cogemur; ac postea vel aliud iter recipiendum, vel etiam consilium a vobis erit nobis petendum; non enim hic diutius manere commodum nobis videtur cum propter ignominiam nostram et Reipublicæ, tum propter caritatem omnium rerum maximam. Verumtamen donec Mag. D. Sanocensis revertatur scribere vobis iis de rebus certi nihil possumus, tum demum ex illius responso, altiori capto consilio certiores vos quemadmodum hactenus fecimus, facere noo negligemus. Cupientes de nobis persuasum vobis id fieri, quod fidei nostræ, curæ et diligentiæ ad honorificam et repentinam hujus quod suscepimus, negotiis expeditionem non deerimus, illud quoque vicissim nobis de vestra virtute pollicentes, quod quemadmodum pro ejusmodi nostro ardenti in Rempublicam studio fraternam gratitudinem vos exhibituros, ita etiam repentino aliquo (quod Deus avertat) infortunio oppressis opem non indiligentem laturos non dubitamus. Rogamus quoque ut de resolutione Cæsaris nos certiores faciatis, neque si quid est, quod Reip. nostræ imminere prospiciatis, nos celare velitis, ut de omnibus Regni incommodis, si quæ imminent, coram Electo nostro dicere possimus. Cum iis etc. 14. Julii Lipsiæ. »

In eisdem literis cedula fuit inclusa cujus hæc est ratio:

« Fecimus quidem litterarum quas ad Cæsarem misimus hic mentionem, nos quoque velle vobis mittere illarum copiam, verum propter temporis brevitatem, quo tum cum describeretur deficiebat, in aliud tempus reservavimus, quam una cum litteris brevi vobis mittemus etc.

ADAM CONARSKI EPISCOPUS ETC.

Haud lætiora nunciant postquam Francofurtum ad Mœnum pervenerant. (*)

(*) Polonia Vol 7. fol. 146

« Reverendissimi Magnificique Domini et Fratres Nobis Omni Observantia Colendiss. Commendamus fraterna nostra obsequia, cupientes Vobis bonam valetudinem cum omni consolatione ex argumento crescentis boni Reip. in longa tempora.

« Ne quid culpæ in mora per nos sit, facimus vos certiores de statu rerum nostrarum, præsertim nunc in adventu nostro Francfordiam. Ex litteris nostris, quas alteras ad vos ex Lipsko (Lipsia) dederamus intellexistis, quo modo Kurfierstus (Elector) Saxoniæ per litteras suas aliquantulum temporis nos retinuisset, tandem cura Domini Castellani Sanocensis (qui nomine nostro ad illum ablegatus erat) concessit nobis, ut per terras et dominia sibi subjecta libere transmitteremur, idque verbotenus promisit, Nos vero ut primum nobis de libero transito nunciatum est, ingressi sumus iter cœptum. Verum vix sex miliaribus confectis iterum sumus in ejusdem Kurfiersti oppido retenti Naumburg vocato citra omnem spem ac opinionem nostram, atque diem integram cum inedia mansimus in eodem loco; auctor autem nostræ retentionis fuit Senatus ejus oppidi, qui nullam se informationem a Duce habuisse dicebat præter primam, ut neminem Polonorum et Gallorum dimitteret, quocumque comitatu stipatum: narrabatur enim de hac tam nostra quam Gallorum gente quasdam res Reipub. nocituras molitura: tandem die altera ubi de nobis a Duce significatum est per litteras libere exivimus. Nos autem etsi minime latebat cum ipsum Ducem non propter inopiam tabellariorum hanc moram in significando fecisse, quam ut hoc prætextu inopiæ occasio illi præberetur, quo facilius nobis ac omni Regno nostro illuderet quasi aliud agens. Neglectis deinde his rebus ac omne id negotium nostro judicio submitteotes, progressi sumus ulterius, jamque ex finibus ejus ac Ducum Weimcogensium nepotum ejus sine impedimento egressi sumus.

« Dum in Hassiam venimus, Landegrabii Hessiensis omnem benevolentiam ac humanitatem cognovimus, ad litteras enim nostras non solum liberum transitum concessit, immo etiam servitores proprios ad nos deducendos misit, per quos nobis ac Regi nostro Electo precabatur prosperum transitum ad Regnum hoc inclitum deferens omnem benevolentiam. Eandem humanitatem Abbas Fuldensis demonstravit. Deinde quædam Oppidula Comitis Hanu pacifice emensi omnes incolumes Francfurtum venimus, ubi nos honorificentissime Senatus excepit præmissis in occursum nostrum viris nobilibus aliquot.

« Nunc itaque jam jam nobis minor pars transeundi Germaniæ finium restat: tamen cum aliquas inimicitias nobis Palatini Reni et Archiepiscopi Moguntinensis Electorum vulgus promittit, ad eosdem pro libero transitu misimus atque responsum eorumdem expectamos, fausta tamen omnia sibi precantes, Deoque adjuvante iter conficiemus. Sed quanto nobis magis securior transitus videtur, tanto plus cogitamus per quas partes, vel quo itinere honorificentius ac tutius cum Principe Electo nostro redire possimus, præsertim id in animo nostro circumferentes, ut citissime ad Regnum possit advenire, multum interesse existimamus, quod nos etiam prævidere non dubitamus. Ad promptiorem ac tutiorem transitum Regis nostri Electi, inter cætera hoc commodissime faciendum, quod vos jam fecisse juxta veterem consuetudinem ex ratione fœderum speramus scilicet, ut omnibus confœderatis Regno per graves personas de Electione significetis, ne quis certior de concordia vestra ignorantiam deinceps audeat prætendere. Quod nos maturiori ac graviori judicio vestro submittimus.

« Illud etiam sæpe nobis in mentem venire solet, rem esse valde necessariam, si omnes Principes feudales sunt certiores facti, ut tempus præ-

standi omagii illis sine mora intimaretur, cum sint certa juris feudalis fatalia, quibus non expirantibus tenentur Domini feudi feudatarios suos requirere. Cum his nos sedulo commendamus. Dat. Francfortii ad Mœnum 29 Julii 1573.

Adam Conarski ex Cobelino Episcopus Posnaniensis – Joannes ex Tomice Castellanus Gnesnensis – Andreas Comes a Gorka – Joannes Herburt Castellanus Sanocensis Cap. Premiscensis – Joannes Zamoyski Belzensis Zamoscensis Capit. – Nicolaus Firlei ex Dambrovicza – Joannes Zborowski de Zborow – Nicolaus de Tomice – Alexander Pronski.

«Fama est passim, quod etiam Castellanus Sanocensis audivit a Senatu Ducis Saxoniæ, Principes Imperii convenire ad x. diem Augusti, verum de loco non constat adhuc, Imperatoremque ipsum adfuturum, velleque consilia inire impediendi itineris Regis nostri Electi, quæ si ad vos fama pervenit (salvo vestro meliori judicio) consultum videretur, ut istic quam primum expediatis, ut agant cum illis Oratores vestri de transitu Regis Electi, præsertim cum jam marina navigatio periculosa imminet, nec speramus Regem se commissurum eo periculo marino, neque consulemus.

LVII. —Regni Polonici Senatores Regem designatum de difficultatibus, in quas sui Legati in Germanico itinere inciderant, certiorem reddidere. Simul eum orabant, ut nulla interposita mora Poloniam versus iter arriperet, addebantque e re fore, si mari potius quam terrestri itinere proficisceretur, ne iisdem ac Legati difficultatibus objiceretur. [*]

[*] Polonia Vol 7. fol. 301.

«Serenissime Rex Electe Domine D. Clementiss. Studia et obsequia nostra in gratiam Majestatis V. commendamus, promptamque subjectionis nostræ voluntatem eidem deferimus.

« Non ignorare Majestatem Vestram Regiam certo nobis persuademus, nos in conventu publico Varsaviensi pro Electione Regis novi auspicato elegisse Majestatem Vestram in Regem et Principem nostrum ita suadente et mentes nostras impellente Deo Maximo, qui omnium nostrum in Majestatem Vestram eligendam vota flexit et sententias, deinde non multo post Oratores ipsos ex ordine tam Senatorio quam equestri pro more gentis nostræ viros graves, familiarumque claritate Illustres ablegavimus, qui ad hoc Majestatis solium Majestatem V. inauguratam nunciarent et deferrent. Item alia quæ ad Majestatis V. dignitatem et auctoritatem Regiam firmandam, nostram vero libertatem conservandam pertinere videbuntur, horum aliqui cum diversis intineribus ob certas causas profectionem ad Majestatem V. arripuissent, alii ubivis ex jure gentium se committi posse rati, a profectione sua sunt retracti et detinentur. Accidit autem hoc in primis Illustri et Mag. Domino Joanni Comiti a Tenczin Castellano Voinicensi et Capitaneo Lublinensi, qui ad Majestatem V. orator designatus, cum ex minori Polonia per ditiones Cæsareæ Majestatis rectius et commodius iter arripuisset, ut celerius cum aliis oratoribus in finibus Regni Galliæ se conjungeret, Nissæ Silesiorum Episcopi Vratislaviensis oppido ex mandato Cæsareæ Majestatis detentus atque a destinato itinere prosequendo est prohibitus, ita ut in Poloniam regredi dies xii. istic moratus rogato, sed non impetrato transitu fuerit coactus, et licet per Oratorem nostrum Magnificum D. Stanislaum Slupiecski Castellanum Lublinensem ex Conventu Varsaviensi ablegatum petierimus Cæsaream Majestatem, ut litteras passus per ditiones suas et Imperii nostris daret Oratoribus, tum ipsius Majestas dubiam, ne dicamus contrariam nobis in ea re voluntatem suam declaravit, nec id facere voluit, donec prius sententiam Electorum Imperii ea in re exploratam haberet. Scriptæ quoque erant a nobis ex Conventu Varsaviensi ad Electorem Saxoniæ litteræ, ut Oratoribus nostris in Majestatem V. euntibus, securus per ejus ditionis datis salvi conductus litteris pateat transitus, qui quidem hoc ea ratione facturum se recepit, si annuentem et consentientem huic rei Cæs. Majestatem viderit, quod nobis non modicam suspitionem periculi auxit, ut cognoscamus ex composito practicas necti, ut hac detentione Oratorum nostrorum, quam ex his conjecturis certo futuram speramus, Majestatis V. adventus ad nos protrahatur, vel potius præcludatur, uti nobis Ill. et Magnificus D. Comes a Tenczin retulit, ex quo occasio capi possit, a vicinis hostibus, quibus undique Regnum septum est, rerum novandarum et perturbandæ pacis et tranquillitatis communis, quæ res cum maximi momenti sint, atque adeo tales, ut vix majores esse possint ullæ, tametsi ea de re sumus ad Cæs. Majestatem scripturi, nihilque minus de Majestate Cæsarea nobis pollicemur, quinimmo confidimus ipsius Majestatem pacta nobiscum et fœdera servaturam esse, tamen non videmus tantis malis et periculis avertendis salubrius consilium esse posse, quam si Majestas V. huc ad nos quam primum, et quam celerrime quocumque tandem itinere, quod illi vel consilium vel fortuna securum et ex dignitate ejus obtulerit in Regnum suum Poloniæ veniat, non expectatis etiam in Galliam Oratoribus nostris ad Majestatem V. profectis, si illos forte alicubi detentos intellexerit, aut ipsi ad Majestatem V. et Serñum Regem Majestatis V. fratrem carissimum pro die x. mensis Augusti non venerint. Hoc enim præterlapso tempore non videmus, quomodo Majestas V. commode iter ad nos Regnumque suum arripere possit, sive id mari, sive terra facere voluerit, et longius tempus præstolata, nos Regnumque suum

maximis periculis et incommodis objiceret. Quæ omnia solo adventu suo maturo antevertet, practicasque omnes, quæ ab extraneis ad Majestatis V. decus minuendum et Regni tranquillitatem perturbandam struuntur, non avertere modo, sed evertere etiam sola M. V. potest.

« Hæc nos pro fide nostra erga Majestatem V. Dñum nostrum clementissimum et pro amore patriæ per litteras hasce celeriter deferenda, et significanda voluimus. Nos inquam minoris Poloniæ Senatores, qui periculis hisce exterriti Cracoviam ad hoc incendium extinguendum convenimus, ut non solum eo consilio petitioneque nostra Majestatem V. ad avertenda hæc mala invitaremus, sed etiam reliquis Provinciarum Regni Senatoribus significaremus, ut communi consensu hoc idem a Majestate V. peterent, quod etiam apud Majestatem V. certo facturos esse nobis persuademus. Confidimus igitur Majestatem V. rebus sic stantibus ad nos iter arrepturam esse, eoque freti expedituri sumus brevi ex ordine tam Senatorio quam Equestri viros graves, qui Majestatem V. in finibus Regni, aut ubi Majestas V. nobis et illis significaverit excepturi sunt, et id deinceps cum Majestate V. facturi, quod oratoribus in Gallias missis erat injunctum et imperatum, ut hac ratione et publico Varsaviensi decreto satisfiat, et nos periculis ex tardo Majestatis V. ad nos adventu (quod Deus avertat) evenientibus occurremus. Ea de re significabit etiam Majestas V. Oratoribus nostris, si forte illos detentos alicubi deprehenderit, ut ex voluntate Majestatis V. et ex re ipsa, quid illis facto sit opus, consilium capiant, nosque simul de eorum ad nos reditu et incolumitate cum Majestate V. consulamus. Optamus autem Majestati V. celerem et in primis fortunatum et felicem ad nos adventum. Hoc enim Regnum salutem et tranquillitatem suam in Majestatis Vestræ Regio fastigio, tot virtutum ornamentis illustrato reposuit. Quam igitur spem de Majestate V. concepit, hanc illi conservet petimus. Nos autem pro Majestatis Vestræ incolumitate, felicitate, obsequia subjectionisque propensam et alacrem voluntatem commendamus et offerimus. Datum Cracoviæ 22 Julii 1573.

Ejusdem Serenitatis V.

SENATORES ET SUBDITI.

LVIII. — Attamen quod magis mirere legati ipsi Gallici, cum rege jam renunciato Dantiscum pervenissent, ut iter mari aggrederentur in Galliam, a civibus illius urbis non modo omnia contumeliarum genera perpessi sunt, sed hostium loco habiti et omni armorum genere impetiti sunt. Oportuit igitur Lansacium de illatis sibi injuriis apud Archiepiscopum gravissime conqueri. [*]

[*] Polonia Vol. 7. fol. 481.

Illustrissime ac Reverendissime Archipræsul.

« Hucusque meas querimonias ob injuriam, et molestias, easque gravissimas a Dantiscanis mihi petulanter illatas, solummodo omnipotenti Deo apertas esse cupiebam, sperans ab illis tandem mihi satisfacturum iri aut saltem aliquam pœnitentiæ exhiberi posse demonstrationem, verum divina illos mulctans providentia adeo mentis eorum obcæcavit oculos, ut de quacunque satisfactione, nec de talium hominum in melius ulla conversione nihil mihi restet spei. Quod facit ut nunc mihi recurrendum putem ad Illmam et Rmam Dominationem Vestram, quæ hoc in Regno Regiæ Majestatis auctoritatem induerit, et ejus jam partes gerat, quamque ego ipse novi æquitatis amantissimam ac juris gentium acerrimam propugnatricem. Nempe ut illius opera mihi justitiam reddi sentiam quæ vel omnium mortalium infimo denegare nunquam tantum abest, ut ei qui Oratoris Christianissimi et Potentissimi, itidem Poloniæ Regis ejus fratris, fungitur munere concedi non debeat. Quæ quidem dignitas magni æstimatur, honore afficitur, libertate et securitate fruitur, etiam apud Dei nescias, et Barbaras quasvis nationes. Itaque si pro eo quo tangor desiderio rationes justi mei doloris ad amussim, et sine fuco patefaciendi, videor plusquam par sit in eis hærere, precor obnixe, ne Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ molestiam pareat hæc narratio tot injuriarum, quas hic pertuli et perfero singulis momentis. Jam ab integro mense Dantiscum appuli, nihil aliud habens in votis, quam ut celerrime meum in Galliam multis nominibus reditum pararem. Paucis post adventum huc meum diebus, quidam e familia mea nobiles Poloni quidem illi, et qui me eo amore prosequuntur, ut in Galliam me comitentur, per Urbem animorum recreandorum gratia deambulantes, statim nihil tale suspicantes a civibus opprimi se conspici, fitque in Dominos nobiles tam repentinus et violentus insultus, ut multi eorum graviter læsi, et vulnerati evaserint, ac nisi se quam cito in quandam domum proximam recepissent, et occlusi continuissent, omnes ad unum in vico succubuissent. Cum autem de hac amentia, et violenta suorum civium seditione apud Burgimastros et Urbis Consiliarios conquestus sum, postquam impudenter respondissent, se neminem eorum, qui talia perpetrassent agnoscere, sese satis excusatos de non reddenda justitia putant. Neque tamen tam exiguus fuerat facinorosorum numerus quin millenarium excederet. Quos inter aderant non parvæ in civitate existimationis et auctoritatis homines. Postea mihi visum est ad illos Secretarium meum mittere in Prætorium, quo tum convenerant, ut is meo nomine rursus eos precaretur, saltem ut præcaverent, ne vis hæc, et nefandum scelus ulterius progrederetur utque possem in Urbe cum familia adhuc per aliquot dies libere et sicure degere, sed exauditus minime et ne quidem auditus fuit; immo cum illis rescientibus fere ad spa-

tium horæ ante januam Prætorii supplex restitisset, non est præterea intromissus, at potius lapidibus inde inhumaniter propulsatus. Accidit nempe interea, ut unus juvenum nobilium, qui apud me sunt, nomine Gloskowsky equum habenis contineret, ante hospitii mei fores, ad quem accessit quidam nebulo, qui pugione conatus est eum occidere, cum nullam tamen id tentandi dedisset illi occasionem; nisi forsan ea est, quod vestitus Polonicis indumentis Polonus incederet. Quia autem consiliarii dixerunt se nullum seditiosorum cognoscere, illum statim a meis apprehendi jussi, eaque fuit Magnifici Domini Christofori de Gostka Capitanei Golumbensis virtus, et magnanimitas, ut per magnum et efferatum Civium, qui undequaque accurrebant, concursum publicæ quietis illum perturbatorem ad Prætorium ipse deducere voluerit. Verum cum sæpissime acclamasset ad januam se stare et hominem scelestum manibus se retinere, de quo rationem haberi a Magistratu postulabat, ei nec audientia data, nec janua Prætorii aperta fuit: quin imo parum abfuit, quin dictus Magnificus Dominus de Gostka cum nobilibus familiæ meæ lapidibus, qui hinc illinc conjiciebantur, obruti fuerint. Vicini etiam cum omni telorum genere adveniebant, unde factum est, ut de manibus meorum nepharie illum violenter abriperent, et secum abducerent. Ad tanti tumultus strepitum domo excessi, ut dictum Magnificum de Gostka, et meos inde reducerem, sed nec id fieri potuit, quin etiam ictu lapidis in crure percussus fuerim, ac ut paucis multa complectar de omnibus hisce injuriis nondum ulla mihi reddita est justitia, quamvis sæpissime eam poposcerem, adeo ut per aliquot dies ab urbe discedere coactus fuerim, ut saluti propriæ consulerem: nihilominus postponens omnia pericula ei, quæ mihi incumbit necessitas et festinatio in Galliam ad Suas Majestates redeundi, reversus sum denuo in urbem, a qua tandem cum ea nave qua vehi debeo egressus sum propter eorum maledicentiam, et continuatas semper adversum me injurias. Cumque viderent fore jam me e faucibus tyrannidis eorum ereptum iri, clam inhibuerunt nautis meis, ne me sua opera locata tamen adjuvarent, saltem ut quam possent longum hic tempus protraherent, et irritam navigationem meam redderent, quamvis iisdem nautis ego mercedem pro spatio plusquam duorum mensium persolverim mihique apparatus navigationis jam plusquam quindecim millibus florenorum constiterit. Nullum nempe est vilioris tributi genus abjectorum mercatorum, ad quod persolvendum me non adegerint; atque heri etiam cum me discessurum putarent, (quod fecissem si omnes meos nautas habuissem,) bombardas duas magnas evomere globos fecerunt, qui ad cubiti longitudinem mihi ad latus, dum in superiori meæ navis parte deambularem, pertransierunt. Singulis etiam diebus peditum sclopetariorum cohors una ablegata ab urbe ad eam turrim, quæ in ostiis Vistulæ adjacet, iique pedites dum adveniunt arcem pro more militum salutantes, sclopetorum suorum globulos versus navem meam, quæ prope adest, semper admittunt. Sed Dei Optimi Maximi me beneficentia hucusque ab illorum insidiis, et malevolentia protexit. Quamquam autem hujusmodi injuriæ talis sint conditionis et adeo enormes, ut tolerari nequaquam debeant, non tamen eorum quæ mei sunt in hac legatione muneris, et Regiam, ac Regni dignitatem et incolumitatem pertingunt, tam parum sum providus, quin etiam omnem moverem lapidem, ut obliterari potuissent, si illi ipsi vel tantillum quidem demonstrari voluissent, se quæ perpetrata sunt tolerasse, in particularium quorundam tantummodo odium, neque etiam in Majestatis atque Regum potentiæ contumeliam maximeque potentissimi Poloniæ Regis Domini mei Clementissimi. Sed longe ab istis illa, quæ in tales Reges hujusmodi contumeliosos, et contumaces tangere deberet resipiscentia. Nam quod ad Regem Christianissimum attinet, cujus causa ne quidem separari debet ab ea, quæ potentissimi Regis est Poloniæ, secundum confœderationem novissime invicem Varsaviæ initam, præter etiam illam duobus fratribus Regibus innatam obligationem, in eisque admirabilem benevolentiæ conciliationem hi, inquam, Dantiscani coegerunt Gallicas naves in unum locum insuetum, separatumque secedere, adversusque nautas omne genus molestiarum exercent. Interim tamen in hoc portu permittunt Anglis, Scotis, Danis, et quibuscumque aliis ubique libere commorari, Gallis tantum exceptis, et propulsatis. Quod autem penitus Regem Potentissimum Poloniæ transfiget, istud est, quod sequitur. Cum a principio quosdam me visitatum, et ut fertur, pro forma tantum misissent, ne ullum quidem verbum de Sua Majestate, deque illius negotiis protulerunt, sed tantummodo mecum egere de communibus et de levibus rebus, veluti cum homine privato, et advena huc transeunte tantum, postea vero cum aliquando ad me rediissent, licet apud quosdam expostulatus essem de parum decenti hujusmodi visitatione, non tamen unquam de Poloniæ Rege tam reverenter loquuti sunt, quam vel etiam Proceres hujus Regni cum de Sua Majestate fit mentio submissæ observantiæ suæ demonstratione, erga illius nomen collocutione honorifica utuntur, imo inquam ad me reversi, qui antea venerant consiliarii testimonium præbentes malevoli sui parum tamen cauti animi exordium ceperunt ab excusationibus et exceptionibus: profitentes se nullis nominibus esse subditos Coronæ Regni Poloniæ quodque sibi quam diligenter caverent, ne advenerint sub ditione et leges populi tam barbari, qui nulla

libertate suos subditos uti permitteret, cupientes illi (ut animadverti) hac subdola proditione, me ministrum et auctorem fore discordiæ et suspectæ opinionis inter suam Majestatem et Status amplissimi Regni Poloniæ, cum non mihi veniat in mentem unquam eo adigi posse Suam Majestatem, ut habere velit quicquam separatum et disjunctum ab illis, a quibus sibi traditam coronam opulentissimi, spatiosissimi et potentissimi Imperii cognoscat. Nolui ad ista tam atrociter eos redarguere, atque eorum merebatur temeritatem insanam omnino redolens oratio, sed potius omnes denuo ingenii nervos eo intendi, ut viam aliquam adinvenirem, qua mentes eorum obnubilitas serenare et turbulentas moderari possem. Accidit interea, ut quidam ex Equitibus, quos Illmus ac Magnificus Dominus Castellanus Gedanensis conscribi fecerat secundum decretum eorum, quorum penes est id mandandi auctoritas, apparerent in finitimis ditionibus versus Pomeraniam: hac una re ipsa commoti ad me confugerunt condolentes una mecum, meque vehementer rogantes, ut eorum nomine a dicto Illmo ac Magnifico Domino Castellano impetrarem, vellet ille istos Equites domum ablegare, promisi equidem me id curaturum quantum deberem, et possem, atque ea de causa profectus sum ad Dominum dictum Illustrissimum et Magnificum Castellanum hinc ad duo miliaria, illuc etiam advenit militum præfectus Mag. D. Wayer, qui Equitibus istis præest. Exposui Illmo et Magnifico Castellano illorum supplicationem, atque preces; mihique illi statim ingenue respondit, se quod exposueram libenter procuraturum ut fieret, maxime cum jam nullus esset rumor de ulla militum in Germania conscriptione, nisi de illa, quam ipsimet Dantiscani urgebant. Quod si milites suos ablegare vellent, itidem et ut isti dimitterentur iste daret operam. Verum dum interea Suæ Majestatis adventus expectatur, quoniam posset forsan quicquam accidere ad Regni hujus detrimentum, particulariter autem et præsertim ad Dantiscanæ Urbis nocumentum, a comuni quodam malevolo et inimico præparato, non abs re foret, si illi cum suis viribus una secum sese opponere illi vellent et ejus impetus simul retundere. Mihi hoc in loco expedit istud dicere atque sancte testari tamquam Deo veritatis fonti gloriam reddenti, reperisse me prædictum Illmum et Magnificum Dominum Castellanum omnis passionis, et motus illiberalis expertem, et vacuum, eaque tantum affectione commotum, quæ necessaria est ad hujus Regni commodum et tranquillitatem, atque ad Suæ Potentissimæ Majestatis Polonicæ dignitatem, et versus illam obsequia conservanda, non putabam sane parum me confecisse cum huc redirem illis denunciaturus, quæ illorum nomine gesseram. Exposui itaque illis (Cleinfeld nempe et Weber Burgi Magistris) omnia dilucide, qui quidem mihi responderunt a se ipsis istud referentes (dicebant enim non necesse esse ea Magistratui suo indicare) se satis compertum habere eum magistratum nunquam consensurum, ut milites sui dimittantur, nisi quotiescunque illi placuerit, idque sine cum quoquam pacto ullo, vel obligatione, ac quandoquidem Equites conscripti erant, essent etiam ipsi coacti alios conscribere. Quod ad eorum securitatem attinebat, poterant ipsi sese defendere strenue nec opus habere cujusquam ad eam rem mutua confœderatione. Volebant quidem Poloniæ Regem pro Rege electo agnoscere, ea tamen conditione si eis confirmaret, et inviolata fide observaret privilegia, usus et prærogativas, quibus usque ad hanc diem gavisi sunt, hoc etiam eis superaddendo, ut omnia gravamina abolerentur. Ad hæc rursus postulabam, ut quæ detuleram Magistratui indicarentur, quod tandem se facturos, mihique in diem crastinum responsum reddituros polliciti sunt. Verum jam quartus hinc abiit dies, et adhuc ne verbum quidem, interim Urbem omnibus modis aggere, vallo, propugnaculis, et bombardis per plateas dispositis communiunt, atque ea utuntur diligentia, quæ vix alibi unquam visa sit. Omnes etiam integræ familiæ civium quisque annonam sibi necessariam ad annum unum habere domi satagit. Naves armatæ collocatæ sunt in stationibus in portu, quique insunt milites, sæpius domesticos meos etiam interdiu ab Urbe ad navim meam redeuntes, vi intercipiunt, verberant, et retinent, ac tamquam cum hostibus res esset atque bellum indixissent, pervestigant an litteras deferant, nec eis domos in ripa Vistulæ ingredi ad noctem transigendam licet, sed eos male tractatos super arenam pernoctare cogunt, nautasque qui eos convehunt compedibus ferreis constringunt et alligant. Hæc quæ supra scripsi, nihil mihi omnino boni de talium hominum pervicacia reducere in mentem possunt. Quare mihi visum est ea Illmæ ac Rmæ D. V. litteris meis indicare pro tanto rei pondere, atque periculo, ut illa in eo, quod requirere illi videbitur, quodque illius summitto saniori et perspicaciori judicio, curare dignetur, quatenus hujus Regni proceres de his certiores fiant, quo periculis imminentibus mature occurratur. Quæ omnia evenire videntur conciliabulis, et sinistris atque dolosis negociationibus Dantiscanorum tam in hac provincia quam in aliis extra Poloniæ Regnum regionibus. Superest, ut mea omnia officia, studia, et obsequia jam pridem Illustrissimæ ac Rmæ D. V. deditissima humiliter illi in memoriam revocem et fidissimis asseram votis ad illius nutum ea semper fore quam paratissima. Deum Optimum Maximum supplex oro, protegat illam sua benignitate, et huic Regno diu

servet incolumem. Dat. in navi nostra ad mare extra Dantiscanum portum x.ª die mensis Julii anno Domini MDLXXIII.

Illmæ et Rmæ Dominationis V.

Humill. et Obedientiss. Cliens
GUIDO GELASIUS A LANSAC
Regum Chrmi et Potentissimi Poloniæ
Legatus manus propria.

Montlucius vero misso celeri cursore Dantisci incolas ira ita inflammatos suavibus verbis, et amplis pollicitationibus delinire conatus est, et omnem ab illorum animis suspicionem amoliri. [*]

[*] Polonia Vol 7. fol. 430.

«Capita eorum quæ D. Plemieczki nomine R. D. Oratoris Regis Christianissimi et Serenissimi Regis Poloniæ Electi Ampliss. Civibus Dantiscanis dicere oportet.

« Primum quod illis inscientibus et insalutatis nolui in Galliam redire.

«Secundo quod illos salvos et incolumes et ab omni detrimento et injuria sinceros et integros esse summopere cupio.

«Tertio quod Regem Poloniæ a Deo Electum et grato animo agnoscant, diligant et ament, amice admoneo. Nemo etenim negare potest, deliberationi in qua in Regem ille est Electus Deum omnino præfuisse, qui enim fieri poterat, ut tot milia hominum tam brevi tempore in unam sententiam coirent et convenirent, præsertim cum cæteris in rebus magna ex parte in diversas distracti sunt sententias. Itaque de illo Rege quod apud Paulum scriptum est vere dici potest: quisquis illi resistit, Dei ordinationi resistit.

« Quarto Principem habebunt suavissimis moribus ornatum, summa clementia et summa erga homines humanitate, cujus ego animum illis omnibus offero, atque coram Deo testor et spondeo, illum ne tantillum quidem de eorum libertate atque amplitudine detrahere velle.

« Quod vero attinet ad clausulam illam in mea oratione appositam, classis erit necessaria ad emporium aliquod acquirendum, eamque clausulam ad portum vestrum occupandum nonnulli referre volunt. Id certe a veritate alienissimum est, et conventum impudentissimum Germani cujusdam, qui Stenius dicitur, cui ineptissimam illam calumniam hominibus malevolis et de vobis male sentientibus facile fuit persuadere, tametsi ex ipsis verbis quid ego senserim aut intellexerim comprehendi manifeste potest. De occupando enim portu Gedanensi nil mihi in mentem venire potuit unquam, nam patet portus vester Polonis et Gallis neque is acquirendus est, veluti noster dici potest.

«Quemadmodum portus nostri Polonorum sunt portus, in quibus negotia agere, mercaturam exercere et cætera quæ ad commercium retinendum spectant, conficere illis licet omnibus, sed et illud ridiculum est, quod Stenius idem gloriatur orationem quæ a me habita est se composuisse, neque enim illum hominem tanti feci unquam ut in re tam magni momenti illius opera uti voluissem: illud præterea accessit quod ex illius scriptis, quam sit a meo scribendi genere remotissimus, facile qui judicare potest.

« Quinto et postremo si quid est, quod illi a Rege Electo aut optent aut postulare velint, id ego libentissime scire velim, quo possim illorum rebus statuendis et confirmandis operam meam præstare.

MONTLUCIUS EPIS. VALENTINUS
Chrmi Regis et Sermi Regis Poloniæ Electi
Legatus.

LIX. — Polonorum legatis iter in Galliam parantibus, dum pedem nondum ex Polonia extulerant, Dissidentes omnia conari cœperant, ut quæ legati Gallorum ante electum regem proprio Marte in eorum et Gallorum Hugonottorum commodum concesserant, publicis etiam tabulis insererentur. Quin immo et suos ipsi legatos magna auri argentique vi instructos Lutetiam Parisiorum miserant, ut adjuvantibus etiam Hugonottis viros quosque, quorum ministerio et consiliis uterque rex Carolus et Henricus utebantur ad conditiones illas confirmandas allicerent. Rei fidem faciunt epistolæ, quæ Posnaniensis Episcopus jam regni finibus propinquans Kalendis Juliis ad Archiepiscopum Gnesnensem misit. Perscribit in illis et plura de optima electi regis salute et de mira qua Polonos complectebatur benevolentia. [*]

[*] Polonia Vol 7. fol. 371.

« Dominationem Vestram Rmam scire volo unum ex famulis Domini Palatini Sendomiriensis huc venisse, qui una cum Crasowski fuit missus in Galliam cum lato nuntio de Electione, is duodecim diebus venit huc ex Parisiis, Nostrum Electum invenit optima valetudine præditum, et hilarem Russellam oppugnatam, qui fretus suorum consilio nisi prius expugnata discedere non vult, idque propter illos et suam immortalem gloriam. Proinde Mater ipsius ad illum proficiscetur rogatum, ut in Poloniam properare contenderet atque ut a Russella discederet, huicque negotio suum fratrem præficeret.

«Catholici cum Clero universo, postquam nuntium de Electione ipsius delatum est ad illos, sunt polliciti unum milionem auri sibi componere. Civitates quoque, præcipue vero Parisia suos quoque alacriter non recusat sumptus.

« Hic idem famulus Domini Palatini laudare non intermittit ipsius animi et corporis dotes, mansit cum illo sex dies, singulisque noctibus illum bis aliquando etiam ter ad revidendum exercitum surgere solere dixit, neque illum Ducis sed alicujus strenui militis officia præstare asserebat.

« Montlucius expectat internuntium ab illo, si quid erit quod Dominatio V. Illma scire oporteat, faciam certiorem.

« Hoc eodem tempore Posnaniam venit Presowski Secretarius Domini Palatini Sendomiriensis, quem, quemadmodum mihi Dominus Castellanus Sanocensis retulit, amandarunt Evangelici, cum maximo sumptu, nam septem equis currus maxime onustus vehitur, ut is ex parte religionis negotio illorum intersit.

LX. — Qui domi restiterant Poloni, ipsi quoque pro virili parte contra immoderatas Dissidentium postulationes digladiabantur. Inter quos Cracoviensis Episcopus et Regni totius Tabularii præfectus seu ut ajunt Vicecancellarius, lætus de relata hac in re victoria rei ordinem Cardinali Commendono explicat. [*]

[*] Lit Principum Vol. 28 fol. 97.

Reñe in Christo Pater et Domine, Domine, et Frater Observantissime.

« Etsi jam ante aliquot tempus sententiam meam indicaverim, et ad litteras Rñæ Dominationis Vestræ ad nos datas de sepultura Regia aliisque rebus rescripserim; tamen (licet in hac re sibi maxime confidere tantum me onus sustinere posse) proposui atque significavi ea omnia tali modo, quemadmodum Dominatio Vestra Rña a nobis postulaverat, quæque ad nos scripserat in Comitiis Proszoviensibus. Sicut et illud, de quo ad litteras Dominationis V. responsum me jam dedisse mihi persuadeo. Interim litteræ Barzini ad me perlatæ sunt, (qui adventum serenissimi Regis nostri brevi tempore futurum significat, et scribit quod ab illo litteras ad nos in hoc negotio attulerit, quas in Comitiis generalibus offerre voluit: is autem rumor in Gallia fertur fuisse, quod prima Septembris Rex noster itineri se dare vellet.) Sed cum illud aliud negotium circa Comitia specialia pervenisset ad Dominationem Vestram Rñam cum his litteris excurrere statuit. Interea vero temporis huc ad aliqua loca litteras suas, in quibus capita legationis suæ continentur, ubi comitia parva habebantur, transmisit. Videbatur sic consultum esse Senatoribus omnibusque Equitibus, ne diutius sepultura (quæ etiamsi optime ante adventum Domini Nostri finietur, et finiri poterit, tamen erunt res hujusmodi quamplurimæ, de quibus omnibus nobis in loco aliquo unanimiter congregatis, antequam ad nos Dominus noster veniat conferre licebit) Regia differatur, et ad tempus in universali designatum deducatur. Quod ego etiam Dominationi Vestræ Rñæ hoc tempore significo. Alias quidem res et articulos, qui in istis comitiis sunt conclusi, spero, quod hactenus ab aliquo Dominatio Vestra Rña intellexerit. Inter quos pars præcipua vel etiam maxima in unum convenisse seu conspirasse videtur, ut juramentum Domini nostri circa confœderationem ad optatum finem deduceretur, et ut nostra manu, postquam in unum convenisset pars præcipua, hæc ipsa subscribente a nobis extorquere voluerint. Quod cum facere noluimus planeque restitimus, minabatur rebus infectis, et constitutis legatis, discessum suum. Et ad hoc usque aliquos perduxerunt, ut se subscriberent. Ego autem illis assentiri nolui in hoc solummodo innixus, quod unquam antea articuli hujusmodi comitiorum præsertim specialium sunt subscripti. Qua in re ego quoque nollem inducere aut importare novam inusitatamque consuetudinem. Quapropter huic rationi acquiescere illos oportuit. Designarunt itaque legatos suos more solito. Tamen ex parte articulorum conspiratorum huic constitutorum cum potestate limitata. His gratiæ me Reverendissimæ Dominationis Vestræ commendo, incolumitatemque ad annos quamplurimos a Deo Optimo Maximo Dominationi Vestræ Rñæ precor. Datum in Slawhon 4. Septembris Anno Domini 1573. Dominationis Vestræ Rñæ

Frater et servitor

FRANCISCUS CRASINSKY

Dei gratia Episcopus Cracoviensis,

et Regni Poloniæ Vicecancellarius manu sua.

Pugnæ et victoriæ comes Ecclesiæ Polonicæ Primas fuerat; docet hic igitur Gregorium Pontificem agens simul grates ob breves litteras xII. Kal. Aprilis hujus anni in sui laudem emissas. [*]

[*] Polonia Vol. 7 fol. 513

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio Divina Providentia Papæ Tredecimo Domino Clementissimo.

Beatissime Pater.

Post oscula beatorum pedum et humillimam ac debitam sevitutis meæ perpetuæ subjectionem.

« Cum jam in campum discessum erat, et de electione Regis inter nos agitari ceptum, reddendas mihi curavit Sanctitatis V. litteras Illñus et Rñus in Christo Pater Dñus Joannes Franciscus, miseratione divina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Commendonus per Germaniamque et Poloniam Legatus de latere; et ea quæ in mandatis a Sanctitate Vestra habuit, non solum graviter et luculenter hic exposuit, sed etiam prudentia maxima auctoritateque singulari, negotium eligendi Regis, qui Catholicus et Sanctæ Sedis Apostolicæ observantissimus esset, summopere promovit. Ex his igitur Sanctitatis Vestræ ad me datis literis perspecta vere paterna S. V. clementia, erga me non solum parum meritum, sed plane indignum Sanctitatis Vestræ et Sanctæ Sedis Apostolicæ mancipium non potui non vehementer gaudere, et Domino Deo imprimis gratias agere pro eo summo beneficio, quod mihi tantam dederit apud Sanctitatem Vestram invenire gratiam. Non agnosco ego me dignum eo tanto honore, quanto me Sanctitas Vestra dignatur, servus inutilis sum, quæ debui ac per Dei gratiam potui feci. Id vero quicquid est, sentio autem quam sit exiguum, quia etiam Sanctitati Vestræ gratum accidit, eidem ago et habeo gratias immortales. Quod autem Sanctitas Vestra monuit ac mandavit, ut in Regis eligendi negotio mei similis essem, et non desinerem Christi domini

causam tueri; curavi quidem diligenter et obsecutus sum mandatis Sanctitatis Vestræ, ut adjunctis nisi aliorum consentaneis votis eligeretur Rex Christianus Henricus, Andegavensium, Borboniorum, Alvernorumque Dux Illmus Christianissimorum Regum filius et frater; verum in tanta rerum confusione, ingeniorum mutabilitate, judiciorum diversitate, nisi Sanctitas Vestra, tanquam est specula prospiciens, limatissimo consilio suo subvenisset, auctoritate firmasset, benedictione sanctificasset, non facile quidnam sequendum videri potuisset. Ideoque Sanctitati Vestræ secundum Deum immensæ sicut debentur, ita ab omnibus Catholicis aguntur et habentur gratiæ. Precamur Dominum sic omnes, ut ipsum talem experiamur Regem, qualem in omnibus Rege Christiano dignis virtutibus hactenus prædicari audivimus. Christi Domini causam, quam mihi Sanctitas Vestra tuendam commendat, quod attinet, humillime a Domino precor, ut ipse adjuvet et spiritu principali confirmet in eo, quo me impendam et superimpendar ego ipse pro Christi Domini gloria, et ipsius Ecclesiæ incremento. Sed hæc et singula, quæcumque in hoc interregni nostri tempore gesta sunt, ab eodem Illmo Dno Cardinali Commendono quocum conjunctissime vixi, et confidentissime de omnibus contuli, cum ad Sanctitatem Vestram incolumis redierit, fusius cognoscere poterit. Is enim res tam Ecclesiæ quam Reipublicæ nostræ magna dexteritate adjuvet. Quod superest, me et servitutem meam perpetuam Sanctitati Vestræ humillime commendo, utque optime et diutissime ad divini nominis gloriam illustrandam, Ecclesiæ firmamentum, nostramque protectionem vivat, supplex a Domino precor. Datum Lovicii die secunda Septembris Anno Domini 1573.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus Servus et Devotissima Creatura.

Jacobus Archiepiscopus Gnesnensis.

LXI. — Gregorius oblatam non prætermisit occasionem, quin eidem Præsuli alteris datis litteris ad rem bene gerendam iterum animos adderet, et moneret insuper, ut novo suo apud Polonos Legato in recte et e re administranda legatione præsto esset. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 115. fol. 81.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. De tua singulari virtute atque opera in Christi causa et Religione tuenda non possumus majorem spem animo concipere, quam Nobis attulerit assiduus labor tuus, constantissimaque et invicta adversus illam Sathanæ Ministrorum conspirationem, tum eum de Rege deligendo agebatur, catholicæ veritatis professio et defensio; cum enim te in ea re præstitisti, ut dubitare non possimus, quin adversus omnes Sathanæ machinas, quas illum per eosdem Ministros gravissimas admoturum esse verisimile est, te tanquam molem Christi robore et virtute firmissimam sis oppositurus neque commissurus, ut ardentiores atque efficaciores videantur Christi hostes in iis, quæ eorum perfidis ac perditis mentibus immittit Belial, quam ipsius Christi servus fidelis in persuadendis et retinendis iis, quæ divino lumine et sapientia edoctus recta esse cognoverit. Quæ autem illi vel hoc tempore conentur, vel in posterum aggressuri sint, ipse et propter præsentiam videbis, et propter scientiam facile dijudicabis et propter Christi zelum perfringes. Hæc non ad hortandum scribimus, (nihil enim nostra cohortatione indiget virtus tua) sed optatissimum charitatis tuæ fructum spe jam atque animo præcipientes ad gratulandum. Incumbe igitur, ut facis in Christi causam; qua in re Deum atque homines adjutores habebis; neque enim de Regis ipsius pietate dubitare nos sinunt res ab eo adversus Christi hostes hæreticos gestæ. Si quid autem putas posse nostram auctoritatem atque operam tuæ optimæ voluntati suffragari, fac Nos certiores; nihil enim est, quod magis cupiamus. Voluimus autem has literas Fraternitati Tuæ reddi per venerabilem fratrem Vincentium Montisregalis Episcopum, quem nostrum et Sedis Apostolicæ apud Regem Poloniæ Nuncium ordinarium fecimus. Ei de iis rebus, quas et in adventu ipso, et in posterum tecum communicabit, omnem fidem præbebis, ejusque opera fidelissima et promptissima, quibus in rebus opus erit, utaris ad gloriam et honorem Jesus Christi. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die XXIII. Octobris 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

Eodem exemplo litteras ad reliquos misit Episcopos, nec non ad illos ex Senatorum vel Equitum ordine, qui in tuenda avita religione in peractis Comitiis laudem erant promeriti. [*] Celebrabatur imprimis et ideo a Gregorio merito collaudatur Martinus Ruseschius Cracoviensis Scholasticus. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 112. f. 130.

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 139. fol. 77.

Dilecto Filio Martino Ruseschi Scholastico Cracoviensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. De tua insigni pietate, et egregia opera in Christi causa et gloria tuenda, quæ Catholicæ fidei sinceritate maxime continetur, inque Sathanæ conspiratione execranda, curandaque, ne Episcopi impio illi fœderi subscriberent, habes gravissimum apud Nos testimonium dilecti filii nostri Cardinalis Varmiensis, quo quidem nomine tam te amamus, quam æquum est Christi ovium pastorem (cui quidem muneri nullo nostro merito, sed sola Dei benignitate præpositi sumus) amare eum, a quo suum onus non minima ex parte allevari, Christi gloriam quæri, ejus ovium salutem omni studio curari intelligat. Et quamquam tam præclarum factum Nos dubitare non sinit, quin causam

Catholicæ fidei, quæcumque facultas dabitur, toto pectore semper amplexurus sis; tamen pro nostro incredibili desiderio facere non possumus, quin te rogemus, ut id, quod facis, quam maxime facias, nitarisque omni ope, ut quamplurimos tibi adjungas ad illam jurisjurandi formulam, quæ ab hæreticis electo Regi proposita est, impugnandam, idemque sis hac in re, qui in electionis negocio fuisti, addasque Episcopis animum ad resistendum ei formulæ; speramus enim divinam opem tuis conatibus adfuturam; quæque te aut in manibus habere, aut sperare posse intelliges, omnia cum nostro Nuncio Apostolico, qui brevi aderit, communices. Hæc ut coneris, perficiasque quantum possis, rogamus per eum ipsum Christum, cujus causa maxime agitur, perque animarum salutem, pro qua ille sua viscera transfigi non recusavit. Majus est hoc, quam ut possimus, quantum sit verbis explicare: et quamquam huic tuo labori, immortalia erunt a Deo reposita præmia, tamen scito Nos etiam hoc nomine tibi devinctissimos fore. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XVII. Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

LXII. — Gregorius, quid Parisiis moliri pararent Dissidentium Polonorum Legati certior factus, Aloysium Estensem virum in Romana Ecclesia Cardinalem ad Gallum et Polonum reges mittit, qui eos deterreret ab iniquis Dissidentium precibus exaudiendis accipiendisque. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 92. f. 46.

Charissimo in Christo Filio Nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Cum ad Majestatem Tuam veniret dilectus filius Noster Aloysius Cardinalis Estensis, non putavimus, omittendam esse occasionem hanc tui salutandi, tibique Apostolicam benedictionem impertiendi, tecumque nonnullis de rebus agendis per eum, quem scimus esse tuæ Majestati et suo merito, et nostro etiam amore acceptissimum. Ejus verbis eamdem, quam nostris, fidem te habiturum esse non dubitamus. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die ultima Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LXIII. — Carolus æque ac Henricus, nec non Regina mater de gratulationis officio per Olivarium et Aloysium Estensem peracto non minus lætati sunt, et grates ipsi reddunt Pontifici IV. et III. Idus Augusti; tum cordi sibi esse, quæ monuisset Pontifex profitentur, spondentque ea se semper ob oculos habituros, et diligenter curaturos, ut ea prouti decebat alacritate sequerentur. (*)

(*) Mantissa docum. n. 15

LXIV. — Carolus non secus ac Catharina mater longe tamen ob diversas uterque causas Henricum in regem esse renunciatum lætati erant. Carolus quippe gaudebat æmulum sibi fratrem regni arripiendi specie longius a se dimoveri, periculoque se liberari putabat. Regina mater sibi soli tandem supremas regni partes gerendas relinqui sperabat; sive cum ab armis, sive a pacis negotiis gerendis æque Carolus animo abhorrebat, otia et animi oblectationes solummodo sectari suetus. Carolus idcirco Henricum quotidie, ut in Poloniam proficisceretur, urgebat, reque sæpius dilata in iram identidem erumpebat. Henrico e contra magis Gallia quam Polonia placebat, et discendendi in novum regnum tempus quantum poterat in crastinum per dies amandabat. (*)

(*) Salviati ad Cardin. Comensem Parisiis 5 Sept. 1573. Mantis. docum N. 47.

LXV. — Polonorum interea Legati tandem aliquando Lutetiam Parisiorum advenerant XV. Kal. Sept. summo Gallorum omnium plausu et omnigenis a Carolo et Henrico regibus honoribus excepti. Spectaculo fuere non ingenti tantum legatorum numero et comitantium assectarum, sed ipso etiam cultu et ornatu nuspiam alias Gallorum oculis subjecto. Præter enim quam quod ferarum maxime pellibus, quas magno parant pretio caput et membra amiciebantur, purpura insuper et auro et gemmis ipsi et eorum equi toti coruscabant. Senatus consultum, quo ad ineundum Poloniæ regnum invitabatur, Henrico reddunt, et cum suo more jurejurando in patrias leges adigunt. Sacramenti verbis prolatis vehemens et fœdum inter ipsos legatos certamen exortum est. Principes enim illi ex hæreticorum numero viri a sociis suis missi plenam sibi veniam quascumque religionis sententias sectandi a Deo datam profitebantur et a rege poscebant. Quæque hac de re regis legati in Polonia pacti erant, ea jam ab ipso rege jurejurando interposito sanciri postulabant. Obstabant virili animo Catholici, qui inter Legatos adlecti fuerant, negabantque ullis aliis, quam quæ publice proponerentur legibus regem teneri oportere, aut privatorum placita publicis juribus ulla ex parte præjudicio esse posse.

Res in disceptationem vocata est in summo regis senatu, quod Parlamentum appellant, frequentissimi nobilium hominum, qui maxime spectandi erant, convenerant, et tanta populi corona res acta est, ut ad decem hominum millia interfuisse dicantur.

Ibant in eam sententiam, ut dicerent, conditiones a legatis conscriptas esse accipiendas, etsi variis hæreticorum factionibus a Catholica religione desciscentibus, peragendorum religionum suarum sacrorum amplissimam copiam facerent. Obsistebant præ cæteris pro virili parte Posnaniensis Episcopus legationis princeps, spretis Dissidentium minis, qui vel ipsam mortem illi allaturos profitebantur nisi suis postulatis assentiretur. Uterque Galliæ et Poloniæ rex Pontificiorum legatorum Salviati nempe et Episcopi Montisre-

galensis, nec non et Cardinalis Estensis consiliis excitati occulto initas a Montlucio cum Dissidentium Polonorum principibus pactiones numquam sese recepturos profitebantur, nec in ea verba juraturos. Sed Sborovii Palatini Odolanoviensis maxime perstrepebat audacia, qui effrænata quadam dicendi libidine in secretiori regis consilio regibus ipsis affirmaverat, omnem Henrico Andegavensi de regno consequendo spem esse deponendam nisi quibuslibet quæ ferebantur conditionibus sponte consensisset, et servandas jurasset. Cum Dissidentes clamoribus non parcerent, et tumultui proprior disceptatio videretur, res in summum discrimen erat adducta. At Henricus tandem iis ita morem gessit, ut affirmaret, postquam in regnum venisset, futurum se eo in negotio in Senatus potestate, et quod Senatorum e consensu obtemperaturum.

Agebatur in eodem concilio de regni Gallici jure hæreditario. Senatus sancivit, et in publica acta relatum est, si Carolus prior vita functus esset, nec filios reliquisset, penes Henricum fratrem succedendi in regnum jus fore.

Hisce tandem peractis uterque Rex Carolus ac Henricus sequenti die, qui fuit IV. Idus Septembris comitantibus omnibus e regio genere Gallicis principibus, et regni administris et magno ex præcipuis ex Gallia proceribus numero, qui ad insolitum et splendidum hoc spectaculum ex omnibus provinciis advenerant, in Ecclesiam B. Virginis titulo insignem et Parisiensis Episcopi Cathedram convenere, sacris sollemni ritu peractis, conditiones regi latas sollemni jurejurando interposito Henricus accepit, mox et Carolus ipsas suo etiam sacramento confirmavit. Cum elata voce conditiones illæ perlectæ fuissent, lecta est etiam at submissiori voce, ne a Dissidentibus Polonis, qui templo intererant, audiretur, Posnaniensis Episcopi intercessio. Timendum enim erat, ne Dissidentes occasionem arriperent rei perturbandæ, et regis electioni intercederent, vel etiam ipsum Parisiorum populum Hugonottis juvandis ad turbas provocarent. [*]

[*] Salviati et Episcop. Mootis Regalensis ad Cardin. Comensem Parisiis 11 19, et 27 Sept. 1573. Mautis docum. N. 48. Pacta electionis jurata ab utroque rege apud Dumont Corps Diplomatique etc. T. 5 p. 223 226 Amsterdam 1728. fol.

LXVI. — Post ea Poloni regiis epulis recreati, armiludiis, equorum miscibus, nobilium fæminarum choreis, cæterisque voluptatibus quibus maxime Gallorum regia aula redundat, et ipsi lætabantur liberalibus alloquiis et summa jam familiaritate a Regibus excipi et jam non hospitum loco et æquo jure cum propriis suis civibus censeri. Dona pariter legatis regia liberalitate distributa, nec ullum comitatis et amoris officium in eis prætermissum. Mox de regis profectione agi cœptum. Legati quippe Catholici maturandum monebant, præsentis regis curis indigere Poloniam, recentibus comitiorum et interregni motibus universam adhuc exagitari, nec nisi adventu regis tranquillitatem posse redintegrari.

LXVII. — Susceptam a se regni coronam Henricus statim qui nunciareot ad Poloniæ gentes ordines legatos misit, quorum principes Rambouilliettus et Sborovius fuere. VII. Kal. Nov. Cracoviam ingressi sunt. Senatui ordinibusque regni Cracoviæ coactis legati mira quæque de animi corporisque dotibus, quibus electus rex præcelleret, prædicabant, ut videre est ex iis quæ Gratianus refert, [*] qui a Commendono Romam redeunte legatione peracta relictus fuerat, ut sese interim pro legato in Polonia gereret. Rambouilliettus nobilitate generis, armorum peritia æque ac pacis artibus illustris summo studio a Germaniæ Principibus præsertim hæreticis excipiebatur. Cum Saxoniæ Duce Imperii Romani Electore, licet is Pseudo-Evangelicorum princeps potissimus haberetur, summa illi familiaritas erat. Dux vero filiam illi suam ostentabat, quam licet vix XII. annos natam Henrico Polonorum regi in matrimonium destinabat; cujus si voti compos fieret, spem faciebat, fore ut suo et cæterorum Protestantium Principum studiis suffragiisque Henricus post Maximiliani Cæsaris fatum Romanorum Imperator designaretur. Gravissima enim Cæsar per illos dies infirmitate decumbebat. Nec forte diffidebant hæretici Principes Henricum juvenem satis levitate animi notum tantæ spei promissis adductum in Acatholicorum castra transiturum. Catharinæ Mediceæ profecto satis placebat, dilectum sibi præ cæteris filium Cæsareo Germanorum diademate insigniri [*] Henrici vero regis mens ab Annæ Polonicæ conjugio summopere abhorrebat. [*]

[*] In litteris ad Cardinal. Comensem 20 Octob. 1573 Mautis. documen. N. 51

LXVIII. — Susceptam a se sollemni ritu Polonici regni coronam XII. Kal. Octob. Pontifici Summo Henricus primo scripsit, et de jam parata sua in regnum profectione eum monuit. [*]

[*] Salviati ad Card. Comensem 20 Novemb. Mautis documentor. N. 50.
[*] Gratiani ad eundem Cardin. Comensem 13 Dec. Mautisse document. N. 51
[*] Lit. Principum Vol. 35. fol. 36

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri, et Domino Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino Clementissimo.

« Beatissime in Christo Pater et Domine Domine Clementissime, post oscula pedum Beatorum Sanctitatis Vestræ, meique commendationem. Pro mea familiæque meæ erga Sedem Apostolicam constanti observantia, vel potius pietate, certiorem Sanctitatem Vestram reddendam putavi, jam oratores ab ordinibus regni Poloniæ, et Magni Ducatus Lithuaniæ missos, ad me pervenisse, et quod in mandatis habuerunt, regimen regni Poloniæ, et Magni Ducatus Lithuaniæ mihi subjecisse, titulumque Regis ac Magni Ducis ritu solemni detulisse. Quem Nuntium Sanctitati Vestræ gratissimum fore scio, et quam gratus fuerit, Sanctitatem Vestram in coronatione mea, de qua ad XVII. Januarii diem indicenda ad Ordines regni per litteras retuli, Legatione sua ornanda omnibus declaraturam confido. Quod ut Sanctitas Vestra faciat, eam etiam atque etiam

rogo. Obedientiæ vero Sanctitati Vestræ præstandæ causa, more majorum ex iisdem comitiis coronationis meæ, ad Sanctitatem Vestram mittam. Cujus gratiæ me ac dominia mea commendo. Lutetiæ Parisiorum die xx. mensis Septembris Anno Domini MDLXXIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

HENRICUS ELECTUS REX POLONIÆ m. pp.

Mox alteris litteris Nonis et III. Idus Octobris datis tum Carolus et Regina mater, tum Henricus ipse Pontifici Gregorio grates agebant, quod legatos suos jussisset sollemnem acceptæ Polonicæ coronæ ritum præsentia sua cohonestare. Missum a se quoque nunciabant Paulum de Foix Archiepiscopum Tholosanum designatum, qui præsens grati ipsorum animi testis Pontifici fieret: inclytum porro hunc virum Pontifici maxime commendatum volunt. (*)

(*) Mantiss. docum. N. 17.

LXIX.—IV. demum Kal. Octob. Henricus Rege Carolo fratre, Catharina matre, altero fratre Francisco Alenconio et sorore Margaretha comitantibus Parisiis digressus est. Constituerat Carolus fratrem universo cum comitatu per omnes Galliæ provincias sequi, nec ab eo abscedere priusquam ad Germaniæ fines ventum esset. At in medio itinere morbo correptus, dimisso fratre Parisios redire coactus est. Henricus Nanceum pervenit, ubi a Lotharingio Duce, qui sororem in matrimonium acceperat, regio luxu exceptus est. Discendens Nanceo Henricus Blamontum pervenit, ubi matrem Catharinam et Alenconium fratrem, Margaretham sororem, aliosque Galliæ proceres magno amore et pietate amplexus, eis valedixit, et ab iis sejunctus est. Eum proficientem honoris causa comitati ad sexcentos ex nobilibus Galliæ viris.

LXX. — Blamonti Henrico obviam fuere Ludovicus et Christophorus Palatini Comites Friderici III. S. R. I. Principis Electoris filii a Maximiliano Imp. missi, ut eum in itinere per Germaniam comitarentur et honoris causa servarent. Blandis hos sermonibus Catharina Medicea vaferrima illa femina delinire satagebat, deque rebus Belgicis sæpius collocuta, paratissimam sese et Galliæ regem filium suum ostentabat, ut se hæreticis Germaniæ Principibus jungerent, ad illarum regionum incolas contra Catholici regis tyrannidem asserendos. Hac sese arte effecturam sperabat, ut illorum Principum animos Henrico conciliaret, et tutum illi iter per Germaniam redderet. Non immerito enim metuebat, ne ob recentem Lutetianæ Hugonottorum internecionis memoriam discrimini alicui objiceretur in itinere Henricus, vel saltem a Protestantibus aliqua afficeretur injuria. Huic fraudi alia addita conciliandorum sibi animorum ratio magnam quippe pecuniæ vim ad septingenta milia scutatorum nummorum Henricus adduxerat, ingens profecto impensa si præsertim difficultates consideres, quibus tunc in Gallia publicorum redditunm ratio premebatur. Hisce vero non solum et totum iter splendidiori, qua potuit, pompa peregit, sed et rumor fuit amplis profusis largitionibus Germanorum animos erga se promptiores reddidisse. (*)

(*) Salviati ad Cardin. Comensem 16 et 20 Nov. et 23 Dec. 1573. Mantissa document. N. 17 et 18

LXXI — In eodem oppido Legati Cæsarei Henricum salutavere, eique Cæsaris et Germanici Imperii nomine litteras reddidere, quibus libera per Germanias transeundi facultas, quam Henricus statim post acceptum de sua in regnum electione nuntium a Cæsare poposcerat, concedebatur. Arctis enimvero ita conditionibus, et inofficiosis verbis perscripta ea venia erat, ut Henricus ampliorem petiverit: nec tamen obtinuerit. Lubet hic eam apponere utpote morum illius temporum satis copiosum testimonium (*)

(*) Polonia Vol VII fol. 520. Gallia vol 7.f.709.

« Habita matura deliberatione super iis, quæ tam ex parte ordinum Regni Poloniæ, quam Serenissimi Andegavensium Ducis Electi Poloniæ Regis a Sacra Cæsarea Majestate etc. nonnullis Principibus Electoribus de libera per fines Sacri Romani Imperii transeundi facultate petita fuere, graves atque justissimas subesse causas dictæ Cæsareæ Majestatis nec non Sacri Romani Imperii Electorum Legati ad hunc Conventum designati agnoscunt, cur hujusmodi transeundi facultas denegari possit.

« Cum autem simul recordentur quantopere ob vicinitatis jus et multis aliis de causis Sacrum Romanum Imperium et majores nostri Romani jam olim de utraque natione ipsisque Regibus bene studuerint. Ac tam ordines Regni Polonici quam ipse Rex designatus non solum antiqua conjunctionis jura, quæ a multis sæculis Romano Imperio cum regno Poloniæ intercesserunt conservare; sed etiam auctiora reddere promittant. Nec Principibus suis, nec sibi a majorum vestigiis recedendum esse putarunt. Itaque exclusis omnibus difficultatibus et rationibus in contrarium hocce tempore urgentibus communi consensu in eam itum est sententiam, ad cætera beneficia, atque amicitiæ officia, quæ cumulatis sime in utramque gentem et reges earum a Sacro Romano Imperio collata sunt, hoc ipsum etiam adjiciendum, ut fiat ipsi designato Poloniæ Regi libera per Imperii fines hac vice in Poloniam transeundi facultas, modo is prius sub ingressum rite caveat se suosque sine injuria, maleficione et persoluto ubique commeatu pacifice et amice transiturum.

«Deinde ut propter famulitium suum et clientelam, (quorum numerus ut quadringentis vel etiam quingentis pro ipsiusmet Regis declaratione constet hominibus facile tollerari poterit) alium suum militem nullum traducat: si vero præter suos alios sibi comites itineris adjungere velit, ut ad eum numerum omnium transeuntium turmæ coarctentur, ne universus comitatus octingentos

vel homines vel equos vel utrique conjunctum excedat. Ita tamen ut præter quadringentos aut ad summum quingentos equites, quos secum rex habere vellet, cæteri turmatim alteri alteros per binos dies, quo commeatus recte omnibus subministrare possit, subsequantur. A cunctis autem transeuntibus illa viæ norma servetur, cujus ab hoc Senatu descriptio regio ad Cæsaream Majestatem nuncio est tradita.

« Non dubitant iidem Legati, sed in ea expectatione suorum Principum sunt, ipsum Electum regem Poloniæ cum fratre suo Rege Galliæ hanc erga se promptissimæ voluntatis significationem grato animo excepturum, et vicissim ut testatum facit erga Sacrum Romanum Imperium ejusque ordines omnes, omnia amicitiæ, societatis, et vicinitatis officia, atque signa, ubi ad sui regni administrationem admissus fuerit, exhibiturum.

« Interea autem temporis, accepto hoc responso, operæ precium et e re ipsius Electi erit Cæsareæ Majestatis Legatis suam voluntatem declarare pro hujus decreti ratione, ut in tempore quæ ad hujusmodi profectionem pertinere intelligentur, etiam commode a Statibus Imperii supportari et subministrari possint.

« Decreta sunt in Publico Senatu Sacræ Cæsareæ Majestatis et Sacri Romani Imperii, Principum Electorum Commissariorum et Legatorum ad eam rem specialiter designatorum. Francofurdiæ ad Moenum xvii. Augusti Anno Domini 1573.

Ex Cancellaria Magontina.

LXXII. — Antequam Henricus Galliæ finibus discederet Salviatus Legatus, qui illi itineris comes fuerat, eidem Pontificis nomine bene omnia sollemniter est adprecatus. Redierat interea ex Italia Edmundus Augerius ex Sociis Ignatianis inclytus Gallus, quem Henricus Guisius et neoelectus Poloniæ rex paullo ante expugnatis Rupellis ad res Galliæ agendas legatum Pontifici miserant. (¹) Huic in Gallias redeunti sacra quædam munuscula Pontifex tradiderat, tum Regi Carolo, Reginæ matri, cæterisque regiæ stirpis Principibus tum etiam Guisio Duci reddenda, gemmeas nempe corallas precibus distinguendis numerandisque consecratas, cereas divini Agni imagines auro depictas, cereosque sacris recitatis precibus augustos. At cum Augerius Lutetiam ab Italia pervenit, jam reges iter susceperant, qui immo Vitrio in parvo Campaniæ provinciæ oppido restiterant, ubi Carolus infirma, ut jam enarravimus, valetudine detinebatur. Vitrium igitur properat Augerius ad implenda Pontificis mandata. Miræ lætati uterque rex cæterique acceptis a Pontifice paterni veluti amoris documentis. Audias, quæ de ea re Cardinali Comensi Augerius enarrat. (²)

Eu etiam litteras, quibus Gregorius Augerium in Galliam redeuntem Henrico commendat. (³)

(¹) Montisso docum. N. 49

(²) Montisso docum. N. 51.

(³) Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 123 fol. 65.

Dilecto Filio Nobili Viro Henrico Poloniæ Regi Electo.

Gregorius PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Libenter vidimus Edmundum Sodalitatis Jesu presbyterum, eumque et tuæ Majestatis commendatione et testimonio, et suo ipsius merito multum amamus; perspeximus enim in ejus sermone singularem prudentiam insigni cum pietate conjunctam. Quæ cum eo egerimus, fusius ex ipsius sermone cognosces, quo etiam in his litteris breviores sumus. Tuæ vero Majestati omnia a Deo cupimus, et precamur quæcumque potest optimo filio, proque Catholica Religione et Christi gloria sese, vitamque suam summis periculis objicienti precari pater amantissimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die xxvi. Septembris mdlxxiii. Pontificatus Nostri anno secundo.

LXXIII. — Edoctus interea Gregorius, Dissidentes in Polonia nullas machinationibus inducias facere, Henricum regem iterum monet, ne quum primum in regnum venerit, ulla se fraude irretiri sinat, vel quidquam illorum suasu agat: mox monet se Episcopo Montisregalis mandasse, ut suo et S. Romanæ Sedis nomine paullo post adesset Henrico sollemni ritu insignia regni Cracoviæ suscipienti. (*)

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Poloniæ Regi Illustri.

(*) Reg. Gregorii XIII An. II epist. 109 fol. 115.

Gregorius PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Quantam lætitiam ceperimus de regno Poloniæ tuæ Majestati delato, quanta autem insignis catholicæ Ecclesiæ boni ac Christi gloriæ spe nitatur gaudium nostrum, ex iis litteris, quas tuæ Majestati reddidit dilectus filius Seraphinus Olivarius nostri Palatii Apostolici causarum Auditor, facile intelligere potuisti, cujus etiam gaudii publice testimonium dedimus, quod te etiam ex aliis cognovisse non dubitamus. Legatos etiam ex Polonia ad te venisse, teque Regem salutasse, Regnumque ipsum et Lithuaniam tuæ ditioni subjecisse, et antea acceperamus, et nunc in tuis litteris datis xx. Septembris incredibili eum voluptate legimus. De tua vero coronatione per nostrum aliquem Legatum ornanda, quod in eisdem litteris postulas, jam antea cogitavimus. Itaque jussimus venerabili fratri Vincentio Montis Regalis Episcopo, quem Nos apud Majestatem Tuam Nostrum et Sedis Apostolicæ Nuncium ordinarium fecisse jam scripsimus, ut maturet in Poloniam contendere, quo possit tuæ coronationi nostro et ejusdem S. Sedis nomine interesse. Cæterum gratissima Nobis est tua devotio, quam in eisdem litteris cernimus, eamque paterne amplectimur et toto corde Deo commendamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris

die 12 Decembris 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

LXXIV. — Palatinum quoque Siradiensem et Nicolaum Olicæ Ducem, qui Dissidentium postulatis maxime obstiterant, tum in Comitiis eligendo regi habitis, tum Parisios inter legatos profecti, cohortatur Gregorius, ut nova impiorum molimina eadem virtute atque constantia irrita faciant, disjiciantque. En primum ad Olicæ Ducem Gregorii litteras. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 174. fol. 101.

Dilecto Filio Nobili Viro Nicolao Duci Olicæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir salutem etc. In summo mœrore, quo bonos omnes affici æquum est de Catholicæ Ecclesiæ detrimento, deque animarum Christi sanguine redemptarum interitu, mirifice quemque consolatur sua ipsius conscientia, et Christi gloriæ atque animarum salutis desiderium, quantumque in quoque est conatus, omnem a Catholica Ecclesia pestem arcendi, quam quidem tum voluntatem, tum conatum in tua Nobilitate præstantissimum cognovimus in resistendo impiæ illi factioni et commento, quo Ministri Sathanæ in quærenda hæreticorum impunitate, et religionum, ut ipsi dicunt, concordia, nihil aliud cogitant, nisi veram Religionem, hoc est unicum ac firmissimum totius salutis fundamentum convellere. Perge quæso per eundem ipsum Christum, qui te ista virtute donavit, ejus causam tueri, teque impiorum machinis ut murum firmissimum oppone, neque illos tanta cum bonorum pernicie longius grassari sine, quæqua hactenus moliti sunt, disjice quantum potes. Accepimus enim illos nova quadam spe erectos alia quædam ordiri. Sed neque de optima Regis voluntate dubitare possumus, neque de tua præstanti pietate. Itaque hæc scribimus non ad hortandum, sed ut intelligas, quantum Nobis, ac bonis omnibus in tua excellenti virtute, atque opera spei situm sit, quam quidem virtutem tuam toto pectore Deo commendare non desistimus. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die II. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Mox et quas ad Siradiensem dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 173 fol. 100.

Dilecto Filio Nobili Viro Lasco Palatino Siradiensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam non cessat per suos Ministros diabolus adversus Christum sanctamque ejus Ecclesiam omnia moliri, novamque Babel ad gehennam ædificare, turpissimum esset Nobis Christi ipsius servis fidelibus in causa optima, in præsentissimo ejusdem Christi auxilio, in certissima sempiternæ mercedis spe inferiores esse cura, labore, studio, vigilantia. Tanto igitur acrius dimicemus, quanto in Nobis sunt omnia superiora. Quid jamdiu cogitarit nefaria illa Sathanæ conspiratio de hæreticorum impunitate deque religionum concordia, quam spem habeat, quid paret, nemo te melius intelligit. Fac igitur, ut idem sis, qui hactenus fuisti, invictus scilicet Christi miles ad repugnandum et tanquam moles firmissima adversus omnes machinas Sathanæ, cæterosque catholicos confirma, tuoque exemplo incende, aderit Deus vobis; imo vero aderit sibi ipsi et causæ suæ, tuebiturque vos tanquam oculos suos. Hæc scribimus non ad hortandum, summum enim ex iis, quæ hactenus gessisti, Christi zelum esse intelligimus, sed teneri non possumus, quin quantum Nobis in tua virtute spei sit, significemus, quam quidem virtutem Deo commendare non cessamus, proque catholicorum omnium incolumitate sanctæque Ecclesiæ amplitudine et gloria precari. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo piscatoris die II. Decembris 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

LXXV. — Joanni III. Svecorum regi viro omni litterarum et sacrarum præsertim genere instructo jam ab aliquot annis Hæreticorum placita male olere cœperant. Pervolutanti quippe et assidua manu recolenti Sanctorum Patrum, qui primis Ecclesiæ seculis floruere scripta mentem subibat frequenter, quam parum suo tamen judicio Augustanæ Confessionis, ut vocabant, asseclæ veteri illi christianorum doctrinæ consentirent; satagebatque proinde ut vetustissimam illorum seculorum faciem Evangelicorum Ecclesia ad amussim referret. Multa tamen ei in Ecclesia Catholica placebant, cum in pluribus illam priscorum seculorum doctrinis consentire identidem apertissime detegebat. Postquam autem Catharinam Jagellonicam Polonorum regis vita functi sororem in matrimonium sibi adduxerat, animus Joannis Catholicis jam non admodum adversus, in eos quotidie magis inclinabat. Catharina rebus Catholicis satis addicta frequentes ea de re sermones regi serere, mariti regis ad Catholicam regressum summopere deperire et urgere, suavia verba cum monitis commiscere. Joannes sancto Missæ Catholicæ sacrificio, quod privatim in ædicula Regii gynæcei peragebatur sæpe secreto adesse jam cœperat. At quod maxime regis animum a catholica revocabat, erat, quod sacris operati Catholici una tantum panis specie consecrata fidelibus Eucharistiæ sacramento communicarent. Id enim ipse, et vulgo omnes, qui ab Ecclesia descivere maxime odio habent, veluti sacrilegum deceptorum Catholicorum flagitium contra primum Christi ipsius institutum, et receptum vestustissimis Ecclesiæ temporibus morem, ajuntque frustra ad ultimam Christi Cœnam sacrum referri posse nisi insimul et litati panis et consecrati poculi participes fiant. Ex eo profecto id fit, quod in magna vetustorum monumentorum ignoratione versati, nesciant vel priscis Ecclesiæ seculis, non modo sub utraque

sed et sub alterutra specie Eucharistiam dispensatam fuisse, ut fusius ostendimus opere, quod de rebus Svecorum sub Joanne III. Sigismundo III. et Carolo IX. et de Catholicæ Religionis eo in regno restitutione Germanico idiomate conscripsimus et edidimus. [*] Qui plura cupiat illud adeat, nemoque miretur si heic loci brevius in rebus Svecorum immorabimur, eaque solum in medium proferemus, quæ monumentis continentur, nondum nobis exploratis cum opus illud conscribendum suscepimus.

[*] Augustæ Vindelicorum Ann. 1839 2. V. 8. Versio Gallica ejusdem operis Parisiis an. 1843 3 V. 8.

LXXVI. — Ut ad Catharinam redeamus, putavit ipsa profecto ad conjugis animum permovendum licere sibi aliqua ex parte Catholici sacri ritum declinare, permisitque, ut Herbestus, qui ei Exomologeos minister erat, et parum cautus alioquin bonæ fidei sacerdos habebatur, ad Eucharistiæ etiam poculum prægustandum eam admitteret. Sic ipsa nescio quo pacto decepta putabat ad Catholica castra posse conjugem deduci.

At paullo post, re melius perpensa facti pœnitens regina Pontificem supplex adiit, ut sibi violatarum sacri Catholici legum veniam concederet, quam illicet Pontifex suavissimis verbis est elargitus, monens tamen, ne in posterum hujusmodi regii conjugis suasionibus aurem præberet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII lib. III f. 61.

Carissimæ in Christo Filiæ Nostræ Catharinæ Reginæ Svetiæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Carissima in Christo filia Nostra salutem etc. Ex tuis et Joannis Herbesti doctoris tui literis incredibili cum voluptate cognovimus de tua pietate et religione, deque summo tuæ ipsius animæ salutis desiderio; quæ cura, et tua ista nobilitate, educatione, virtute et majorum tuorum catholicorum atque optimorum virorum laude et gloria dignissima est, et immortali Deo acceptissima. Miserere animæ tuæ placens Deo inquit Sapiens. Qui enim usque eo misertus est nostri, ut suæ ipsius humanitatis ejusdem misericordiæ causa susceptæ misertus non sit, quid ei gratius facere possimus, quam si ipsi quoque animarum nostrarum misereamur, hoc est si nos eodem ipso Deo, qui est summa nostra merces et summum bonum, minime fraudemus? Hoc assequemur religionis sinceritate, et vitæ ac morum sanctitate. Ut autem hoc nomine nobis carissima es, sic ultra quam dici possit, dolenter accepimus fuisse aliquando animam tuam tam gravi macula aspersam, teque aut viri tui, aut cujusvis alterius fraude eo adductam fuisse, ut sanctissimum corpus et sanguinem Christi sumeres sub utraque specie; sed benedictus Deus pater omnis consolationis, qui non est passus nostrum mœrorem diuturniorem esse: accepimus enim te hoc erratum agnovisse et doluisse ac dolere et in perpetuum detestari, cupereque a nobis absolvi. Carissima filia, primum maximumque est Deum nunquam offendi; proximum summeque necessarium tam bonum parentem offensum placari tui criminis agnitione, confessione, dolore, emendatione. Hæc omnia, o infinitam bonitatem, largitur idem ipse qui offensus est Deus; ille enim modo ne reluctemur, revocat nos trahitque ad se suavissime, efficitque, ut crimen ipsum agnoscamus, confiteamur, doleamus, emendemus. Agimus igitur ejus bonitati gratias quantas maximas possumus; tuam vero virtutem magnopere laudamus, hortamurque, ut in Catholicæ Ecclesiæ et religionis sinceritate et unitate, in qua ab optimis parentibus procreata, instituta, educata et vivendum tibi, et moriendum censeas, neque potes, posse esse ullam aliam salutis rationem, qua etiam de re ad te perscribit dilectus filius noster Card. Varmiensis, cujus apud te auctoritas propter doctrinæ excellentiam et vitæ sanctitatem gravissima esse debet, nec quidquam ejus monitis salutarius fieri posse existima. Eam autem quam postulas absolutionem sic impertimur, concedimus Apostolica quam a Deo accepimus auctoritate confessori tuo, ut injuncta tibi pœnitentia salutari te absolvat. Si quæ præterea erunt, in quibus nos tibi gratificari possimus, nunquam deerimus, te enim ut filiam in Christo carissimam habemus, tibique hoc nomine a nobis atque ab hac Sancta Sede omnia paratissima pollicemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die VIII. Martii 1573. Pontificatus Nostri Anno primo.

Catharina grati animi, quos potuit sensus Pontifici ob ejus benevolentiam expressit, at instituit consilio, quod conceperat animo, rogabatque, ut jam sibi non ut antea inconsulto Pontifice, sed ipso concedente sacri poculi libatio liceret, hanc unam viam patere asserens Svecorum regno in Catholicam unitatem revocando. [*]

[*] Germania Vol. 36. fol. 361

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri, et Domino Gregorio Divina Providentia Papæ Tredecimo, Sacrosanctæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine Clementissime, post oscula pedum beatorum promptam filialem obedientiam.

« Accepimus Beatitudinis vestræ literas, summi amoris plenissimas: ex quibus paternum et pastoralem affectum in nos filiam et ovem errantem (cujus errati nos ex animo pœnitet) probe perspectum habemus. Quo quidem nomine Beatitudini vestræ tantas, quantas maximas possumus, et quantas ex filiali reverentia paternitati vestræ debemus, ac quantas collatum nobis a sua Sanctitate absolutionis munus requirit, agimus gratias.

« Quod vero nos Sanctitas vestra pro officio sibi commisso hortatur, ut in unitate fidei Catholicæ more majorum nostrorum perseveremus; grata equidem nobis fuit tam paterna admonitio,

pollicemurque nos ejus rei memoriam, quoad Spiritus vitales reget artus, habituras.

« Unum tamen nobis obstat, quo minus in cœpto a sanctæ memoriæ parentibus vitæ curriculo libere currere valeamus: hoc autem est unius speciei Sacramenti Eucharistiæ usus, Regi Regnoque Sveciæ maxime contrarius, quem esse piissimum, et a Sancta Christi Ecclesia sancte approbatum non dubitamus: sed quid nos ab eo impediat, id Illustrissimo Cardinali Hosio significandum duximus, Beatitudini vestræ literis per nostrum servitorem hujus rei gratia missis supplicantes, ut hac in parte nostri, et Regni nostri, ac inprimis liberorum ratio habeatur. Deus enim nobis testis est: quod in nulla re ab obedientia Sanctæ Matris Ecclesiæ recedere animus unquam fuit, est, et erit.

« Nos dubitamus igitur nostras filiales preces apud paternitatem et Beatitudinem vestram locum habituras: quas quidem magis liberorum carissimorum (quorum nobis salus maxime curæ est) facimus; utque Regi Serenissimo ac toti Regno satisfaciamus (cui quidem Regno Sveciæ) hoc ex animo cupimus: ut sicut ab obedientia Ecclesiæ ob alteram speciem Sacramenti est alienissimum; ita hac, illorum præcipue causa, concessa, ad ejus gremium iterum redeat, ac denuo quamprimum ei incorporetur. Quod si cui, conjugi certe nostro carissimo et Regi Serenissimo id tam favemus, quam quod maxime ... quem una nobiscum paternæ Beatitudinis vestræ curæ, amori, precibus commendamus. Datum in Stokolm pridie Nativitatis B. V. Mariæ Dei Genitricis, anno Christi MDLXXII.

Humilis et obediens filia
CATHARINA.

Gregorius veritus, ne dolosis Protestantium sermonibus in avitæ fidei professione Catharina labefactaretur, Stanislaum Varsevicium S.I. presbyterum ad eam misit, qui ejus animum confirmaret, et fraudes hæreticorum retegeret exploderetque. [*]

[*] Theiner Svetia Tom. III. inter docum n 13. pag. 28. ed. Aug. Vind.

LXXVII. — Henrici Navarrensis regis legatus interea ineunte Februario Romam advenerat, et urbem sollemni pompa VII. Idus ingressus totius urbis plausu fuerat exceptus. Sacro Patrum Cardinalium secreto cœtu e vestigio coacto felicem hunc eventum Gregorius nunciavit, mox V. Idus legatus publice dato Card. virorum senatu, amplior qua potuit pompa receptus est, ut sui Principis nomine dicto se Pontificis audientem fore sponderet. Rei gestæ acta publicis consignata litteris hic inserenda putavimus. [*]

[*] Processus Henrici IV fol 273.

« Instrumentum præstitæ obedientiæ fe: re: Gregorio Papæ XIII. et S. Sedi Apostolicæ per Oratorem Regis Navarræ, nomine dicti Regis in Consistorio publico ad hunc effectum habito. Die X. mensis Februarii 1573.

« In Christi nomine Amen. Noverint universi præsens hoc publicum instrumentum inspecturi, lecturi, visuri atque audituri, cæterique ad quos ejus tenor pertinet, vel quomodolibet pertinere poterit, et ad quorum notitiam devenerit in futurum: quod anno a nativitate ejusdem MDLXXIII. Indict. prima, die vero decima mensis Februarii Pontificatus Sñi in Christo Patris et Dñi Nostri Dñi Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno primo, idem Sñus D. N. propter adventum Illñi viri Domini de Duras sive Duratii oratoris a Serñio Henrico Rege Navarræ ad præstandam debitam S. S. et S. Sedi Apostolicæ obedientiam, et ad alia infrascripta specialiter deputati, et ad urbem destinati, habuit consistorium publicum in Aula Regum sacri Palatii Apostolici sedens in throno suæ pontificiæ Majestatis et cum ipso assistentibus sacro Illñorum et Rñorum Dñorum S. R. E. Cardinalium collegio ac ibidem assistentibus eidem S.S. Rñis Patriarchis, Archiep., Episcopis et aliis Prælatis, et dum oratio, seu declamatio ab advocato consistoriali, ut moris est, haberetur, venit, ac silente Dño advocato introductus fuit in Aulam consistorii cum sua familia et comitatu idem Dñus Duratius orator, deductus et associatus ab aliquibus ex iisdem Rñis Dñis Prælatis assistentibus, præsentibus clericis cæremoniarum, facta triplici genuflexione de more, accessit ad solium et ad pedes S. S. humiliter ac reverenter, et nomine prædicti Henrici Regis admissus et receptus fuit a S. S. ad osculum pedum, manus et oris: quo facto similiter genuflexus exposuit causam suæ legationis, ad præstandam scilicet eidem S.S. et S. Sedi Apost. debitam obedientiam, et ad congratulandum eidem Sño de ejus assumptione ad summi Pontificatus apicem similiter nomine ejusdem Henrici Regis Navarræ. cujus etiam litteras desuper scriptas ipse Sño D. N. Papæ reddidit et præsentavit: Sanctitas vero Sua eas legendas dedit R. Dño Antonio Buccapadulio ejusdem S.S. secretario, qui eas accepit, et aperuit, et idem Dñus Duratius orator recedens ad locum sibi designatum post bancum Illñorum et Rñorum DD. Cardinalium in conspectu ipsius Sñi D.N., convertens se ad utrumque consessum Illñorum Dñorum Cardinalium eos hinc inde salutavit; et ad dictum locum ductus a clericis cæremoniarum in eodem constitit: et cum adventus sui orationem complevisset, idem Dñus Ant. Buccapadulius literas lingua gallica scriptas juxta suam versionem in latinam linguam cum eisdem existentem, clara et intelligibili voce perlegit: quibus quidem litteris ipse Henricus Navarræ Rex significabat se, qui pro officii sui ratione, et pro bono Christiani orbis Principum et populorum exemplo et satisfactione id debere agnoscebat; prædictum Dñum Duratium unum ex cubiculariis suis ordinariis et intimis sui comitatus assessoribus mittere, ut is suo nomine S. S. et Sanctæ

Sedi Apostolicæ debitæ obedientiæ et submissionis officium publice et solemniter præstaret, quod et quale majores sui reges pro regnis et provinciis illis, quas ipse pro majori imperii jure obtinet, præstiterunt, reddiderunt et exhibuerunt: supplicans et obnixe petens, ut ad hujus muneris exhibitionem idem Dñus Duratius suus orator et legatus suo nomine admitteretur, et illi eamdem fidem S.S. adhiberet in his, quæ ille suo nomine explicaret, quam ipsimet Regi si coram S.S. exponeret adhiberet, et alias tenoris prout in eis plenius continetur. Iis vero perlectis R. Dñus Claudius Arnulphus theologus parisiensis astans cum prædicto Dño Duratio oratore in prædicto loco, pro eodem habuit latinam orationem ad eumdem S. D. N., qua primum nomine prædicti Henrici Regis et Serenissimæ Margaritæ Valesiæ reginæ ejus conjugis cum S. S. gratulatus est de ejus ad summum Pontificatum assumptione, tum ejusdem Henrici regis nobilitatem, potentiam, et præcipue præsentem pietatem et religionem mirifice laudavit, et quod ipse rex erroribus, in quos pro temporum infelicitate potius quam voluntatis perversitate, ut asserebat, puer inciderat, et hæreticorum præstigiis, cum ad maturiorem ætatem pervenisset, spretis et abjuratis, nihil aliud magis studuerit, nihilve antiquius duxerit, quam jure quodam postliminii ad S. Ecclesiam communem omnium matrem recurrere, atque catholicorum majorum suorum fidem obviis, ut ajunt, ulnis amplecti, et illam constanter retinere, et insigni aliqua accessione cumulare, et quod eo creverit magnitudo pietatis suæ, ut numquam felix, et auspicatum regnandi principium existimarit, nisi S. D. N. Papam in provinciis regni sui novum creatum summum Pontificem recognosceret, debitum gratulationis munus præstaret, et apostolico throno humilem obedientiam et devotum obsequium quanta posset veneratione exhiberet, et naturali quadam sui animi inclinatione, et exemplo majorum suorum, quorum pleraque idem Claudius recensebat: subdens de ipsius regis matrimonio cum prædicta Magarita Gallorum Regis sorore, B. S. auctoritate intercedente contracto, ac rogans ut eadem S. S. eumdem Henricum Navarræ Regem uti jam religione, fide, et voluntate suum susciperet, et Apostolicæ protectionis clypeo protegeret eo animo, quo ipse Rex cum prædicta Regina conjuge S. S. et Apostolico throno omnem venerationis, et reverentiæ cultum præstabat, et charitate qua eidem S. S. perpetuam obedientiam, et sinceram devotionem cum humili observantia exhibebat, et ea fide qua ipsum S. D. N. Papam indubitatum Petri successorem legitimum Christi Vicarium attestabatur. Ac quod idem Rex se, reginam, et regnum provinciasque suas promptissimo animo, et constantissima fide commendabat, et ante deosculatos S. V. pedes deponebat: quodque si ejusdem Regis tam pio voto S. S. annueret, non minus memorem Regem, quam gratum filium omni ævo esset expertura, prout in eadem oratione fusius dicebatur, ad quam in omnibus et per omnia relatio habeatur. Qua oratione habita, supradictus Dñus Ant. Buccapadulius secretarius apostolicus genuflexus oraculo accepto, seu mandato responsionis ab eodem Sño D. N. surrexit, et nomine S. S. his ferme verbis alta et similiter intelligibili voce respondit, S. S. una cum venerabilibus fratribus suis S. R. E. Cardinalibus hujusmodi Regis et Reginæ præfatorum obedientiam et alia prædicta sine cujusque et præsertim Regis Catholici præjudicio acceptare, tanquam sibi, amplissimo Cardinalium ordini, et sacrosanctæ Apostolicæ Sedi proprie officium ipsum veridicantem, nonnullis præmissis, quibus et S. S. lætitia ex hac præfati Regis obedientia et pietate significabatur, et ipsius Regis virtus in emergendo ab erroribus in quibus olim permanserat commendabatur.

« Super quibus omnibus et singulis discretus vir Dñus Joannes Felix Salvatorius U. J. D. fisci et Cameræ Apostolicæ procurator a RR. PP. DD. Protonotariis Apostolicis de numero participantium, ac etiam a RR. PP. DD. Cameræ Apostolicæ Clericis et aliis Notariis publicis quos ibidem præsentes desuper rogavit, unum vel plura publicum sive publica fieri petiit instrumentum, et instrumenta.

« Deinde vero nonnulli Illñi et Rñi Domini Cardinales Christianissimi præsertim Galliarum Regis et Henrici Navarræ Regis chariores amici, seu eisdem Regibus magis confidentes juxta voluntatem prædicti Dñi Duratii oratoris per præfatos clericos cæremoniarum vocati ad circulum, venerat ad solium ejusdem S. S. atque in illius plano ipsis consistentibus, idem Dñus Duratius orator ab eisdem clericis deductus venit reverenter ad pedes S. S. et facta debita veneratione surrexit, ac eo ibidem cum prædictis Illñis et Rñis Dominis Cardinalibus S. S. astante, supradictus Dñus Claudius qui orationem habuit, tum et plurimi Galli viri nobiles ejusdem Dñi Duratii comites, et reliqui domestici et familiares ad prælibati S. D. N. pedes accedentes et prostrati, humillime et devote illos osculati sunt.

« Acta fuerunt hæc Romæ in palatio Apostolico in aula Regum, in Consistorio publico, sub anno, indictione, die, mense, et pontificatus quibus supra. Præsentibus ibidem ac S. D. N. Papæ assidentibus Illñis et Rñis Dñis S. R. E. Cardinalibus Episcopis, Presbyteris et Diaconibus, ac Rñis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis S. S. assistentibus, ut supra. Necnon ibidem præsentibus RR. PP. Dñis Laurentio Celso, et Ferdinando Spinello apostolicis connota-

riis nostris, ac RR. PP. DD. Simone Cecchino Auditore computistarum, et Christoforo Robusterio sacri palatii Apostolici causarum auditore atque M. Domino Honorato Caetano Domicello romano Burgi gubernatore, et custodiæ S. S. præfecto testibus ad hæc vocatis specialiter atque congregatis: præsentibus quoque quamplurimis aliis Prælatis et officialibus romanæ curiæ, domicellis romanis, et nobilibus, nec non S. S. cubiculariis secretis et extra muros, et familiaribus, atque aliis curialibus et personis in numero copioso.

« Et quia ego Anselmus Dandinus clericus Cæsenas jur. utr. doctor S. D. Nostri Utr. Signaturæ Referendarius et unus ex prescriptis septem notariis participantibus, cui ex decreto aliorum connotariorum jam pridem hujus et similium actuum publicorum annotandi cura demandata fuerat, his omnibus dum sic ut præmittitur fierent et agerentur una cum prænominatis testibus interfui et præsens fui, eaque sic fieri vidi, et audivi, et in notam sumpsi, idem hoc præsens publicum instrumentum manu mea propria scriptum subscripsi, et in hanc publicam formam redegi sigilloque, nomine et cognomine meis solitis et consuetis communivi, in fidem omnium et singulorum præmissorum rogatus et requisitus.

Ita est Anselmus Dandinus Protonot. Apostolicus (L. S.)

Jus sibi ad Navarrense regnum Hispaniarum Rex Catholicus esse profitebatur, et rege Navarræ reverentiam Pontifici exhibente Legatus Hispanus intercedebat, testabaturque nolle se jura sui Principis quidquam detrimenti capere. Juribus istis, etsi pluribus obsoleta, ficta et ridenda viderentur, noluit tamen Pontifex suo facto præjudicari. Publico igitur testimonio et in acta relato, enunciavit se nihil juribus cujuslibet hominis et præsertim regis Hispani velle afficere, sed prouti ea verius sanctiusque servanda erant, ita sarta tecta in posterum capere. Hocce monimentum, utpote quod possit multorum desiderio expetiri hic addidimus. [*]

[*] Processus Beoriti IV. f. 295.

GREGORIUS PP. XIII.

« Ad futuram rei memoriam. Post nostram ad apostolatus officium assumptionem præter alios Principes, qui ad præstandam ipsorum nomine nobis et Sedi Apostolicæ obedientiam, oratores suos de more miserunt, nobilis quoque vir Henricus de Borbon et nobilis mulier Margarita ejus uxor, qui se Reges Navarræ appellant, mittendum ejusdem officii fungendi causa duxerunt ad nos oratorem suum Dominum de Duras, quem nos ad obedientiam eorum nomine præstandam ita admittendum esse prospeximus, ut nulla ex parte ob tam causam minuerentur jura Apostolicæ Sedis neque charissimi in Christo filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ejusve successorum in ipso Navarræ Regno, neque eo facto quicquam juris in eodem Regno, vel ulla ejus parte, acquireretur ab iisdem Henrico et Margarita se pro Regibus Navarræ gerentibus, itaque die x. Februarii proxime præteriti antequam ad Aulam sacri palatii nostri, Regiam appellatam, ubi eorum oratorem eo die excipere constitueramus, procederemus, in Cubiculo nostro coram testibus diserte et diligenter protestati sumus et declaravimus, nihil ex ea obedientia a nobis accipienda præjuditii inferri velle cuiquam præsertimque charissimo ipsi filio Nostro Regi Catholico, sicut ex instrumento publico plenius constat super nostra protestatione confecto a dilecto filio Stephano Latino Cameræ Apostolicæ notario, quem ad illam protestationem adhibuimus: cujus instrumenti hic est tenor: In Dei nomine Amen. Per præsens instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, indictione prima, die Martis decima mensis Februarii Pontificatus Sñi in Christo Patris et Domini nostri Domini Gregorii divina providentia Papæ tertii decimi anno primo, in mei Cameræ Apostolicæ notarii testiumque infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum præsentia personaliter constitutus prælibatus Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster Gregorius PP. XIII., qui accepit nuper venisse ad Almam urbem Illustrem D. de Duras oratorem Serñi D. Henrici de Borbon Navarræ Regis nuncupati, seu pro Rege se gerentis ad præstandam obedientiam Sanctitati Suæ nomine dicti Serñi Henrici juxta morem aliorum Regum et Principum, volens dictum oratorem honorifice ut decet recipere, et eum ad exhibitionem obedientiæ de more admittere, et nihilominus nulli propterea præjudicium facere, decrevit et declaravit, ac decernit et declarat omni meliori modo, quo potuit et debuit, quod per quamcumque admissionem et receptionem dicti oratoris ad præstandam obedientiam hujusmodi in aula Regum nuncupata sacri palatii, in qua alii oratores Regum recipi consueverunt, aut quoscunque alios actus in præmissis vel illorum occasione verbo vel facto, quomodolibet faciendos prescripto Serenissimo Henrico nihil amplius juris in petitorio vel possessorio in Regno Navarræ aut aliqua ejus parte, neque in denominatione et prætensione ac expressione nominis Regis acquiratur, aut acquisitum esse censeatur, quam antea ei competeret, nec alicui alteri et præsertim Sanctitati Suæ ac Apostolicæ Sedi, et Serñio Domino Hispaniarum Regi Catholico præjuditium aliquod, non solum in eodem Regno Navarræ, aut aliqua ejus parte, similiter in petitorio aut possessorio, sed nec circa denominationem, appellationem et nuncupationem ipsius Serñi in Regem Navarræ et nominis Regis, et illius prætensione, etiam si

illo uti contigerit, inferatur, aut aliquo modo illatum fore intelligatur: imo omnia in eisdem statu et terminis remaneant et sint, in quibus de pñti ante receptionem et admissionem hũi reperiantur, in omnibus et per omnia, perinde ac si dictus orator nullatenus reciperetur vel admitteretur: sicque per quoscunque tam ecclesiasticos quam seculares judices sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et interpretari debere, irritum quoque et inane quicquid secus factum fuerit, similiter decrevit contrariis non obstantibus quibuscumque super quibus omnibus et singulis præmissis prælibatus Sanctissimus Dominus noster sibi a me notario publico fieri atque confeci petiit instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt præmissa Romæ in palatio apostolico in camera Suæ Sanctitatis præsentibus ibidem Illñio et Rñio Domino Ptolomeo Gallio tituli S. Agathæ S. Rom. Eccl. presbytero Cardinale Comense nuncupato, et Mag. et R. D. Ludovico Blanchetto clerico Bononiensi Præfecto cubiculi prælibati S. Dñi Domini Papæ, testibus ad præmissa vocatis et rogatis. Successive eodem die paulo post constitutus personaliter coram Sñio Domino nostro Gregorio divina providentia Papa XIII. et Illñis et Rñis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in pleno et publico Consistorio in Aula Regum prædicta eo adunatis, R. D. Claudius Arnolphus Archidiaconus Senonensis post præstitam ab Ill. D. de Duras nomine dicti Serñi Domini Henrici prelibato Sñio Domino nostro Papæ debitam obedientiam, habuit et recitavit orationem tenoris prout infra; et post finitam dictam orationem, egregius et R. D. Antonius Buccapadulius ejusdem Sñi D. N. Papæ a secretis, omnibus audientibus alta et intelligibili voce, nomine Suæ Sanctitatis respondit in hunc qui sequitur modum, videlicet: Nobilis orator eo quidque solet accidere cuique jucundius, quo antea quoque fuit optatius multoque majore cum voluptate recuperare charissima quæque semel amissa, quam retineri nunquam deperdita. declarat ille alias pastor alias pater evangelicus, quam utramque personam cum sustineat Sñus D. N. incredibile est, quanta lætitia afficiatur de hac charissimi filii sui Henrici Regis Navarræ erga se et hanc Sanctam Sedem obedientia et pietate, antea quidem fama et litteris celebrata privatimque ab ipso Rege ad S. Suam perscripta, nunc autem publica hac legatione et oratione in conspectu posita, amplissimeque testificata; superavit Dei benignitas in restituendo impiorum in puero abstrahendo improbitatem et fraudem, ejus igitur benignitati immortales gratiæ agendæ sunt, hujus facilitas in audiendo, virtus in emergendo, alacritas in redeundo omnibus laudibus eferenda est, omnibus officiis amplectenda, ac Regis quidem laudes prosequetur omnis posteritas, officia vero ipsa proprie sibi vindicat Sñus Dominus noster, hic ordo amplissimus, sacrosancta hæc Sedes Apostolica. Accipit igitur Sanctitas Sua una cum venerabilibus fratribus suis S. R. E. Cardinalibus hanc Regis et Reginæ obedientiam, hæcque omnia vult esse acta sine cujusquam et præsertim charissimi filii sui Philippi Hispaniarum Regis Catholici præjudicio, super quibus omnibus præmissis Mag. et egregius J. U. Doctor Jo. Felix Salvatorius S. D. N. ejusve Cameræ procurator fiscalis ibidem præsens petiit ab omnibus Cameræ Apostolicæ Clericis, secretariis, prothonotariis et notariis ibidem assistentibus unum et plura publicum et publica confici instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt hæc indictione, die, mense et pontificatu supradictis Romæ in palatio Apostolico et supradicta aula, quæ dicitur Regum, assistentibus ibidem multis S. R. E. Cardinalibus et aliis quam pluribus et præsertim supradictis Illñio Cardinale Comense et Mag. et R. Domino Blanchetto, qui supradictæ declarationi per supradictum S. D. N. Papam hodie factæ interfuerunt. Ego Stephanus Latinus publicus Cameræ Apostolicæ Notarius de præmissis omnibus rogatus præsens instrumentum scripsi, subscripsi et publicavi requisitus. – Licet igitur attenta priori protestatione per Nos in cubiculo nostro facta, et posteriore per dilectum filium Antonium Buccapadulium secretarium nostrum nostro nomine expressoque mandato nulla dubitatio existere posse videatur, quin nullum præjudicium ob admissam a nobis ipsorum Henrici et Margaritæ obedientiam, nec Sedi Apostolicæ, nec ipsi Hispaniarum Regi ejusve successoribus inferri voluerimus, tamen abundantioris cautelæ causa, et ut nihil omnino loci cujusquam dubitationi aut calumniæ relinquatur, per has litteras declaramus et statuimus, Nos per hanc obedientiam præstitam in aula Regum, et etiam expressionem nominis Regis, noluisse præjudicare præfato Serñio Regi Catholico Philippo et ejus successoribus, neque de jure neque de facto, neque in petitorio, neque in possessorio, neque in re, neque alio quovis modo, neque de præterito, neque in præsenti, neque in futuro; quod si præjudicatum ei quoquo modo fuisse contigit, aut si qua ex parte ejus jus imminutum, aut labefactum fuit, revocamus per has litteras, irritamus omne illud præjuditium ipsumque Regem Catholicum in pristinum statum motu proprio et ex certa scientia ac de prædictis apostolica plenitudine reponimus et restituimus, nolentes ex hac obedientia illi, successoribus ejus præjudicatum esse, aut aliquo modo præjudicari posse neque directe neque indirecte, neque principaliter neque per consequentiam ullam, ita ut in nihilo per eam obedientiam jus ipsis Henrico et Margaritæ in Regno Navarræ, nec re nec quo-

ad nomen Regium attinet, nec aliam sequelam acquisitum vel auctum fuisse intelligatur, neque de Serñi Regis Catholici quicquam jure detractum, irritum et inane decernimus siquid adversus hanc declarationem et revocationem nostram a quoquam attemptari unquam contigeret. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. Martii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno primo.

LXXVIII. — Pontifex Henricum de re ab ejus legato ad unguem peracta extemplo certiorem reddit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 33.

Carissimo in Christo Filio Nostro Henrico Navarræ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster salutem etc. Remuneretur Deus omni terrena ac cœlesti felicitate tuam istam pietatem, qua et hanc terrenam et cœlestem illam Hierusalem indies magis magisque exhilaras. Accepimus una cum Ven. fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus eam obedientiam, quam nobis atque huic Sanctæ Sedi præstitit tuo nomine dilectus filius Dominus de Duras Majestatis tuæ orator, celebravimusque eam incredibili lætitia et tuarum literarum quæ publice vocitatæ fuerunt, tuæque pietatis ac virtutis vere Regiæ commendatione, et omnium tibi a Deo bonorum precatione. Utinam carissime fili (neque enim te hoc titulo, ut cæteros Reges tantum appellamus, sed nostram etiam erga te caritatem significamus,) ipse oculis perspicere posses, facile intelligeres neminem esse te nobis cariorem, neque cui magis omnia summa cupiamus, et quoad poterimus præstare paratissimos. Perge ut cœpisti, teque ipso major quotidie evadere conare, divinamque opem sine qua inanis est noster omnis conatus virtute et pietate semper promereri contende, tibique omnia a nobis parata esse confide, quæ filio optimo atque obsequentissimo possunt esse a patre amantissimo. Fusius cum oratori tuo locuti sumus, a quo omnia quasi a nobis ipsis accipies. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XV. Februarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Eadem nuntiat Carolo regi et universis regis sanguine ortis. Sufficiat litteras ad regem datas in medium adducere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III fol. 38.

Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster salutem etc. Ad eam lætitiam, quam ex carissimi filii nostri Henrici Regis Navarræ optatissimo ad catholicam Ecclesiam reditu incredibilem accepimus cum primum tua Majestas atque ille nos de ea re certiores fecit, magnum cumulum attulit adventus Dñi de Duras, et obedientia quam in publico venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consistorio præstitit nobis atque huic Sanctæ Sedi Apostolicæ, summa cum testificatione optimæ ipsius Regis voluntatis et pietatis. Fuit ea res omnibus jucundissima, et quod nos fecimus, id alios etiam qui aderant innumeros fecisse non dubitamus, ut eas gratias quas initio reddidimus Deo, intimo ex corde renovaremus. Nostrum autem gaudium proprium superavit cæterorum omniom commune, propter eam quam sustinemus a Deo impositam personam; cui enim filii reditus et salus potest esse jucundior, quam parenti? Amabimus semper Regem ipsum atque ejus virtutem et pietatem paterna ut debemus caritate, multumque etiam ad amorem valebit necessitas illa, et propinquitas, qua ille Majestati tuæ conjunctus est; neque unquam ejus utilitati aut dignitati deerimus, idque libentius multo re ipsa præstabimus, quam verbis pollicemur. Interim Deus benedictus perpetuam illi, Majestati tuæ, tuis omnibus in hac atque in futura vita felicitatem largiatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XV. Februarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

LXXIX. — Opportunæ, quæ sese offerebat occasio, non defuit Gregorius, ut hisce in adjunctis Condeo et ejus conjugi animum adderet, ut semper alacriores in virtutibus proficerent constantesque in religione et fide catholica perseverarent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III fol. 51.

Dilecto Filio Nobili Viro Henrico Borbonio et Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri Mariæ Cliviæ Principibus Condeis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti nobiles in Christo filii salutem etc. Legimus incredibili cum voluptate vestras litteras, pietatis summæque indies magis magisque in sanctis proficiendi voluntatis plenas: egimus quantas potuimus maximas gratias Deo, qui id confirmare dignatus est, quod est operatus in vobis, a templo sancto suo, quod est in cœlesti illa Hierusalem, quo aspiratis offertisque sinceræ pietatis, veræ laudis et cordium vestrorum munera. Habebimus vos semper carissimos, neque in nostra erga vos caritate significanda nobis ipsis unquam satisfaciemus, idque rebus magis quam verbis confirmare cupimus. Pergite ut facitis de virtute in virtutem, et quod alias scripsimus, dilectum filium Card. Borbonium vobis a Deo datum existimate, salutaribusque ejus monitis ac sanctitate et prudentia plenis obtemperate, nec quidquam vos utilius facere posse credite. Ac si qua in re nostram auctoritatem atque operam vobis prodesse posse judicatis, certiores nos facite. Deus benedictus sua gratia vos tueatur, augeatque omni terrena ac cœlesti felicitate. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XXIII. Februarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Carolo quoque Cardinali Borbonio de præstita in reducendis ad Catholica sacra Navarrensi et Condeo opera iterum gratulatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 53.

Dilecto Filio Carolo Tituli S. Chrisogoni Presbytero Cardinali Borbonio vocato Civitatis Nostræ Avenionensis Nostro et Apostolicæ Sedis de Latere Legato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem etc. Gaudemus tantopere esse tibi perspectam et gratam nostram erga Regem Navarræ et Principes Condeos caritatem; ut autem eam illis deberi profitemur, sic tuum illud, quo te affici scribis, gaudium magnopere commendamus; eamdem vero cujus tum gaudii tum caritatis causam esse agnoscimus. Amamus illos propter eorum pietatem et perpetuum catholicæ religionis, sanctarumque virtutum studium, cujus et ex illorum et ex tuis litteris locupletissimum testimonium habemus. Quid autem est, quo servos Dei magis gaudere oporteat, quam ejusdem Dei gloria? in quo autem illa elucet magis, quam in misericordia? Quæ porro major misericordia, quam salus animarum? In communi autem gaudio summa tua cum laude versatur tua opera: tu enim in suis Deo atque ejus ecclesiæ pueris restituendis ejusdem Dei minister atque adjutor fuisti, quam etiam laudem emulas alia nihilo inferiore: siquidem laborare in re maxima, et Deo gratissima, neque defatigari, et summis laudibus digna agentem, nullas suas laudes agnoscere, majoraque indies cupere et orare, quæ omnia te facere intelligimus, ut difficillimum, sic præstantissimum, maximeque laudabile est. Quod postulas, ut ad optimam carissimorum filiorum nostrorum voluntatem nostræ quoque orationes accedant, rem postulas ut piis omnibus a nobis paratissimam, sic quoque nobis ab illis optatissimam et pernecessariam. Cupimus enim et magnopere indigemus in tantis laboribus et periculis, in quibus versamur, nostram imbecillitatem commendari Deo. Siquid erit, in quo existimes possemus prodesse carissimis filiis nostris, fac nos certiores; experieris multo libentius nos omnia præstaturos, quam pollicemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XXIII. Februarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

LXXX. — Navarræ rex humanissimis amplissimisque verbis XIII. Kal. Sept. grates agit, quod tantus suo legato redditus esset et sibi habitus honos, spondetque Pontifici, se nihil omissurum, quin impleat conceptam de se a Catholicis spem in suo ad Ecclesiam Christi reditu. [*] Cardinali quoque Comensi eosdem grati animi sensus testatur. [*]

[*] Apud B. de Xivrey Recueil des lettres de Henri IV. Tom. I. p. 51.
[*] Mantissa documentor. N. 33.

Gregorio non inopportunum merito visum est Navarrensem monere, ne segnis obdormisceret, et in suo regno Catholicæ religioni pristinum decus et erepta jura reddere prætermitteret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 111.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Navarræ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Insignis humanitas, et pietas Majestatis Tuæ, atque erga Nos, et hanc Sanctam Sedem observantia omnibus ex partibus sese ostendit in iis literis, quas ad Nos dedisti XX. Augusti: quibus nominibus te ut filium charissimum habemus, semperque habebimus. De iis officiis, quæ in Dominum Duratii Oratorem tuum contulimus, nihil erat, quod Nobis gratias ageres, cupimus enim nostram paternam erga te charitatem omnibus rationibus testificari; eamque quibuscumque rebus poterimus, tam libenter declarabimus, ut nihil unquam libentius facturi simus. De tua vero in Nos, et Sanctam hanc Sedem pietate dubitare non possumus, eamque in tuis literis incredibili enim voluptate recognovimus, tenemusque optima spe, eam, ut scribis, in dies magis magisque rebus ipsis confirmatum iri; cujus rei unum hoc erit certissimum argumentum, si tu charissime fili, omni studio, vigilantia, labore curaveris Catholicam Religionem apud tuos populos Sathanæ opera violatam restitui, ac pravas de Religione sententias in hominum animis ab eodem Sathana insitas evelli, easque, quas Sancta Romana Ecclesia complectitur constantissimeque tuetur, inseri. Hoc ut facias per eundem ipsum Christum, cui et quidquid nunc boni, ac gloriæ possides, et quidquid in æternum tuæ pietati paratum est fælicitatis, debes, quantum possumus, rogamus. Aderit tuis conatibus idem Deus, cujus causa agitur, eosque remunerabitur præmiis supra omnem cogitandi, ne dum dicendi facultatem amplissimis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIX. Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

LXXXI. — Ad animum Caroli Gallorum regis magis magisque inflammandum in suo erga rem Catholicam studio Gregorius illi per legatum suum Silvium Savellium ensem pileumque sacris sollemnibus verbis consacratum misit. Carolus gratanter donum accepit, summoque Pontifici grates quam maximas reddidit. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 34.

LXXXII. — Monita quæ donis missis conjunxerat, non in cassum cecidere. Omnem sibi adhibendam solertiam in designandis qui Episcopalibus Cathedris præficerentur rex intellexit. Ad Narbonensem igitur Ecclesiam Simonem illum Vigoreum virum omnino et vitæ sanctitate et litterarum peritia clarum evehendum elegit. Nec enim vero sine quodam piæ voluptatis sensu legere est, quæ præstantissimus idem Vigoreus sive de sua in Episcopum designatione, sive de rerum Gallicæ Ecclesiæ ad Gregorium scribit. [*]

[*] Gallia Vol. 7. fol. 81.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ

Sanctissime Pater, post humillima pedum oscula.

« Lugebamus in Gallia nostra, morte nobis ereptum fœlicis recordationis Pium V. vere, ut loquitur Scriptura, Dei hominem, fidelem servum: sed cum te Gregorium XIII. Pontificem renuntiatum intelleximus, mœrorem certe temperavimus, summamque Dei misericordiam laudavimus, qui pro abeunte Elia Eliseum nobis duplici Eliæ spiritu indutum reddidisset. Quo Ecclesiæ clavum tenente, speramus fore, ut quod Pius velut alter Moses facere tentavit, Gregorius velut alter Josue perficiat, hoc est christianos in terram sanctam introducat, ut non modo cessent in Ecclesia schismata, sed et Turcæ et infideles christianam religionem amplectantur, et fiat tandem, utinam vero id Pontificatum gerente Sanctitate Vestra, unus Pastor et unum ovile. Hac spe confirmamur, quod S. V. cum intelligat non aliam expeditiorem et commodiorem ad Ecclesiæ statum retinendum viam excogitari posse, quam si optimi et doctissimi quique et qui contradicentes arguere possint, Ecclesiis præficiantur, non intermittit Reges, Principes et eos omnes quibus nominandi ad beneficia vacantia potestas facta est cohortari, ut iis solis populum Dei regendum curent committi, quorum et doctrinam sanam et inculpatam esse vitam constiterit; sed ego meæ tenuitatis et imbecillitatis mihi ipsi probe conscius, valde miratus sum et pene attonitus obstupui, cum mihi opus regendæ Ecclesiæ Narbonensis commissum significavit Illustrissimus D. Cardinalis Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus, mihi, inquam, vixdum nomine S.V. cognito et cui multa deesse sentiam, quæ ad obeundum pro dignitate tanti Episcopatus munus non ignoro esse necessaria. Quæ cum animo meo repeto, lubens cum Mose responderem: Domine provide alium quem mittas: nisi scriptum recordarer illum vocationi divinæ obnitentem a Deo ob eam vocem acriter fuisse objurgatum. Quando ergo non ex meo, sed ex S.V. solius pendeo judicio et arbitrio, cogor cum Esaïa dicere: Ecce ego, mitte me, quodvis onus in humeros meos imponito, quantum vires meæ suppetent, æquo animo feram. Episcopatus onus et opus ad quod me vocat S. V. divino auxilio et ejusdem S. V. authoritate fretus in me recipio. Illius vero opes pro singulari prudentia dispensato, distribuito, pensionum quantumvis imponito, in omnibus me præstabo obsequentissimum S. V. cui me totum permitto, trado et devoveo. Cæterum S. V. pro sua erga me propensione non quas debeo, sed quas possum ago gratias, cui persuasum esse cupio, me accepti beneficii memorem et gratum perpetuo fore, et numquam me Narbonensi Archiepiscopatu cessurum, nisi quæ me ad illum vocavit Sanctitas Vestra ab eodem revocaverit. Hanc meam Regi Christianissimo et Reginæ mentem aperui, hoc idem multis, quos nescio quo animo illi Episcopatum ambiunt, respondi tum quod divinitus me nihil de illo cogitantem, vocatum existimem, tum quod si sponte cederem in S. V. et Sedem Apostolicam (cujus authoritatem tueri semper fuit in animo) non modo ingratus, sed et inimicus viderer. Quod si tamen ob Ecclesiæ aut utilitatem aut necessitatem aliter imperaverit, votis illius sum pariturus, cui obsequium meum quantulumcumque est suppliciter demisseque offero, Deique Optimi Maximi opem imploro, ut illum diutissime Ecclesiæ suæ servet incolumem; mihi vero hanc præstet gratiam quam pro magno beneficio ducam, ut liceat aliquando coram gratias agere et beatissimos illius pedes supplici osculo venerari. Lutetiæ x. Calend. Martii 1573.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus Servitor.

Simon Vigorius

Electus Archiep. Narbonensis.

Quid mirum Gregorium currenti Præsuli alas addidisse, ut munus suum omni seposito metu adgrederetur? [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib III. fol. 87.

Dilecto Filio Simoni Vigoreo Narbonensi Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. Etsi nullam hactenus aliam tui notitiam habemus, præter eam, quam tuarum virtutum fama ad nos detulit; tamen non mediocris ea notitia existimanda est; multos enim præsentes habemus, quos tamen non novimus, quia quo animo et virtute sint ignoramus; ea certior multo notitia est, quam consentiens hominum opinio et fama commendat, id enim certum virtutis testimonium est. Hanc virtutem ociosam esse pati non debemus; neque eam usquam melius aut fructuosius occupari posse intelligimus, quam in Dei gloria atque animarum salute; quibus duabus in rebus omnis episcoporum cura atque opera maxime versatur. Hæ causæ effecerunt, ut tibi Archiepiscopatum istum tribueremus; onus illud quidem ut omnium maximum, sic si ut oportet feratur, sustineaturque, qood te divina ope facturum speramus, eidem Deo acceptissimum. Nos in sententia permanebimus, nec Regem Christianissimum a nostro judicio et voluntate discrepare putamus; quin potius pro sua pietate optare, ut omnes Ecclesiæ tui similibus committantur. Ut autem nostram de te existimationem Dei benignitas re ipsa confirmet precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die II. Aprilis 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

LXXXIII. — Inter eos, qui sui gregis medelæ et incolumitati studerent, eminebat quoque Bituricensium Præsul. Totus sese ille dabat in bonam frugem et veritatem suaviter sapienterque reducendis, qui hæresum erroribus semet induerant. Maximas ille proinde gratias habuit, redditque Pontifici, quod se suosque collegas pote-

state munisset veniæ hæresim ejurantibus concedendæ. (*)

(*) Gallia V. 3. fol. 82.

Sanctissimo Patri et Domino Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

Beatissime Pater.

Post humillima beatissimorum pedum oscula.

« Quod in privata nostra vel publica totius Ecclesiæ lætitia facere debui, ut ob prostratos eos, qui perditis suis ausibus hæreticis ac factionibus seditiosis non hoc modo regnum, sed orbem pene universum misere divexabant, S. V. gratularer, id ne tentarem effecit sola summæ suæ auctoritatis et infimæ nostræ conditionis contemplatio. Sed posteaquam dignata est me inter eos cooptare, quos ad resipiscentes hoc tempore et ad matris Ecclesiæ gremium suis abjuratis erroribus redeuntes excipiendos absolvendosque delegit, non potui his nostris literis non suspicere atque adorare hanc tanti pastoris erga dispersas oves vigilantiam et in me minime meritum benevolentiam, profiterique eum ingens illud pro accepto divinitus tanto beneficio nostrum gaudium, tum etiam jussis suis ac mandatis omnibus amplectendis exequendisque animum perpetuo fore promptissimum. Maxime vero in præsenti reconciliationis negotio, in quo quamvis minus sim idoneus, præcipienti tamen humillime parebo et quod mihi Dominus donaverit libenter præstabo. Nec ullo unquam pacto a Sanctissimis suis monitis et præscriptis discedam, in quibus cum misericordia superexaltet judicium vetitque lapsos non tam pœna deterrendos esse, quam indulgentia alliciendos adjuvante Domino ad suum ovile ab hæresi eo citius revocabuntur, quam facile a vera Religione hæresiarcharum malis artibus defecerant. Quod jam nobis plurimi vere testantur, qui quotidie conversi facti pœnitent suosque detestantur errores. Clementissimus Deus confirmare dignetur, quod in eis operatus est. Suæ vero Ecclesiæ quam diutissime servet incolumem S. V. semperque fœlicissimis incrementis in dies augeat fœlicioribusque in æternum promoveat et perficiat, qui eam Ecclesiæ suæ donavit Jhesus Christus. Lutetiæ Parisiorum Idibus Januarii Anno 1573.

Sanctitatis Vestræ

Humillima Creatura

Antonius Archiepiscopus Bituricensis.

LXXXIV. — Ejus vestigiis inhærebat alter Burdegalensium Antistes, quem ideo ob eximium erga Ecclesiam amorem Gregorius laudat, tum quod consilium arripuisset condendi et Patribus e Societate Jesu tradendi Collegii, quo juventus ad rectæ vitæ normam educaretur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 191 fol. 31

Venerabili Fratri Archiepiscopo Burdegalensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibili cum voluptate cognovimus de tua singulari pietate, deque perpetua cogitatione et cura, ut eum te præstes, quem esse æquum est, optimum Archiepiscopum, hoc est Christi ovium Pastorem vigilantissimum, animarum salutis studiosissimum, sanctæ incorruptæque religionis, sine qua salus esse nulla potest, custodem diligentissimum, inque tanta hæreticorum lue propugnatorem accerrimum; eum autem in summa etiam Ecclesiæ ac Religionis tranquillitate et prosperitate, tamen nihil oportet Episcopum de studio et diligentia remittere, quin potius sic cogitare, eam tranquillitatem a Deo tributam esse, ut suavius laboret, non ut securius dormiat; non dubitamus, Fraternitatem Tuam in tanto, tamque intestino periculo, quo magna cum laude est ingressa, id usque ad extremum esse evecturam, atque omnia auxilia conquisituram, quibus existimet, posse Clerum et Christi causam juvari. In primis autem laudamus consilium tuum de Jesuitarum Collegio istic constituendo, quod, ut facere cœpisti, sic ut quam celerrime perfici cures, vehementer cupimus, et rogamus; novimus enim quantum illorum hominum labor et diligentia Catholicæ Religioni prodesse soleat. Tibi vero omnibus in rebus, quibus opus esse intelligemus, omnem opem, atque auctoritatem, quam a Deo accepimus, paratissimam habemus, amplissimeque pollicemur. Datum Romæ sub annulo Piscatoris apud Sanctum Marcum, die xxvi. Septembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

LXXXV. — Fœdas quasdam corruptelas, quæ temporum iniquitate in Parisiensem irrepserant diœcesim, Parisiensis Episcopus evellere totis viribus enitebatur. Laudatur proinde impense a Gregorio per Comensem Cardinalem, tum suadetur, ne severe agere desistat, quando aliis locus esse nequeat. (*)

(*) Brevia Gregorii XIII et Sixti V. Vol. 28 epist. 36.

Episcopo Parisiensi.

« Reverendissime Domine. Quæ de sacerdotibus ad te perductis, qui plures quaque die missas celebrare deprehensi sunt, mihi tuis literis die x. Augusti significasti, ea cum ad Sanctiss. Dominum Nostrum retulissem, respondit Sanctitas Ejus, si nec monitis, nec pœnis abs te inflictis ii corrigi et emendari potuerunt, tam diu illos carceri mancipandos esse, quoad resipuisse eosdem constiterit, cum tantum ipsorum delictum et scandalum nullo sit modo tollerandum, sed debita severitate coercendum et reprimendum. Sed fortasse non parvum etiam erit remedium, ut in singulis Ecclesiis interdicendum sacrificium omnibus sacerdotibus præterquam iis, qui abs te vel a tuo Vicario literas testimoniales habuerint. Quod mihi gratias agis de Abbatia, quæ fidei et curæ tuæ commendata fuit, id non meæ intercessioni, sed Sanctissimi Domini Nostri benignitati tribuere debes, qui libentissime iis favet, quos utiles et diligentes in vinea Domini operarios esse intelligit, qualis tu es. Qua eadem

de causa me tui amantem et studiosum, promptum etiam posthac ad ea præstanda, quæ ad honorem et commodum tuum pertinebunt, quotiescumque occasio tulerit, re ipsa cognosces. Vale. Romæ die VIII. Septembris MDLXXIII.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

LXXXVI. — De Rhedonensi designato Episcopo gravia multo et pessimi exempli facinora rumore vulgi spargi cœperant. Hinc factum, ut Caroli regis animus anxietate et dubitationibus afflictaretur, ita ut rogare Gregorium non prætermiserit, ut Præsulis illius designatio irrita haberetur, nec Pontificis auctoritate rata haberetur. At Pontifex de Rhedonensis innocentia certior factus constanti animo eum Episcopum fecit.

Idem rex iterum Pontificem orabat, ut Archiepiscopus Ebrodunensis in PP. Cardinalium Collegium cooptaretur, et ut designatus Tholosanus Archiepiscopus tandem auctoritate Pontificis firmaretur. Mox et oravit, ut Francisco Engolismensi, qui e regio Galliæ sanguine impari matre nothus originem ducebat, quique inter sacros S. Joannis Hierosolymitanos equites adlectus Magnus Prior Galliæ, ut vulgo appellabatur, erat, monasterii Cleracensis S. Benedicti Abbatiale munus regendum commendaret: tum illi potestatem largiretur, ut ad munera redditibus sacris ditata, ad quæ antistites hujus opulentissimi cœnobii cooptare solebant, ipse quos vellet, eligeret viros cæteroquin probos, doctos, de re Ecclesiæ bene meritos, quique ad tuendam et provehendam Catholicam fidem inflammandi viderentur. Franciscus Engolismensis ipse ea de re Pontificem adiit. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 88.

LXXXVII. — Quosdam Galliæ Episcopos, quos Carolus terrenis cupiditatibus exsatiandis, et regiæ aulæ captandis oblectamentis potius quam precibus fundendis et gregis sui vigiliis deditos animadvertit, ut in suas quisque Ecclesias rediret, eisque curandis operam darent, non monuit solum, sed et coegit. Legem quippe Nonis Martiis tulit publicavitque, ut omnes sui regni Episcopos, qui e suis diœcesibus abessent, in illas secundum a Tridentino Concilio sancita extemplo ad implenda sua munia remearent, neque ab illis discedendi, nisi gravi impellente causa fas esset in posterum. Pontifex eodem fere tempore plures horum præsulum, quod tantum hoc suum debitum implere negligerent, vehementer increpaverat. Sufficiat perlegere, quæ Episcopo Sancti Papuli scripserat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 59.

Venerabili Fratri Episcopo Sancti Papuli.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Monuimus jam semel fraternitatem tuam per Nuntium nostrum, ut te ad Episcopatum tuum conferres, præsensque eam tuarum ovium curam gereres, quam decet bonum pastorem. Nunc iterum his nostris literis monemus, ne diutius cuncteris: eam enim quam affers excusationem, quod locus non sit satis aut natura aut opere contra hæreticorum incursiones munitus minime accipimus; neque quid tibi periculi hoc tempore sit videmus; neque quidquam pastori munitius esse posse intelligimus optima voluntate, et sui gregis tuendi, Deoque servandi studio, et ope ea, quam idem Deus pollicetur omnibus sese invocantibus. Nondum usque ad sanguinem restitisti, neque tantum tibi discriminis hoc tempore impendet. Ito igitur quamprimum, neque aliam a nobis jussionem expecta; vos enim ut fratres nostros obedientes et suo, ut oportet, munere fungentes libenter amplectimur, sic ubi eos secus se gerere videmus nostro ipsi muneri deesse non possumus, cogimurque ad ea pervenire, ad quæ nos vocant satis canones et Sanctorum Patrum decreta. Hac etiam de re tecum aget nostro nomine Nuntius noster, quem non secus ac nos ipsos audies. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die VI. Martii 1573. Pontificatus nostri anno primo.

LXXXVIII. — Quod tanta illa Hugonottorum cæde quæsitum erat, ut eorum pars penitus deleretur vel saltem magna ex parte debilitata conquiesceret, contrarium penitus effectum sortita est: at cum violentas cruentasque deliberationes prosperos successus raro parere animadversum ac notatum sit, jam aut hominum pertinacia, aut divina permittente providentia aliter effectum est; nam omnes ii, qui varia sorte ex Hugonottorum strage evaserant, a Catholica religione perpetuo abhorrentes, prout sors tulerat, et locorum ad quæ perfugerant, conditio, varias captaverant deliberationes; qui in Normannia, Britannia minore, ac Piccardia, provinciis ad oceanum et e conspectu Angliæ sitis, degebant, plurimi transmisso mari eam in insulam se receperant, non modo, ut juxta suæ religionis ritus viverent, verum etiam ut Mongomerio comite ductore arma sumerent sub regina Elisabethæ auspiciis, et iterum fretum transjicientes, seditiones concitare, tranquillas Galliæ res commovere et perturbare conarentur. Qui autem Delphinatum, Provinciam Lugdunensemque regionem incolebant, ad Helvetios migraverant, ubi et scriptis et sermonibus assidue exaggerantes stragem horribilem editam eorum, quibus cum communi religionis vinculo adstringebantur, satagebant Helveticos pagos protestantes ab veteri cum Galliæ regibus fœdere abducere, atque inter illos, qui id curabant, Andelotti classisque Præfecti filii erant, hi paternæ existimationis et auctoritatis fama, puerili ipsorum ætate, afflictaque præsenti fortuna omnium mentes ad misericordiam commovebant, alii ex Campania et Burgundia Germanicas urbes petierant; ibique Principes liberasque Protestantium civitates in omnium suspicionem, quæ a Galliæ rege agebantur, adducere studebant. At qui in interioribus

regni provinciis versabantur, cum nullum aliud perfugium ipsis superesset, in quatuor munita loca convenerant, quæ ab ejusdem factionis hominibus tenebantur, et omnia, quæ ad defensionem spectarent, parabant; qui in Franciæ Insula, Belsia et Nivernensi tractu erant, Sacrum Cereris occupaverant, qui vero in Septumania et Vasconia, Nemausi et Montis Albani se tuebantur, et has urbes munierant, aliique ex Andegavensi, Pictaviensi ac Sanctorum regionibus, et Aquitaniæ parte, Rupellam, veluti tutissimam sedem, convenerant, hac in urbe moderatore Jacobo Henrico, et, ut ipsi vocant, Mereo, qui in urbanis rebus administrandis cæteris auctoritate præstat, arma cives ceperant, et in octo cohortes, quarum unaquæque ex ducentis militibus constabat, dispertiti, assidue ad militarem disciplinam instruebantur, præter hos centum et quinquaginta viri e publico civitatis concilio peculiare primariæ cohortis signum sequebantur a Præfecti legato Arendellio ductæ, viro et experientia et militari fortitudine claro; præter cives, qui sine stipendio militabant, huc ex proximis provinciis confluxerant mille et quingenti externi veterani strenuique milites cum suis ducibus, quibus stipendia numerabantur ex collata a civibus et suburbiorum incolis stipe. Hisce addebantur ad sexaginta nobiles viri ex circumpositis regionibus profugi, ac septem et quinquaginta Calviniani concionatores, qui inter armorum strepitum militaresque labores perpetuo omnes cohortabantur, iisque animos addebant ad fortiter et extremum usque spiritum urbem tuendam. Alacritatem et constantiam omnium æquabat bellicus cujuscumque generis apparatus.

Utrimque fortiter et veluti omni alia spe destitutorum ritu dimicatum. Jam Strottius et Bironius per plures menses arctissima obsidione Rupellam urbem circumdederant. Supervenerat mox Andegavensis Dux mirum rerum omnium ad obsidionem opportunarum apparatu instructus. Ni famæ suæ parcere voluisset, Rupellam profectu expugnasset. Agebatur vero per eos dies ejus in Polonorum regem electio. Legati qui ex Gallia in Poloniam venerant, et præcipue Valentinus Præsul creberrime monebant, mitius esse cum hæreticis agendum, nisi, vellet ea invidia oppressam candidaturam suam pessundari. Hisce de causis iterum cum Rupellensibus de concordia tractationes habitæ, etsi non prorsus ab oppugnanda urbe Andegavensis Dux destiterit, donec nuntium allatum est, ipsum Poloniæ regem omnium consensu die VIII. Idus Majas electum, quare cum obsidionem solvere optaret, id facere ea ratione volebat, ut salva sui nominis dignitate, suorum quoque sibi subditorum voluntati indulgeret, e quorum animis quamcumque suspicionem dimovere nitebatur, se scilicet eorum conscientiis molestiam, aut vim non illaturum, quare serio cum Hugonottis de concordia tractatum est; ii enim jam tot laboribus fracti, desperantesque sese diutius sustinere, pristina remissa constantia, ad petendam pacem ultro descenderant; eorum consilia juvabat Andegavensis Ducis animus, jam bellicorum laborum pertæsus, et natura propensus non modo ad intermissa Aulæ oblectamenta, verum etiam ut ad oblati novi regni possessionem celeriter proficisceretur; quamobrem cum pluries urbis legati in castra ventitassent, multis superatis difficultatibus tandem conventum est v. Idus Jul., urbem in Regis potestatem se dedituram, hisce additis conditionibus. Pax igitur Rupellensibus concessa: cujus habetu quæ præcipua capita ad religionem spectant ex ipsius pacis fœdere excerpta et a Legato Pontificis ex Gallica in Latinam linguam conversa, et ad Gregorium missa. (*)

(*) Gallia Vol. 7. fol. 120.

« Memoriam eorum omnium, quæ ratione tumultuum ac contentionum civilium a Non. Cal. Septemb. proxime in hoc Regno utrinque contigerunt, sempiterna oblivione extinctam ac consopitam esse.

« Odia, simultates et contentiones omnes prohibemus.

« Religionem Romanam omnibus in locis restitui jubemus. Et qui Ecclesiastica vel Ecclesiasticorum bona obtinuerunt vel adhuc occupant, ut statim ab eorundem possessione abstineant.

« Liberum assertæ religionis reformatæ exercitium civibus Rupellanis, Montalbiensibus et Nemausensibus in suis dictis urbibus concedimus, ut eandem cum tota familia et aliis qui interesse cupient in suis ædibus locisque privatis, non autem in publicis aut in plateis exerceant.

« Et quod ad reliquos attinet dictæ assertæ religionis, qui præsentes vel absentes ad hoc usque tempus in eadem permanserunt religione, ut domum redire possint, ibique tuto degere ac singulas nostri Regni partes peragrare ac discurrere cum omni conscientiæ libertate permittimus. Et nobilibus aliisque summam jurisdictionem habentibus, qui similiter ad hæc usque tempora eandem religionem professi sunt, et arma a Nono Cal. Septemb. proxime elapso cum dictis civibus earundem urbium gestierunt, etiam concedimus, ut in suis ædibus in eadem conscientiæ libertate vivant, ac tantum Baptisma et Matrimonia suo more solito celebrent, nec plures quam decem convocent præter propinquos et affines et eos qui patris et matris vices gerunt. Id tamen fieri in nostra Aula prohibemus, nec in locis ab eadem Aula decem leucis circumstantibus et in urbe, Pretura ac Vicecomitatu Parisiensi, nec in locis ab eadem urbe decem leucis remotis ac distantibus.

« Nostris subditis ejusdem religionis permittimus, ut quæcumque bona possident vendere et alienare possint ac libere cum sua pecunia aliisque mobilibus quo voluerint proficisci, et proventu ejusdem pecuniæ gauderr, quascumque in oras et regiones sese contulerint sive hujus regni sive alterius, dummodo non eorum Principum, a quibus bellum nobis imminere posset.

« Liberi etiam et immunes erunt ab iis omnibus, quæ hostiliter acta fuere.

« Notum omnibus facimus, nos eosdem omnes bonos, fidos et obsequentes subditos ducere et judicare, ea tamen lege et conditione, ut nobis perpetuo obsequii ac fidei jura exolvant omniaque fœderis et societatis vincula sive in regno siva extra regnum inita dissolvant ac omnino deserant ac relinquant.

« Quod vero attinet ad hæredes, viduas et alios qui successionis jura obtinent eorum ejusdem religionis, qui a Nono Cal. Septemb. in illis urbibus obierunt vel fuerunt vel arma eorum nomine in quavis nostri regni parte susceperunt, ut plenam et integram ab hujusmodi mortuis et peremptis relictorum bonorum possessionem assequantor, permittimus et concedimus, eosque pristina fama, honore et æstimatione donamus.

« Qui officia vel Regia vel alterius generis in dictis urbibus Rupellanorum, Montalbiensium et Nemausensium adepti sunt, cujuscumque religionis fuerint, provisionesque eorumdem officiorum vel ratione ejusdem religionis vel horum tumultuum assequuti iidem in pristina munera et officia restituentur. Reliqui vero reliquarum urbium et locorum, quæ a nobis declarata et publicata de his fuere, observabunt.

LXXXIX. — Ita illa Hugonottorum internecio non pacem, sed quartum civile et sacrum bellum pepererat. Miseriis in quas publice gens inciderat, additæ mox privatorum dissensiones, quæ in ipsius reginæ familia ortum habuere, quæque totam Galliam per quamplures annos inflammarunt, vastaruntque, et tertiam quamdam partem protulere, quam politicorum factionem appellabant, ex Hugonottis æque atque Catholicis conflatam.

Locum principem etenim in regia familia post Poloniæ regis discessum tenebat Franciscus Alenconius Dux, alter Regis frater, qui ætate admodum juvenis, ideoque inexpertus rerum, ac rudis, et insuper suapte natora tardo hebetique ingenio animoque inconstanti æque ac tumido, ita nt ad turbulenta violentaque, quam moderata et pacata consilia suscipienda pronior videretur, et veluti ægerrime collatam a Rege Andegavensi Duci fratri auctoritatem tulisset, atque militaris virtutis ejusdem graviter iovidus, in suum dedecus cedere fratris existimationem ac amplitudinem reputaret, occulto odio eos prosequebatur, qui familiares aut intimi Henrico erant, contra magni faciens, sibique acceptos ostendens Classis Præfectum Collignium, ejusque asseclas, uti observatum sæpius fuerat, tanquam tacite Regis consilia improbaret, et occulte illius factionis imperio inhiaret, licet Regina mater, ejusdem ingenii conscia inter ipsius domesticos familiaresque adscripsisset homines prudentia et rerum experientia claros, ut eorum dexteritate juvenis deliberationes temperarentur, ab his tamen ille abhorrebat, atque aliens sese dederat moderandum ob ingenii similitudinem Bonifacio Moleo, notæ levitatis homini, sed vasti immoderatique animi, unaque Hannibali Coconacii Comiti e Gallia Subalpina extorri, qui, uti exulum mos est, irrequietus ac turbulentus aliorum quietem perturbare ultro adnitebat. Cum Alenconio jam pridem arctiorem amicitiam inierant, non modo Navarræ Rex et Condeus Princeps, ubi ab Andegavensi Catholicæ partis patrono parvi fieri noverant, et quia nullam opportunitatem negligebant, quæ ansam ipsis daret, prostratam oppugnatamque suam factionem sublevandi, sed et his se addiderant Momoransius ac Damvillius Marescalli, Guillelmus Toreus et Carolus Meruvius germani fratres, qui ob denegatum sibi munus, quod pater obierat, ejusdemque auctoritate et existimatione exuti, quin immo post Classis Præfecti necem neglecti et iovisi Regi, atque suspecti ob sanguinis cum eo conjunctionem, et verentes, ne ipsis quoque exitium, quo alii perierant, pararetur, curabant alicui factioni inniti, quæ ad præsentis fortunæ conditionem tutandam satis esset. Cum his Cosseus Marescallus parum Catholicæ parti acceptus, cæterique ii, qui aut clam aut aperte Classis Præfectum favore prosequuti fuerant, neque isti taotum, sed et omnes, qui privata de causa præsentis rerum status pertæsi novam regiminis formam inducere machinabantur, his cunctis Momoransii proceres collectis, benevoleque exceptis, tanta arte ac sagacitate animos spemque addiderant, ut jam aliam et fere diversam ab utraque factionem excitaverint, quæ nullo facto discrimine inter utramque religionem, verum unice rebus publicis instaurandis intenta, appellari cœpit Politicorum factio, atque præsentium rerum statum ægre ferentium. Verum oovæ hæ turbæ et tractationes, quæ dum io aula esset Andegavensis Dux, occulte et clam processerant, injecto timore omnibus ab ejusdem virtute bellica et auctoritate modo, omni reverentia sublata, apertius invaluere, cum quia Alenconius Dux, horum factiosorum fautor, in principem regiæ familiæ locum successerat, tum quia Catholicæ partis patrocinium Guisiæ Dux susceperat, una cum fratribus veteres æmulationes atque simulatiooes cum Momoransia familia ac Borbonia exercentibus: quamobrem magis necessarium, et specie honestius videbatur una convenire, viresque simul jungere

ad æquandam eorum potentiam, eisque obsistendum. Opportunitatem compresso huic morbo erumpendi præbuit mala Regis valetudo, qui venationis, cursus, loctæ et equitationis immodicis laboribus debilitatus diuturnum gravemque morbum contraxerat, quapropter eo, quo jam suapte natura, animi vigore fuerat, incumbere minus poterat ad exorientes turbas restinguendas comodiusque Alenconius Dux detegere, atque fovere valebat ea, quæ ambierat: unde post Andegavensis Ducis discessum, impellentibus Momoransio et Cosseo Marescallis, aperte professus est, sibi eandem auctoritatem, eademque munera, quæ frater habuerat, deberi. Alienus tamen erat ab his Regis Reginæque matris animus, qui minus ingenium gestaque probabant, nedum ipsius hebetem et minime idoneam indolem, illi imparem, quæ in Andegavensi Duce una cum virtute elucebat, nec ad tantæ dignitatis onus ferendum ullo modo aptus, præterea Rex ætate valida, difficilis insuper natura et morosus neminem ex suis ad tam sublime dignitatis et auctoritatis fastigium promoturus erat; quinimo ardentius curaverat, fratrem in Polonorum regem eligi, ut eum a se longe amoveret, cum nec honestum, nec facile ei visum fuerit, quidquam ei detrahere de ultro eidem ab initio collata potentia et auctoritate, quas præclaris facinoribus crebrisque victoriis sibi confirmaverat. His de causis renuente Rege Alenconio Duci titulum, supremamque militiæ, sui ipsius vice, Præfecturam impartiri, Regina eundem alia spe lactare cœpit, scilicet externo aliquo dominato augere, propositis aut cum Angliæ regina nuptiis, aut imperio Belgarum, qui a rege Catholico defecerant, quarum rerum tractationibus initium datum est, potius, ut hac spe allectum fratri obsequentem distinerent, quam quod felicem earum tractationum exitum fore putarent; verum inconsideratum atque præceps filii ingenium matris consilia evertit, nam ubi, qui res novas moliebantur, et Hugonotti novere, ipsum ob repulsam exulcerato animo esse et ad turbas concitandas pronum, communi consensu eorum factionis principatum obtulere, ostentantes hoc modo ampliorem potentiam sibi comparaturum, et vel ea majorem, quam Rex ei tradere injuriose denegaverat. Huic consilio assentiebatur Navarræ rex, jam ab initio cupidus quacumque data occasione suæ fortunæ conditionisque promovendæ æque ac evadendi ex ea captivitate potius quam obsequio, quod præstabat Reginæ socrui Regique leviro, ac insuper cum Regina uxore discors erat, quamobrem inter tumultus, rerumque vicissitudines sibi persuaserat, nacturum viam, qua ab his molestiis sese explicaret, aut si propriam potentiam non augeret, saltem libertatem nancisceretur, ad quam suapte natura maxime inhiabat. Hisce consiliis assentiebatur quoque Condei Princeps, pro certo habens, summam ei fore auctoritatem apud Hugonottos, si forte hi afflictam depressamque fortunam sublevare aliquo modo possent, contra enim apud Catholicos ob patris memoriam minus quam par esset, in existimatione erat. Præ cæteris vero hanc deliberationem probabant Cossæus, Momoransius et Damvillius Marescalli, principes et fautores eorum, qui præsentem rerum conditionem oderant, prævidentes se futuros Alenconii Ducis moderatores, qui ad rerum summam gubernandam regendamque cum minus aptus esset, eam æque ipsos auctoritatem obtenturos, quam Classis Præfectus, dum Borbonii Principes minori adhuc in ætate essent, obtinuerat.

XC. — Hugonotti novæ hujus factionis auxilio confisi, audaciores effecti Montalbani x. Kal. Aug. ipso annuo die Lutetianæ internecionis redeunte conventum ex tota Gallia suarum partium hominibus constituerunt, in quem præcipui quique Hæreticorum sacrorum oratores convenere.

Næniis primo lugubribusque sermonibus eorum memoriæ parentatum est, qui Parisiis aliisque Galliæ in urbibus anno elapso truculenta cæde perierant, mox supplicem libellum conscripsere, in quo a rege satis audacibus verbis efflagitabant, ut nullis amplius vel minimis vinculis in exercendis publicitus suis sacris coercerentur; privilegia, quibus antea fruebantur, redintegrarentur, atque sarta tecta in posterum servanda publice proposito edicto sancirentur. Joleto, Philipppo et Chavagnacco eorum legatis animus non defuit, ut libellum, quo postulata istæc continebantur, regi ipsi præsentes offerent: qui ea etsi silentio nullo indignationis signo excepisset, ad supremum copiarum imperatorem seu Marescalcum Damvillam Occitaniæ Præsidem remisit, ut suo jure et auctoritate quid agendum esset, decerneret.

XCI. — Avenionenses et Venusini ab Hugonottis in Delphinatu, Narbonensi Gallia, Principatu Arausoniensi, Occitania et Vasconia degentibus ferro ut ita dicam flammisque impetiti Carpentoracti mense Aprili convenerant, ot tantis malis medelam aliquam reperirent. Sapienter porro tum sacrarum tum publicarum rerum securitati consulerunt.

Primum quidem tres Cleri, Patriciorum et Civium ordines unanimi consensu quæcumque Tridentini Patres jusserant, legis loco in sua civitate haberi servarique voluerunt. Mox de rebus publicis actum. Avenionenses æque ac Venusini a Pontifice postulandum censnere, ut eis ad continendos repellendosque immanes Hugonottorum conatus copiarum auxilia quamprimum mittat. [*] En quæ Venusini scripsere. [*]

[*] Mantiss. documentor. N. 36.
[*] Avignone Vol. II. fol. 138

Beatissime Pater.

Post oscula pedum Vestrorum devota beatorum.

« Sicut his retroactis annis et temporibus bellorum ubi contingit hujus patriæ vestræ Comitatus Venaissini fidelissimis subditis imminere pericula fidenter ad Sanctitatis Vestræ prædecessores felicis recordationis Pium Quartum et Pium Quintum confugerunt: ita nunc (Pater Sanctissime) nondum liberata hac patria vestra ab hostibus insidiis et impetu, ex voto omnium hominum hujus vestri Comitatus videlicet Cleri, Vassallorum, et popularium, non minori cum fiducia ad Sanctitatis vestræ pedes tanquam ad asilum, eorumque patrem, et principem accedere visum fuit, ac Sanctitati Vestræ exponere, nos hujus Sanctæ Sedis subditos noviter ab huguanotis inanibus hostibus nostris invasos, ut præsidiis ac custodia pervigili egeamus, et cum satis sit filiis famescentibus, patri vitæ eorum pericula nota facere, quo a parente piissimo protegantur, sic nobis sufficere credimus, si necessitates nostras hoc infelicissimo tempore vestro paterno affectui detegamus. Ita enim Pater Sanctissime longa tam nimis hæc rabies, et hostium nostrorum hanc vestram patriam exhausit, et oppressit, ut illius incolas Christifideles exangues, et paupertate plenos relinquerit. Sanctitatis Vestræ pietatis fontem humiliter et devotissime deprecamur, ut nos adjuvet, et protegat.

« Nos enim, Pater Sanctissime, pro salute animarum nostrarum et vitam et facultates nostras exponere non deficiemus, sed illæ exiguæ sunt, quid acciderit nobis, et quomodo sit præcavendum. Quove in statu simus, Sanctitas Vestra tum literis Illustrissimi et Reverendissimi Cardinalis de Armignaco, tum et Reverendissimi Domini Episcopi Carpentoractensis Rectoris hujus vestri Comitatus latius intelliget. Nos vero Sanctitatem Vestram deprecamur humiliter, ne nos deserat, sed suo paterno amore prosequatur et foveat. Deum optimum, et omnium protectorem ac patrem devotissime pro salute, et longioro vita Sanctitatis Vestræ oramus, et sanctissimos pedes vestros deosculamur. Carpentoracte die 27. Aprilis 1573.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi oratores et fidelissimi subditi

ELECTI PATRIÆ COMITATUS VENAISSINI.

Avenionenses quoque non minus tristia ab hæreticis se pati nunciarunt. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 57.

XCII. — Dum vero auxilia a Pontifice expectantur, Cardinalis Arminiacus, quo in loco res incolarum Pontificiæ ditionis redactæ essent, Damvillio nunciabat, qui nihil expectandum ratus suppetias extemplo adversus adsiduos hæreticorum incursus tulit: laudes proinde meritas a Pontifice retulit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. lib. III fol. 42.

Marescallo Anvillæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir salutem etc. Ex literis dilecti filii nostri Cardinalis Arminiaci incredibili cum voluptate accepimus, quam prompte et prolixe ei obtuleris tuam operam, atque eas quas habes vires ad catholicæ religionis ecclesiasticorumque locorum quæ istic ab hæreticis vexantur tutelam. Egimus gratias Deo quantas potuimus maximas, teque absentem animo et cogitatione amplexi sumus, tuæque virtuti, semper illi quidem nobis cognitæ hac autem in re summo cum gaudio recognitæ gratulati. Nunc vero his literis tibi etiam gratias agendas duximus. Et quamquam virtutem tuam nihil egere nostra cohortatione intelligimus; tamen pro nostro incredibili desiderio facere non possumus, quin te rogemus, ut in eadem perpetuo maneas voluntate, tua ista nobilitate dignissima, quæque idem Cardinalis a te postulabit in iis Ecclesiæ auxilio sis et Christi causam juves, reque ipsa probes omnibus eam caritatem, quam idem Christus tuo pectori infudit, hancque ei ob tam præclarum munus gratiam referas, ut ejus Ecclesiæ quam suo sibi sanguine adjunxit opem feras, ejusque hostium furorem frangas, atque extinguas, quo quidem nihil laudabilius fieri potest. Nos item ad ipsum Cardinalem scribimus, ut quibuscumque in rebus Regi Christianissimo tibique tum in ista curatione, tum etiam in rebus privatim utilitati esse poterit, nihil prætermittat, quantum nostro nomine efficere poterit; quod nos etiam Nobilitati tuæ pollicemur omnibus in rebus, in quibus Regi, tibi tuisque omnibus prodesse posse intelligemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die VIII. Maji 1573. Pontificatus nostri anno primo.

XCIII. — Interea novas copias Pontifex Avenionem miserat duce rei bellicæ peritissimo Martinengo Comite Villaclarensi, qui præsidio antea ibi constituto conjunctus civibus tutandis par esset. Rei ratio et lex tum temporis recepta postulabat, ut Avenionensium impensis ejusmodi præsidia alerentur. At cives illi profusis jam per plures annos eam in rem pecuniis exhausti penitus, Pontificem supplices adierunt, ut hos illos onere levaret. [*] Quas preces irritas sinere Pontificem ejus animi benignitas non sivit. [*]

[*] Mantissa documentorum N. 11.
[*] Avignone Vol II. fol. 161.

Beatissime Pater.

Post pedum devota oscula beatorum.

« Fuit a nobis Sanctitatis Vestræ fidelissimis subditis læte ac magno cum istius Vestræ provinciæ populorum applausu exceptus Illustris Comes Martinengus, quem Sanctitas Vestra rerum bellicarum usui, et defensioni nostræ præfecit, utque adsisteret Illustrissimo Cardinali de Armignaco collegæ vigilantissimo, et nostrorum commodorum amantissimo, hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ optimo defensori, in quo Vestræ Beatitudinis erga nos paternam dilectionem sibique commissi gregis curam exteri omnes cognoscere, et nos experiri possumus. Verum Beatissime Pater cum ab eodem nunciatum fuerit, ex men-

te Sanctitatis Vestræ debere nos pro parte dimidia sumptus bellorum sustinere (qui jam pene exangues effecti fuimus ex tam longo et continuo bellorum istorum morbo,) admodum perculsit animos nostros, eoque factum extitit, ut ad Sanctitatem Vestram scribere, ac nuntium hunc mittere decreverimus, a quo Sanctitas Vestra intelliget, nobis fidem, et devotionem sicuti nunquam antea, ita hoc etiam tempore non deesse. Sed cum ad tantam omnium rerum penuriam, et ad eam facultatum nostrarum diminutionem redacti sumus, ut vix quæ ad victum sunt necessaria nobis supersint, fieri nullo modo potest, ut hoc onus impensarum nobis nunquam antea injunctum sustineamus. Quamobrem humilissime, et toto corde Sanctitatem Vestram deprecamur, ut nos ab illo liberare dignetur, nosque fidelissimos Sanctitatis Vestræ subditos (si unquam antea nunc vero in extremis laborantes) paterna pietate et benevolentia fovere, et sublevare velit. Qui continuis præcibus Deum Optimum Maximum depræcabimur, ut Beatitudinem Vestram ad longos annos fælicem et prosperam nobis, ac Ecclesiæ Christianæ conservet, tueatur. Carpentoracte die 12. Julii 1573.

Devotissimi oratores, et fidelissimi subditi
ELECTI PATRIÆ COMITATUS VENAISSINI.

Conceptam de se spem Martinengus non fefellit: ejusque sedulitate Avenionensi provinciæ tranquillitas facta est. [*] Gregorius eum Romam evocare in animo habebat, ut de componendis perpetuo illis provinciis consilia cum eo communicaret. Ast Carolus quoque rex in sedandis Delphinatus tumultibus Martinengi prudentia egebat, et magna, qua ille celebrabatur, rerum bellicarum peritia. Hinc factum, ut uterque rex Carolus et Henricus Pontificem orarent, ne eum a provincia adhuc removeret. [*]

[*] Syllabus documentor. N. 59

[*] Syllabus documentor. N. 60.

XCIV. — Interea Arminiacus Cardinalis cum Principatus Arausoniensis Præside de pacis conditionibus convenerat, quæ satis honestæ et utiles videbantur. Pacatiora jam tempora expectabantur, et tot tandem ærumnis fine ejus cura et sapientia imposito cives sibi lætabantur. [*]

[*] Syllabus documentor. N. 61.

Ast Hugonotti hac inter illos pace conflata in rabiem concitati, irruptionem in Pontificiam provinciam instaurant, castella quædam arte quidem munita, at præsidiis infrequentia expugnant, vel dolo et proditione in suam potestatem redigunt.

Pontifex novos communis pacis osorum incursus edoctus, nova copiarum auxilia iterum Avenionem dirigit, egregiam in eis transmittendis operam pius ac nobilis Sabaudiæ Dux cum navasset, Pontificis animum sibi magnopere conciliavit. [*]

[*] Syllabus documentor. N. 62.

At finitimi Avenionensibus Delphinates et Narbonenses civili bello quotidie magis afflictabantur. Carolus proinde rex iterum copias suas ad sedandos motus ducibus Susano Comite et Damvillano Marescalco miserat, quos etiam Pontificiarum provinciarum tutelam assumere jussit. Indixerat etiam, ut si quando per Avenionensium et Venusinorum fines iter facerent, nullam cives injuriam a militibus pati sinerent: et si ulla componendæ cum perduellibus pacis tuta ratio eluceresceret, communem eam Avenionensibus et Venusinis confirmarent. [*]

[*] Syllabus documentor. N. 55

Gregorius illico Comiti Susano, cui præcipue Avenionensium tuendorum cura fuerat demandata, scripto animum addidit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 193. f. 103.

Dilecto Filio Nobili Viro Comiti Susæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Vehementer lætati sumus, Charissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem Christianissimum tuam potissimum Nobilitatem delegisse, cui istius nostræ Civitatis Avenionensis, ejusque ditionis defensionem committeret: perspeximus enim hoc facto et perpetuam Regis ipsius de Ecclesia tuenda cogitationem, et gravissimum illius de tua virtute judicium, quam cum singulari pietate, atque erga hanc Sanctam Sedem devotione conjunctam esse ex tuis literis cognoscimus, quo etiam nomine Regi gratias agimus, quod eum potissimum virum elegerit, qui ad singularem rei militaris peritiam, parem quoque pietatem et devotionem afferret, quo nomine te ut filium charissimum habemus, atque amplectimur, omniaque paterni erga te amoris officia pollicemur. Quod igitur regionem istam tuæ Nobilitati commendemus, nihil est, quod tuam virtutem, devotionem, pietatem commendemus Deo permultum, idque libentissime faciemus, ac si qua alia in re tuæ Nobilitati gratificari poterimus, non deerimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

At Avenionenses, qui nimium experti furores et rabiem Hugonottorum maximopere pertimescebant, veriti ne illi patefactum regiis copiis omni depopulationum genere ulciscerent, Pontificem exorabant, ne regiis cohortibus in Avenionensem agrum ingredi liceret. [*]

[*] Avignone Vol. 2. fol. 334.

Beatissime Pater.

Post pedum devota oscula beatorum.

« Cum ea quæ in Civitate Avenionensi, et in Comitatu Venaissino aguntur, et qui nostri sint timores, aut quot et quanta pericula nobis imminent, Sanctitatem Vestram tam ex nostris privatis, quam ex literis multorum satis cognovisse censeamus. Vereremur profecto novis his quasi literis eadem repetere, nisi postremo aliquid accidisset, quod multarum postea perturbationum caput, et initium esse, et in quo auctoritatem Sanctitatis Tuæ atque Sedis Apostolicæ, et nostrum omnium salutem versari existimaremus.

Relatum namque nobis est, militum copias, quæ a Sanctitate Tua, ad defendendas civitates, oppida, capita etiam nostra incumbantur, in portu Massiliensi jussu Christianissimi Regis fuisse detentas, et Dominum de Susa ab eodem in Gubernatorem, et quasi per Regem pro tuenda Civitate Avenionensi, et Comitatu Venaissino electum et destinatum fuisse. Nos vero, qui ea, quæ heretici blasphemo proferunt ore accipimus, non hæc ægre non ferre potuimus, ita ut de his Sanctitatem Tuam admonendam esse duxerimus. Populi itaque qui sub Imperio Sanctæ Sedis Apostolicæ in his partibus degunt, instructas hæreticorum acies (quorum rabiem sæpe numero sunt experti) grassationes, depopulationesque nec non et proditiones undequaque fieri, et emergere videntes, dolent, quam maxime, nec aut Regiis copiis, aut electi gubernatoris præsidio, satis eorum periculis provisum esse existimant; siquidem tantum erat in Italico præsidio spei, ut eo veniente sub tua et Sanctæ Sedis protectione facile defendi, secumque in eorum domibus vincere posse. Tuta igitur omnia fore credebant, si dictis copiis patuisset ad nos aditus, et Regii milites juxta fines Comitatus, ea parte hostis irrumpere solet, degentes, illius comprimerent audaciam. Verentur etiam plurimum, ne si Regis præsidia (quæ alioquin heretica pravitate pro parte infecta esse solent) Comitatum, et civitatem Avenionensem ingrediantur, vel Catholicos polluant, vel nostris amputatis cervicibus, oppida et civitates in manus hostium prodant, quod quam grave esset exitium, aliis considerandum relinquimus. Cæterum ad eam pauperiem, ac rerum omnium inopiam reducta sunt oppida et loca, ut nulla ratione magnos illos et insolitos sumptus, quos Regii milites expetunt, ferre, aut sustinere valeant. Quamobrem hæc Sanctitati tuæ explicare voluimus, ut intelligat, hos populos omnem eorum spem, et salutem in te uno Summo Pontifice, et Sancta Apostolica Sede collocasse, ac ne nos qui tui filii et servi sumus nostro pastorali munere in tanta perturbatione, et rerum dissensione defuisse videremur. Reliquum autem est, ut post sanctorum pedum oscula Deum nostrum deprecemur, ut diu te nobis, et christianæ Reipublicæ incolumem servet. Datæ Avenioni die 7. Calendas Januarii 1573.

Deditissimi filii et servi Sanctitatis Tuæ
F. Felicianus Archiepiscopus Avenionensis – Chr. Scottus Episcopus Cavallionensis – Jac. Sacratus Episcopus Carpentoratensis – G. Episcopus Administratos Vasionensis.

XCV. — Interea Cardinalis Arminiacus, quem veluti angelum Avenionenses non immerito colebant, et quem ipsi Hugonotti verebantur et mirabantur, laboribus fractus, mœrore et tantis calamitatibus concepto otia respicere cœperat, et dimissis omnibus rerum publicarum curis in suum Archiepiscopatum Tholosanum reverti sacra tantummodo ministraturus animo agitabat. Ægre id ferebant Carolus rex et Avenionenses ipsi, [*] qui tantum virum sibi eripi dolebant. Quapropter ut necessarium ille domicilium Avenione nancisceretur, rex Pontifici suadebat, ut illum Avenionensi Episcopatui præficeret. [*] Carolus quoque Cardinalis Borbonius Gregorio itidem scribebat, ne conceptum Arminiaco consilium magno cum rerum omnium detrimento exequutioni mandari sineret; cum potius aliqua laborum parte levaret, Episcopum Lodovensem ad eum mitteret, quo in gerendis publicis Comitatus Venusini rebus adjutore uteretur. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 20.

[*] Mantissa documentor. N. 61.

[*] Lit. Principum Vol. 36 fol. 41.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater, post beatissimorum pedum Sanctitatis Vestræ deosculationem.

« Quo in statu sint hic christianæ relligionis res nostræ, quantaque spes demonstretur illius in posterum et amplificandæ et ornandæ, Sanctitas Vestra ex litteris Oratoris sui id accipiet. Ego vero rem eam omnem prolixius ad Sanctitatem Vestram in ea differo tempora, cum mihi ex optima Regis Navarræ nepotis mei subditorum ad meliorem relligionis frugem redditione et conversione erit admonenda. Ad quamquidem rem ego rexque ipse imprimis omnem navamus et impendimus operam; non prius destituri, quam res ipsa ex sententia et ut desideramus atque confidimus (Deo propitiatore) hominibusque omnibus applaudentibus rite recteque perficiatur. Interim ut in omni mihi a Sanctissima Sede Apostolica demandato, injunctoque munere semper satisfiat, significandum S. V. existimavi, Reverendissimum Cardinalem Armeniacum aliquot ab hinc annos me plurimum monuisse obnixeque rogasse, ut liceret sibi res suas invisere atque ea adire loca, quibus ipse ecclesiastica dignitate præficitur. Ea quidem conditione, qua promitteret se Avenioni hominem ex suis relicturum, qui tantisper dum ipse abesset, vices suas sustineret. Ego autem cui potissimum incumbit Avenionense negotium dum vereor, ne qui in eam curam succederet nimis fortasse S. V. Sanctissimæque Sedi Apostolicæ probaretur, rem eam omnem ita distuli, ut nihil dum de omni ea confectum sit. Sed quia nunc postulat idem Reverendissimus Armeniacus tam magnorum saltem et diuturnorum laborum parte levari et virum assessorem sibi adjungi, qui res in ea legatione procuret seculares, sibi vero unius rei ecclesiasticæ functionis ministerium relinqui. Idque cum a Calendis Martii me urgere cœpisset non ea tamen tam animi confirmati sententia, ut mihi videbatur, quod ulterius in ea procedendum existimarem, nihilominus sese plane patefecit, instatque in secularibus rebus coadjutorem sibi dari. Sed ita propere ut consulendæ Sanctitatis

Vestræ (qua sine nihil tale aut incipere aut obire, mihi semper maxima fuit relligio) tempus nullum reliquerit. Nullas enim ab eo litteras prius super hoc negotio excepi, quam depositam rerum secularium provinciam audivi. Itaque huic tam festinato negotio prospicere necessitate compulsus, provinciam illam rerum secularium Legationis Avenionensis ab eodem Cardinale Armeniaco ejuratam Domino Alfonso Vercellio Episcopo Lodovensi, qui pro tempore in civitate Parisiensi erat pro rebus ecclesiæ gallicanæ componendis cum aliis episcopis a rege nostro convocatis, delegavi. Quo homine nullus aptior ad hoc munus obeundum, mihi pro re nata visus est, eam ob ingenii dexteritatem et in tractandis rebus probatam sedulitatem, tum quod alias in Urbe Roma aliisque in locis magistratus officio functus sit, cujusque Sedes episcopalis non procul absit a civitate Avenionensi et in ejus Legationis finibus continetur. Quod tamen ipsum ita constitutum existimari cupio, dum id vestræ placeat Sanctitati, factumque id totum approbet. Qua de causa eam ipsam oro iterum atque obsecro, ut mihi de ea re animi sui sententiam patefacere dignetur, hoc uno addito quod pro temporis angustia et litterarum sollicitudine, aliud me non potuisse facere velim existimet, prætterquam de omnibus his certiorem reddere nuncium S. V., ut de animi mei exprompta voluntate atque observantia erga Sanctitatem Vestram, deque rei necessitate et episcopi Lodovensis probitate testari possit. Certoque sibi polliceatur, sive Cardinalis ipse Armeniacus diuturnioris laboris impar, querensque vitam quietiorem; sive ut sæpe significavit tam grandis gravisque ætate demissionem postulans, et ad privatos domesticosque lares redditionem, Avenione abeat, ab eoque quo in Legatione munere fungitur discedat, daturum me operam omnique cura et diligentia navaturum, ut salva semper ipsi Sanctitati Vestræ sanctissimæque Sedi Apostolicæ debeo observantia et obedientia, nullam ipsa possit in eo toto negotio obnixissimi et obsequentissimi officii partem in me desiderare. Deum Opt. Max. rogo, ut eandem Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ totoque Orbi christiano incolumem conservare velit quam diutissime. Lutetiæ die 15. Augusti 1573.

V. S.

Humillimus servus
CAROLUS CARDINALIS DE BOURBON.

Cæterum satis perspecta Arminiaci prudentia Pontifici erat ipsi, qui proinde Arminiaco scribebat, Avenione ne discederet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 120. fol. 67.

Dilecto Filio Nostro Georgio Cardinali Arminiaco nuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi ex literis dilecti filii nostri Ptolomei Cardinalis Comensis nostro nomine ad te scriptis aperte nostram sententiam cognovisti de tuo in Tolosam Ecclesiam tuam discessu: tamen ut intelligas, quantopere Nobis cordi sit, te isthic manere, voluimus has etiam dare; nihil enim magis alienum judicamus ab istius civitatis, atque a Sedis Apostolicæ rationibus, quam te isthuc discedere nondum plane sedatis Ugonotorum finitimorum tumultibus, atque omni suspitione a rebus istius nostræ Civitatis depulsa, et sublata. Nolumus igitur te istinc discedere, nisi rebus omnibus, ut diximus, pacatis, atque ab omni finitimorum Christi, ejusque Ecclesiæ hostium metu et injuria tutis: mirifice enim Nos ea cura solicitat, atque angit. Ac ne tu quidem discedes, nisi Nos prius certiores feceris, tam diuque expectaveris, dum aliquem in Legati locum miserimus. Si enim legatus, ut cuperemus, istuc venire non posset, volumus ipsi aliquem mittere, in cujus prudentia, vigilantia, justitia, cæterisque virtutibus ad recte gubernandum necessariis, quæ in te summæ sunt, acquiescere possimus. Hanc Nostram voluntatem ab ea, qua perpetuo angimur de rebus Ecclesiæ, cura profectam non dubitamus, te qui in ejusdem solicitudinis partem vocatus es, desiderio tuo ad Ecclesiam tuam visendam redeundi libenter antepositurum: novimus enim insignem pietatem tuam, et Catholicæ tranquillitatis, ac religionis zelum, quo nomine te semper charissimum habebimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die XXIII. Septembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XCVI. — Interea Philippo Hispaniarum Regi infans in lucem editus erat; in hujus verba more et instituto majorum sese adegerant, quæ Philippi imperio provinciæ regebantur; quapropter ei Gregorius est gratulatus. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 68. fol. 32

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quidquid Majestati Tuæ jucundum est, id quoque Nobis æque jucundum accidit: neque enim possumus in optimi, et charissimi filii nostri lætitia non pari cum eo voluptate affici. Maxime vero Nobis grata sunt ea, quæ ad domus tuæ, natique tui amplitudinem, tuorumque Regnorum erga ipsum fidem pertinent, quia speramus, cum tui similem futurum; hoc est ad tam præclaram tantarum opum, et Catholici Regis nominis hæreditatem suam quoque propriam virtutem, et merita allaturum; tuique perpetui studii in sancta Religione tuenda, et propaganda imitatorem futurum: quod unum ut incredibiliter optamus, precamurque a Deo: sic non facile est existimare, quantam voluptatem acceperimus ex eo jurejurando, quo Te Regna tua ipsi etiam nato tuo obstrinxerunt, tanta omnium cum lætitia, et alacritate. Confirmet eventis

Deus, augeatque in dies nostrum hoc, bonorumque omnium gaudium, summamque expectationem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Novum Episcopum, qui Manillæ sedem occuparet, et Catholicis per Philippinas insulas præesset constitui eligique rex aliquanto ante poposcerat, et Pius V. An. MDLXX. jusserat. Nunc vero in eo eligendo summopere Philippi regis pietas enituit, Dominicum quippe Desalozar ex inclyto Dominicanorum Patrum ordine viro omni virtutum genere laudando id munus demandari voluit. Eu designati Episcopi ad Pontificem litteras. (*)

(*) Lit. Principum. Vol. 3 fol. 22.

Beatissimo Patri et Domino Nostro Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Post beatorum oscula pedum. Cum me Philippus Hispaniarum Rex Catholicus Ecclesiæ, quam in Philippinis insulis nuper a Sanctitate Vestra erigi postulavit, designaverit Episcopum, quamque onus durissimum, et ipsis etiam angelicis humeris formidandum non ignorarem succubui, tamen Regalibus Jussis, ne monasticæ vitæ quietem divinæ vocationi viderer anteferre. Et quamvis quæ horum temporum miseria est, multi hujusmodi munus aliorum quam ad quod institutum a Domino est vertant: in hoc tamen, cui tua me Beatitudo destinat, nihil quod ad delicias, quietem, honorem, divitias, aut pompam seculi pertineat, est invenire. Quæ vero ad Apostolici muneris executionem desiderantur, messis enim multa: et quæ vitam complet Apostolicam, nempe labores et ærumnæ pauperiesque et pericula ingentia, omnia cumulatissima. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consumem ministerium Verbi, quod (Apostolica ista tradente Sede:) accepi a Domino Jesu, testificari evangelium gratiæ Dei. Scio enim me illi vitam debere, qui dilexit me et tradidit semetipsum propter me. Verum cum infirmitatem propriam, reique difficultatem attendo, dejicitur profecto animus. Sed cum propheticum illud menti occurrit, qui confidunt in Domino habebunt fortitudinem, in certissimam iterum spem erigor obtinendi a Domino Apostolorum vires, et infracti animi robur adversus mei agonem fœliciter complendum, periculaque et labores, qui me certo manent, potenter et alacriter superandum. Opem vero tuam, Sanctissime Pater, quæ procul dubio mihi, eaque non minima, necessaria est, quid non a te obtinenda sperem pro cujus perficienda voluntate et mandatis exequendis, tam arduum, atque difficile onus accipio? Vestræ namque Beatitudinis jussu nomen Christi deferre me uportet coram gentibus et Regibus, et filiis hujus sæculi, in latissimas Philippinas nempe insulas cæterasque illis conterminas, et in vastissimum illud Chinæ Regnum divitiis et rerum abundantia superbum, cujus incolæ tenebris obcæcatum habentes cor, nihil nisi terrena sapiunt, oderunt cœlestia. Oves has perditas in ovile Christi (Sanctam scilicet Ecclesiam) reducere, et in viam salutis dirigere, tua res est, Pater Sanctissime, ipsissimum munus tuum, cui præesse (totius Ecclesiæ Sanctæ regimine sic exigente) non vales: ut in partem solicitudinis alios evoces, necesse est. En igitur ego ipse, qui me, meam meditatus infirmitatem offerre ausus non fueram, jam nunc vocatus prodeo: labores, et pericula, pro dilatanda fide libentissime subiturus. Quid igitur ad ingentissimam hanc rem, non utique meam sed Christi, sed vestram et jam meam inquam, quia mihi a Vestra Beatitudine traditam, perficiendam necessarium erit, quod a Sanctitate Vestra præstandum non sit. Multa ergo cum sint ad optimam altissimi hujus muneris functionem necessaria, ab illa tamen referendo prudens abstineo, ne Sanctitati Tuæ in totius Ecclesiæ moderamine laboranti, molestiam inferam: et quia quæ illæ sint optime novit Sanctitas Vestra. Adjiciam hoc unum tamen, humiliter deprecans, ut me tam longum, tamque difficile pro Deo, et ecclesia iter arripientem apostolicam Benedictionem donatum mittere, et preces quas Sanctitati Vestræ pro me alii offerent, clementer suscipere, et de Sedis Apostolicæ benignitate petita concedere dignetur. Incolumem te nobis ecclesiæque suæ sanctæ benignitas Dei nostri in multos annos, Sanctissime Pater, custodiat Amen. Madritii in conventu Prædicatorum Beatæ Mariæ de Atocha primo die Decembris 1573.

Sanctissime Pater,

Beatitudinis Vestræ indignus filius et inutilis servus, qui Sanctitatis Vestræ beatos osculatur pedes

Fr. Dominicus Desalozar
Ordinis Prædicatorum.

XCVII. — Sebastianus piissimus Lusitanorum rex totus erat in favendis Patribus Societatis Jesu, oh egregios, in promovenda gloria Dei non solum in Lusitania, sed etiam in Regnis ejus transmarinis, in utrisque nempe Indiis Orientalibus æque ac Occidentalibus exantlatos labores, eosque ideo Societatis Patres enixe Pontifici commendat. (*)

(*) Lusitania Vol. 5. fol. 18.

Sanctissimo in Christo Patri, atque Beatissimo Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici.

« Sanctissime in Christo Pater et Beatissime Domine, Sebastianus Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum Rex citra et ultra mare in Africa, Dominus Guineæ, navigationis, expeditionis, commercii, Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, devotus humilisque Beatitudinis Vestræ filius hu-

millima pedum oscula beatorum. Sanctissime Pater et Beatissime Domine, non dubito, quin optime intelligat Beatitudo Vestra, quanta cura et sollicitudine Societas Jesu ubique terrarum laboret in vinea Domini propaganda. Ego certe illud Beatitudini Vestræ affirmare possum, eam meis regnis ac Dominiis tum Lusitaniæ tum Brasiliæ, tum diversarum partium Indiæ, tum Insularum Oceani maximum adjumentum lucemque attulisse, non solum infidelium conversione, cujus præcipuam curam gerit, sed aliis etiam ministeriis piisque operibus, quæ propria sunt ipsius instituti. Has peregrinationes, hos labores illa libentissime suscipit, magno salutis animarum ardore et zelo inflammata. Itaque non modo gravissimo onere me levat, et conscientiam meam exonerat in partibus in quibus residet, atque in iis ad quas meo rogatu proficiscitur, prout officii mei ratio postulat, verum etiam et in me et in prædictas partes plurima maximaque beneficia a Deo ipsius causa collata esse apertissime intelligo. Quamobrem multa domicilia atque collegia hujus religionis in meis regnis curavi ædificanda: quam religionem summa caritate pro suis meritis prosequor, eamque quibuscumque rebus potero, adjuvare et fovere vehementer cupio. Nunc vero cum Leo Henricus Viceprovincialis confessarius Cardinalis patrui mei, doctor Michael de Torres, qui viginti annos in eadem Societate Rectoris, Provincialis, Visitatoris officio functus est, doctor Petrus Afonseca sacræ theologiæ professor, qui in Aristotele illustrando atque artium cursu scribendo nunc occupatus est, ut in mea Universitate Conimbricensi et Eborensi prælegatur, doctor Ignatius Martinus concionator meus, quem plurimos jam annos libentissime audio, cum inquam Romam ad generalem congregationem proficiscantur, sintque viri magna virtute ac eruditione præditi et antiqui in Societate, variisque muneribus in ea functi, propter quæ et alia virtutum ornamenta plurimum apud me fide et auctoritate valent, eosque interdum ad me vocari jubeo, cum in rebus magni ponderis graves ac difficiles oriuntur controversiæ, humillimis precibus a Beatitudine V. peto, ut eis apostolicam benedictionem largiri, atque in omnibus quæ ad Societatem de me optime meritam pertinent, favere et adjuvare dignetur. Illud, Pater Sanctissime, velim, Beatitudo Vestra sibi persuadeat, quicquid ipsi a Beatitudine Vestra in hoc genere postulaverint, me ipsum postulare, quodque illi per me habuerint, id me habere a Beatitudine Vestra, summoque affectum esse beneficio arbitrabor. Sanctissime Pater et Beatissime Domine, Deus Opt. Max. Beatitudinem Vestram nobis in nostram totiusque Ecclesiæ utilitatem diu salvam incolumemque conservet. Datum Eboræ 27. Januarii 1573.

El Rey.

Idem facit alteris litteris, quibus præ cæteris Leonem Henricum, virum inter socios S. Ignatii de Lojola præstantem, laudibus exornat. (*)

(*) Lusitania Vol. 3. fol. 22.

Sanctissimo in Christo Patri atque Beatissimo Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici.

« Sanctissime in Christo Pater et Beatissime Domine, Sebastianus Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum Rex, citra et ultra mare in Africa, Dominus Guineæ, navigationis, expeditionis, commercii, Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, devotus humilisque Beatitudinis Vestræ filius, humillima pedum oscula beatorum. Sanctissime Pater et Beatissime Domine, Leo Henricus Societatis Jesu, confessarius Cardinalis patrui mei, vir magna virtute ac eruditione præditus atque in ipsa Societate variis functus muneribus, propter quæ et alia virtutum ornamenta, ut Sanctitati Vestræ superioribus diebus aliis literis significavi, plurimum apud me fide et auctoritate valet, has literas Sanctitati Vestræ reddet, simulque referet meo nomine quædam, de quibus ad eum latius scribo, quæ totius Societatis bono ac conservationi sunt maxime necessaria. Humillimis precibus a Beatitudine Vestra peto, ut illi in his omnibus integram fidem adhibeat, jubeatque mandari executioni ea quæ a dicto Leone Henrico sunt referenda, tanti enim sunt ponderis et momenti, ut ex iis non solum pendeat conservatio ac bonum regimen Societatis, sed etiam meorum regnorum ac Dominiorum in iis quæ ad fidem ac mores pertinent: qua ex re summam voluptatem percipiam, summoque ac singulari beneficio a Sanctitate Vestra me affectum esse arbitrabor. Sanctissime Pater et Beatissime Domine Deus Opt. Max. Beatitudinem Vestram nobis in nostram totiusque Ecclesiæ utilitatem diu salvam incolumemque conservet. Datum Eboræ xx. Martii MDLXXIII.

El Rey.

XCVIII. — Regis studia in promovendo Ignatianorum cœtu Henricus Cardinalis regis patruus Lusitaniæ infans emulabatur: hic quoque ad Pontificem de illis magna quæque scribebat, tum Pontificem orabat, ne Societatis ipsius comitiis, quæ jam in eo erant, ut haberentur, nec ad supremum Societatis totius regendæ munus, nec ad alia ulla gerenda quemquam ex neophytis Indorum cooptari sineret, quin et omnem illis in posterum ad eam aditum dicta lege præcludat. (*)

(*) Lusitania Vol. 3. fol. 17.

XCIX. — Alteris litteris idem debitas gratias Gregorio reddit, quod eum in condendis ad educandos adolescentes collegiis tam liberaliter adjuverit. (*)

(*) Lusitania Vol. 3. fol. 19.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater et Sanctissime Domine Noster.

« Literas Sanctitatis Tuæ diebus superioribus ad me datas accepi, quibus facultates et indulta

mihi a Pio Quinto fœ. re. concessa confirmare dignata est, et ex Joanne Tello Menesio nuper Regis Domini mei oratore, et literis Doctoris Antonii Pinto simul intellexi, quam egregia amoris erga me tui significatione, et præclara quadam in omnes res meas benevolentia ac favore id fecerit Sanctitas Tua, et quam liberaliter sese gesserit in iis redditibus concedendis, qui in Eborensium canonicorum beneficiis mille aureorum summam excedunt, quos a Sanctitate Tua ad quædam condenda Collegia postulaveram; pro quibus in me collatis beneficiis Sanctitati Tuæ gratias agu quam possum maximas, et ejus pedes osculor, speroque futurum, ut cum primum res ipsa, et quæ maxima ex dictis Collegiis commoda expectantur plenius fuerint Sanctitati Tuæ explicata, id etiam quod reliquum videtur esse libentissime concedat: res enim ejusmodi est, quæ ad maximum Dei honorem pertinere videatur: quæ vero incommoda ad eam impediendam afferuntur, si cum rei ipsius utilitate comparentur, parvi profecto debent momenti judicari. Extremum est, ut sibi persuadeat Sanctitas Tua me omnem operam semper daturum, ut intelligat se apud virum tui observantissimum beneficia hujusmodi non immerito collocasse. Deus omnipotens Sanctitatem Tuam diutissime fœlicissimeque incolumem servare dignetur. Eboræ die ultima Januarii MDLXXIII.

Humillimus et devotissimus S. V.
servus et creatura
HEN. CAR. INFANS.

C. — Eborensium quoque Præsul Ecclesiæ Lusitanæ Primas, omnem operam contulit, ut abusus legibus a S. Concilio Tridentino dictis profligati ab Ecclesiis hujus Regni radicitus evellerentur; sacros milites, quibus S. Jacobi et Avis nomen indutum erat, in melius reformari maxime opus erat. Quapropter idem Præsul Pontificem adiit deprecatus, ut auctoritate sua Apostolica sacram istam militiam ad pristinam recte vivendi normam laudemque revocaret. [*]

[*] Litteræ Principum Vol. VIII. fol. 130

Beatissime Pater.

« Videtur officii ratio postulare, et Tuæ Sanctitati maxime deberi, tum propter obedientiam exhibendam, tum propter Sacrosancti Concilii Tridentini præscriptum, ut tuæ Sanctitati hujus Diœcesis statum, pericula, eventus et incommoda, quæ his temporibus accidunt, exponantur, penes quem solum nunc est his incommodis mederi et consulere, quemadmodum fieri jusserit, et provisum rebus esse voluerit. Sunt in hoc Lusitaniæ Regno Magisteria commendatariorum militiæ divi Jacobi et Avis, ut vocant, quæ maximam partem ecclesiarum ad hanc Diœcesim, et ad alias hujus regni pertinentium late occupant, adeoque in dies progressi sunt officiales, priores, cæterique militiæ divi Jacobi et Avis commendatarii, ut ordinariam jurisdictionem tam in temporalibus quam in spiritualibus omnino extingurre conati sint, ut eam sibi solum violenter ascriberent; ita ut nihil Ordinariis faciendum superest nisi de vita et moribus secularium et Parochialium inquirere. Usurpant similiter sacramentorum administrationem, nec huic rei Ordinarios aliqua ratione prospicere patiuntur, non sanctissimi altaris Sacramentum in sacrario visitare, sancta olea utrum sint in Ecclesia pervestigare, non templa in quibus sunt administranda reficere, quæ magna ex parte jam labefactata et eversa sunt. Illud etiam nullo modo Ordinariis permittunt cognoscere, quonam pacto Parochianis sacramenta administrentur, nec commendatarios religiosos puniri propter excessus et delicta in sacramentis administrandis commissa, cum confirmationes prioratuum, Curiarumque syngraphas acceperint, quibus ea administrare liceret. Jam vero cum hæc diœcesis multis ab hinc transactis temporibus in hujusmodi rebus ordinariam facere visitationem suo jure consuesceret, eo audaciæ processerunt, ut per vim, et clandestinas machinationes, interposita regia authoritate et potestate, quam divulgabant, quæcumque libuit, contra fas et justitiam perpetrarint, observatis ad hoc temporibus opportunis, ne a visitatione ordinaria impedirentur, suasque visitationes adeo clandestine promulgabant, ut eas tectis, cubiculisque oppidorum atque vicorum recondi juberent, ne ab aliquo videri possent, alias vero ad cœnobia transmittebant, ne earum notitia haberetur, constituentes ea quæ ad templorum administrationem ad populum et ad visitationem ordinariam spectabant. Et ut major esset excessus et licentia, sub pœna excommunicationis Prioribus districte præcipiebant, ne hujusmodi visitationum exempla alicui traderent. Unde fiebat propter terrorem, quem populo incutiebant, interposita Regis veluti eorum ordinum Magistri authoritate, additisque etiam excommunicationibus a suis conservatoribus prolatis, ut nemo suum jus petere, aut res suas persequi auderet. Atque his excessibus et terroribus in causa erant, ne ulli officiales seculares aut ecclesiastici officium suum præstarent, ut de iis quæ contra æquitatem fiebant publicas syngraphas conscribere auderent. Quod si aliquis Clericus divi Petri sacris ordinationibus initiatus jus suum postularet, aut contrairet, a visitatoribus et prioribus ecclesiasticis ornamentis privabatur, ne sacris operaretur, divinisque officiis interdicebatur, res profecto, quæ magnum præbuit offendiculum, et digna in quam animadvertatur. Clerici atque vexati, parereque compulsi misere afflictabantur, aliaque loca his prioratibus non subjecta adire cogebantur, ut necessaria ad sacrum faciendum invenirent, atque eo modo officii sui rationibus satisfacerent, idque in illis locis ad quæ oppressi confugiebant. Cum

essent religiosorum monasteria, ipsos prohibere et vexare elaborabant. Hujusmodi licentia et impunitate progressi pia sodalitia, quæ in templis ipsorum erant, pro suo arbitratu disponebant, divina officia componebant, omnia denique, quæ juxta sacra concilia Ordinario committuntur, sibi omnino vindicabant. Quapropter eadem libertate, qua conati sunt, vi in possessionem venire hujusmodi Priores, nulla in re Ordinario obtemperantes liberi et immunes remanebant nulla ratione, visitationes Ordinariorum aut excommunicationes promulgatas priusquam eas Prioribus cœnobiorum mitterent, qui vel eas pro sua voluntate propriis commodis inservientes emendabant, vel nulla ratione restituebant. Ex eo autem sequebantur multa et gravia detrimenta. Volunt præterea nulla habita ratione juris fundatas a parochianis capellas usurpare, quæ in limitibus ecclesiarum prædictorum ordinum sunt constitutæ, et in quibus nihil ipsi suæ operæ posuerunt: cum tamen in parochias et curias sint distributæ et a parochianis stipendium ipsis curionibus fuerit persolutum: jubent deinde, ne his capellis præficiantur Clerici divi Petri nisi eisdem religionibus fuerint addicti, cum tamen sæpenumero necessarium sit sacramenta a Clericis divi Petri administrari, qui ad eam rem commodius et facilius inveniuntur. Sequuntur ex eo gravia quædam et magna incommoda: primum est ipsos imperare, ut Prior ecclesiæ matricis animarum curam gerat in capella, quæ residet in curia limitata duas et tres parasangas distante, quousque Regularis sui ordinis ad id munus obeundum idoneus reperiatur. Cum tamen Prior ecclesiæ matricis vix suæ curiæ rationem habere possit, idque non sine magno animarum detrimento et incommodo. Illud deinde subsequitur, Clericos divi Petri necessitate compulsos ad suscipiendum prædictorum ordinum habitum compelli. Etiam narratur ipsos commendatarios religiosos innovare et permutare harum cappellarum administrationem, eamque a sæcularibus Clericis ad Religiosos sine ullo jure aut æquitate transferre. Ad quod exequendum varios modos et rationes excogitarunt præcipientes, ut ex commendarum proventibus stipendium huic capellano solvatur, eo animo et consilio, ut majorem nanciscantur occasionem ad eos habitu suo exornandos et in religiosorum suorum numerum cooptandos, cum tamen antea hujusmodi stipendium a parochianis pensitari consuesceret. Quod sane æquitati adversatur, nam prædictæ capellæ ita constitutæ et præfinitæ nihil sibi vindicant præter decimas ecclesiæ matrici persolvendas. Ex his dissensionibus gravia quædam odia emanant graviaque discordia et contentiones inter Clericos sæculares et prædictos religiosos, utrisque in eadem ecclesia et collegio versantibus. Jam vero cum easdem parochias Ordinarius simul et horum ordinum Visitatores invisant, alii hoc modo, alii illo templorum administrationem constituunt. Quibus ita controversis et perturbatis nihil Deo gratum et acceptum propter rerum perturbationem et contentiones assiduas fieri potest, omniaque tam temporalia quam spiritualia sensim imminuuntur, et veluti ruinam minitari videntur, cum maximo salutis animarum periculo divinique cultus et venerationis sacramentorum detrimento propter malum perniciosi exempli odorem, quod inde ad alios non sine magna labe derivatur; videt enim populus eos, quibus suæ salutis cura incumbit, hujusmodi res facere cum tanta suæ conscientiæ jactura et aliorum scandalo. Quoniam autem illorum ordinum visitatores majori favoris auro conformantur, tum propter auctoritatem promulgatam, tum vel maxime, quia vectigalia et proventus Ecclesiarum ad hujusmodi ordines pertinent, quæ volunt facilius perficiunt, et quod ad exequutionem attinet melius ipsis obtemperatur, majorique libertate ea aggrediuntur, quæ ipsos non attingunt. Quocirca cum res in dies augeretur, nullumque salutis remedium aliunde emergeret nostris appellationibus, ordinariam justitiam Legaciæ hujus Regni appellavimus, omnes enim Ordinarii prædictis excessibus et dissensionibus cogimur ad rem longo etiam tempore persequendam, et multos sumptus in his litibus expendendos. Hoc igitur justitiæ remedio adhibito regem contestati sumus tanquam Magistrum horum Magisteriorum, ut causæ nostræ rationem et æquitatem audiret, atque hæc incommoda, ut par erat, emendaret, litibusque intercisis ad utriusque partis tranquillitatem et pacem omnia sedarentur. Auditis deinde rationibus, qui hanc causam cognoverunt, ut res ita definiretur, quemadmodum Tuæ Sanctitati magis expedire ad Dei honorem et gloriam videretur. Omnibus autem diligenter cognitis ac perspectis a Cardinalibus, quibus hæc causa commissa fuit, Apostolicas determinationes, quæ nunc proponuntur, remiserunt, quæ missæ sunt ad Cardinalem Infantem Legatum a latere Sanctitatis Tuæ, tamquam illarum executorem. Accepta ergo hujusmodi Apostolica commissione, auditis partibus, habitaque sufficienti de negotio inquisitione monitorium executorium pronuntiavit. Quo pronuntiato Domini Priores militiæ divi Jacobi et Avis appellarunt. Rex nihilominus tamquam eorum ordinum Magister noluit appellare, cumque appellatio partibus inspicienda traderetur, et causam suam rationibus fulcirent, Legatus Cardinalis se tandem appellationem non admittere declaravit, jussitque fieri monitoria in forma, nihilominus prædicti Priores ad tuam Sanctitatem iterum recurrunt; quam omnes Ordinarii, quos hoc negotium tantum attingit, suppliciter exoramus, judicet, hoc ad Dei cultum et obsequium

spectare, ut nempe hæ contentiones, lites et causæ interscindantur, atque omni ratione sedentur, jubeatque ad exitum et executionem perduci, quæ secundum æquitatem et Sacri Tridentini Concilii decreta sancita sunt; hoc enim sacrosanctum Concilium desideravit, cum omnia ea, quæ Ordinariorum jurisdictionem impedirent, derogavit. Nec immerito speramus tuam Sanctitatem in Regno hoc Christianissimo omnibus incommodis imminentibus et præsentibus ita consulturum, ut divini numinis cultus in dies augeatur, et conservetur, et Sanctæ Ecclesiæ sacramenta cum omni veneratione, cura et sollicitudine administrentur, et Religiosorum, qui extra sua cœnobia in Ecclesiis parochiarum vitam degunt, cum sæcularibus Clericis concordia pax et amicitia stabiliatur, ita ut litibus et contentionibus singulis diremptis prædicti Religiosi solis Ecclesiarum redditibus et vectigalibus quæ possident contenti sint, nec se rebus aliorum implicent, spiritualibus aut Sacramentis, quorum administratio et dispositio penes Ordinarios esse debet, illud in memoriam revocantes has omnes Ecclesias suis initiis ad divi Petri habitum spectasse. Hoc igitur ut tandem ita fiat, tuam Sanctitatem per Deum immortalem Dominum Nostrum obtestamur, cujus vicem et locum in terris obtinet, ut his omnibus malis et incommodis, quæ nunc sunt, cæterisque remedio indigentibus sapienter providere, et cum magna Reipublicæ Christianæ utilitate mederi velit. Dominus Noster tuæ Sanctitatis salutem et statum diu feliciter conservet atque augeat ad totius populi Christiani remedium atque præsidium. Eboræ vigesima quinta die Januarii anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio.

Humilis et devotissimus S. V. Servus
Archiepiscopus Eborensis.

CI. — Japonicas insulas jam catholica religio Patrum e Societate Jesu curis et laboribus pervadere cœperat: at hoc anno summopere lætatus est Gregorius et gratulatus Bartholomæo Amurano regulo, quod is Christianorum sacris disjectis idolatriæ tenebris nomen dedisset. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II epist. 127. fol. 67.

Charissimo in Christo Filio Nostro Bartholomæo Amuræ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibilem cepimus voluptatem, egimusque Domino Nostro Jesu Christo gratias immortales, quod sese, hoc est immensum bonum, Majestati Tuæ indicarit, teque e teterrimis tenebris in admirabile lumen tuum vocarit, cui quidem benignitati accepimus præclare respondere pietatem tuam in ea, cui te semel consecrasti, ac devovisti, fide pure, sancteque retinenda, assiduisque pro ea laboribus suscipiendis, fideliterque ei serviendo, cui servire regnare est, quem ignorare, aut deserere nihil aliud est, nisi amplissimo etiam in dominatu, et regno miserrimam servitutem servire. Hac inquam Dei in te benignitate, tuaque erga eum pietate præstantium virorum Nobis testimonio confirmata quantu gaudio exultaverimus, novit idem Deus, cujus oculis pateat intimi animorum sensus, abditissimæque hominum cogitationes: tantum illud fuit, quantum esse oportuit hominis nullo suo merito a divina bonitate in hoc Summi Pontificatus laboriosissimo munere vocati ad Christi oves pascendas, atque ad ipsius gloriam, animarumque salutem toto pectore expetendam, atque omnibus viribus curandam. Perge igitur charissime fili in Christi lumine ambulare, majoresque in dies progressus facere, atque utramque Hierusalem, et terrenam hanc et cœlestem illam, quæ tuæ pietati parata est, lætificare stude, summamque Christo Jesu gratiam inire contende, cujus bonitas tanta est, ut tum gratiam sibi reddi existimet, cum prompte, hilareque accipitur: conari etiam non solum te, tuosque populos fidei sinceritate ei addictos habere, sed finitimos etiam Reges, et gentes munendo, hortando, rogando, et quod maximum incitamentum est, pie sancteque vivendo ad salutem vocare, atque eidem Christo adjungere. Quod si nullum sacrificium est Deo gratius zelu animarum, pro quibus ille sese sacrificium offerre non dubitavit, quantam esse oportebit Majestati Tuæ in eo conatu repositam apud eundem Deum mercedem? qui quidem conatus si successerit, ejus fructus ad alios quoque perveniet; sin minus, nihil certe tibi mercedis decedet, conatus enim, et voluntas apud Deum pro re ipsa, et facto est. Quanta autem ea merces sit, hac una ratione scire possumus, si cum Paulo statuamus, talem, tantamque esse, ut qualis, quantaque sit, scire, et cogitare nequeamus. Ad hanc igitur mercedem quantum potes, aspira, Deique ipsius benignitatem imitare, qui non solum ipse sibi beatus est, sed suam etiam beatitudinem aliis impartire cupit. Nos autem tibi charitate conjunctissimos esse crede, ut optimo in Christo filio parentem amantissimum. Eam vero, quam Tuæ Majestati his literis ascribimus, salutem, atque Apostolicam benedictionem, atque omnem felicitatem a Deo Optimo Maximo optamus, et precamur. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die tertia Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Eosdem lætitiæ sensus et gratulationis officium porrigit Gregorius Antonio Firando, quem Sacchinus Ignatianarum rerum enarrator (*) Dynastam haud spernendum inter Japonicos appellat, qui et ipse repudiato idolorum cultu baptismo ablutus Christo sese addixerat. (*)

(*) Pars III. pag. 13 Romæ 1619.

(*) Reg. Gregorii XIII. An II epist. 128. fol. 69.

Dilecto Filio Nobili Viro Antonio Firandi Domino.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir. Postquam Tuæ Nobilitati Nos conjunxit charitas Christi, quæ servos suos omnes, quorum Nos servi sumus, longissime etiam inter se locis regionibusque disjunctos nectit arctissime, tamquam unius corporis membra, incredibiliter lætamur et præsenti tua pietate in ea, cui te semel consecrasti, ac devovisti fide pure sancteque retinenda, et virtute in quotidianis laboribus pro ea sustinendis; sic enim Nobis de te confirmarunt viri gravissimi, atque omni fide dignissimi. Quoniam autem optimi parentis est (hoc enim nomine apud Nobilitatem Tuam Nobis uti licet) et præsenti filii sui bono lætari, ac majus in dies optare, rogamus, ut cæteros etiam apud quos vel auctoritate, vel gratia te aliquid posse intelligis, eidem Christo adjungere studeas, sciasque ei gratissimum esse non solum in hoc studio eventum ipsum, qui certe in nostra potestate situm non est, sed etiam conatum, quem Christo negare non debemus, quoniam ipse sanguinem suum nemini negavit, sed pro omnibus, quantum quidem in se fuit, eum largissime effudit. Hanc te summam ab ejus benignitate gratiam inire summa tui cum mercede et Christi ipsius gloria summopere cupimus, tibique omnia pollicemur, quæcumque potest optimus filius expectare a patre amantissimo. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die tertia Octob. MDLXXIII. Pontificatus Nostri Anno secundo.

CII. — Quid mirum si Pontifex tanto paterno amore Lusitaniæ regem prosequeretur, ut ei alterum ex spiculis, quibus Sanctus Sebastianus confossus ferebatur, transmiserit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An II epist. 184. fol. 87.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Permagnum est, quod cupit Majestas Tua, ut tibi largiamur unam ex sagittis illis, quibus invictus Christi martyr Sebastianus pro illius nomine confixus fuit, quarum duæ in ejus templo, quod in hac urbe est, sanctissime servantur, summaque cum populi veneratione, et lachrymis, ac votis visuntur; sed rei ipsius magnitudini par in te pietas respondet Rege digna. Neque enim dubitamus, Majestatem Tuam tantopere hoc cupientem sic cogitare, sanctorum memoriam a Nobis celebrari nostra, non ipsorum causa: quid enim illis afferunt nostri honores, quid laudes, beatissimi sunt, neque nostros cultus desiderant, nimirum quos honorat Deus tribuitque illis immensum laudis testimonium sanctissima Trinitas: Nos vero in ipsorum memoria celebranda agnoscere debere eorum auxilium ad implorandum, exemplum ad imitandum, nostram ignaviam ad accusandum. Qua quidem cogitatione de tua pietate multis rebus tota vita testificata, Nobisque perspecta adducti sumus, ut tantum Tuæ Majestati munus mitteremus, ex cujus magnitudine facile potes de nostra in te charitate existimare; neque enim dubitamus, quin quod tantopere cupis, summo, ut par est, in honore habiturus sis, maximoque cum fructu ejus martyris memoriam celebraturus, qui suam erga Christum Jesum, quem ardentissime amabat, charitatem, jaculaque illa amoris acutissima, quæ cordi alte infixa gerebat, testificari voluit sagittis illis, quibus totus configebatur morte acerbissima. Harum igitur sagittarum unam innocentissimo imbutam sanguine mittimus Majestati Tuæ per dilectum filium Pompejum Lanoiam cubicularium nostrum secretum, quam te omni honore accepturum, ac convocata populi multitudine pie, sancteque alicui dicaturum non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die octava Nov. MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

CIII. — Quid quod ejusque regis dolorem ob obitum piissimæ suæ matris, sororis regis Catholici, suavissimis verbis leniret. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. II. epist. 183. fol. 78.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Gravem accidisse Majestati Tuæ matris obitum et communis filiorum sensus et tua propria humanitas ac pietas facile suadet. Neque enim facere possumus, nisi plane stupidi ac ferrei simus, ut nihil commoveamur eorum interitu, quos charissimos habuimus, sed simul etiam nobis Christianis multum ad consolandum suppeditat sancta hæc religio et fides, quæ certe aliis nationibus desunt. Scimus enim iis, qui bene vixerunt, optabile fuisse ex his humanarum miseriarum vinculis exsolvi, sempiternamque et beatissimam cum Christo vitam agere: nihil igitur esse, quod eorum causa doleamus, (nisi forte quod quidem odisse non amare est, eorum fœlicitate dolemus) nihil etiam quod nostra, sic enim Nos ipsos amamus, non illos. Desideremus eos licet, sed ita ut una esse cupiamus, contendamusque eo pergere, quo illos pervenisse credimus; sicque interim cum animo statutum ac deliberatum habeamus, quidquid divinæ voluntati placet, quamvis sensui laboriosum molestumque sit, tamen id Nos accipere oportere æquo animo atque etiam libenti, ut ab optimo parente, de cujus in Nos charitate dubitare nequeamus, tametsi ejus voluntatis rationem minus intelligamus. Eos autem, quos desideramus, cogitemus non periisse, sed repente Deo redditos fuisse; non illis vitam ademptam, sed longe meliorem tributam; non terra obrutos esse, sed in cœlum receptos. Sic inquam de iis cogitare debemus, quos pie sancteque vixisse cognovimus, quod quidem fecisse matrem tuam,

omnes, qui eam norunt, sine ulla dubitatione confirmant. Hæ rationes ex sacris libris atque ex sanctorum Patrum scriptis petitæ mirum, quantum ad consolandum valent. Et quamquam Majestatem Tuam plurimum in illis versari non ignoramus, tamen pro nostra in te charitate facere non potuimus, quin has ad te literas daremus mitteremusque qui eas redderet, dilectum filium Pompejum Lanoiam Cubicularium nostrum secretum, virum insigni Nobilitate Nobisque propter multas ejus virtutes charissimum. Ejus verbis eandem, quam nostris fidem ut habeas, rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die xv. Octobris 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

CIV. — In Anglia, Scotia et Hibernia vehementiori quam antea tempestatis æstu Catholici adflictati. Edimburgensi castro expugnato, quod supremum ferebatur perfugium Catholicorum, qui Mariæ Stuardæ partes tuebantur, Catholici omnes toto regno exulare jussi. Vagi illi et extorres Belgium partim, partim Gallias, vel Lusitaniam et Hispanias petunt. Joannes Lesleus Rossensis Episcopus et Jacobus Archiepiscopus Glasguensis Lutetiam Parisiorum se contulerant, qui summa fide et constantia nec sine vitæ discrimine omnem operam Reginæ suæ Stuardæ navarant, nec enimvero quidquam omittebant, ut sive apud Pontificem, sive apud Cæsarem et Germaniæ Principes, qui ad hæresim non defecerant, sive apud reges et Galliæ et Hispaniarum de Catholica religione in Anglia servanda agerent, et pro Maria Regina officia sua interponerent. En quæ Glasguensis Pontifici scribit. [*]

[*] Gallia Vol. 7. fol. 147.

Sanctissimo D. N. Gregorio XIII.

«Beatissime Pater. Etsi Reverendissimum Patrem Episcopum Calatinum istius Sanctæ Sedis in hoc Regno jampridem Nuntium, prius quam hinc discederet, et postea Illustrissimum et Reverendissimum Cardinalem Ursinum V. S. a latere Legatum, quum hic esset, qua potui fide et diligentia edocuerim de miserrimo et afflictissimo statu Ecclesiæ, Reginæ, et Regni Scotiæ: non potui tamen committere, quin istuc proficiscenti religioso Patri Edmondo Hayo Societatis Jesu theologo, et ejus Societatis hic in Francia Præposito Provinciali hanc epistolam denuo ad V. S. darem. Is enim cum homo sit nostræ gentis, et qui pro satis longo rerum usu nonnulla per se didicerit, cætera a me edoctus; ad hæc non vulgari zelo in vindicanda patria ab erroribus, et reducendis oviculis ad caulas Ecclesiæ, et tam magna observantia in Sedem Apostolicam, dignus est, cui V.S. fidem in omnibus habeat, et idoneus a me judicatus, cui istud negotii committerem. Cæterum, etsi supervacaneum videri possit V. S. sua sponte ad nostris malis subveniendum promptam, et maxime proclivem ulla hortatione incitare, erit tamen opinor a meo officio non alienum, cum erga patriam afflictam, tum erga Ecclesiam, et Sedem Apostolicam si unum dixero, Regnum Scotiæ si cum aliis conferatur plerisque cedere divitiarum splendore, et latitudine imperii, sed pietate et constantia in religione semel accepta, et maxime in observantia erga Ecclesiam Romanam nihil cuiquam dum staret, sanisque consiliis vigeret concedere potuisse. Unde et ejus vicissim ab ea Sede magna semper habita est ratio; nam et Victor ejus nominis primus, audita postulatione Donaldi Scotorum Regis magna diligentia, illuc viros doctrina et religione insignes misit, qui baptizatum regem una cum subditis universis legibus Christi subderet et Romanæ Ecclesiæ aggregaret. Porro, semen illud religionis jactum in agrum Scoticum, quanto studio postea, quantaque solicitudine foverit Romana Ecclesia, vel ex eo constare potest, quod Celestinus primus Romanus Pontifex, cujus tempore hæresis Pelagiana eam Britanniæ partem infecit, quæ nunc Anglia dicitur (erat enim ex ea gente Pelagius) protinus Palladium virum sanctissimum creatum Scotorum Episcopum eo misit; cujus opera non tantum Scotia a lue Pelagiana immunis servata in fide Catholica et in officio permansit, sed et Orcades insulæ ad Christum sunt conversæ. Taceo deinde Legationes non minus honorificas, quam frequentes, quibus ista Sancta Sedes suum singulare studium et solicitudinem plane paternam in Reges et Regnum Scotiæ sæpe testata est: taceo prærogativas et maxima privilegia, quibus Romani Pontifices eam gentem ornarunt. Neque Scoti vicissim tantorum beneficiorum immemores extitere, sed ut obedientes, et optimos Ecclesiæ filios decuit, cum Romanæ Ecclesiæ beneficiis, tanquam cum matris pietate, obedientiæ officiis certavit; ut enim nulla gens aut Regnum citius populariter fidem, et Christianam religionem est amplexa, ita nulla semel acceptam constantius retinuit, aut servavit purius ad hæc usque tempora, quibus nescio qua peste impietatis orbem Christianum latissime pervagante, etiam Scotos nostros a recto catholicæ religionis tramite in transversum actos in omnium errorum barathrum præcipites dedit: mihi ut videatur majoris gloriæ opus futurum, eam gentem ex hæretica catholicam facere, quam erat ex Ethnica facere Christianam. Hoc cogitavit tantum et proposuit felicis recordationis Pius Quartus: Pius Quintus est conatus, sed V. S. (Beatissime Pater) dignum opus, tibi divinitus servatum est, ut cum singularem illum ferum (quod a Deo optimo maximo votis omnibus contendimus, et brevi futurum speramus) aut plane extrinxeris, aut certe ejus ferociam represseris, et cohibueris, cogitationes tuas et curas omnes ad Scotiam tuam, immo totam Britanniam his malis eripiendam serio convertas. Nos interim si quid possumus

divina nos juvante gratia operam dabimus, ut quod ex hoc naufragio superest, aut ex fluctibus eripi poterit, sartum tectum sit, et veluti materia quædam paretur, in qua tu opportuno tempore raræ hujus tuæ pietatis et singularis prudentiæ artem exerceas : et ut nunc facimus V. S. quoties res postulaverit de statu rerum singularum fideliter instruemus. Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi V. S. nobis et toti Suæ Ecclesiæ quam diutissime servet incolumem. Lutetiæ Parisiorum 8. Kal. Martii 1573.

V. S.

Humillimus et Devotissimus Servus
Jacobus Archiepiscopus Glasguensis.

CV. — Nobiles quoque Angli ob fidem patrum extorres, huc illucque dispersi, eadem officia apud Principes Catholicos Europæ per litteras et per legatos peregerunt, iisque par omnibus consilium suadebant, ut Jacobum, Mariæ filium, legitimum Britanni regni hæredem, juvenem nedum septem ætatis annos egressum, ex Scotia eductum in aula vel Galli regis, vel Hispani avita fide imbuerent et educarent. En quæ Dux Northumbriæ una cum aliis fortunæ adversæ sociis Cardinali Comensi hoc de negotio refert. [*]

[*] Epistolæ Cardinalium Vol. 75. fol. 169.

Reverendissime et Illm̃e Cardinalis.

« Dum frigidos Principum animos cohortationibus nostris nunc per litteras absentes, nunc per ipsorum ministros præsentes quidem, sed status nostri et calamitatis ignaros accendere innitimur, nos operam perdimus, adversarii majores et animos et vires in dies acquirunt, et Ecclesia nostra misere convulsa ruinam minitatur. Itaque majori conatu rem aggrediendam esse videmus, et nisi velimus piam causam per ignaviam prodere fortius urgendam.

« Adlegandum esse unum quempiam censemus de nostratibus ad Majestatem Catholicam, qui animum principis torpentem serio excitet, excitatum pio hortatu accendat, pietatis zelo accenso materiam continenter subjiciat et foveat, et causationibus, quas mens timida suæ semper tepeditati obtendit, vi rationum respondeat, diluat, et satisfaciat. Cui Legationi obeundæ cum neminem habemus tam idoneum, quam D. Nicolaum Sanderum tuæ quidem Dominationis Reverendissimæ et Illustrissimæ alumnum, nostræ vero Nationis si non unicum, certe singulare decus et præsidium, id a te summopere petimus et obtestamur, ut Sanctissimum Patrem adeas, litteras ab eo commendatitias ad suam Majestatem Catholicam impetres, quibus et piam causam et pium Oratorem seriis verbis et obtestationibus commendet, tuis deinde et amicorum litteris ad regem ex more solito utrumque promoveas, postremo etiam (si spes est facile impetrari posse) Suam Beatitudinem pro sumptibus saltem, ad iter necessariis interpellator accedere ne graveris. Hæc si nobis ex voto præstiteris, nos tibi devinctissimos reddes apud Deum Immortalem magnam nobis gratiam, et de Ecclesia Anglicana summis jam in angustiis constituta optime mereberis. Vale Reverendissime et Illustrissime Cardinalis. Bruxellis 29. Junii 1573.

Tuæ Rm̃æ et Illm̃æ Dominationis
semper addictissimi
A. Northumberland – Leonard Dacre –
Christopherus Nevill. – Franciscus Englefyld.

Carolus Cardinalis Lotharingus, cujus mentem ea de re Pontifex exploratam habere voluit, negotium hocce cum successu adgredi difficillimum reputat ob rationes, quas sequentibus litteris Cardinali Comensi exponit. [*]

[*] Gallia Vol 7. fol. 361

Illustrissimo et Reverendissimo Domino meo observandissimo Domino Cardinali Comensi.

Illm̃e et Rm̃e Domine mi observandissime.

« Rm̃us Nuntius Sanctitatis Suæ reddidit mihi litteras D. V. Illm̃æ scriptas 18. die Julii, quas nemo preter me legit, quibus ut secretiori via responderem, hisce manu mea scriptis respondendum existimavi, non dubito zelo Dei impulsum eum fuisse, qui S. D. N. exposuit, principem Scotiæ nunc gubernari a viro Catholico, hoc ego existimo verum esse, apud quem imprimis efficiendum existimarem, ut ille secrete tamen educaret Principem in fide Catholica, hoc enim præstantissimum esse remedium existimo ad reddendas omnes hereticorum et perduellium cogitationes inanes. Itemque ut ille omnino apud se statuat et deliberet, nunquam sinere, ut Princeps e manibus suis eripiatur; quod si aliquando facerent hæretici, qui nunc regni integra administratione potiuntur, certum est quod eum in Angliam ad Reginam transmitterent, quod illa omnibus artibus et viis molitur. Quantum autem ad eum extraendum a regno et in alienam provinciam deducendum, existimo valde esse difficile in his temporum difficultatibus, optaremque si hoc esset faciendum aut tentandum, quod hoc nomine Ducis Lotaringiæ et nostræ familiæ fieret, qui sumus illi principi sanguine omnium qui hodie vivunt post matrem conjunctissimi, quibusque ex lege tutela pupilli debetur, hocque omnes intelligerent esse a S. D. N. statutum et effectum, cujus auctoritas si accedat nobis, per Dei gratiam non desunt vires et viæ ad eam rem accommodatissimæ, et fortasse hæc via satis apta esset ad levandas Regum suspitiones, quæ ut verum dicamus omnino hoc negotium interturbant, quorum consensu facilius auxilia Anglis et Scotis Catholicis secreto decernerentur, ut securi esse possent contra Reginæ Angliæ conatus. Quicquid tamen in hac re statuet S. D. N. ego ut debeo semper ejus auctoritatem sequar, obediamque his quæ mihi D. Tua Illm̃a imperabit. Si S. Sua judicabit de ea re sententiam Regis Catholici ex-

plorandam, ego hic enitar Regis Christianissimi animum experiri Reginæ matris et Regis Poloniæ consilio et auctoritate. Video enim et pro certo habeo, quod si hi duo reges inter se convenirent, quod nullo negotio universa Anglia, Scotia et Hibernia in pacem et concordiam magnam devenirent restitutis legitimis principibus et fide catholica Sanctæque Sedis Apostolicæ obedientia, quod si hoc negotium deseratur verendum est, ne Catholicis mortuis, et his qui cum religione conjunctam habent auctoritatem, omnis posthac via ad bene agendum præcludatur. His paucis intelliget D. T. Illma quid sentiam, et S. D. N. pro sua prudentia significabit, cujus sanctissimos pedes osculari si mihi per D. T. Illmam liceat, beabis me, habebisque, ut semper, me tui nominis observandissimum, et inservire semper paratissimum. Osculor manus D. T. Illmæ humillime, precorque Deum, ut eam diutissime servet incolumem. Parisiis 8. die Augusti 1573.

D. Vestræ Illmæ et Rmæ

Humillimus servitor

C. Card. de Lotaringia.

CVI. — Pontifex interim nihil intermisit, quin Catholicos Anglos exules pietati Principum Catholicorum quam maxime commendaret. En litteras ejus ad Ducem Albanum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 101. fol. 51.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Alvæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Charitas Jesu Christi, quæ Nobis commendat Catholicos omnes, qui ubique terrarum sunt, quaque etiam Nobilitatem Tuam affectam esse non dubitamus, facit, ut tibi commendemus Catholicos eos, qui in Hybernia misere opprimuntur, de quibus accepimus, tecum egisse venerabilem fratrem Episcopum Casselensem, utque satis esse existimemus eorum tibi miseriam indicare, inque eis Christum ipsum, qui sese in suis vexari, juvarique affirmat, pietati tuæ proponere. Commendamus igitur eos tibi, quantum Christi causa flagitat, charitas cogit, tua pietas pollicetur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XII. Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Et ad ipsum regem Catholicum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 3. fol. 58.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Rogarunt Nos Nobiles Angli, qui fidei Catholicæ causa, quam semper opibus, parentibus, patriæ, rebus denique omnibus longe anteponendam judicarunt, in tuis inferioris Germaniæ provinciis exulant, ibique magna cum Majestatis Tuæ gloria humanissime, benignissimeque excepti sunt, ut dilectum filium Nicolaum Sanderum presbyterum ex hac Urbe ad te eorum causa venientem commendaremus Majestati Tuæ; hoc libentissime facimus, quia et hominem ipsum novimus singulari doctrina, ac probitate præditum, et nihil Nos aut nostro muneri congruentius, aut tuæ insigni pietati gratius facere posse intelligimus, quam causam tam gravem, tamque cum Catholica Religione, cum Ecclesiæ dignitate, cum Dei honore conjunctam commendare Majestati Tuæ; accedit, quod eam a tuis rationibus, et commodis non alienam ducimus: expedit enim Regi Catholico non solum eos, quibus imperat, sed etiam vicinos habere catholicos, ut una opera et tuis consulere possis, et vicinos juvare, et magnam a Deo gratiam promereri. Commendamus igitur Majestati Tuæ et hominem hunc, et nobiles illos, et causam universam, utque eam tua benignitate, et misericordia complectaris, quantum possumus, rogamus. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris, die III. Septembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

CVII. — Sabaudiæ Dux Pontifici res sacrorum militum, qui Sanctorum Martyrum Mauritii et Lazari denuo nomine feruntur, commendat, eique promptum equitum studium ad classem Pontificiam juvandam nuntiat; [*] idem eundem exoravit, ut Clero diœcesis Alexandrinæ præscribat, ipsos etiam decere ceu reliquos cives ad muniendam hanc urbem ex bonis Ecclesiæ donativi loco aliquid conferre, quod Pontifex per Cardinalem Comensem libenter præstitit. [*]

[*] Mantissa document. N. 63.

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28 epist. 23.

Episcopo Alexandrinæ.

« Multum Reverende Domine tamquam frater. Sanctissimus Dominus Noster cognitis iis, quæ tibi denuntiata fuisse scripsisti de fossa istius Civitatis perpurganda et altius eruenda, atque impensæ parte a clero petita, censuit, quoniam ipsius Civitatis munitio ac defensio non minus ad Ecclesias et clerum, quam ad cæteros cives, et eorum bona conservanda pertineat, nullam vos justam recusandi causam habere, quominus quod æquum fuerit in eam rem contribuatis. Ad alteras autem literas, quas ad me ejusdem rei causa proprie dedisti, nihil aliud rescribere necesse est, nisi me in tuis atque Ecclesiæ tuæ rebus quidquid potero libentissime semper præstiturum. Bene valeat D.T. Rever., cui me ex animo commendo, ac Deum precor propitium. Romæ die III. Januarii 1573.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

CVIII. — Hoc eodem anno discordiarum civilium faces Genuæ inter Reipublicæ Magistratus agitari cœptæ. Omnes norunt magistratus hosce maxima ex parte eligi consuevisse ex illarum gentium hominibus, quæ longa avorum serie cohonestarentur, veterem nobilitatem appellabant: at urgentibus temporum conditionibus inter Patricias familias novi homines et divitiis magis, quam avorum imaginibus adlecti fuerant, junioris no-

bilitatis nomen illis fecerant. At nonnisi minoris momenti munia et dignitates hisce hominibus plerumque concedebantur, quod maximæ invidiæ et discordiarum foris erat. Gregorius veritus, ne tumultus hinc orti per totam Italiam pacem interturbarent, Januensibus componendis totus incubuit, eosque proinde suavissimis verbis ad concordiam revocabat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 90 fol. 43.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensium.

« Dilecti Filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Ex omnibus causis, quæ multæ, et graves accidere possunt ad Rerumpublicarum vel salutem, vel perniciem, constat, nullam posse reperiri ipsorum inter se civium charitate, et concordia ad fœlicitatem, contra item ad exitium odiis, ac dissidiis expeditiorem et certiorem, contrariaque et paria esse utraque in causa ad suum cujusque finem momenta. Ut enim concordia est animorum tranquillitas, amoris nexus, rerum omnium publicarum privatarumque jucunditas et vita; Deo denique adeo grata, ut velit Deus pacis appellari, polliceaturque iis, qui eam colunt, benedictionem, et vitam usque in sæculum: sic perspicuum est, discordiam omnia labefactare, atque evertere, cives a civibus, homines a Deo, animum a ratione, mentem a consilio abalienare, aditum obstruere saluti, aperire exitio. Hæc vos pro vestra sapientia, et multo plurimarum, maximarumque rerum usu præclare intelligere non dubitamus; illud etiam tenere, unam esse optimam retinendæ civium inter se charitatis et concordiæ rationem, si mores ii, qui ad statum Reipublicæ pertinent, quibusque tot annos summa vestra cum laude stetistis, minime immutentur. Habent enim hujusmodi in Republica mutationes, ut incertam eventorum utilitatem, sic certam, præsentemque seditionem, quæ sine maximo rei ipsius publicæ malo accidere non potest. Vestræ autem, ac civium ipsorum sapientiæ est, considerare, num e Republica sit, incertum aliquid tentare certa præsentique cum pernicie, ac sic cogitare, vehementer falli eos, qui putant, una cum ordinum, nominumque in Republica diversitate, animorum quoque contentiones, et dissidia conjuncta esse oportere; cum contra ea diversitas sit quædam, quasi multorum membrorum uno in corpore, locis, nominibus, muneribus differentium ad totius corporis suamque cujusque membri salutem necessaria copulatio. Eo autem facilius erit ea, de quibus magno cum dolore accepimus, discordiarum semina amovere, quo minore cum labore principiis obsistitur, quoque leviora videntur esse ea, de quibus hoc tempore dissidetur; quæ si latius serpserint, inveteraverintque, quid aliud expectandum erit, nisi id, quod intestinarum discordiarum ac seditionum omnium proprium est, ne a parvis rebus ortæ ad summas maximarum rerum contentiones perveniant ingenti cum pernicie? Observatum enim est a viris sapientibus, memoriæque proditum, maximas seditiones, atque exitiosas Rerumpublicarum mutationes a parvis sæpe initiis profectas esse, quem exitum avertat a vobis Deus, quique auctor est concordiæ et pacis, dissipet, perdatque consilia Sathanæ, cujus superbia ut illum in eo, in quo erat, gradu consistere non est passa, dejecitque in miserias sempiternas, sic quotidie conatur novarum rerum, atque honorum cupiditate animis incendendis homines a tranquillitate, atque a salute abducere; novit enim hostis callidissimus, quantus ad omnes virtutes profectus sit in christiana humilitate, charitate, concordia; ejus conatus, Divina primum ope imploranda, tum virtute, et consilio adhibendo frangendus est ab iis, qui se tentari sentiunt, ac sic cogitandum, quicquid novi quæritur, id vel grave, vel leve videri necesse esse, quo gravius videbitur, eo minus tentandum esse; quo levius, postquam non sine offensione et contentione accipitur, eo abstinere facilius esse; quamquam ut sapientibus placet, in discordiarum seminibus nihil debet leve aut parvum judicari. Hæc Nos scribere coegit tum nostrum hoc universarum Christi ovium Pastoris munus, tum singularis nostra erga vos, vestramque Rempublicam benevolentia a vestris meritis, perpetuaque erga hanc S. Sedem obedientia profecta. Gravissime vero angimur, vestras res, hoc est optimam Christianæ Reipublicæ partem magno in discrimine versari, majore, quam forte arbitrantur ii, qui istas contentiones nihil verentur, aut certe leviores ducunt, res vero christianas eo miseriarum pervenire, ut uno tempore et externis malis, et domesticis atque intestinis afflictentur, sine summo dolore cogitare non possumus. Quod reliquum est, Deum orabimus, ut meliorem mentem immittat iis, quorum forte aliqua culpa est, vosque universos et sibi ipsi, et inter vos jungat ea charitate, quæ non æmulatur, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Januenses gratissimo animo peramantis Pontificis officia exceperunt. [*]

[*] Genua Vol. I. f. 68.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Tanto certe gaudio, tantaque lætitia perfusi sumus ex litteris Sanctitatis Vestræ, quæ ad nos datæ sunt nono calendas Augusti, ut ne minimam ejus partem vel lingua exprimere vel scripto comprehendere queamus: quandoquidem ex his abunde perspeximus, quam immensa sit Dei optimi maximi erga nos benignitas, et quam fragrans Sanctitatis Vestræ amor et dilectio; ita ut difficillimum sit, et mortalium vires pene superet, mentis nostræ hilaritatem, animique conso-

lationem verbis explicare, nedum gratiam referre. Si enim clementiam illius consideramus, qua obsecro oratione, quo verborum ornatu, qua facundia miserationem divinam complectemur? Si vero benevolentiam Sanctitatis Vestræ, quis non videt pastorem evangelicum vere summum pastorem illum referentem, qui animam suam dedit pro ovibus suis? cujus quidem si verba intelligimus, quæ nihil spirant, nihil sapiunt, nihil denique redolent, nisi christianam pietatem, et ardens tranquillitatis nostræ desiderium, quis nostrum erit, qui pacem concordiamque ea solum ratione toto non amplectatur animo? quamquam nullus est in universa civitate nostra, qui vitam, sanguinem et si quæ sunt his cariora civili concordiæ posthabiturus non sit. Quare nihil omnino est, quod Sanctitati Vestræ vel molestiam vel timorem afferre debeat, quamvis præteritis in Comitiis Senatoriis creatio Gubernatorum aliquantis persit protracta, qua in re nulla Reipublicæ perturbatio fuit omnibus nobis ad unam libertatis conservationem summo studio omnique conatu contendentibus; si qui vero animorum motus affuere, illos adeo pacatos extinctosque fuisse speramus paternis exhortationibus, monitis, præceptis et consiliis Sanctitatis Vestræ, ut (quod a majoribus accepimus) persuasum habeamus Rempublicam nostram Ecclesiæ Dei adeo conjunctam esse, ut cum ea fluctibus quidem versari posse sciamus, ac submergi nullo pacto posse. Hæc tamen ita se habitura, et omnia ex animi nostri sententia successura credimus, si Sanctitas Vestra pias ad Deum pro nobis preces effundat, si caritate sua nos tueatur, si sepius exhortetur, moneat, nobisque consulat, quod facit; quamobrem ingentes gratias et habemus et agimus; nam longiori oratione nos uti non patitur benevolentia et humanitas erga nos S. V., cujus pedes pie deosculamur absentes, quod coram Illmus Cardinalis Justinianus nostro nomine faciet. Genua pridie Cal. Augusti MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obseqmi et obmi filii et servi

DUX ET GUBERNATORES REIPUBLICÆ GENUENSIS.

THOMAS DE PROMOTORIO vidit.

ANTONIUS.

Quibus deinde ob pacis studia, quæ ostenderant, Pontifex gratulatus est. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II epist. 110 fol. 37.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensium.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Vestram inter vos conjunctionem, atque ordinum concordiam, quam summopere cupiebamus, ex vestris literis cognovimus, ex eisdem etiam vestram erga Nos, atque hanc Sanctam Sedem observantiam recognovimus, simul etiam intelleximus, nostram paternam erga vos charitatem vobis perspectam esse; quæ et per se singula, et universa summam Nobis voluptatem attulerunt, quam etiam his nostris literis vobis significare voluimus. Ut autem in eadem concordia, et voluntate persistatis, quantum possumus, hortamur tum vestra, tum universæ etiam Christianæ Reipublicæ causa. Si qua in re intelligetis, nostram auctoritatem, atque operam vobis utilitati esse posse, facite Nos certiores, nunquam enim vestris rebus, nostraeque erga istam Rempublicam charitati deerimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die III. Septembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

CIX. — Excelluit præprimis Januensium pietas in conservandis et amplificandis xenodochiis, majorum suorum pietate conditis; quo in negotio sæpe Pontificis operam implorare necessum fuit. Ita ei commendant res xenodochii Sarzanensis. (*)

(*) Genua Vol. I. f. 90.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« In nostra Sarzanensi civitate amplius abhinc quadrigentis annis a civibus ipsis xenodochium sub Divi Lazari titulo conditum, redditibusque dicatum fuit, ut qui lepra laborarent, in eo reciperentur, redditus vero ipsi pro civitatis qualitate hactenus ædificationibus ac instaurationibus, ornaturque sacrarum ædium puellarumque dotationibus: nedum ipsis leprosis satis fuerunt, quod postquam ex longa annorum serie perspectum, cognitumque fuit a Paulo II. Pontifice Maximo, anno nono supra millesimum et quadrigentesimum Ecclesiæ Sarzanensi fuit perpetuo unitum atque conjunctum, ne videlicet opus ad modum pium, Deoque acceptum quispiam perverteret. Hujus vero xenodochii curatores ea diligentia, virtute et integritate redditus ipsos dispensavere, ut merito laudari debeant. Nunc vero Sanctissime et Beatissime Pater, Simon Centurionus sub specie hospitalitatis Sancti Lazari xenodochium ipsum, ut fertur, a Serenissimo Sabaudiæ Duce, ejus religionis Magno Magistro impetravit, seu impetrare tentat, quod quidem si fieret, vel maximam perturbationem et civitati et civibus afferret, ipsi vero ubi id eis innotuit ut sunt pii, piorumque operum protectores, haud facile dici potest, quantum mœroris contraxerint, æquo enim animo ferre non possunt, ut cultus religionis, ipsique Christi pauperes iis redditibus spolientur, quibus eorum majores pie sancteque eos largiti sunt, et quod ea pecunia, quæ jam inde tot annis puellas tenuiores ab impudicitia, pauperes ab inedia, sacras vero ædes ipsas ab interitu vindicavit, unius cupiditati serviat. His igitur rationibus adducti non vereremur, ne Sanctitas tua, qui cœlitus omnibus Christi fidelibus in pastorem merito datus es, hujus Simonis conatibus obviam eas, nihil enim Deo, cujus vicem geris in terris, gratius

acceptiusque facere potes; jam vero nos non tantum id a tua summa pietate contendimus, verum etiam, ut unionem et conjunctionem prædictam perpetuo confirmes, protegas et defendas. Hac enim de ea Joseph Mascardus ejusdem civitatis nomine sanctissimos pedes tuos adibit, remque ab eo planius intelliges. Beatitudini igitur tuæ supplices eum diligenter commendamus. Commoda enim ejus civitatis et civium, quippe nobis omni tempore fideles et tamquam propugnaculum ditionis nostræ non secus ac nostra libenter amplectimur, a benignitate enim tua cum Reipublicæ nostræ amantissimus semper fueris omnia expectamus. Præterea oratores nostri diebus superioribus istinc redeuntes de tua erga nos et Rempublicam nostram dilectione, summo nostro gaudio nos maxime confirmarunt, nec omnino indigni sumus, quos foveas etenim devotionem et obedientiam Sanctitati tuæ et huic Sanctissimæ Sedi, ut qui maxime profitemur, semperque professi sumus. Quod reliquum est sanctissimos pedes tuos deosculantes, divinam Majestatem assidue comprecamur, ut eam Christianæ Reipublicæ felicem diu servet atque incolumem. Genuæ IIII. Februarii 1573.

Sanctitatis Tuæ

Obsequentissimi et obedientissimi

Filii et Servi

Dux et Gubernatores Reipublicæ Genuensis.

Xenodochium quoque Januense, quod sacri equites Sanctorum Martyrum Mauritii et Lazari sui juris esse affirmabant, a Pontifice civitati suæ in posterum adseri vindicarique postulabant. [*]

[*] Genua Vol. I, f. 39.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Vix commendationis causæ xenodochii divi Lazari Civitatis Sarzanæ a Serenissimo Sabaudiæ Duce ejusdem Religionis Magno Magistro Simoni Centurioni collati apud Sanctitatem tuam finem fecimus, quod pro hujusmodi xenodochii civitatis nostræ tutela illud idem facere cogimur. Accepimus enim hoc nostrum ab eodem Simone seu ab aliis eodem modo etiam impetratum fuisse, et si tunc justo charitatis ardore adducti in nostrorum subditorum gratiam ea de causa apud Beatitudinem tuam intercedere optime factum judicavimus, hoc idem facere pro nobis ipsis nunc quidem desinere non debemus, quinimmo omni cordis affectu pro hujus nostri xenodochii protectione supplices Sanctitatem Tuam summopere deprecamur; nam id etiam pluribus ab hinc annis erectum fuit, pauperumque ipsorum miserabilium lepræ morbo laborantium subventioni dicatum, multis præterea gratiis, amplissimo Sedis Apostolicæ privilegio donatum. Impenditur itidem in ejus administratione atque adhibetur illa summa diligentia, quam operis pondus tamque pii Deoque accepti exigit. Nunc autem licet hujus rei novitas tam anxios nos reddiderit, quam charitas ipsa horumque pauperum miseria nos suadet, Sanctitasque tua perspicere potest, videntes nos Simonem ipsum adeo cupiditati deditum, ot pauperes Christi suis alimentis, nostrorumque civium suffragiis spoliare studeat. Sed si hujus perturbationis eventus evitari non debeat, consolamur attamen id evenisse hoc felicissimo tui Pontificatus tempore, tum quia nos nostramque Rempublicam tibi plurimum gratos acceptosque cognoscimus, tum etiam quia minime dubitandum est, quin opus adeo Christianis fructibus profluens, Christique pauperibus tam utile ab ejus rectissimo justissimoque Vicario non modu protegatur, verum et amplictur quidem. Modo superest, ut ab Illustrissimo et Reverendissimo Cardinale Justiniano rem diffusius intelligat. Sanctitatem tuam propterea humillime et enixe rogamus, ut præstita eidem fide, quam nobis ipsis haberet, si præsentes et genuflexi tuam Beatitudinem alloqueremur, preces nostras, ut speramus, exaudiat, cui post sanctorum pedum osculum nos nostramque Rempublicam plurimum atque plurimum commendamus, Deum optimum maximum ad Christianorum levamen pro Sanctitatis Tuæ incolumitate assidue orantes. Genuæ XIII. Februarii MDLXXIII.

Sanctitatis Tuæ

Obsequentissimi et obedientissimi

Filii et Servi

Dux et Gubernatores Reipublicæ Genuensis.

Vidit Aug. de Franciscis.

Ubertus Secretarius.

CX. — Collybistarum cæteræque omnes negotiationes ne cujusquam juribus afficerent, aut alicujus animum noxa illigarent, Genuenses missis legatis ex Theologorum suorum numero, quid ea in re agendum esset, Pontificem optimo concilio suscepto consulerunt. [*]

[*] Genua Vol. I, f. 66.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Post illa, quæ nomine nostro R. Joannes Baptista Lomelinus tecum tractavit de collybistis et pecuniaria negotiatione, quam solemus appellare cambia, deque in his sanctissimi Pii Quinti Pontificis Maximi sanctione; et postquam Illmi Cardinales ad id electi rem omnem intellexerunt, et ejus statum ad te retulerunt, reliquum erat, ut mitterentur Theologi, qui auctoritatem a te reciperent, mandataque audirent, quæ voluisses illis dare. Quamobrem Rmus noster Archiepiscopus Nicolaum Patatem Dominicanum et Mauritium Borrasinum Augustinianum et Joannem Baptistam Augustum Franciscanum delegit, qui ad sanctissimos pedes tuos easdem ob causas mittantur, quosque ad te propterea venientes, ut benigne audias, exaudiasque, te iterum atque iterum rogamus, et quemadmodum ab initio rem summa cum charitate erga nos amplexus es, ita ut eam finias pro tua benignitate et clementia postulamus, qua de re ipsi uberius nostro nomine verba facient, cum venerabundi beatos pedes

tuos deosculabuntur, quod interim nos quoque facimus. Genuæ pridie Cal. Majas MDLXXIII.

Sanctitatis Tuæ

Obseq. et obedient. filii atque servi

DUX ET GUBERNATORES REIPUBLICÆ GENUENSIS.

AMBROSIUS DORIA Vidit.

ANTONIUS.

Gregorius eorum Legatos vivæ vocis oraculo, ut ajunt, de recta pecuniarum tractandarum ratione edocuit, pietatemque Januensium, qui hosce miserant, merito extollit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Lib III. fol. 37.

Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii nobiles viri salutem etc. Theologus eos, quos Venerabilis frater Archiepiscopus Genuensis ad nos mittendos duxit, quibusque ipsi literas ad nos dedistis, libenter audivimus, quæ nos consulere voluerunt, consideravimus; nostram ipsis sententiam exposuimus, eandem his literis iterare non necessarium est, præsertim cum eam facile ab ipsis accipere possitis. Fuerunt autem Nobis vestræ literæ gratissimæ, quia in eis perpetuam vestram erga nos atque hanc Sanctam Sedem pietatem recognovimus; cui quidem paternam quam debemus voluntatem, et caritatem retribuimus; vobisque lata omnia et prospera optamus et precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die 26. Maji 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

CXI. — Carolus sanctus Mediolanensium Archipræsul ad diem v. Id. April. comitia Patrum Episcoporum provincialia tertio Mediolanum indixerat, in quibus saluberrimas leges regimini Ecclesiæ et restaurandæ ejusdem disciplinæ condidit. Ut sanctimoniales fœminæ ad meliorem vivendi formam reducerentur, ei imprimis cordi erat, quo in negotio Gregorius ei omnem, qua egeret, potestatem concesserat. (*)

(*) Labbé: collect. Concilior. tom. 15. p. 380.

Rerum sacrarum ignoratione, et ausu temerario adductus, Aloysius Requesens, qui pro Rege Catholico Mediolano imperabat, obstitit, quominus Romani Pontificis literæ in forma Brevis, quas ad litem dirimendam in causa monasterii S. Michaelis Carolo Romæ dederat, Gregorius ideo cum eo graviter conqueritur, sacris interdictum se declarat, atque imperat, ut quæ hoc in negotio contra Ecclesiæ leges egerat, quam primum rescinderet et emendaret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II epist. 81 fol. 38.

Dilecto Filio Nobili Viro Aloysio Requesens Gubernatori Mediolani.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem, et ad Ecclesiæ communionem reditum. Quo magis perspectam habebamus prudentiam, et pietatem tuam, summamque erga Romanum Pontificem, atque hanc S. Sedem reverentiam, et obedientiam, eo gravius dolemus, Nobilitatem Tuam his aliena commisisse, deque ea sententia, in qua semper hactenus magna sua cum laude, et bonorum omnium lætitia permanserat, decessisse; dolemus, inquam et tuam, et nostram vicem, quia quidquid tibi laudis, et gloriæ decedit, in eo non mediocrem Nos ipsos pro nostra in te benevolentia jacturam facere existimamus. Accepimus jussisse te Capitaneo justitiæ Mediolani, ut interdiceret Francisco Rostæ Mediolanensi, ne in posterum sine tua speciali licentia uteretur Brevi Apostolico in causa contra eum mota per Moniales Sancti Michaelis Burgi Galerati, idque Capitaneum sic interdixisse. In quo erat prudentiæ tuæ considerare, num tibi liceret Brevis Apostolici usum impedire, ac sic existimare, si quid minus rectum æquumque a Nobis per dolum, vel mendacium postulantis impetratum esset, Nos ipsos moderatores esse debere, atque id facere paratissimos esse, neque quidquam Nos velle, quod minus rectum justumque sit; nostri vero Brevis usum impedire te nulla ratione posse, præsertim in ea causa, quæ apud Judicem Ecclesiasticum diu acta esset; in qua idem Judex sententiam pronuntiasset, et reus causam appellationis a Nobis alteri Judici Ecclesiastico committi impetrasset, et secunda instantia in rem judicatam transiisset. Pietatis vero, ac religionis tuæ fuit vereri censuras ecclesiasticas, quæ et in sanctorum Patrum decretis, et in Bulla ea, quæ legitur in die Cœnæ Domini, latæ sunt adversus eos, qui literarum Apostolicarum usum atque executionem impediunt, quas censuras Nobilitas tua ignorare nullo modo nec potuit, nec debuit; sunt enim omnibus notissimæ, et propter pœnam omnium in Ecclesia gravissimam pertimescendæ, in quas te hoc facto incurrisse his literis monemus. Et quamquam dilectus filius noster Cardinalis Borromeus potuisset hujusmodi censuras declarare, tamen gratissimum Nobis fuit, quod Nos prius certiores faciendos censuit; neque enim dubitamus, quin multo levior Nobilitati tuæ futura sit nostra hæc paterna monitio, quam ipsius Cardinalis declaratio. Et quidem quod attinet ad Capitaneum ipsum, qui tuo jussu interdixit, scripsimus ad Cardinalem, ut in eum statuat ea, quæ jus postulare intelliget. Tibi vero his nostris literis mandamus, ut revoces præceptum id, quod Capitaneo fecisti, curesque, ut ipse etiam id revocet, quod fecit, et utriusque revocationis fidem autenticam ad Nos mittas. Illud etiam consulimus, ut cures, te ab iis, in quas incidisti, censuris absolvi, ac sic existimes, has literas a paterna nostra in te charitate profectas esse, atque ab ea cura, qua Nos pro nostro munere ecclesiasticam jurisdictionem tueri oportet; quæ cura facit, ut neque hoc, neque quidquam aliud, in quo eam lædi videamus, dissimulare possimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XI. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Aloysius, facti mox pœnitens, Pontificem sup-

plex adiit, ut eum Ecclesiæ, in quas inciderat, pœnis solveret, qui ejus precibus extemplo per Cardinalem ab Ecclesia nuncupatum obtemperavit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 100. fol. 88.

Dilecto Filio Nostro Cardinali ab Ecclesia uuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Decretum illud Aloysii Requesens istius Civitatis Mediolani, ejusque ditionis Gubernatoris, quo decreto Apostolicæ Sedis auctoritas lædebatur, quodque tibi notum esse non dubitamus, semper interpretati sumus, fuisse a quodam potius errore profectum, quam a certa cogitatione ei auctoritati obsistendi; sciebamus enim Aloysium semper fuisse hujus Sanctæ Sedis observantissimum, eique obtemperandi studiosissimum, quo etiam magis dolebamus, illum in tam graves censuras incidisse. Itaque monuimus eum paterne, ut cogitaret, quid egisset, quo in statu esset, decretumque illud rescinderet, seque absolvi curaret. Quo autem vehementius ejus vicem dolebamus, eo nunc majore cum gaudio ipsius pietatem amplectimur. Supplicavit Nobis per dilectum filium Joannem Zunigam fratrem suum, charissimique in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici oratorem, ut eum a dictis censuris absolveremus. Non potuimus remedium negare ei malo, in quod illum incidisse molestissime ferebamus. Tribuimus itaque tibi his litteris omnem auctoritatem et potestatem Aloysium id humiliter postulantem absolvendi, imposita pœnitentia salutari; modo prius ipse suum illud decretum et præceptum revocaverit, atque ex libris, in quibus forte scriptum est, deleri fecerit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Augusti 1573. Pontificatus Nostri anno secundo.

CXII. — Rarum et prorsus illustre pietatis exemplum præbuit Joanna Francisci Principis Etruriæ conjux, filia Ferdinandi I. Cæsaris, quæ Lauretum se contulit ad visendam almam B. Mariæ Virginis domum. Pontifex omni amicitiæ et amoris officio Principem istam prosequebatur, eique Paulum Odescalcum Episcopum Pennensem obviam misit, ut ei in itinere per ditiones pontificias comes esset. En Gregorii ad eandem litteras. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. lib. III. fol. 109.

Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri Joannæ Principissæ Hetruriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecta in Christo filia etc. salutem etc. Cum primum ex literis Nobilitatis tuæ cognovimus velle te proficisci ad visendam sanctissimam illam gloriosissimæ Virginis Domum, in qua Christus nostra redemptio ex Sanctissimo Spiritu concipi ex eadem Virgine carnem nostram suscipere voluit, decrevimus tuam Nobilitatem invitare, ut velles hospitio accipi in iis civitatibus Status Ecclesiastici, per quas tibi transeundum esset, id quod et his literis facimus, et dilectum filium Baptistam Magnanum cubicularium nostrum mittimus, qui te visitet, tibique has nostras literas reddat, teque nostris verbis invitet, ut hoc quod libentissime offerimus accipere velis; jubebimus enim te accipi honorificentissime, ut scilicet tuam summam nobilitatem et dignitatem decet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XVI. Aprilis 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Liceat hic referre quæ Horatius Tursellinus e Societate Jesu de Joannæ peregrinatione Lauretana narrat. (*)

(*) Apud Alex. Martorelli nella Storia della S. Casa Nazarena — Roma 1732 fol. tom. 1 pag. 161.

« Inter initia Pontificatus Gregorii XIII. Joanna Austriaca Ferdinandi Cæsaris filia, eademque Francisci Magni Hetruriæ Ducis uxor Lauretum petiit, diuturnam Virginis visendæ sitim explere cupiens. Ergo Pontificis jussu, tota Pontificia ditione, regio cultu excepta a Paulo Odescalco Atriense et Pennensi Episcopo, qui ad id ipsum ab Urbe destinatus fuerat a Pontifice Max. ad optatissimam Virginis Ædem deducitur. Cæterum pia mulier sub Recineti mœnibus, Lauretana Æde procul conspecta, confestim vehiculo desilit, ac submissis genibus Deiparam eminxe salutat. Inde reliquum iter confecit pedibus, universo comitatu Dominæ exemplum sequente. Lauretum intravit in veste candida, tenuique, ex qua candor mentis ejus eximius pelluceret. Inde etiam modestia ejusdem exstitit singularis. Namque a duobus Episcopis in sacrosanctam Virginis introducta domum, contemptis pulvinaribus, ac tapetis, super nudo pavimento procumbit in genua: cœli Regem, Reginamque illius domus olim habitatores, nunc præsides impense colit: manantibusque lacrymis veniam sibi ac viro suo: ad hæc concors conjugium virilemque insuper stirpem precibus exposcit. Solemnibus exinde expiata mysteriis, insequentem noctem totam supplex ante Beatam Virginem, impensius iteratis absumptis precibus. Idem duobus consecutis diebus totidemque noctibus factitavit: tantum illi virium incensa pietas suggerebat. Discedens porro duo corda aurea aureis catellis ante B. Mariæ ora suspendit: sive ut monumento forent, illam sibi viroque suo esse cordi, sive ut Virgo author concordiæ talem conjugis sui animum præstaret sibi, qualem suum erga illum sciret esse. Neque his contenta donis, ita discessit, ut fixum haberet, Lauretanam Virginem aliquo dono colere quotannis. Idque quam diu vita suppeditavit, impensius etiam fecit, quam statuit. Argentea Christi crucifixi effigies præclara, cum ingenti cruce ex ebeno, candelabra quatuor sesquicubitalia ex argento perbene facta, solemnes Episcopi sacerdotis, ministrorum, aræque vestes ex auro argentoque bifariam crispante contextæ, et Phrygio insuper opere insignes: amictus quoque

aureus Beatæ Virginis mirabili arte conspicuus, alia porro aræ toralia, et sacrorum calicum vela opere Phrygio, gemmis, auro argentoque distincta, Joannæ Austriacæ sunt munera. Nec in irritum piæ mulieris preces donaque cecidere. A peregrinatione Lauretana, ex conjuge stirps ei virilis fuit, maternæ pietatis effigies in spem paternæ, ac pene regiæ ditionis genita, quæ matri aliquandiu superstes popularium suorum animos ad spem haud dubiæ felicitatis erexerat. Cæterum subinde mater extincta, et arcano Dei consilio matrem impubis filius secutus Hetruriam implevit moerore luctuque. At Joanna Austriaca non solum facto rem Lauretanam ornavit, sed etiam exemplo. Haud ita multo post Margarita Austriaca (ut in eadem familia non magis virtutis ex viris quam ex mulieribus pietatis exempla peterentur) Caroli V. Imp. filia, eademque Octavii Farnesii Parmensis Ducis uxor, Lauretanam Virginem adiit cum egregia nobilissimorum Procerum manu. Ibi confessionis Eucharistiæque mysteriis rite perceptis, totum triduum divinis in templo officiis semper interfuit; in augustissimo sacello haud diutius, quam enixius Deo ac Dei matri supplicavit, ingentique auri vi in arcam conjecta, B. Virginem se dignis muneribus coluit. »

Difficile dictu est, quanta animi lætitia et Franciscus et Joanna hanc Pontificis benevolentiam ac liberalitatem salutaverant. Effusis lacrimis et amplissimis verbis et litteris amoris et pietatis plenissimis eidem pro tantis in se collatis beneficiis gratias egerunt. (*) Franciscus insuper Pontificem orat, ut sibi apud regem Catholicum æque atque apud Cæsarem faveat, et sua commendatione efficiat, ut ab illis Magni Ducis appellatione decoretur, quod summum suæ gentis decus futurum esse confidat. (*)

(*) Mantissa document. N. 67.

(*) Mantissa document. N. 68.

CXIII. Gregorius, ut hoc quoque anno continuaretur sacrum sociale bellum contra Turcas, majori qua potuerat alacritate nitebatur, missis ad reges Lusitaniæ et Hispaniæ Nuntiis Apostolicis. En quas scripsit litteras ad Lusitanorum et Algarbiorum Principem. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. lib. III. f. 7.

Carissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster salutem etc. Hæ ad Majestatem tuam literæ exprimunt easdem illas causas, quas superiores quoque literæ expresserunt, nostrum scilicet perpetuum de Catholicæ Ecclesiæ gloria desiderium, et literæ Majestatis tuæ, quibus tum sanctæ memoriæ Pio Quinto, tum nobis confirmas te omnibus tuis opibus communem causam, quæ suscepto hoc adversus Turcas bello maxime continetur amplexurum. Quibus literis et a nobis lectis et in nostro de rebus fœderis consilio nostro jussu recitatis nihil habuimus certius hac tua accessione, dupliciterque lætati sumus, et communi Christianæ Reipublicæ bono, quo nihil potest nobis magis cordi esse, et tua etiam ipsius laude privata, ad quam hujus tam gloriosi incepti societas maximum esset cumulum allatura. Perspicuum enim omnibus est, quantum valeat istius nationis in bellando consilium, virtus, experientia. Et quamquam non dubitamus, quin si hactenus licuisset nihil moræ interposuisses, quominus et tuo et nostro, et catholicorum omnium desiderio satisfaceres, neque veremur, quin hoc anno id paritura sit pietas tua, quod jamdiu parturit, tamen quia cupiditati celeritas ipsa tarda est, facere non possumus, quin Majestatem tuam hortemur et rogemus per eum, a quo tanta potentia, et quod præstantius est tanta virtute donatus es, ut primo quoque tempore mittas classem quam potes maximam, quamque potes militibus, armis atque omnibus rebus instructissimam, quam primum enim per tempestatem licebit in hostem contendemus, et si facultas dabitur manus conseremus, optima nimirum spe ejus victoriæ quam suæ ipsius causæ solet largiri, quamque primo conflictu superioribus annis largitus est Deus, cujus gloriæ ut particeps esse velis, iterum atque iterum rogamus Majestatem tuam pro tua, proque Christi gloria, pro qua nihil ducis tuam. Quo cum hoste res sit, vides quam poterit quam Christiano nomini infenso, quam dum latere potest fraudibus cooperto, cum deprehensus est aperto et violento. Quid adversum te de rebus machinatus sit, quid tentaverit, et tu optime nosti, et nos ab oratore tuo Joanne Tello Menesio dum hic erat accepimus? Insignis pietas tua, summa rei ipsius perspicuitas, summa item Christianæ Ecclesiæ necessitas, quæque nunc tribuitur Majestati tuæ immortalis apud Deum atque homines gloriæ adipiscendæ facultas, hæc nullum cohortationi relinquunt locum. Siquid præterea opus erit, fusius aget cum Majestate tua Venerabilis frater Archiepiscopus Lanciani, quem cum ad Carissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum misissemus, voluimus ad te venire. Ejus verbis eandem quam nostris fidem ut adhibeas rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die vi. Januarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Eadem perscribit Cardinali Infanti regis patruo. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. lib. III. f. 8.

Dilecto Filio Henrico Titulo Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Infanti Portugalliæ nuncupato Nostro et Sedis Apostolicæ de Latere Legato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster, salutem etc. Quantum spei nobis repositum sit in pietate tua, ex aliis nostris literis intelligere potuisti, quibus rogabamus, ut ad optimam Regis de communi Ecclesiæ Chri-

stianæ causa adversus immanissimum barbarum suscipienda et suis opibus juvanda voluntatem, quam in ejus literis perspiciebamus, tuam quoque apud eum auctoritatem adjungeres, quod quidem te fecisse, nec nisi gravissimas causas tam præclaræ voluntati moram afferre potuisse non dubitamus. Nunc et ad ipsum Regem scribimus, et quid ab eo per literas postulamus, ut tu quoque coram nostro et totius Catholicæ Ecclesiæ nomine ab eo postules rogamus, ut scilicet quantum primum classem quantam potest potentissimam, quamque militibus, armis atque omnibus rebus instructissimam mittat; seseque tantæ gloriæ socium adjungat, hocque summo beneficio Nos, universam Ecclesiam atque adeo ipsum sibi Deum devinciat; cujus etiam laudis et meriti tu in hac causa apud Regem agenda particeps eris, sed summa, ut diximus, celeritate opus est. Decrevimus enim primo quoque tempore in hostem contendere, et si facultas dabitur manus conserere; ut autem omnem spem in Deo positam habemus, sic ab ejus benignitate eum exitum speramus, quem superiore prælio experti sumus. Postulatio æquissima est, Regis ipsius voluntas optima, tua pietas insignis, Ecclesiæ necessitas summa, causa communis, gloria immortalis. Effice igitur tanta in re quantum potes, quod quidem rogamus per eundem ipsum Deum, qui te et Regem tanta virtute donavit. Longiores non sumus, reliqua enim accipies a Venerabili fratre Archiepiscopo Lanciani, quem cum ad carissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum misissemus, voluimus etiam hac de causa ad vos venire; ejus verbis, ut eandem quam nostris fidem adhibeas, rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die vi. Januarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

CXIV. — Lancianensis Archiepiscopus id negotii nomine Pontificis apud Sebastianum et Philippum II. agebat: ast uterque Princeps iniquitate temporum se excusabat, quod jam remissiores continuando hoc sacro bello incumberent. (*) Lusitanus imprimis ajebat, se classem adornare contra Turcas nequire, tum propter commota jam antea ab infidelibus in suis regnis bella, tum propter militum suorum florem in iis bellis desideratum. Aliquam attamen pecuniæ vim ex suo ærario ad triremes adornandas offerebat. En ipsius ea de re litteras ad Pontificem. (*)

(*) Mantissa document. N. 69

(*) Lusitania Vol. 5. fol. 20

Sanctissimo in Christo Patri atque Beatissimo Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici.

« Sanctissime in Christo Pater et Beatissime Domine, Sebastianus Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum Rex, citra et ultra mare in Africa, Dominus Guineæ, navigationis, expeditionis, commercii, Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, devotus humilisque Beatitudinis Vestræ filius, humillima pedum oscula beatorum. Sanctissime Pater et Beatissime Domine, binas a Beatitudine Vestra literas accepi, summæ vigilantiæ, paternæ solicitudinis, atque intimi angoris, quo Beatitudo Vestra dies noctesque cruciatur, indices. Utinam Sanctissime Pater, Beatitudinem Vestram mœrore luctuque, in quo perpetuo propter Christi Dñi Nostri sponsam versatur, ipse levare possem: nihil profecto mihi gratius, nihil jucundius posset accidere. Hoc ipsum Cardinalis patruus meus, qui Beatitudinem Vestram singulari amore ac pietate colit, summis precibus a me sæpissime contendit. Doleo, doleo Beatissime Pater, quod Beatitudinis Vestræ litteris sanctissimisque votis respondere, quemadmodum cupio, non possim, tam quia Indiæ potentissimi Reges ac totus pene Oriens cum Turcis inito fœdere, maximis comparatis copiis, summo consensu in meum Indiæ statum conjuraverint, eumque convellere, funditusque evertere viribus omnibus conati fuerint: de quibus etiamsi omnipotentis Dei beneficio gloriosas victorias reportaverim, multo tamen sanguine, multis cædibus eæ meis constiterunt, siquidem multi strenui et veterani milites desiderati, multæ arces diutina obsidione vexatæ, nonnulla oppida tormentorum vi solo æquata, corporibus animisque meorum pro muris defensa sunt, maxima præterea in his tam exitiosis bellis pecuniæ vis consumpta est; vigilandum itaque nunc est, Pater Sanctissime, si unquam aliquando, ne iidem Reges cum somma ignominia ac dedecore repulsi, majoribus contractis copiis, superbissimis Turcis instigantibus bella acrius renovent, meosque diuturnis laboribus fractos, atque a militibus et munitionibus imperatos opprimant, florentissimaque (quod Deus avertat) Christi Domini Nostri fides in Oriente extinguatur, tum propter alias causas urgentesque difficultates, quas Beatitudini Vestræ doctor Antonius Pintus coram referet copiosius. Quanto igitur, Sñe Pater, his turbulentissimis calamitosissimisque temporibus sine magno meorum regnorum periculo classem, quæ regiæ auctoritati, optatisque meis respondeat, mittere non possim, Beatitudinis Vestræ classem summumque zelum et ardorem Christianam Rempublicam defendendi pro temporum angustiis libentissime adjuvabo. Offero ex meo ærario eam pecuniæ summam, quam doctor Antonius Pintus, siquidem orator meus nondum aderit, exhibendam curabit, majorem, Pater Beatissime, daturus sicut Cardinali patruo meo retuli, si rerum misera ac dura conditio pateretur. Velim tamen animum meum paratum promptumque ad obediendum in omnibus Beatitudini Vestræ ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pluris Beatitudo Vestra quam munus ipsum faciat. Omnipotens et misericors Deus impios hæreticorum

canatus comprimat: quem deprecor, ut Beatitudinem Vestram sanctamque Romanam Ecclesiam salvam et incolumem semper conservet. Datum Eborae primo Februarii MDLXXIII.

E. Rev.

Henricus Cardinalis Infans eadem Regi excusando profert: se cum Rege egisse de classe mittenda ad juvandum sacrum fœdus: at multis habitis consultationibus tandem visum esse classem mitti non oportere, cum propter afflictas Lusitani regni res, tum propter infideles tyrannos, et sua sponte et hæreticorum externorum auxilio tumescentes et insolentes. Qua ex re maximum se cum rege dolorem percepisse, significat. [*]

[*] Lusitania Vol. 2. fol. 21.

Beatissime Pater et Sanctissime Dñe Noster.

« Redditæ mihi sunt superioribus diebus binæ S. T. litteræ, quibus jubet, instem apud Regem Dominum meum, ut classem suam hujus veris initio Ecclesiæ Christianæ auxilio mittat, et sanctum fœdus adjuvet, sicut Pio V. felicis recordantiæ prædecessori suo pollicitus fuerat, eo quod Reip. Christianæ id hoc anno interesit maximi pro felici ejus successu. Equidem Regem Dominum meum statim sum allocutus, et in eam curam totus incubui, ut de mittendo auxilio, deque augenda fœderatorum principum classe ratio quamprimum iniretur; tum quod negotium hoc tanti ponderis est, ut ipsum per se sua me gravitate excitaret. Opto enim supra quam dici potest, Turcæ immanissimi hostis potentiam funditus everti, nostrorum etiam militum auxilio, ut tantæ laudis et meriti particeps efficiatur Rex Dñus meus, qui et ipse S. T. in omnibus inservire, et omnes vires suas contra Turcam convertere, et exercere, quemadmodum in Indiæ partibus facit, summopere desiderat. Qua de re cum eo animo, quo piis et sanctis Beatitudinis Tuæ votis satisfacere peroptamus, sæpius esset consultum, visum est tandem (quod sine maximo animi mei dolore scribere non possum,) fieri nullo modo posse, ut hoc anno classis mittatur, tum propter ingentes sumptus in classem superioris anni factos, tum quia in India (ubi multa variaque bella gesta diuturnæ et graves obsidiones anno superiori fuerunt, atque magnæ in rem militarem factæ impensæ,) magna oppida, multa castella, arces, munitionesque reficiendæ sunt, quæ etiam rerum Indicarum difficultates in causa fuerunt, ut quæ naves ex Asia proxima æstate appulerunt, exigua plane emolumenta attulerint. His accedit incommodis, quod necesse est magnas copias Tingim Africæ urbem mittere, ad reprimendas Xarifli vires, cujus potentia in dies augetur, maxime favore et auxilio hæreticorum, qui eum armorum aliarumque rerum omnium copia ditiorem ac potentiorem reddunt, ut jam triremes multas comparet, quibus oportet magna classe resisteret quibus de causis Rex Dominus meus non potuit alio, quam quod S. Tuæ libentissimo animo nunc affert, auxilio sanctum fœdus adjuvare, ut ex ejus litteris et Doctore Antonio Pinto latius cognoscet. Afficior, mihi credat Beatitudo Tua velim, maxima tristitia, quod ejus optatis satisfacere non potuimus ex animi nostri sententia. Faxit omnipotens pro sua benignitate Deus, qui solet subitas interdum opes et improvisa auxilia fidelibus suis ostendere, ut nostri voti compotes, sancto fœderi Christianæque Reip. opem quam desideramus cito præstare valeamus. Ille S. T. diutissime tueatur incolumem, ejusque rectissima consilia ad suam gloriam et Ecclesiæ suæ utilitatem dirigat.

Eboræ 25. Febr. 1573.

Humillimus et devotissimus S. V.
servus et creatura
Henricus Cardinalis Infans.

CXV. — Januenses pari modo sese excusabant, quod Pontificis votis satisfacere non possent. [*]

[*] Genua Vol. 1. fol. 22.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

« Immortales tibi gratias et habemus et agimus, quod non dubites, nos nihil esse prætermissuros ad Christianam Rempublicam juvandam, quicquid illud sit, quod opportunitas nobis offerat, quemadmodum vidimus tuis ad nos litteris tertio idus Decembris, quæ natalitiis Christi nobis redditæ sunt, et licet id facias pro tua in nos summa benevolentia summoque amore, postquam ita semper omnibus in rebus de nobis meritus es, ut tibi gratiam referre ullo pacto non valeamus, idem tamen est animus et noster et majorum nostrorum, qui toties pro Christi Sedisque Apostolicæ gloria vitam sanguinemque profuderunt relictis ubique sub candido vexillo rubra servatoris Cruce signato, tot præclaræ virtutis monimentis. Hinc factum est, quod nostrates superioribus istis annis ad Christianæ Reipublicæ rem gerendam, tam alacri fuerunt studio, tamque propensa voluntate, quorum tum in nostris, tum in alienis triremibus non parvus fuit numerus, hinc quoque futurum erat, quod etiam te non rogante (quod pro tua humanitate facis) quicquid maritimarum virium in unum contrahere potuissemus, Christianæ classi adjungissemus libentissime te auspice; sed nobis non est amplius integrum hoc facere, nam Catholicus Rex et per litteras et per oratorem suum ess ante a nobis petierat triremes, quas petes. Ob quam rem summo supramodum afficimur dolore, quod voluntati tuæ satisfacere non possumus, consolamur tamen, cum pietatem Regis religionemque consideramus, certo enim credimus, eum nihil esse tentaturum, quod illo non tendat, quo cupis. Accipe igitur nostram in hac re excusationem et veram et justam, et postquam quod voluissemus, non possumus. Quid facere possimus, a te intelligere expectamus, nam nul-

la in re voluntas deerit. Interum Deum optimum maximum deprecamur, ut te diu incolumem servet, et sanctissimos pedes tuos deosculamur. Genuæ quarto nonas Januarii MDLXXIII.

Sanctitatis Tuæ

Obseqñi et observñi filii atque servi

Dux et Gubernatores Reipublicæ Genuensis.

[*] Mantissa document. N. 70.
[*] Ibidem N. 71.

Sabaudiæ Dux [*] et Etruriæ Princeps [*] se paratissimo animo profitebantur, ad classem fœderatam triremibus suis adjuvandam.

CXVI. — Gregorius interim Joannem Austriacum instanter admonet, ut quam primum Turcas aggrediatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. lib. III. f. 3.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ Totius Classis Confœderatorum Principum Christianorum contra Turcas Præfecto et Capitaneo Generali.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir salutem etc. Quid nobis nostroque de sanctissimis fœderis rebus consilio jussum sit e re Christianæ Reipublicæ maxime esse, etsi Nobilitatem tuam non latere existimamus, tamen pro nostro munere proque summo Christi atque ejus nominis gloriæ desiderio breviter perscribendum putavimus: visum est, ut universa classis quam citissime adornetur, quacunque expeditissima atque omnibus rebus instructissima sit, et primo quoque tempore progrediatur; interim vero nihil melius fieri posse, quam si cum primum per tempestatem licebit non minus centum decem triremes in hostem contendant: sic enim et illius virium collectionem impeditam iri; et fore ut commeatu multisque aliis rebus necessariis prohibeatur, ut belli calamitas a nostris finibus ad ejus regiones avertatur, ut nostris militibus animus addatur; ut contra hostibus minuatur; utque omnia eis consilia præcipiantur. Neque enim dubium est, quin si tardiores fuerimus eandem ipsis adversus nos facultatem arrepturi sint, quam nos adversus eos neglexerimus; præclare enim intelligunt eandem sibi quam nobis in celeritate facultatem atque utilitatem positam esse. Hæc quanquam Nobilitatem tuam antea accepisse et pro sua prudentia vera judicare, et pro pietate maxime cupere, nec quidquam moræ interponi velle existimamus; tamen pro nostro illo,quod diximus, desiderio et munere Nobilitati tuæ scribere voluimus. Ac siquis tanta in re, tam perspicua, tam necessaria relinquitur locus cohortandi virum summa virtute et gloria, ad summas res ratum, summis prudentiæ et pietatis præsidiis præditum, summo catholicorum Principum consensu tantæ rei tanta cum potentia præfectum ac dignum judicatum,cui Christianæ Reipublicæ summa tanto in periculo committeretur, ab ipso denique Deo in prima expeditione clarissima ex omni memoria victoria ornatum, rogamus ne tantam facultatem amittas, ne tuæ ipsius laudi, ne Christi gloriæ, ne ejus Ecclesiæ necessitati desis; sed eo quod diximus optimo et salutari consilio utaris, quod quidem consilium viam aperiet et gradum faciet ad eam victoriam, quæ a Dei benignitate tua administra virtute speratur. His de rebus fusius perscribet dilectus filius Joannes de Zuniga Catholicæ Majestatis apud nos orator. Adsit virtuti tuæ Deus, sitque consiliorum tuorum auctor, actionum adjutor. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die III. Januarii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Joannem Andream ab Auria æque alloquitur, ut se statim cum triremibus suis Joanni Austriaco conjungat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. lib. III. f. 67.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Andreæ Auriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir salutem etc. Quo majorem de tua insigni pietate et rerum bellicarum peritia opinionem animo concepimus, eo majorem Christianæ Reipublicæ spem in tua virtute repositam esse judicamus. Quæ cogitatio facit, ut cum ex omnibus iis quæ ex Oriente afferuntur litteris constanter intelligamus, Turcarum tyrannum ingenti adversus Catholicam Ecclesiam apparatu et celeritate uti, necessario Nobilitatem tuam monendam hortandamque esse existimemus, ut sine ulla mora in Siciliam naviges classemque tuam ad dilecti filii Joannis Austriæ classem adjungas, ut quam primum in hostem contendatis, ejusque consiliis atque audaciæ occurratis, qua etiam de re accuratissime cum eodem Joanne egimus,illumque reperimus paratissimum solvere, cum primum classem eam, quæ est Genuæ, adjunctam habuerit, quod etiam ex ejus litteris cognosces. Vides pro tua prudentia, quantum in celeritata opportunitatis, ac rei bene gerendæ facultatis potitum sit, quantum contra in tarditate damni atque dedecoris. Fac quod tua virtute et pietate dignum est, atque hoc facto nos et universam Christianam rempublicam tibi devince, immortaliaque a Deo premia promerere: neque cunctare propterea quod non omnes forte triremes instructas habeas; sed quibus potes ad Joannem concurre. Nos non desistimus Deum orare, ut suæ causæ adsit, quod quidem illum pro sua bonitate facturum esse speramus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die 13. Martii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

CXVII. — Nuntio excepto, regem Catholicum classem satis magnam et omnibus rebus instructam parasse ad renovandum sacrum sociale bellum, Joannem Austriacum denuo cohortatur, ut primo tempore contra hostem ire contendat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. lib. III f. 75.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobis vir salutem etc. Cognovimus ex oratore Regis Catholici Nobilitatis tuæ sententiam de triremibus centum decem, quas

decretum fuerat in hostem præmitti, ab codemque oratore certiores facti sumus de tuo optimo et paratissimo animo magna cum celeritate in hostem ea parte classis, quam paratam habebis contendendi, neque aut triremes ex Hispania, aut milites ex Alemania expectandi. Probamus consilium tuum et quia prudentiæ plenum agnoscimus; et quia quæ te velle intelligimus maxime nobis cordi sunt, simulque præclaram istam tuam voluntatem laudamus, atque in hac causa tam gravi et publica, ipsius quoque Christianæ Reipublicæ nomine pietati et virtuti tuæ gratias agimus. Nos etiam omni diligentia curabimus, ut nostram classem quam instructissimam atque expeditissimam ad te statim mittamus; ea cum pervenerit nullam moram interpones, ac Deo præside et duce quamprimum licebit solves, (id enim tuo nomine idem Regius orator pollicitus est,) antequam aliquanto discedes, quam hoc anno conventum fuerat. Cura igitur, ut ad nostrarum triremium adventum omnes eas quas poteris triremes paratas habeas, quo possis quam firmissimus ac potentissimus discedere. Maxime autem cura, ut Genuenses habeas, eaque de re ad Joannem Auriam perscribe, eumque quantum potes per litteras accerse hortareque, ut ad te quamprimum veniat, quod nos item ad eum scripsimus. Sed si forte non omnes eas quas cupis triremes habere potueris, tu tamen noli cunctari in hostem contendere; cæteræ enim cum te viderint discessisse sine dubio consequentur, neque ullo acriore stimulo quam tuo discessu vigeri poterunt. Hæc pro nostro summo desiderio scribimus, cæterum te in Christi causa cupidissimum esse non dubitamus, eumque oramus, ut istam optimam mentem singularemque virtutem, quam tibi elargitus est, sua ope et gratia tueatur atque augeat, et omni felicitate remuneretur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die 13. Martii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Pompejum Lanoiam cubicularium suum secretum insuper ad eundem mittit, ut majori qua fieri possit celeritate Turcas aggredi suadet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII, lib. 3. f. 83.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ Totius Classis Confœderatorum Principum Christianorum contra Turcas Præfecto et Capitaneo Generali.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir salutem etc. Sæpius scripsimus Nobilitati tuæ quam necessarium Christianæ Reipublicæ sit et classem quam instructissimam atque expeditissimam habere, et primo quoque tempore in hostem contendere, eique quam longissime potes obviam ire, et ejus consilia præcipere, idque te facturum esse et ante etiam quam conventum fuerat discessurum Regis Catholici orator tuo nomine nobis pollicitus est, et quamquam non dubitamus te id præstare et velle et pro singulari pietate cupere, nos tamen pro nostro summo desiderio facere non possumus, quin eadem iteremus, significemusque nihil longius habere, quam dum te profectum esse audiamus. Hortationem nullam aliam adhibendam putamus præter eam, quæ apud te gravissima esse debet, summam nimirum de tua insigni virtute bonorum omnium expectationem, immortalem tuam laudem, summam rei bene gerendæ opportunitatem, ingentem Christianæ Reipublicæ utilitatem atque adeo necessitatem, et Christi Dei nostri gloriam. Hæc omnia aguntur hoc tempore, suntque in ipsa profectionis celeritate posita. Ea nos exagerare non patitur rei ipsius perspicuitas, et spectata virtus et pietas tua. Ac si quid præterea opus erit, accipies a dilecto filio Pompejo Lanoia cubiculario nostro secreto, nobisque et generis nobilitate et suis virtutibus carissimo, quem cum litteris ad te his mittimus, ejus verbis eandem quam nostris fidem adhibitis. Nos hoc, quod a te tantopere postulamus, die noctuque a Deo precari non desistemus, ejusque bonitatem assidue oramus, ut tibi atque universæ classi omnia expeditissima ac felicissima largiatur ad eam victoriam reportandam, quam non ab humana potentia aut armis, sed a summa ejus benignitate expectamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die xxvii. Martii 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

CXVIII. — At Joannes Andreas ab Auria jam in eo erat, ut vela faceret Siciliam versus, et Pontificis verbis motus classi Joannis Austriaci suam conjungeret: omnia ita in promptu erant, ut fœlicissimum rei exitum portendere liceret. At dum hæc agerentur, triste repente nuncium advenit, Venetos contra omnium expectationem bellum cum Turcis composuisse, concessaque Turcis Cypri insula et quibusdam Illyrici locis tributi nomine ad CCC. aureorum millia contulisse. Veneti omnem rei culpam in Hispanorum cunctationem removebant. [*]

[*] Mantissa document. N. 73.

Nihil quod majore dolore Pontificis mentem compleret nunciari potuit, qui proinde animi sui ægritudinem piissimo Lusitaniæ regi aperuit, cojus etiam studium in promovendo sacro bello solaminis sibi loco esse ostendebat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. lib III fol. 101.

Carissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster salutem etc. Quam multa obstiterint, quominus Majestas tua classem suam ad nos mitteret, inque ea re et nostro et suo desiderio satisfaceret, ex tuis literis atque ex dilecti filii Antonii Pinti, qui omnia accurate diligenterque exposuit, sermone cognovimus: causasque eas gravissimas ac pernecessarias judicavimus; nec minus nostra interesse existimavimus, eam classem talibus de causis istic detineri, quam ad nos venire: nostra enim res agitur, cum res Catholicæ Ecclesiæ, quæ toto orbe terrarum

una est, agitur, cumque ejus hostes arceantur, deleanturque; quod quidem te in India fecisse, atque omni conatu persequi, ex eisdem literis atque ex eodem Pinto accepimus, simul etiam cognovimus, quid pecuniarum, quam liberaliter in classem nobis obtuleris. Gratias agimus totius Catholicæ Ecclesiæ nomine, pollicemurque isti præclaræ voluntati eadem a Deo, cui voluntas pro facto est, præmia quæ ex re ipsa retulisses. Ut autem tuo beneficio uti ne liceat, facit Venetorum perfidia, ex omni hactenus memoria, maxima atque omnibus sæculis execranda. Fidem et jusjurandum fregerunt; eosque ipsos prodiderunt, quorum auxilio atque armis tecti, et a præsenti incendio et ruina erepti fuerant; malueruntque immanissimo barbaro cujus perfidiam paulo ante experti fuerunt confidere quam Christo: desertisque ejus propugnatoribus cum hoste teterrimo fœdus percusserunt, seseque ei dediderunt, eamque deditionem turpissimis conditionibus emerunt. Potuerunt illi quidem homines deripere; ipsum autem intimis cogitationibus præsentem atque omnia caventem Deum, cui jurejurando fidem suam obstrinxerant ludere, ac ridere non poterunt. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: judicabit eos Deus. Nihil humanum est, quod possit nostrum ac bonorum omnium, in quibus tuam in primis Majestatem numeramus, moerorem consolari, sola ac summa spes nobis residet in Deo, quem nostri desiderii cogitationumque nostrarum omnium testem habemus; is nos desertos esse non patietur, interponetque inter nostra crimina et suam justitiam Christi merita et sanguinem, quo ille Ecclesiam sibi ac Deo patri adjunxit. Iterum gratias agimus Majestati tuæ, tuamque optimam voluntatem atque operam paratissimam, quoniam aliud non possumus, remunerabimur assiduis orationibus; quibus tibi, tuis omnibus tuæque ditioni universæ omnia, tum in hac, tum in futura vita, ab ejus bonitate læta et prospera precabimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XII. Aprilis 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

Eadem perscribit Cardinali Lusitaniæ Infanti. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Lib. III. fol. 102

Dilecto Filio Nostro Henrico Cardinali Infanti Portugalliæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem etc. Nunquam fuit nobis obscura pietas tua, aut Regis voluntas, nec unquam dubitavimus, quin ubi opus esset, quanto maximo conatu posses, Christo ejusque Ecclesiæ adjumento esses. Apud Regem vero cujus parem ea in re desiderio nostro voluntatem esse intelligebamus, tametsi nullo conatu opus erat, tamen ad summam ejus voluntatem de classe mittenda tuam quoque auctoritatem accedere cupiebamus. Eam te operam diligentissime Christo atque ejus Ecclesiæ præstitisse, ex tuis et Regis ipsius literis, atque ex sermone Antonii Pinti perspicue cognovimus. Regis voluntas fuit optima, tua opera præstantissima, causa justissima, aliorum nostrorum et carissimi filii nostri Regis Catholici conatum eludentium perfidia hactenus inaudita. Quos homines significemus, a quibus proditi sumus, quam turpiter, quam perjure ex iis literis, quas ad ipsum Portugalliæ Regem scribimus, facile intelliges. Res est nobis ac bonis omnibus perpetuo dolenda atque execranda; eam ut sine humano dolore in animo versare non possumus: sic sæpius narrando vulnus refricare permolestum est. Dabunt perjuri pœnas Deo, atque utinam non cum magna bonorum, qui nihil commiserunt, clade. Verum hæc bonis erit ad tempus illis fœdifragis, nisi forte resipuerint, sempiterna. Regis tui pietatem tuamque apud eum operam remunerabitur Deus, quod quidem nos ab ejus bonitate assidue precabimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XII. Aprilis 1573. Pontificatus Nostri anno primo.

CXIX. — Non deerant inter Principes Catholicos, qui Venetorum factum exsecrarentur, atque Pontificis moerorem lenirent, uti Etruriæ Princeps [*] et Dux Sabaudiæ, qui veritus, ne Turcæ pace cum Venetis inita, insolentiores redditi, littora Ditionis Pontificiæ incursionibus infesta redderent, Gregorio triremes suas obtulit ad repellendos si forte Turcarum conatus. [*]

[*] Mantissa document. N. 74.

[*] Mantissa document. N. 75.

CXX. — Pace Venetorum cum Turcis condicta, et per eam sacro fœdere sociali soluto apparatus bellici a Philippo in eam rem collecti, ne perirent, quo convertenda classis esset, non diu deliberatum est; nam consultantibus Africa occurrit, rebus Hispaniarum opportuna, et de qua, jam ante initium fœderis semper Hispani cogitaverant, ut in ea Tunetanum regnum Caroli V. Cæsaris olim virtute partum, et munitione ad portus subjecti fauces extructa firmatum, in quo nuper res a Turcis novatæ fuerant, sibi iterum adsererent. Pontifex hanc quoque expeditionem triremibus suis juvit, ut ejus litteræ ad Joannem Austriacum testantur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 106. fol. 85

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ Totius Classis Regis Philippi Præfecto, et Capitaneo Generali.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Triremes Nostras, quas in ista adversus Turcas Christi, Catholicæque Ecclesiæ hostes perpetuos expeditione ad regiam Catholicæ Majestatis classem adjungi optare accepimus Nobilitatem tuam, libentissime mittimus; utque earum opera promptiore et fideliore utaris, præfecimus illis Prosperum Columnam, virum ea virtute, et experientia, quam tibi perspectum esse non dubitamus; eas vero tuæ Nobilitati ut res nostras commendatissimas fore confidimus. Et quoniam dilectus filius Marcus Antonius Co-

lumna ab animi sui nobilitate, et pietate, atque ab ea, qua Catholicæ Majestati addictus est, devotione incitatus decrevit istuc venire, suamque in bello operam privatus et Regi ipsi, et Christo navare, volumus Nobilitatem tuam ex his nostris literis intelligere, incredibilem Nos voluptatem cepisse ex hoc ejus consilio, atque animo singularis pietatis, et fidei pleno. Et quamquam non dubitamus fuisse Nobilitati tuæ ipsius Marci Antonii tum cum fœderi serviebat, spectatam virtutem, eaque de causa ejus adventum tibi jucundum accidere; tamen quia cum multum amamus, plurimique facimus, sic confirmare volumus, quam tibi illum charum esse intelligemus, tam nos quoque ipsos charos futuros existimare, quæque in eum amoris indicia dederis, ita accepturos, ut in Nos ipsos te dedisse putemus, in quo præterquam quod tua nobilitate, atque animi magnitudine dignum feceris, Nos quoque hoc nomine perpetuo obligatos habebis: ipsum enim pro sua excellenti in his Sanctæ Romanæ Ecclesiæ locis dignitate, proque multis, maximisque virtutibus summa semper in existimatione habebimus. Sed quoniam istius tam præclari incepti tempus adhuc in occulto est, oportetque illum pro suo Regni Neapolitani Conestabilis munere ad dilectum filium nostrum Cardinalem Granvelanum regni ipsius proregem adire, exque eo scire numquid forte velit Regni ipsius causa agi, in qua summa ejus curatio versatur, ne triremes nostræ Neapoli detineantur, volumus, ut Prosper cum illis quamprimum ad te perveniat, cumque ei significaveris, tempus esse, ut Marcus Antonius naviget, redeat Neapolim cum duabus triremibus ad illum accipiendum. Itaque poteris tanto ante id Prospero significare, ut possit Neapolim ire, atque ad te cum Marco Antonio reverti, antequam discedas. Hoc et quidquid præterea commodi et humanitatis a Nobilitate tua Marcus Antonius acceperit, erit Nobis ultra quam dici possit gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Expugnato, mense Octobri, per eundem Joannem Tuneto, Gregorius eidem de tam prospero successu gratulabatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 100 fol. 90

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ Totius Classis Confœderatorum Principum Catholicorum contra Turcas Præfecto, et Capitaneo Generali.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis a Tua Nobilitate literas dilectus filius Paulus Jordanus, ex cujus etiam sermone accepimus, quam fœliciter res ad Tunetum ac Bisertam gestæ sint summa cum commemoratione virtutis tuæ. Et Nos quidem optatissimi hujus exitus nuncio accepto egimus statim Deo gratias immortales, hostes nominis atque adventus tui fama perterritos profugisse; ejus Regni possessione cessisse; Bisertæ, quo sese contulerant, cæsos fuisse; eam quoque in tuam potestatem pervenisse, te universo eo regno sine ulla dimicatione potitum esse; idque illis accidisse, quod adversus hostes populi Dei precabatur Moyses, ut irrueret super eos formido et pavor. Nunc autem gratulamur Nobilitati Tuæ et victoriam illam, et incolumem reditum, speramusque Dei benignitatem tua opera alias quoque clarissimas victorias Nobis largiturum, idque precamur ad Sanctissimi nominis sui gloriam, Ecclesiæque suæ amplitudinem. Paulum vero Jordanum et sua virtute, et tuo amore, ac commendatione charissimum habemus; eique omnia summa cupimus, nostramque paternam erga eum voluntatem quibuscumque rebus poterimus, declarabimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Verumtamen providus Pontifex hac sola victoria contentus esse noluit, sed eum impellabat, ut omne Tunetarum regnum restauraret et redintegraret, eoque de negotio per Legatum suum Matritensem Philippo consilium communicavit, eum insimul deprecatus, ut Joannem Austriacum ad remunerandos ab eo tanta cum gloria, tantoque rei Christianæ commodo exantlatos labores Tunetarum regem renunciaret. Et utinam id factum fuisset. Philippus famæ suæ apud posteros, meritis apud Deum, commodis propriis et regnorum suorum, et totius christianitatis bono egregie procul dubio consuluisset.

CXXI. — Hoc eodem anno Kalendis Aprilibus Gregorius sacrum solemne Virgini Deiparæ sub titulo Rosarii quotannis celebrari jussit, die Dominica, quæ prima Octobris mensis censeretur, et eadem die sacris in ædibus, sive altaribus, quæ eodem titulo insignirentur, grates sollemnes Deo reddi, quod Nonis Octobris superioris anni præclara illa Virgine juvante de Turcia victoria esset relata. [*]

[*] Bullar. T. IV. Par. III. Constit. 17. pag. 234.

CXXII. — Ut pauca quædam de Gregorii studio in litteris et bonis artibus promovendis dicamus, commemorare sufficiat, omnium ad quos de suscipienda fontium juris Canonici emendatione scripserat, Antonium Augustinum Ilerdensium episcopum votis ejus melius et subtilius satisfecisse. En ejusdem ad Pontificem ea de re datas litteras. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 11.

SSmo D. N. PP.

Beatissime Pater.

« Cum ob concilii provincialis negotia abessem, redditæ mihi sunt S. V. litteræ, quibus me de libris ad emendationem Gratiani necessariis interpellabat, quorum indicem mittebat, et præcipue de Ilerdensi concilio, et de Isidori volumine perantiquo, quod Cæsaraugustæ esse dicebatur: huc reversus nihil antiquius habui, quam ut, quo

possem jussa B. V. explerem, omnem curam ac diligentiam meam adhiberem. Ilerda post vetus illud concilium, quod fuit Symmachi Pontificis temporibus, sexcentos annos a barbaris Saracenis occupata, nihil præter nomen antiquæ Ilerdæ retinuit, nullos veteres libros habet, nisi quos mecum attuli, aut quos postea emendos curavi. Ceteri, quos hic vidi, aut esse audivi, annos CC. non excedunt antiquitatis. Isidori Cæsaraugustæ volumen esse scio pervetus Etymologiarum, quod credunt Braulioni Cæsaraugustano Antistiti ab eodem Sanctissimo viro Isidoro missum; ejus libri permulta exempla exstant, quibus non multum juvari potest Gratiani emendatio. Conciliorum et epistolarum Pontificiarum collectio ejusdem Isidori magis hanc provinciam adjuvaret; si plura in re, quam in editis voluminibus, aut minus mendosa exstarent. Nec despero propediem me aliquid assecuturum. Ceterum ex bibliotheca mea aliquot Pontificias epistolas mitto, quæ fere omnes Isidori temporibus posteriores sunt, et ejus temporis, cujus non multa exstant monumenta litterarum. Sed tamen his existimo nonnulla Gratiani capita, quasi membra quædam loco suo avulsa, restitui posse. Ex Græcis voluminibus jus Pontificium augere possem, et ad fontem, unde permulta manarunt, revocare; sed id, quia Gratianus facere non cogitavit vitio temporum, quibus vixit; et his temporibus quibus omnis doctrina expolita est, vix adhuc juris Pontificii studiosi hunc sibi laborem addi Græcæ linguæ addiscendæ paterentur; in aliud tempus reservavi. Concilia tamen, et hæ ipsæ Pontificiæ omnium temporum epistolæ Decretales, quibus fons et origo continetur non juris solum nostri; sed et vitæ sunt, morum ac religionis Christianæ regulæ et constitutiones; ut utraque lingua quam emendatissime edantur, nunquam desinam omne studium et cogitationem meam ponere. Cui rei magnam librorum copiam conquisivi; et quod adhuc privatorum studiorum causa feci: id ut in publicam utilitatem redeat, operam dabo. Esse tamen hanc provinciam video tanto et tam erudito Pontifice dignam, qui facile posset curare non solum, ut hæc omnia diligentissime emendata edantur; sed ut nova juris Pontificii collectio fiat, quæ omnibus partibus ceteras collectiones infelici, ut ita dixerim, sæculo natas, exsuperet. Sed hæc cum commodum erit, S. V. cogitabit, et Remp. Christianam, ut solet, omni bonorum genere adjuvabit. De Gratiano, quod potero, non desinam operam admovere, et mandatis B. V. omnibus in rebus obtemperare. Cura, B. Pater, ut valeas, ut omnes possimus oves tuæ meliori nostri parte bene valere. Ilerda Idib. Aprilis MDLXXIII.

E. S. Vestræ

Humilis servus

ANTONIUS AUGUSTINUS ILERDENSIS EPISCOPUS.

Theiner Annal. Eccl. T. I.

Gregorius eundem ideo sequentibus litteris merito laudat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An II epist. 88 fol 40.

Venerabili Fratri Antonio Augustino Episcopo Ilerdensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Accepimus literas tuas, cumque iis Epistolas Pontificias, quas ex tua bibliotheca ad Nos misisti; speramus, eas magno usui futuras ad Decreti Gratiani emendationem. Recognovimus etiam ex eisdem literis longe antea Nobis spectatam diligentiam tuam, et studium inexhaustum Pontificii juris ex aliis Summorum Pontificum epistolis emendandi augendique. Qua in re pollicemur, operam tuam propter summam re ipsius tum dignitatem, tum utilitatem fore Nobis gratissimam. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XIII. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

CXXIII. — Verumtamen ingens et augusta Gregorii mens æque ac ejus summum, quo erga Ecclesiam ardebat, studium in eo præ primis elucet, quod nihil magis in optatis habuerit quam ut famosæ illæ Centuriæ ita dictæ Magdeburgenses, (ab hominibus novis doctrinis addictis in Germania conflatæ, et undequaque spirantes odium contra Ecclesiam Catholicam,) funditus, omnique ex parte, ea qua decet rerum sacrarum eruditione et scientia refellerentur. Hispania præ cæteris orbis regionibus, tum temporum magnis ingeniis, et in quacumque rerum sacrarum disciplina versatissimis abundabat. Pontifex ideo oculos in istos homines convertit, legatoque suo Matritensi in mandatis dedit, ut de hoc negotio tum cum rege, qui jam tam præclara scientiarum catholicarum commoda in curandis Biblicis Polyglottis Antverpiensibus præstiterat, tum cum ejus primo regni administro ageret. Gregorii consilium, quod jam decessori ipsius Pio V. nempe carum erat, summa cum voluptate excipiebatur. Quatuor viri scientia haud secus ac pietate clarissimi, Fontidonius scilicet, Benedictus Arias Montanus, editor Bibliorum Antuerpiensium, Villapandus, inter Salamaticenses theologos illustris, magnus ille Ilerdensium Præsul Antonius Augustinus, et Ludovicus Torres e Societate Jesu insignis, qui hoc eodem tempore Romæ commorabatur, tam arduo negotio præficiendi erant in manibus. Regis mens erat, viros istos a negotiis omnibus secretos Alcalam celebratissimam et omni litteraria supellectili munitissimam musarum et scientiarum sedem atque arcem secedere, ibique beata quiete usos monumentis pervolutatis fusisque ad Deum precibus operi partes inter se dividerent, opusque istud desideratissimum perficerent. Rex munificentissimus et sumptus alendis scriptoribus necessarios, et publicando deinde operi libentissime conferre, nec non cuique eorum, absoluta opera, munia et opulentiora

beneficia ecclesiastica decernere promiserat. [*] Pontifex quoque eadem se præstiturum edixerat. Fontidonius inter summos illos Theologos, qui Concilio Tridentino interfuere, haud postremus, operi manus jam injecisse perhibebatur, quem ideo Gregorius amplis largitionibus humanissimisque litteris per Cardinalem Comensem ad id absolvendum cohortabatur. [*]

[*] Mantissa Document. N. 77.

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28. epist. 36.

Petro Fontidonio.

« Admodum Reverende Domine, Amice charissime. Summus Pontifex acceptis et lectis literis tuis, quas ad eum Kalendis Novembris dedisti, libenter admodum et antiquum erga se studium et singularem erga Sedem Apostolicam devotionem tuam agnovit, gratamque et jucundam habuit. Quod vero attinet adscribendi provinciam tibi a Pio V. sanctæ memoriæ contra centuriatores injunctam; etsi jam diu est, cum ego ejusdem Sanctissimi jussu scripsi Episcopo Patavino Sedis Apostolicæ Nuncio, ut tibi significaret, placere Sanctitati Suæ cœptum abs te opus absolvi, nec ulla te confirmatione egere, quoniam in literis dicti sui prædecessoris hæc verba essent apposita, ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum, quorum verborum vigore concessio semper firma est, nisi nominatim a successore revocetur; tamen Sua Sanctitas mandavit mihi, ut hoc idem ejus nomine tibi his literis declararem. Poteris igitur, Deo juvante, cujus causam defendis, cœpto operi alacriter insistere, illudque ad finem perducere. Hujus autem pii laboris tui præter ea, quæ tibi ab eodem Deo bonorum omnium remuneratore præmia manebunt, ipsam quoque Sedem Apostolicam atque in primis Sñum Dominum Nostrum dignam opportuno tempore rationem habiturum esse debes confidere. Bene valeat D. T. Reverenda. Romæ die XV. Decembris MDLXXIII.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

Dum rex in ea re tantum studium posuerat, et Summus Pontifex maximam sollicitudinem sumpserat, humilis ille Philippus Nerius, omni prorsus humana ope destitutus, precibus et lacrymis ad Deum fusis quod optabatur tandem adeptus est, cujus filiis deinde forsitan non sine Divini consilii arcano provincia ista ardua sane et omnium difficultatum plenissima, Annales nempe Ecclesiasticos conscribendi demandata fuit.

CXXIV. — Litterarum studio promovendo intentus, Gregorius Ducem Albanum monet, ne eos qui ex Flandria et Burgundia Bononiam florentissimam tum temporum scientiarum sedem studiorum causa contenderent, impediat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 106 f. 58.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Alvæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, eos, qui Catholicæ Majestatis ditioni subjecti sunt, si quando velint ad aliquod publicum Gymnasium adire studiorum causa, prohiberi solere, ne ad alia adeant, quam quæ ejusdem Regis ditionis sunt. Et quamquam ad Gymnasium Bononiæ nostræ fuit semper omnibus liber aditus, tamen quia veremur, ne qui ex Flandria, aut Burgundia eo ire cupiunt, prohibeantur, cupimus a tua Nobilitate provideri, ne quis eorum impediatur, utque id facere possint impune: erit hoc Nobis gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die 29. Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

CXXV. — Oblivioni haud demandandum esse censemus, Gregorium pari modo auctorem fuisse celebratissimi illius Sacelli Vaticani, quod vulgo Paulinum nuncupant, nobilibus picturis adornandi, et eam provinciam claro illi Georgio Vasario Florentino conferendi. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 78.

CXXVI. — Abusibus præterea sat gravibus, qui Romæ ex ita dictis franchigiis, Cardinalibus ac Legatis exterorum Principum, necnon ipsis Principibus Romanis concessis, oriebantur, et sæpissime quietem Urbis perturbabant, Gregorius egregie prospexerat abrogatis illis omni ex parte sequenti decreto. Optandum solummodo ne temporum iniquitas, atque hominum inconstantia istam cæteroquin justissimam et sapientissimam præscriptionem pleno suo effectu frustrasset. [*]

[*] Armar. VIII. Caps. V. N. 4.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

« At ipsa ratio et usus docet, nihil perniciosius in Civitate contingere posse, quam legum judiciorumque impedimentum: quod malum satis opportune prohibere volens felicis recordationis Pius PP. IIII. prædecessor noster, cui post alias hac de re præsertim a piæ memoriæ Julio PP. III. promulgatas constitutiones innotuerat, quamplurimos adhuc esse in Urbe, qui vel ob commissa crimina vel ob æs alienum contractum sibi a ministris justitiæque executoribus timentes ad ædes Primatum, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ac Oratorum Principum, uti loca tuta, quas franchisias appellabant, confugerent, eaque ratione impuniti evaderent et creditores eluderent, aliam edidit constitutionem, qua etiam sub arbitrariis pœnis sanxit, ne ullus post id tempus cujuscunque dignitatis ac præeminentiæ foret, ædes prædictas aut alia quæcunque loca franchisias appellare auderet: neve Cardinales, Oratores ac Primates prædicti, etiam si sui et Romani Pontificis protempore existentis Nepotes, aut alio consanguineitatis vel affinitatis vinculo conjuncti essent, eorumque familiares, aut in ipsorum domibus commorantes, in eisdem domibus seu locis circumvicinis maleficos quosvis etiam indemnatos aut ære alieno obstrictos, contra quos tamen mandata executiva instantibus creditoribus jam decreta et relaxata essent, ut e potestate Curiæ secularis sic eximerentur, receptare, vel pretextu franchisiæ se-

curos reddere, aut justitiæ executores, quominus libere officio suo contra eosdem fungi possent, quocumque modo impedire auderent: alioquin receptantes hujusmodi aut securitatem prestantes, seu executores justitiæ impedientes, vel excitatis clamoribus Cardinalium, Oratorum seu Primatum quorumlibet nomen auxilii causa invocantes, aut quoscumque alios in ipsos justitiæ ministros concitantes velut criminis læsæ Majestatis rei dignis pœnis afficerentur, contra quos etiam ad alias pœnas, quibus malefici ipsi puniti fuissent, vel quas promeruissent, necnon ad satisfactionem creditorum etiam ex officio et ad fisci partiumque instantiam inquiri, procedi et condemnari debere, voluit atque decrevit. Sed cum hæc ipsa Pii prædecessoris constitutio propter nimiam corruptelam minime postea sit eum quem decuit effectum consequuta, Nos volentes omnino in alma Urbe nostra ita justitiæ debito ab omnibus satisfieri, ut perpetua subditis nostris quies et salus inde pariatur, et cæteris præbeatur exemplum, constitutionem prædictam exacte ab omnibus et omni tempore præcipimus observari, mandantes Gubernatori, Magistratibus, Judicibus et Executoribus dictæ Urbis ac cæteris omnibus ad quos spectat, ut gratia et favore postpositis illam et quæcunque continet omnino exequantur, ac pœnis in ipsa propositis supradictos et quosvis inobedientes et contrafacientes juxta illius tenorem afficiant, et alioquin in prohibendis usquequaque his incommodis invigilent, si Nostram et Apostolicæ Sedis ultionem voluerint evitare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præcepti et mandati infringere vel ei ausu temerario contrariare. Si quis autem hoc attemplare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ Millesimoquingentesimoseptuagesimotertio. Non. Septembris. Pontificatus Nostri anno secundo.

Cæ. Glorierus.

«Anno a nativitate Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Indictione prima, die vero vigesima quarta mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Gregorii divina providentia PP. XIII. anno secundo, retroactæ litteræ affixæ et publicatæ fuerunt ad valvas basilicarum Sancti Joannis Lateranensis et in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Joannem Guerardi et Joannem de Soya Apostolicos Cursores.

Alexander Astancollus Mag. Curs.



AN. J. CHRISTI 1574. GREGORII PP. XIII.-3. MAXIMILIANI II. IMP.-11.

I. — Comitia sub initio hujus anni a Cæsare ad res civiles æque ac religiosas regni Bohemiæ componendas Pragæ convocata, malo pertinacique civium ingenio, atque improbatissimis Hussitarum postulatis haud optatum exitum nacta, eamque ob rem mox abrupta fuere. En quæ de hoc negotio Archiepiscopus Pragensis Nuntio apud Cæsarem Apostolico perscribit. [*]

[*] Germania Vol. 37. fol 45.

« Acceptis Dominationis Vestræ Reverendissimæ literis, quibus me humaniter admodum, et benevole salutare dignata est, incubui sedulo in id, ut de his, quæ in Comitiis hic agerentur; præsertim vero si quid de Religione ab adversariis propositum foret, certius edocerer, ut in omnem occasionem intentus mei muneris rationi, quantum in me esset, satisfacerem, et Dominationis Vestræ Reverendissimæ requisitioni responderem. Nolo autem eum latere, Comitia hæc nostra sine ullo fructu et emolumento dissoluta esse. Digladiantibus enim inter se Regni statibus de conferendis contributionibus a Sua Majestate petitis; tandem nedum dimidiam earum partem Suæ Majestati obtulerunt, quam Serenissimus Archidux acceptare recusans, totam cum ad Suæ Majestatis Cæsareæ arbitrium et voluntatem remisit. Cæterum Majestas Sua ex hac eorum deliberatione male fortasse affecta, prædicta Comitia in suum adventum suspendit; nullatenus ea admittere volens. De Religione quidem si hoc est: de ordinatione Calixtinorum in principio Comitiorum aliquid propositum fuerat, sed id postea omnino sopitum, nec de eo ulla ulterius facta fuit mentio. Verum in Comitiis præsente Cæsare proxime celebrandis, metuo, ne eadem ferventius proponatur. Ac tum temporis adversarii petitiones suas acrius procul dubio urgere non desistent; quibus nos econtra dabimus operam, ut totis viribus nos opponamus, ac salubriori qua fieri poterit inita ratione resistamus. Aliud nunc, quod ad Dominationem Vestram Reverendissimam scribam non habeo, quam ut ei vicissim officia omnia, et studia mea quam promptissima semper deferam. Datum Pragæ xx. die Januarii MDLXXIIII.

Gregorius, timore perculsus, ne Hussitæ Procerum ope subnixi, optata consequerentur, Archiepiscopum Pragensem monet, ut, quod jam satis facto probaverat, eorum postulationibus viriliter resistat. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. II. Epist. 280 f. 143

Venerabili Fratri Archiepiscopo Pragensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Quod Nos summopere sollicitat de Christi Ecclesia, idem quoque Fraternitati Tuæ vehementer cordi esse non dubitamus, et pro tua pietate, et pro isto cui præes Christi ovibus regendis et tuendis munere. Accepimus appropinquare tempus Dietæ Pragensis, veremur, ne hæretici id quod maxime student, conentur inde reportari aliquid Catholicæ fidei contrarium. Tuum est munus, omni ratione obsistere, hancque tam præclaram facultatem Christi causam tuendi toto pectore amplecti; satis autem putamus esse periculum indicare; cohortatione nihil opus esse ducimus apud fratrem optimum, et Christi gloriæ atque animarum salutis cupidissimum. Scripsimus hac eadem re tum ad charissimum in Christo filium nostrum

Maximilianum, tum ad alios Nobiles Catholicos, quorum operam sanctæ fidei non defuturam speramus; tuam vero præstantissimam futuram confidimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIIII. Martii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Idem ad eos, qui e regni Primoribus erant, [*] nec non ad Cæsarem ipsum Pontifex perscribit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 22 fol 234.
[*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 230. f. 142.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem, et Apostolicam benedictionem. Accepimus appropinquare tempus Dietæ Pragensis, in qua verisimile est, hæreticos ea molituros, quæ conari solent, ut ea obtineant, quæ a fide Catholica aliena sint, quorum postulata rejicere, ut tuæ insignis pietatis est, sic Catholicas res Tuæ Majestati, quantum possumus, commendare nostri muneris esse intelligimus. Quid illi postulaturi sint, divinare non possumus; quidquid autem erit, quod a Catholica Ecclesia dissidebit, sine mora repudiandum erit, nec dubitandum, quin si Dei causam egerimus, ipse quoque aget nostram: quamquam cum ejus causam agimus, nihil aliud, nisi nostram agimus; neque enim ille indiget nostra fide, aut opera, sed sancte pieque vivendi Nobis facultatem et opportunitatem largitur, ut eam facultatem arripientes cumulet præmiis, et bonis sempiternis. Scribimus ad Nuntium nostrum, quæ cum Tua Majestate agi cupimus, ea te libenter auditurum, summamque Christo, atque ejus Ecclesiæ operam navaturum pro tua spectatissima prudentia, et pietate non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

II. — Eundem Cæsarem insuper merito laudat, quod hæreticos, vulgo Prædicantes, concionare prohibuerit, hortaturque, ut librorum hæreticorum diffusionem impediat, et compescat, atque Calvinistas, Trinitarios, aliosque peregrinos hæreticos Vindobona expellat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 266. f. 178.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Ex literis Nuncii nostri incredibili cum voluptate cognovimus, hæreticos eos, qui istic sunt, prohibitos esse a Majestate Tua concionari, velleque te tam sanctum decretum perpetuo servari. Est hoc dignum pietate tua: sic enim uno tempore prospicis animarum saluti, et Christi, sanctæque ejus Ecclesiæ gloriæ; neque potest tantum facinus graviore testimonio commendari, quam Gregorii Nazianzeni, qui ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum sic scribit: Si hæreticis, ut piis, et orthodoxis ea, quæ sentiunt, docere, libereque promulgare permittitur, quis non videt Ecclesiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante? neque enim rerum natura fert, duas eadem de re contractas doctrinas veras esse. Quomodo igitur excelsus, et præstans animus tuus ad tanti mali depulsionem consueta libertate non uti sustinuit? Verum et si nondum factum est; nunc saltem immitabilis tua, numerisque omnibus absoluta virtus excitetur, pientissimumque Imperatorem doceat, nihil ex reliquis ipsius erga ecclesias studio rediturum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sanæ eversionem per eorum libertatem licentiamque prævaleat. Cum hoc tuo tam præclaro facto conjunctissimum est tuum illud promissum, de libris iis, qui istuc afferuntur, diligenter inspiciendis, deque ea curatione Catholicis, atque idoneis viris mandanda, puniendisque iis, qui hæreticorum libros clam vendere ausi fuerint; quid enim interest, quo telo feriant, scripturane, an oratione, cum constet utrumque esse mortifero veneno imbutum? Incumbe igitur, quantum potes, in has curas; et quod restat, perfice pari zelo; exige istinc hæreticos peregrinos, Calvinistas, Trinitarios, atque alias similes pestes: hoc tuam Majestatem facturam speramus, et quantum possumus, rogamus per eundem ipsum Christum, cujus causa agitur, qui te talem, tantumque effecit, quique tuæ pietati reposita habet præmia amplissima, et sempiterna. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. Maji MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

III. — Olomucii, nobilissimæ videlicet Ducatus Moraviæ urbis Cathedralis Ecclesiæ Canonici adversis inter se studiis ferebantur de successore Episcopi haud ita antea vita functi deligendo. Diu anceps stetit electio inter Thomam Albinum, virum spectatissimum, et Martinum Gerstmannum, quorum uterque magnam apud suos nominis celebrationem obtinebant, iidemque inter Olomucenses Canonicos sedebant: unum intercedebat discrimen inter eos, quod Martinus in vicina etiam Cathedra Vratislaviensi eadem dignitate erat insignitus. Plures ex Canonicis Olomucensibus studiosiori deditiorique animo in Martinum ferebantur. Eos igitur non puduit æmulum ejus Thomam omni convitiorum genere in invidiam vocare, quæ causa fuit, quod Apostolica Sedes in confirmando Thoma, qui nihilominus majori votorum Capitularium numero Episcopus renunciatus fuerat, aliquantulum cunctabunda visa sit. Thomas hunc ob rem cum Cardinali Commendono, qui Romæ degebat, quocum longo jam tempore intima familiaritate conjunctus erat, sequentibus litteris amice conquestus est. [*]

[*] Litteræ Principum Vol. 28. fol. 206.

Illñe et Rñe Domine Domine Patrone Colendissime.

« Clementia Celsitudinis Vestræ Illñæ quam isthic æque innocentiæ meæ, atque etiam huic

Ecclesiæ, cui sum (indignus fortasse) electus pastor, abunde loculentissimis testimoniis comprobavit, quanque ego pluribus ejusdem argumenti litteris Reverendi Domini Pauli Faianckovii cognovi, merito debuit habere jampridem signum aliquod gratitudinis: ea quæ prestita sunt, memori personæ, captoque non usque adeo a gratitudinis offitiis alieno, prestita esse. Et profecto (ut Capituli quoque verbis loquar) nostrum hoc fuit judicio susceptum, ac definitum institutum, ut Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ testes animi nostri mitterentur litteræ, nobis, ac Ecclesiæ nostræ beneficia accidisse gratissima, quæ multis occasionibus ab Illustrissima Celsitudine Vestra in nos largiter effusa sunt: nisi calumniatorum ac hominum quidvis non audientium, dissoluta quædam improbitas, ab instituto nos nostro (multum invitos) retraxisset. Nam de me possum affirmare, tantum istis hominum eorum nescio quam ob causam mihi adversantium, calumniis exagitatum conturbatumque me fuisse: ut animum liberum ad agendum, vel scribendum quippiam, non habuerim, etiamsi de meo tenore vitæ honestissimæ non conscientiam solum integerrimam, sed hominum clarissimorum et principum fidem illustrem, in testem vocare possim. Dabit itaque veniam Illustrissima Celsitudo Vestra, si litteras ad illam serius dederim, quam ejus tot in meam causam adjumenta collata postularint, et judicabit non ex negligentia mea tarditatem ejusmodi, sed potius ex perturbatione, quam in me non mediocris excitavit hominum audacia, æquo plus ardens de mea vivendi ratione accusationem profectam esse. Spero celeriter futurum, ut extinguantur, veritatis vi, omnes adversariorum iniquæ et falsæ criminationes: id autem dum fiet, ego me recolligam, animoque molestiis liberato, diligentius in hoc incumbam, ut Illma Celsitudo Vestra ipsa judicet æquitatem hominis memoris beneficiorum et gratissimi, se defendisse. Quæ transactio ut ne proferatur amplius non recuset Illustrissimum Cardinalium Collegium nimirum exhaustæ meæ Ecclesiæ, debitisque ingentibus propemodum obrutæ donare confirmationis expeditionem Illustrissima Celsitudo V. suam authoritatem interponere dignetur. Minutiora de molestiis, ac difficultatibus Ecclesiæ nostræ afflictissimæ non attingo. Quod Illustrissima Celsitudo Vestra ex Illustrissimo et Reverendissimo Domino Cardinale Morono Domino, et protectore meo clementissimo, Reverendoque Domino Paulo Faianckovio cognoscere plenius rem omnem queat. Quod reliquum est, opto Vestram Illustrissimam Celsitudinem diutissime incolumem esse, cui meum obsequendi studium, animo propenso defero. Olomutio 29. Augusti anno 1574.

Illmæ et Rmæ Celsitudinis Vestræ

Addict. et humil. Cliens, et Sacellanus

Thomas Albinus Episcopus Olomucensis.

Id præstitit repetitis, iisque prolixioribus litteris ad eundem, addito insuper nuntio, ut de his, quæ contra se ab Illicino, viro haud ignobili inter suos sed turbulenti ingenii, impacta calumniose fuerant, inquiratur, quoad se vero nihil magis in votis habere, quam ut res pateat. (*)

(*) Germania Vol. 36. fol. 50.

« Reverendissime ac Illustrissime Domine observandissime salutem in eo qui vera est salus.

« Expecto a Celsitudine Vestra responsum, cui omnem meum animum aperui tam per binas literas quam per Dominum Paulovium, nempe significans esse falsissimum, quod Illicinum custodiæ petierim dari vindictæ causa, ut eam ob rem. ut non possit ea probare, quæ contra me opposuit, sed solius satisdationis, aut potius securitatis gratia, ut alio se non conferat, nam discessurus putabatur, tam ex relatione quorumdam, quam ex certis conjecturis. Timebam namque meæ famæ apud Sedem Apostolicam et Illustrissimos Dominos Cardinales ita commaculatæ hæresis, incestus, aliarumque malarum qualitatum insimulatæ, quarum cum nedum mihi coram Deo, sed nec hominibus etiam sum conscius, non potui ita leviter adversarium nullo vadimonio obstrictum, sic liberum, et causæ suæ diffidentem relinquere, quominus mihi certus reddatur, ut illas injurias probaret, non autem, ut a probatione deterreatur. Novissime vero imminent aliæ meræ et palpabiles calumniæ, quibus me gravarent in quatuor articulis.

« Primo quod ego vendiderim quasdam villas sive bona episcopalia, meque eo pacto administrationi immiscuerim; quod est falsissimum: nam neque digito attigi istam venditionem, quæ facta est a solo Capitulo quorumdam bonorum non Episcopalium, sed feudalium, de quibus habebuntur multæ lites cum propinquis mortui Vasalli: vendita sunt tamen a solo Capitulo sine me idque ex mera necessitate; nam fuerunt occupata vi a virgine quadam Dorothea Stossowa sorore demortui ultimi Vasalli possessoris, quod Philoponus bene scit, et scit etiam pendente electione, et post quantum laboris habuerimus omnes sollicitando etiam Sacram Cæsaream Majestatem de illa Dorothea possessione pellenda, sed tandem ultimo capto consilio cum amicis iterum vi illam recuperavimus dejiciendo dictam Dorotheam possessione, quam ne diutius cum periculo et jactura tenere cogamur, quanto carius potuerunt domini capitulares vendiderunt ea, nempe octomillibus quingentis florinis, feceruntque id sine me; nam sciebam ego me non decere ut contractui præessem: (quod instrumentis super illo contractu factis, et sigillis appressis docebitur esse meram calumniam, quod mihi apponitur) nam neque contractui interfui, sed constitutioni capitulari tantum. Utrum vero cum emolumento Episcopatus sit ista venditio, ut cum detrimento facta inde liquebit, cum docebitur Joannem Episcopum ter de eisdem bo-

nis contractum fuisse, et nullum emptorem ex tribus voluisse contractui stare, eo quod cara esse videbantur manseruntque in potestate Episcopi usque ad ejus mortem. Post mortem vero Episcopi Joannis statim supradicta virgo Dorothea Stossowa ejecit inde servitores Episcopi demortui, et tenuit vi illa bona donec vicissim vi eam vacante sede expulissemus. Non est itaque, quod mihi adscribatur illorum bonorum venditio, neque Capitulo quod cum detrimento Episcopatus illa vendidisset; nam neque dum unum obolum accepit pro illorum solutione, neque accipiet, sed creditores duorum postremorum Episcoporum. A fratre vero demortui ultimi Vasalli, et ab aliis, qui de illis bonis litem jam movent, timetur periculum, nempe si jure conjicentur ista bona, ne restituenda esset universa pecunia cum damnis et impensis refundendis.

« Secundo objicit mihi, quod dilapidem bona Episcopalia nimio luxu conviviorum eo, quod invitaverim ultima Junii omnes judices provinciæ, ac alios præcipuos Barones tunc Olomutii in publico juditio congregatos, dicitque Illicinus, quod constiterit istud convivium 500. fl. Ad hoc ridiculum est respondere, cum idem Illicinus absens numeraverit (quod nemo ex præsentibus fecit), apposita fuisse convivis fercula 130. ex quibus poterat esse, quod fuerint ultra 40. ex bellariis, quæ tunc horti Viscovienses, et Cremsirenses abunde suppeditabant. Pro quibus igitur ferculis 500. taleri sint expositi, quandoquidem nihil præter ferinam bubulam, et vitulinam carnem, gallinas, aliasque res domesticas, quas Cremsirii et Viscoviæ prædia subministrabant, apponebantur. Sed habebitur ejus rei certitudo, inspectis ordinariis regestis Magistri culinæ videbitur, quid tum, quid postea inscriptum est in meam, et meæ familiæ sustentationem, quæ plerumque (teste Domino Doctore Joanne Maria Medico,) circa mensam vino caret, eo quod ego propter calculum raro vino utar contentus cerevisia. Ad hæc pro mea sustentatione toto illo tempore, post electionem nescio ao mihi 150. taleros (quod ex regestis, ut dixi apparebit,) administratores dederint, nam pro rebus extraordinariis hactenus de meo expendi. Unde igitur tanta profusio bonorum Episcopatus per me facta a Philopono, vel Illicino probabitur?

« Tertio opponit, quod Jesuitas Brunenses sim ejecturus Bruna. De hoc velim, ot Cels. Vestra informetur ab illismet Patribus, et Rectore, quid ego hactenus fecerim in favorem illorum, quidve de me spei dederim. In cancellaria vero Imperatoris, ut etiam ab ipso Imperatore, inquiratur: utrum ego quid vel verbo vel scripto per me vel alium egerim, quod contra illos esset, et convictus puniar. Interim ego audacter possum dicere, illos veritatem non loquutos esse, sed calumniis opplevisse aures Pontifici, et Cardinalibus.

« De quarto plane idem dico, nihil immutando quod de tertio, nempe quod donaverim vestem sericeam fœminæ Venceslai filii Præpositi. Imo, et hoc addo, quod sit mera excogitata in mei odium calumnia, qui testari possum, et testor Deum ipsum, et conscientiam, quod in mea vita ei non dederim per me, nec per alium quod valeret unum pagatinum, nedum vestem, quae valeat centum florenos.

« Propter istas quatuor objectiones, (nam priores ego per sufficientia testimonia dilui,) quas novissime Philoponus nomine Illicini Romæ cum magno affectu, lacrimis et commiseratione proposuit; dilatum est (ut audio ex procuratore meo,) confirmationis negotium, de quo si Vestra Celsitudo aliquam habet commissionem ego amore Dei oro, ut quam citissime expediatur, et inquiratur de his, et aliis multis articulis contra me oppositis. Nam nihil aliud magis desidero, nisi quanto citius fieri potest, ab illis me purgare, etiam si confirmatio a Sede Apostolica jam adveniret, et omnes res cum Illicino compositæ essent, tunc ego non potero intermittere, quin me de omnibus sufficienter purgem, ut primo Sancta Sedes Apostolica, Illustrissimi Domini Cardinales et Vestra Celsitudo, ac omnes boni intelligant me esse talem, qualis apud Magnates, medios, et plebejos hactenus per bonam famam habitus et tentus fui. De Illicini negotio, ut antea Vestræ Celsitudini scripsi quid meæ sit mentis, jam nihil aliud expecto, quam responsum a Vestra Celsitudine et quicquid mandaverit extra discrimen meæ famæ, habita etiam ratione tranquillitatis Capitoli, nihil est quod non sim paratus facere. Illicino autem liberum permitto, ut probet, quæcunque probare potest, promitto me non impediturum, saltem sit mihi securus, cautione etiam juratoria ero contentus, quam si ille a principio obtulisset, acceptassem eam, nec curassem aliam satisdationem. Quapropter intelligit jam Celsitudo Vestra omnia quæcumque hactenus facta sunt, et qualem animum habeam, qui si qua in re est alienus ab ipsa justitia, (quam ego certe violare animum nunquam habui nec meo juditio violavi,) aut ab ipsa æquitate volo per Vestram Celsitudinem (faciat idem Illicinus vel non faciat,) emendari: cui me semper commendo. Datæ Olomutii 7. Octobris anno 1574.

Vestræ Rñæ D. Addictissimus

Thomas Albinus

Electus Episcopus Olomucensis m.p.

En litteras quoque miseri illius Illicini, quibus Præsulis ab eo fictis criminibus insimulati innocentiam vindicat, ab eoque veniam criminis deprecatur. [*]

Reverendissimo et Illustrissimo Domino Domino Thomæ Albino, Electo, et Confirmato Episcopo Olomucensi Domino meo gratissimo.

Reverendissime Domine ac Patrone observan-

[*] Litteræ Principum Vol 28 fol. 297.

dissime salutem, et mei humilem commendationem.

« Si posset infectum fieri, quod factum est, ego libentissime omnia attentata retractarem. Sed quando illud fieri nequit, illud est reliquum, ut prospiciatur honori Dominationis Vestræ Rñæ quomodocumque possit. Doleo, et me pœnitet contra Dominationem Vestram Reverendissimam fecisse, ut qui electus est Wratislaviensis (sic) et Olomucensis: sed homo cogitat, et Deus disponit: vana enim est cogitatio hominis, quia ignorat, quid Deus statuerit. Ego nec odio, nec invidia sum adductus, ut Reverendissimo Domino Gerstmanno Ecclesiam Olomucensem commodare vellem, sed quia eum præferebam. Animadverto jam me judicio aberrasse, quod est humanum, peccavi per imprudentiam (fateor), non per malitiam. Non diffiteor etiam me fuisse a multis deceptum, qui me in suspicionem vanam de Religione Dominationis Vestræ Reverendissimæ traxerunt: illi plus peccarunt quam ego. Quid jam Dominatio Vestra Rña postulat? Divitias non habeo et quæ habeo accipiat, nisi libros ad servitium Dei relinquat; si fui ego causa sumptuum, dum confirmatio est retardata: recipiat illos de rebus meis, quæ vel a Capitulo debentur, vel de meo salario. Si honori Dominationis Vestræ Reverendissimæ providendum est, ego sum præsto publice in templo facere latinum sermonem in laudem ejus, et me emendare, et omnia facta et dicta revocare: instrumentum quoque publicum Romam mittere quomodo velit. Si odium et ira Dominationis Vestræ Reverendissimæ et Magnanimi Domini fratris tui fertur, ut me in hac senectute perditum velint, committo me Deo, et Summo Pontifici; sed spero, placabuntur. Misi per Syndicum Capituli propria manu confessionem repente scriptam, et jussi dici, quod si aliam vellet, eram paratus dare. Sum oblitus in illa confessione scribere de articulo circa 300 taleros: jam satisfacio. Ego dixi Reverendissimo Domino Nuntio, et scripsi Romam, quod non movebar ad impediendam Electionem ob proprium commodum, quia si quæsivissem proprium commodum, accepissem oblatam mihi a Reverendissima Dominatione Vestra pro servitiis præstandis benignitatem. Nam ipsa mihi obtulerat sustentationem eam, quam dabat Joannes Episcopus, si vellem servire, ut ipsi serviebam, nec dixi, quod 300 taleros obtulisset; sed quod tantum faciebat, quod mihi dabatur a Joanne Episcopo. Nam 300 taleros dabat, et vicum, quem taxaverat 300 taleros. Non fuit hoc improbandum offerre pro servitiis præstandis, si servire vellem. Et Dominatio Vestra Reverendissima hanc sustentationem mihi daturum dixerat, quando fui apud eam secundo, et legendam dedi scripturam factam mihi a Joanne Episcopo; sic enim mihi locuta est Dominatio Vestra Reverendissima: Ego indigebo viris, qui mihi serviant in his officiis, et non recusabo dare sustentationem istam. Decanus postea Viennæ dixit, et in Collegio isto, quid Dominatio Vestra Rña per eum jusserat mihi nuntiare, quod datura esset mihi 300 taleros. Deinde quo die Barones et nobiles fuerunt in convivio in domo Episcopali, Bartholomeus Italus dixit, quod Dominus Sigismundus Dominoczek dixerat ei, se mittendum in Hungariam ad inquirendum contra me, quia noluissem Electionem confirmare, cum Dominatio Vestra Reverendissima obtulisset 300 taleros. Hoc audito idem Bartholomeus solus venit ad me, et coram notario et testibus dixit, quod Sigismundus publicaverat, quod ipsa voluisset mihi illam summam dare, ut subscriberem electioni. Ego vero feci fieri unum instrumentum de hoc coram testibus. Fuit Romæ idem Bartholomeus, et forte ipse publicavit. Ego etiam scripsi ad Decanum, quod Sigismundus sic erat locutus, unde non debebam ego damnari, et scripseram ad Dominationem V. Rñam tempore electionis Joannis, quod darentur ei beneficia, qui daret ei votum. Ad hoc propositum scripseram, neque scripsissem, nisi Sigismundus Bartholomeo Italo dixisset, et nisi publicasset Decanus. Reliqua scripsi antea, sed offerre non facit vitium, ut probavi in allegationibus meis, neque simoniam facit oblatio, si non sequatur effectus, neque damnatur, qui offert: sed sola simonia secuto opere damnatur, non conatus, vel voluntas studiosa tantum. Sed jam Deus Dominationem Vestram Reverendissimam exaltavit, et gaudeo, ita me ipse adjuvet. Faciet ergo Dominatio Vestra Reverendissima opus Dei, ot ei gratiam referat, parcat illis, qui eam offenderunt, et sic erit perfectus Episcopus, nec quærat judicium. Ego quibus possum honorem ejus sustinebo, et cum Philopono meo sumptu litigabo, qui excessit fines mandati, et examinavit testes, quos oon jussi, et articulos addidit me inscio.

« Supplico, ut permittat me laborare in divinis scripturis: scribo contra Trinitarios et Arrianos miscellanea ex toto antiquo et novo Testamento, ut fecit S. Basilius; sed fusius permittat me scribere de hac re, si aliud scripsero, ponat me in profundum carceris: non perdam dies, sed serviam Deo in Divino verbo, et judicentur ista, quæ scribo. Dignetur unum ex meis scribis ad me mittere, oro, et librum a me compositum de officio et potestate Regis in Ecclesia Dei ad Regem Hongariæ, ut emendem. Supplico etiam, ut meum puerum Michaelem restituat in Seminarium, ac repetat florenos 100 a Parrocho in Bezkopez jam debitos pro duobus annis, et illum puerum ab annis septem natum nobilem, et pauperem, qui Johannes Notarius est, sanctus juvenis, et sic alios, eos Dominationi Vestræ Rñæ commendo, quia erunt Ecclesiæ Dei utiles. Commendo Bibliotecam meam, quia inter Jesuitas intrare volo, et illic relinquere.

Ego omnibus parco, et parce mihi supplici, et misereatur Dominatio Vestra Rma mei senis Catholici, et quæ in Hungaria quidem Lutherani, et inimici mei sunt fassi, ut Magnificus Dominus frater Dominationis Vestræ Rmæ dixit, ea probabo falsa, et sit judex Rmus Dominus Nuncius, et illos testes de falso convincam. Mitto carmina ex animo scripta. Deus Dominationem Vestram Reverendissimam conservet. In Hochwald die 22 Septembris 1574.

Dominationis Vestræ Reverendissimæ
Servitor
Illicinus Doctor.

Ad Rmum et Illmum D. Thomam Albinum electum, et confirmatum Episcopum Olomucensem.

Asclepiadeum.

Non semper Boreas spirat in Alpibus,
Nec semper nivibus celsa cacumina
Stant, nec semper hyems sævit in arbore;
Non et dire Jovis dextera fulminat
Semper, nec sonitu territat omnia,
Non Austro tumida est perpetuo Adria:
Nec te semper agens ira minaciter
In me commoveat præcipitem, obsecro,
Antistes; quoniam lectus es ad vicem
Christi, qui placidus mihi, et omnibus
Parcens, qui veniam a se petere fuit.
Sint hæc, quæso, satis quæ patior senex,
Qui sum non minimis functus honoribus,
Quem multis decorant Pierides rosis,
Quem sacrata Themis, quem Diva provehit.
Dicant multa tibi scripta volumina
Et læsus (fateor) dum studio tui
Ornatus meriti frangere calculos,
Sperans, quod faciam commoda plurima
Sancto Christicolum cœtui: et hoc dolet,
Me non livor edax, non odium impulit;
Sed vana (ut video) suspicio ferit.
Cum recte fidei te studio affeci
Virtutum et meritis pluribus undique
Pollere intueor; sed nocuit mihi,
Qui usurpare tuum concupivit locum;
Sed quæ dicta tamen factave sunt, tibi
In magnam poterunt cedere gloriam,
Quem Musæ celebrent, jam facient meæ.

Servus
Captivus Illicinus.

Gregorius de innocentia Thomæ documentis Legati sui apud Cæsarem, nec non aliorum gravissimorum virorum certior factus, eundem extemplo confirmat, perque Cardinalem Comensem humanissimis verbis solatur, omnemque a se calumniarum, quibus adversariorum invidia prægravatus fuerat, suspicionem amotam esse declarat. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol 26 epistol. 85

Electo Episcopo Olomucensi.

« Reverendissime Domine. Cum superioribus diebus literas Amplitudinis tuæ die xxix. Augusti datas accepissem, ad eas rescribere consilium non fuit antequam confirmationis tuæ negotium, quod tunc in manibus meis erat, absolutum esset. Nunc vero cum id heri in sacro consistorio summa tua cum laude et dignitatis amplificatione, me Sanctissimi Domini Nostri jussu, propter absentiam Illustrissimi Cardinalis Moroni, proponente, confectum fuerit, id significandum, et meam ex hac re animi lætitiam, quæ summa fuit, indicandam duxi. Quamquam enim non defuerint, qui impedimentum objicere expeditioni conati acriter sint, tamen tanta fuit Sanctitatis Suæ de tua fide ac probitate spes atque fiducia et sacri Senatus consensio, ut gaudendum potius quam dolendum sit, ita evenisse, quoniam tali testimonio tua virtus, et pietas decorata velut aurum igne probatum illustrior apparuit. Quare Amplitudo tua hoc etiam in eam partem accipere pro sua prudentia debet, tanto magis eam eniti, et elaborare oportere, ut re ipsa et piis, ac loco suo dignis actionibus atque operibus, quæ sibi objecta fuerunt, diluat, tam honorificum Pontificis et Cardinalium de se judicium comprobet, et iis, qui defensores fuerunt majorem in dies lætandi causam afferat. In primis vero, ut ingressum ad Ecclesiam et functionem suam Deo gratam et Sanctitati Suæ acceptam faciat, Amplitudo tua eam curam statim suscipere debebit, ut Illicinum a carcere, si jam non est dimissus, et ab omni præterea molestia hujus rei causa liberum esse velit, ipsumque fraterna charitate et humanitate complectatur, ac vere ostendat se, quod christianum hominem ac Præsulem maxime decet, omnium sive injuriarum, sive molestiarum, quæ illatæ sibi sunt, oblivisci, sicut te prompto ac libenti animo facturum esse persuasum habeo. Plura de his, quæ gesta hic sunt in tua causa, et Sanctissimi Domini Nostri optima voluntate, ac meo erga te studio ex Pauli tui literis cognoscere poteris. Quod reliquum est, Amplitudinem tuam benevalere, et omnibus divinæ gratiæ donis frui opto. Romæ 9. Octobris 1574.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

IV. — Quæ dum agerentur, vacabat quoque insignis Vratislaviensis Cathedra, quæ unanimi Canonicorum consensu eidem Martino Gerstmanno attributa est, quique ideo mox rei eventum Cardinali Commendono nunciat, legatosque Romam ad confirmationem impetrandam mittit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 26. fol. 203.

Rme atque Illme Domine, Dne observandissime.

« Calendis Julii post obitum Rmi in Christo Patris Gasparis Episcopi Vratislaviensis, celebrata per viam scrutinii electione, omnium pene Confratrum meorum votis atque suffragiis electus sum novus Antistes Martinus Gerstmanus, Celsitudinis Vestræ Rmæ humilis servitor, quemadmodum Cels. Vestram Rmam jampridem com-

muni fama intellexisse arbitror, cujus Cels. V. Rmæ eum singularem benevolentiam multis jam annis, magno cum honore meo semper perspexerim, dubitare nolo, quin eadem etiam porro, me præsertim, nunc amplissima dignitate tanti Collegii Vratislaviensis judicio auctum, novo etiam genere favoris et gratiæ libenter benigneque sit prosecutura.

« Cæterum Venerabiles Viros Theodorum Lindanum sacræ theologiæ doctorem, Cathedralis Ecclesiæ S. Joannis Vratislaviæ Archidiaconum, et Christophorum Gerstmanum ambarum Ecclesiarum Vratislaviæ Canonicum, pro electionis confirmatione in Urbem expedivi, viros virtute et industria probatos, quibus Cels. V. Rma pro sua singulari bonitate, non modo faciles et benignas præbere aures, sed et totum hoc confirmationis negotium, pro mea erga eandem perpetua observantia amplissima sua. qua pollet auctoritate consilioque suo et auxilio juvandum et promovendum gratiose suscipere dignetur. Hoc si fecerit (sicut facturam plane mihi polliceor) rem sua pietate dignam, Ecclesiæ Dei utilem, mihi vero gratissimam, et omni genere officii compensandam præstabit. Deus Opt. Max. Celsitudinem Vestram Rmam salvam nobis diutissime servet incolumem.

Vratislaviæ die 12. Julii Anno 1574.

Rmæ et Illmæ Cels. Vestræ
Addictissimus et obsequmus servitor
MARTINUS ELECTUS EPISCOPUS VRATISLAVIÆ.

Idem peragunt Canonici Vratislavienses, addito insuper amplissimo virtutum electi Pastoris elogio. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 98. fol. 207.

Rme et Illme Domine Dne observandissime, Rmæ et Illmæ Cels. Vestræ orationum nostrarum studia humiliter commendamus.

« Rme et Illme Domine. Postquam superioribus septimanis evocato ex hac mortali vita Rmo in Christo Patre Dno Caspare Episcopo nostro, ad diem primam Julii pro futuri Episcopi electione canonice celebranda convenissemus, servatis de jure servandis, invocataque Spiritus Sancti gratia Reverendum Nobilem et clarissimum Virum Dnum Martinum Gerstman J. U. doctorem, Ecclesiæ nostræ Decanum et Canonicum, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarium, Serenissimorum Archiducum Austriæ Mathiæ et Maximiliani præceptorem, in nuvum Episcopum concorditer elegimus, de cujus singulari eruditione, prudentia, fide, et dexteritate in his periculosissimis temporibus nobis et reliquiis Catholicorum conservandis et amplificandis plurimum pollicemur. Cum itaque Sua Reverenda Dominatio ad Urbem et Sacrosanctam Sedem Apostolicam mittat suos Nuntios Venerabiles Nobiles et eximios Viros Dominum Theodorum Lindanum sacræ theologiæ doctorem Archidiaconum, Christophorum Gerstman Vratislaviensium Ecclesiarum Canonicos, officii nostri esse duximus Reverendissimæ Cels. V. tam Reverendum Dominum electum quam suæ Dominationis Revmæ Nuntios humillime commendare. Rogamus itaque Rmam Cels. V. omni humilitatis studio, ut pro sua singulari pietate Reverendum Dominum Electum nostrum apud Suam Sanctitatem pro celeri expeditione benigne promovere, et Nuntios præfatos non solum clementer audire, sed etiam in causa confirmationis prosequenda juvare dignetur. Quod Rmam Cels. V. pro suo juvandæ catholicæ religionis studio clementer facturam confidimus, cui nos vicissim orationes nostras pro longæva et incolumi vita sine intermissione offerimus. Datum Vratislaviæ 12. mensis Julii anno 1574.

Rmæ et Illmæ Cels. Vestræ
Humiles et devoti Sacellani
CAPITULUM CATHEDRALIS ECCLESIÆ VRATISLAVIENSIS.

Martinus, nulla interposita mora, patrocinante Commendono, Episcopus confirmatus, eidem et gratias agit ac spondet, se omnia præstiturum, ut expectationi, quam de se conceperit, abunde responderet. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 98. fol. 211.

« Post officiosam mei commendationem, obsequia paratissima, Rme atque Illme in Christo Pater, et Domine, Dne fautor et patrone charissime plurimumque observande.

« Litteræ Rmæ atque Illmæ Paternitatis Vestræ 15. die Octobris datæ summæ humanitatis, benevolentiæ atque eximiæ de me expectationis et juditii plenæ acciderunt mihi multo maxime gratissimæ. Et quod quidem ad Paternitatis Vestræ Rmæ atque Illmæ egregium erga me humanitatis et benevolentiæ studium attinet, pro eo quas possum animo capessere maximas gratias ago, operamque me daturum sedulo polliceor, ut eadem me erga se pari vel multo etiam majore voluntate et studio perpetuo cognoscere queat.

« Quod vero Paternitas Vestra Rma atque Illma scribit, se magnam ex meo novo honore cæpisse voluptatem: ex eo agnosco singularem ejusdem erga me, non quidem ignotum, sed tamen vehementer gratum amorem et favorem, quo nihil charius, neque antiquius usquam mihi ducendum puto, magnopere rogans, ut Paternitas Vestra Rma atque Illma eum non modo non perpetuo integrum atque imminutum mihi conservare, sed etiam in dies magis ac magis benevole augere velit.

« Expectationi de me eximiæ atque præclaro Paternitatis Vestræ Rmæ atque Illmæ juditio, quod ego facio maximi, atque eo etiam majoris, quanto majore amplitudine et virtutis atque pietatis excellentia præstare eandem cognosco, si pro imbecillitate ingenii et virium tenuitate satisfacere atque per omnia respondere nequivero; agam tamen sedulo, ut ad imitandum id, non studium

mihi, neque industriam, neque voluntatem, cum in magnis voluisse sat est, appareat ullo tempore defuisse.

« Quod reliquum est, Paternitati Vestræ Rmæ atque Illmæ obsequentissimi animi studio me commendatum esse vehementer cupio, quæ de me certo sibi persuadeat, confidatque velim, si quid erit, in quo eidem meum offitium gratum esse poterit, id me pro summo et singulari erga se amore meo et studio libentissime semper facturum, atque ita etiam facturum esse, ut cognoscere queat, mihi præ se, cui magis ex animo dejunctum me sentiam, vivere neminem. Opto Paternitatem V. Rmam atque Illmam in Domino fœlicissime et quam diutissime valere. Datæ Nissæ quarto idus Decembris 1574.

Rmæ atque Illmæ Dominationis Vestræ
Studiosissimus Servitor
MARTINUS EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS.

V. — Præclarus ille Gropperus, qui, ut jam narravimus, anno præterito ad Germaniæ Episcopos atque viros Principes a Gregorio ad curanda fidei negotia ablegatus fuerat, Cardinalem Comensem amplis relationibus certiorem reddidit de iis, quæ aut ipse, aut per Nicolaum Elgardum, qui sibi itineris comes datus fuerat, nomine Pontificis egerat cum Præsulibus Trevirensi, Bambergensi, Moguntino atque Herbipolensi, cum Abbate Fuldensi, et cum Magno Magistro Ordinis Theutonicorum: cumque edocet, quam difficillimo loco Ecclesiæ res versentur in reliquis Germaniæ septentrionalis regionibus, ut Brunsvicæ, Halberstadiæ, Lubecæ, Verdæ, Bremæ, Osnabrugæ et Mindæ. En ipsius relationem, quæ sane maximi momenti censenda est. (*)

(*) Germania Vol. 31. fol 127.

Rmo et Illmo Domino D. Ptolomæo Gallio Novocomensi S. R. E. Cardinali presbytero dignissimo, Archiepiscopatus Sipuntini Administratori perpetuo Domino meo colendissimo.

Illustrissime et Reverendissime Princeps et Domine Domne Colendissime.

« Cum Illustrissima et Reverendissima Celsitudo Vestra nuper scripsisset, Sanctissimo Domino Nostro placere, ut vel denuo me ad Reverendissimum Archiepiscopum Moguntinum conferrem, vel si aliunde necessario præpeditus D. Nicolaum Elgardum theologum mitterem, qui Suæ Sanctitatis verbis cum ipso ageret, ut cum Provincialis Synodus pro horum temporum injuria difficulter celebrari posset, diœcesanam, et Archiepiscopatus sui saltem reformationem institueret. Cum vero id temporis pleraque tam ratione Episcopatuum Westphaliæ, quam etiam istius Metropolis agenda superessent, misi præfatum D. Nicolaum, qui cum dicto Archiepiscopo Moguntino, et nonnullis aliis Episcopis et Principibus eodem itinere, totis pene duobus proxime elapsis mensibus, de iis, quæ ad causam Christi et religionis in Germania potissimum spectant, credentiales quas vocant a me literas habens ea, quæ sequuntur, egit.

« Principio Reverendissimus ille Moguntinus extra suam diœcesim profectus erat, in quandam ditionem suam dictam Eigsfeldiam (in qua a triginta annis nullus Archiepiscopus Moguntinus fuerat) sitam inter Braunschwichiam, Saxoniam, Hassiam et Turingiam, ibidem D. Elgardus ipsum Reverendissimum Archiepiscopum convenit, et mentem Suæ Sanctitatis quoad diœcesanam Synodum, et civitatem Erfordiam, et id genus alia, exposuit. Reverendissimus Archiepiscopus respondit, se de reformatione nihil prætermissurum, quod ipsi possibile esset. De diœcesana Synodo, et Erfordia se responsurum, quando propius ad solitam suam residentiam reversus esset; jam enim se esse in longinqua, et diu non visitata regione, ubi multa, et tam in temporalibus quam spiritualibus essent ordinanda: proot etiam multa emendavit, ex oppido uno hæreticos concionatores amovit, criminosos, etiam Nobiles in carcerem conjecit, et alia similia, præsente Reverendo Patre Provinciale Societatis Jesu, utrumque melius ordinavit. Ad Brevia Apostolica de Ecclesia Monasteriensi et causa Fuldensi respondit, si requisitus fuerit in negotiis Monasteriensibus, libenter faciet, quidquid potest. De Fuldensi ajebat, se scripsisse bis ad Imperatoriam Majestatem prolixe etiam in Mulhausen civitate Turingiæ, Ducem Saxoniæ coram se monuisse, ne Reverendissimo Fuldensi ordinem contra leges imperiales præscriberet, qui sibi subjectus non esset, et similia multa. Respondit Saxoniæ Dux, quidquid fecisset, aliorum impulsu factum esse, se alioquin non velle cuiquam, nisi suis imperare, et alia similia, satis benigne. Unde idem Reverendissimus Moguntinus dicebat se sperare, Ducem Saxoniæ modestiorem in ea causa fore. Erat inde Reverendiss. Moguntinus in aliam similiter diu relictam ditionem in medio fere Hassiæ sitam profecturus, ubi se Landtgraviis etiam de causa Fuldensi locuturum dicebat: sicut postea profectus est, quid ibidem egerit, non mihi constat. Deinde isto mense Augusto Moguntiam est reversus: at ego responsum hactenus expectatum aliud nullum accepi: quare denuo literis monitus est, ad quas simul atque responsum accepero, sedulo ad Vestram Celsitudinem perscribam.

« Porro D. Cancellario Moguntino ducatos 100. nomine Suæ Sanctitatis misi, quos maxima et humillima cum gratiarum actione recepit, nec diffido, illum hanc Smi D. N. liberalitatem singulari animi promptitudine perpetuo promeriturum, prout et suis ad me variis datis literis prolixe explicavit.

« Cæterum ad Reverendissimum Fuldensem quoque D. Elgardus cum literis meis pervenit.

Cum expositum fuit, ne in persecutionibus deficeret, sed constanter in Domino ageret, et secundum decreta Concilii Tridentini magis magisque suum Principatum reformaret: si quid Sua Sanctitas eum juvare posset, confidenter indicaret. Respondit Reverendissimus Fuldensis se per Dei gratiam fortiter acturum, quod nihil magis in votis habeat, quam ut per omnia Sanctæ Matris Ecclesiæ, et Concilii Tridentini constitutionibus satisfiat: omnia autem temporis longitudine esse corruptissima: se etiam non dum habere apud suos eam obedientiam, quam propediem speret fore majorem. Multa porro necessario petiturum a Sanctissimo Domino Nostro veluti indulta, ut possit potestatem uni, aut alteri bono viro dare, ut legere possit libros alioqui prohibitos: item ut possit absolvere eos, qui sine licentia legerint, et qui ab hæresi serio converti voluerint. Item non quatuor tantum sint religiosi capitulares Fuldenses, et vix quisquam (si princeps decederet) utiliter posset regimini præfici, necesse esse ab adolescentibus conari. Se habere egregium adolescentem nobilem suæ religionis (quem Duaci apud Patres Societatis in studiis alit) valde sese desiderare, ut Sanctissimus Dominus Noster eum in collegium Germanicum reciperet, et aliquando ipsum virum doctum et pium Fuldensi capitulo redderet. Item se habere adhuc unum eximiæ spei nobilem ex media Hassia, qui spiritualis fieri velit, hunc quoque in Collegium recipi vellet. In summa, nihil sibi magis optandum, quam ut præter Patres Societatis haberet unum, aut alterum doctum et pium virum: mediocres alioqui sacerdotes, sperat se successu temporis ex suo Collegio seu schola habiturum.

« Deinde D. Elgardus Reverendo D. Decano Fuldensi locutus est, et offitii monuit, ut alias semel atque iterum a me ad Capitulum Fuldense scriptum fuerat.

« Respondit Decanus, ab initio rem fuisse plenam periculis, ita ut metuerunt, totum Principatum per adversarios fidei periturum, et ideo voluissent Rñum Principem in nonnullis sententiam mutare. Sed jam præsente D. Elgardo capitulum prolixissimas literas scribebat ad nobiles et status Fuldenses, quibus aperte significabatur, capitulum merito ab ipsis nobilibus dissentire, et suo Rño Principi adhærere velle etc. Refert præterea D. Elgardus, Rñum Fuldensem pro illa ætate (vix enim 30. annorum esse creditur) esse Prælatum et Principem pene incomparabilem, nec satis commendari posse. In tantis persecutionibus serenum, facilem in victu et amictu, et conversatione modestum, gravem: non tantum in sua Ecclesia Collegiata, verum et in Ecclesia Parochiali, in concionibus, processionibus (quod D. Elgardus coram vidit) errabundum populum suum magna pietate ac humilitate præcedit.

« Insuper a fide dignis Fuldæ D. Elgardus cognovit, Religiosos Fuldenses tam ignobiles, quam nobiles adeo a S. Benedicti regula defecisse, ut vix vestigium ejusdem appareat. Putabant nonnulli, si hæc res committeretur Reverendissimo Herbipolensi, et Reverendissimo Suffraganeo Moguntino, ut nomine Suæ Sanctitatis statum cognoscerent, et in ordinem eas redigerent, salus foret totius Principatus Fuldensis. Alii existimabant, non abs re fore, si Sua Sanctitas ad Reverendissimum Fuldensem, et Capitulares scriberet, hortando iterum eos ad unitatem, et significando, quod Sua Sanctitas ex paterna inclinatione eorum honori, et saluti maxime consultum velit, si juvandi modos ipsimet aperiant; unde mandet, ut ipse Reverendissimus Fuldensis et Capitulum Suæ Sanctitati scribant, quot sint numero religiosi, quot nobiles, quot ignobiles, quomodo vivant, an in communi an in privatis domibus, et his similia Suam Sanctitatem scire velle. Hac occasione Revñus Capitulares confidenter moneret, et Capitulares proprios fortasse defectus potius corrigi, quam ad Suam Sanctitatem transcribi permitterent. Postremo ait D. Elgardus, se cognovisse, quod in Principatu Fuldensi de plerisque oppidis, pagis, villis plane ignoretur, de cujus sint jurisdictione spirituali, maxime ut pertinent ad tribunal Ecclesiasticum, unde impune nubent, et nubentur in omni gradu cognationis spiritualis, et carnalis: de Sacramento Confirmationis nihil sciunt: nec invenitur ratio visitationis, nisi cognoscatur, cui competat.

« Postea D. Elgardus cum literis meis est profectus ad Reverendissimum Episcopum Herbipolensem. Cui dictum fuit, ut sua Reverendissima D. in memoriam revocaret, quæ Suæ Sanctitatis nomine prædecessori suo per me fuerint exposita: et vigilanter secundum S. S. Concilii Tridentini decreta reformaret.

« Respondit sese jam hinc inde aliquot parochos conjugatos, item hæreticos amovisse, et ex schola sua meliores spei sacerdotes substituisse. Dictum est S. Reverendissimæ D., ut Collegium et Seminarium juraret augeri, et fundationem confirmari. Respondit post acceptam confirmationem facturum se, quidquid possibile foret. Sibi deesse bonos viros, quibus uteretur in visitatione, et se cogitare quidem de Synodo Episcopali celebranda, sed metuit, ne infructuose id fiat, quamdiu non est celebrata provincialis: quemadmodum enim (inquit) Provincialis Synodus debet dirigi ex præscripto œcumenici Concilii, ita diœcesana Synodus secundum Provincialem debet formari. Optabat ejus Rña D., ut Reverendiss. Archiepiscopus Moguntinus Provincialem Synodum institueret: si Episcopi non possent commode convenire, mitterent suos Oratores, Suffraganeos, Archidiaconos et similes Præ-

latos, fideles catholicos. Nec inde sinistram apud quemquam suspicionem oriri posse, cum Archiepiscopum deceat, suæ gentis depravatos mores emendare.

« Hinc D. Elgardus itidem cum literis meis ulterius profectus est ad Illustrmum Principem Magnum Magistrum Ordinis Teotonici in oppidum habitationis suæ Mergetheim: ubi est quoddam collapsum monasterium ordinis Sancti Dominici, quod per ejus religionis fratres nulla ratione (licet conati sint) reedificari, aut conservari potest. Itaque Illustrissimum Magnum Magistrum D. Elgardus rogavit, an non aliquo consilio dictum monasterium in meliores posset converti usus, verbi gratia, si a sua Illustrissima D. aliquid contribueretur, ut duo, aut tres Patres Societatis Jesu ibidem habitarent, qui juventutem neglectam, et populum per vicinos undique circulatrantes hæreticos plane seductum, docerent atque formarent.

« Respondit ipse Illustrissimus Magnus Magister primo non carere periculo, Patres ibi introducere, propter inquietos vicinos Principes, quibus dicti Patres vehementer essent odio. Secundo, se suumque Ordinem ita ubique imminutum esse et gravatum, ut sumptus omnes sint futuri difficiles. Tertio, si Ecclesiæ necessitas postulet, sese cum suis manum, vitam et sanguinem pro fide Catholica positurum: talem autem institutionem scholarum, et concionatorum pertinere ad Prælatos et Episcopos. Respondit D. Elgardus, se ea de re Rmo Herbipolensi (qui ordinarius dicti loci est) locuturum, ut in reditu factum est. Et Rmus Herbipolensis quidem hac in re debitam operam promittit: sed uterque dictorum Principum plus facturus, si a Sanctissimo Domino Nostro monerentur: esset enim opus istud Episcopatui Herbipolensi imprimis, tum toti fere Germaniæ utilissimum.

« Ulterius hinc D. Elgardus meis literis itidem perrexit ad Reverendissimum Bambergensem, cui cum D. Elgardus viva voce nonnulla quæ essent de mente Suæ Sanctitatis exposuisset, jussit Reverendissimus Bambergensis, ut in scriptis ipsi summam rerum exhiberet, quod et factum est, ut sequitur.

« Primo diligenter agendum circa doctrinam fidei, et Religionis Catholicæ, ut popolus Dei tandem intelligat, et videat varietatem, et inconstantiam hæresum, discatque unam esse verum fidem, ut unum baptisma, et quod Deus unus est.

« Respondit Rmus Episcopus, ut sequitur:

« Jam fit sedulo præsertim per D. Suffraganeum; et porro de pluribus Catholicis concionatoribus obtinendis cogitavit.

« Secundo cogitandum de reformatione morum, præsertim Cleri: si non possunt statim corrigi omnia et gravissima, corrigantur quæ sunt possibilia: veloti ut debita reverentia et cultu SS. Sacramenta administrentur, et habitus cleri clero sit conveniens: deinceps graviora scandala paulatim tollantur.

« Respondit: Quantum tempus et commoditas pateretur, se hoc diligenter facturum.

« Tertio juvari posset in utroque genere, estque omnis reformationis fundamentum et radix schola et seminarium, in quibus a teneris juventus non tantum scientia, sed diligentius pietate morum imbuatur. Ad quod institutum Sanctissimus Dominus Noster paterne commendat operam Patrum Societatis Jesu, quorum scientia orbi cognita, pietas in populum, et charitas in juventutem perspecta est. De quibus si dicitur, eos Catholicis etiam multis odio esse, respondet non satis esse odisse, sed justi odii justas causas reddidisse.

« Respondet: Libenter faciet scholam meliorem, si fortasse non potest per Patres Societatis, per alios fiet tamen Catholicos.

« Est porro hoc institutum juvandum, primo quoad locum habitationis, et sumptus modo a SS. Concilio Trident. Sess. 23. capit. 18. præscripto. Constat autem in Episcopatu Bambergensi nonnulla bona Ecclesiastica seu monastica vacare, quæ scholis ex permissione Sanctissimi D. Nostri forte applicari possent.

« Dicit aliquot monasteriorum bona a prædecessore S. D. N. Episcopo concessa, ut debita solvantur.

« Ait, Episcopatum fuisse gravatum 1400000 aureis, et adhuc esse gravatum debitis 600000.

« Secundo juvari posset reformatio, si unus aliquis vir bonus Visitator adjunctis cooperatoribus institueretur, qui cum discretione ea, quæ sine timore majoris mali emendari possent, initio maxime in Ecclesiis parochialibus corrigeret: verbi causa, ut ea, quæ in omnibus in universum Ecclesiis circa SSmum ac tremendum Corporis et Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi misterium sunt et fiunt, ad eam referrent munditiem et splendorem, ut opera spectantibus fidem, et divinæ Majestatis præsentiam testarentur: sic de reliquis.

« Respondit, hac de re etiam cogitabit, quid fieri possit.

« Item tertio vehementer juvaret reformationis negotium, si catechismi, postillæ, similesque libri catholici Episcopatui inferri curarentur: ita enim meliori causa et ratione prohiberentur et tollerentur a populo etiam per confessarios libri noxii, si non deessent catholici.

« Respondit: Hoc jam pridem cœptum est et in dies magis fiet.

« Quarto cum Rmus Episcopus Bambergensis sit immediate sub paterna cura, et clementissima protectione Sanctissimi Domini Nostri, eo benignius Sua Sanctitas in omnibus consilio, au-

xilio, authoritate, literis, personis, et quocumque poterit salutari ac pacifico modo (dummodo ipsius Rmi D. Episcopi pia et justa desideria cognoscantur) juvabit.

« Porro nemo ignorat, in momento atque illico non posse omnia fieri; sed tamen rebus dandum est initium, ut Ecclesia et superior in ea potestas cognoscat, populum curæ esse Prælatis: et coram Deo, si non quod debuimus, saltem quod potuimus, fecisse inveniamus.

« Humillime gratias agebat Sanctissimo Domino Nostro, cujus Sanctitati se obedientissimum (quantum in ipso foret) perpetuo permansurum ajebat.

« Postremo quantumvis parvum sit initium, pii cum spirituales, tum seculares homines, ubi manifestum fructum honestæ ac sanctæ educationis suorum perspexerint, propediem negotium juvabunt, qui nunc vix intelligunt, quid velimus, dum de meliore atque accomodatiore juventutis institutione agimus. Deus vero per omnia in omnibus, sanctos conatus semper in melius provehet.

« Dicebat, plerosque capitulares non esse præsentes, cum iis se mature deliberaturum, deinde Domino Nuncio Apostolico scripturum.

« Hæc ita ad verbum D. Elgardus Reverendissimo Bambergensi scripto tradidit, qui ad singula, ut annotatum est, respondit. Refert præterea D. Elgardus Reverendissimum Bambergensem esse Catholicum, nec esse de hoc dubitandum. Item ipsemet Reverendissimus asseruit, se Sanctitati Suæ Apostolicæ per omnia, quantum posset, fore obedientissimum. Et licet ipsius vita hactenus fortasse non fuerit tam casta, ut decebat Episcopum, tamen in cæteris videtur officium suum libenter facturus ad cujusvis consilium. Sed ex formidine (vir enim simplex et mitis apparet) nihil attentat, nisi prius Capitulo placeat. Percepit autem D. Elgardus in Capitulo non omnes ad reformationem esse inclinatos, neque perfecte fortasse omnes Catholicos.

« Tandem in reditu D. Elgardus convenit Reverendissimum Archiepiscopum Trevirensem, qui inter alias difficultates, in quibus dicebat Sanctissimi Domini Nostri consilio et auxilio se indigere, narrabat, Ducatum Lucenburgensem, qui est in potestate temporali Regis Catholici, majore ex parte de sua esse jurisdictiune spirituali. Gubernator autem et Magistratus dicti ducatus prætendunt placetum quoddam (ut ipsi vocant) seu antiquum privilegium, quasi Archiepiscopus Trevirensis nihil possit in causis Ecclesiasticis, nisi seculari Magistratui prius requisito placeat. Sub hoc prætextu impeditur tota cura, et offitium Episcopale: Clerus redactus est sub servitutem sæcularium, similiter beneficiales, et aliæ omnes causæ Ecclesiasticæ aut jacent, aut a profanis pro libito agitantur. Hinc maxima et impunita Cleri corruptela, et populi confusio et scandalum, et gravamen non parvum conscientiæ Archiepiscopi, idque multis jam annis apud prædecessores etiam duravit, nec finis est futurus, nisi Suæ Sanctitatis subveniat auctoritas, consilium et auxilium. Vellet ergo Reverendissimus Trevirensis, ut Sanctissimus Dominus Noster cognosceret, quidnam privilegii id esset, et an per Concilium Tridentinum non sit ei derogatum. Re autem cognita Sua Sanctitas vel apud superiorem Magistratum Brabantiæ (cui ducatus Lucenburgensis subest) vel potius apud ipsum Regem Catholicum ageret, ut jurisdictioni Ecclesiasticæ sua libertas relinquatur; alioqui neglectis, confusis et destructis rebus spiritualibus, et cultu Dei, futurum, ut neque temporalia maneant quieta, justo Dei judicio, quod in multis aliis Belgiæ locis cum dolore videmus, et deteriora formidamus.

« Hæc ad Celsitudinem Vestram ex relatione D. Elgardi scribenda videbantur.

« Cæterum adhuc duo animadversa sunt, quæ apud multa Capitula in Germania non sine detrimento disciplinæ Ecclesiasticæ usurpantur.

« Primo nonnulli Decani Cathedralium Ecclesiarum ex statutis antiquis plus habent in clerum potestatis, quam ipsimet Episcopi: ejusmodi autem Decani plerumque non reformant pro temporum rerumque necessitate, et Episcopos, si reformare velint, non admittunt.

« Secundo ubi id ex antiquis non fit statutis, novas quotidie tempore electionis Capitulationes (quas vocant) conficiunt, in quibus licet sint nonnunquam quædam necessaria ad tuenda Ecclesiarum jura; tamen interdum etiam inseruntur quædam, quæ dignitati, et offitio Episcopali plurimum præjudicant. Hinc videntur plerique Episcopi sua Capitula Cathedralia nunquam reformare, unde clerus, præsertim nobilis valde liber et laxus esse videtur a statu suo, ad ea quæ Clericos parum decent, in omni pene conversatione vitæ suæ.

« Quomodo his malis remedium afferri possit, Suæ Sanctitatis paternæ prudentiæ relinquitur. Nonnulli putabant consultum fore, ut Episcopis in posterum confirmatio non daretur, nisi juramentum Capitulo prestitum ostenderent, ut bona per Sedem Apostolicam probarentur, et noxia expungerentur. Sed alii metuunt, ne hoc pactu exacerbarentur (ut nunc exulcerata sunt omnia) et confirmationem aliam nullam, quam Regalium ab Imperatore peterent. Alii existimabant consultius, si Sanctissimus Dominus Noster scriberet ad Episcopos, et cognosceret, si quid tale esset, quominus officium facere possent, Sua Sanctitas proprio motu tales absolveret.

« De doctis et bonis viris Germanis quæsitum erat, quorum opera Sanctissimus D. N. uti secure posset. De Reverendissimo Suffraganeo Mo-

guntino dicitur, eum esse doctissimum, optimum et probatum virum.

« Item Rm̃us Suffraganeus Bambergensis Theologiæ doctor, lingua Germanica pleraque pro fide Catholica in lucem edit zelosus et in laboribus semper. Hactenus bene et utiliter in Episcopatu Bambergensi versatus, sed necdum ut Suffraganeus Moguntinus probatus.

« Apud Reverendissimum Archiepiscopum Trevirensem est etiam quidem D. Nicolaus Nittel, qui doctissimus et probatissimus dicitur. Ante septennium fuit alumnus Collegii Germanici in Urbe, ubi de ipsius conversatione investigare licet. Reverendissimus Trevirensis eo viro in necessariis Ecclesiæ negotiis seipsum sineret spoliari, (ut D. Elgardus retulit) ut toti Germaniæ ubicumque posset, prodesset. Sed fortasse Patres Societatis Jesu dictos viros et Dominos melius noverunt.

« Ad hæc Illustrissimam et Rm̃am Celsitud. Vestram celare non debeo, Illm̃um D. Julium Ducem Brunzwicensem nuper ad me scripsisse; deinde etiam D. Georgium Gogreff Decanum Sancti Martini oppidi Mindensis (in Romana Curia cognitum virum) ablegasse, ut is suo nomine copiose, prolixeque, quibus potissimum rationibus pro filio suo Heinrico Julio postulato Halberstatensi a S. D. N. confirmatio obtineri posset, mecum ageret, prout et diligenter egit. Cumque ego vicissim amanter illi explicarem, quas ea res pateretur difficultates, præsertim cum ille Heinricus Julius, dum adhuc anniculus pene esset, postulatus fuisset, et a Pio V. felicis recordationis postulatione hujusmodi examinata repulsam passus fuerit. Præterea adhuc etiam vix octavum ætatis annum egressus, tantæ functioni multo adhuc tempore idonee (ut horum tamen temporum extrema necessitas postularet) præesse non posset. Accederet etiam, quod cum ipse Julius Postulati pater, a morte D. Ducis Heinrici sui patris infelicem Catholicæ Religionis in suo Ducatu mutationem introduxisse, ac veterem abrogasse, palam diceretur. Necdum etiam satis constaret, cujus religionis et pietatis illi essent, quibus idem Heinricus Julius pietate, et literis imbuendus commissus. Eaque de causa difficile satis huic rei commode instituendæ, et perficiendæ, denuo principium dari posse, maxime quod sacri Canones et Tridentini Concilii decreta aliam ætatem, mores, eruditionem, pietatem et his similia plurima ad Episcopalis offitii executionem maxime necessaria requirant. Ad quæ idem D. Georgius (qui missus fuerat) respondit: D. Julium Ducem patrem nihil eorum, quorum meminissem in educatione et institutione D. Postulati filii sui prætermissurum; præterea ea omnia executurum, quæ S. D. N. pro illius Ecclesiæ salute, et Catholicæ Religionis conservatione, et exaltatione mandaret. Ad quæ dicebam, si ista Illm̃us Dux Julius suis literis ad S. D. N. mittendis se curaturum promitteret, præterea eorum, qui filium suum D. Postulatum doctrina et moribus formandum susceperunt, Catholicæ fidei professionem exhiberet, ac cætera præstaret, me tum singula Romam perscripturum. Quæ quidem supradictus D. Georgius se curaturum offitiose promisit: ac ita tum a me discessit. Ac demum post plurimos dies rescripsit, se de iis, de quibus locuti fueramus, cum Braunzwicensi multis egisse, ac illi Duci cuncta probari. Ex certis tamen causis illum maluisse, ut principio Imperator hujus confirmationis gratia S. D. N. et Illm̃is et Rm̃is quibusdam Cardinalibus scriberet, postmodum mente et clementissima voluntate S. D. N. intellecta, illum in iis, quæ per illum præstanda forent, suo offitio etiam minime defuturum. Ac propterea nunc Imperatoriæ Majestatis ad S. D. N. et Illm̃os et Rm̃os Madrutium protectorem et Delphinum Cardinales literas, una cum aliis, quæ ad hujus postulationis perurgendam approbationem faciant, huc (quo mea opera tute Romam perferantur) transmittere, ipsumque Ducem quam maxime cupere, ut hujus postulationis tantopere desiderata confirmatio (quantum pro impositæ functionis ratione mihi liceret) promoveretur. Ego autem etsi a quibus, et qua potissimum ratione iste D. Postulatus instituatur, hactenus certo cognoscere non potuerim, neque ulla fidei professio adhuc appareat, tamen quod a me petitum fuit (ne S.D.N. et Illm̃am et Rm̃am Celsitudinem Vestram horum quicquam lateret) omnino præstandum putavi. Heinricus Roverius tam a D. Postulato, quam Halberstatensi Capitulo est constitutus procurator, is omnia ad eum transmissa exhibebit, ac fidei suæ commissa solita integritate et sedulitate explicabit. Et si forte expedire videbitur, ut certior illius diœcesis, et D. Postulati, rerumque omnium ad hujusmodi confirmationis negotium spectantium cognitio habeatur, forte abs re non fuerit, ut quidam Canonicus Halberstatensis Gotifridus Dimerius (qui in illa Ecclesia novissime resedit) et ante paucos dies hinc Romam profectus, coram audiretur. Is enim sub jurisjurandi religione viva voce, ea quæ ad præsentem illius Ecclesiæ statum, D. Postulati ætatem, mores, vitam et institutionem, ac cætera omnia (quæ eo spectare viderentur) coram commodius explicaret, ut cognitis universis S. D. N. pro paterna et Apostolica sollicitudine certius, quod illius Ecclesiæ incolumitati expediret (antequam res ad deteriora prolaberentur) clementissime statuere posset. Qua in re et Imperatoria Majestas (quæ hujus Postulationis promotionem suscepisse videtur) a S. D. N. monita, operam quoque suam accomodare posset.

« Scribunt nunc ad me Mindensis Decanus, et

Georgius Gagreff Episcopum Lubecensem, qui ante plures annos etiam Ecclesiam Verdensem sine ulla Sanctæ Sedis dispensatione, aut confirmatione occupatam detinet, quendam Judocum Freise ad ipsos misisse, ac petiisse, ut quanam potissimum ratione Verdensis Ecclesiæ confirmationem nunc demum obtinere posset; ipsi communstrare non gravarentur. Se autem ad confirmationem petendam et obtinendam paratum, si ultra soliti juramenti præstationem, neque ad fidei professionem, vel alia quæcumque astringeretur. At illi responderunt, quod illa, quæ Sacri Tridentini Concilii decretis continentur, et quibus Christiani orbis Prælati, Archiepiscopi, et Episcopi debita observantia se libenter submiserunt, honesta ratione detrectare nec deberet, nec posset. A multis cognovi: illum, licet quoad Lubecensem Ecclesiam confirmationem Apostolicam dudum obtinuerit, tamen illius diœcesis Clero, et libertati Ecclesiasticæ potius obfuisse, quam aliquam pro muneris susceptatione contra oppressores defensionem præstitisse. Arbitrantur etiam plerique, quoad confirmationem Ecclesiæ Verdensis ipsum ultra non progressurum. Ne autem id passim impune ab aliis in exemplum trahatur, cogitandum relinquitur, an ne expediret, ut S. D. N. Verdensi Capitulo scriberet, quod nisi illius Ecclesiæ Postulatus tanti temporis contumaciam purgaret, debitamque Sanctæ Sedi obedientiam præstaret, et confirmationem peteret, ac impetraret, Sñum D. N. suo offitio diutius deesse non posse. Credunt multi hujusmodi Apostolicam admonitionem fructum haud pœnitendum allaturam.

»Hisce etiam diebus Rñus Bremensis et Osnaburgensis Postulatus Laurentium Schradæum Consiliarium suum ad me misit, qui suo et Osnaburgensis Capituli nomine multis omnia ea coram exposuit, quæ in illius Ecclesiæ postulatione acciderunt, simulque declaravit, singula jam Romam transmissa, cupereque ex me intelligere, si quid præter ea fieri deberet, utque dictæ postulationis negotium pro celeriori confirmationis concessione (quantum in me foret) commendare non gravarer. Cognitis autem omnibus, quæ in ea postulationis transactione gesta fuerunt, etsi utcunque toleranda viderentur, dicebam tamen, vix me opinari, eam fidei professionem, prout facta invenitur, ex Tridentini Concilii præscripto sufficere. Nam licet Abbas Hertzfeldiensis dicat D. Postulatum fidei professionem fecisse, tamen cum illa professio instrumento non inseratur, nec per Postulatum subscripta inveniatur, hinc fieri, ut de ejus validitate dubitare non cessem. Tum Schradæus fidei professionem in alia charta scriptam, et per D. Postulatum manu propria subnotatam, suoque sigillo munitam ostendit, cupiens, ut literis meis fidem facerem, me illam integram, inviolatamque conspexisse. Verum cum et illa fidei professio in fine clausulam hanc haberet, scilicet salvis aliis juramentis et promissionibus antea per Reverendissimum Dñum Postulatum præstitis: quæ verba cum considerassem, ipsum Schradæum submonebam, quod nisi priora juramenta, et promissiones ostenderentur, me multum adhuc metuere, ne et hujusmodi fidei professio sufficere posset. Tum ille multis declaravit, cujus rei potissimum causa illa clausula necessario adjecta fuerit, nempe quod cum quædam in Germania Constitutio (quam pacem Religionis appellant) extet, et in illa inter cætera caveatur, ne Principes aut Domini suos subditos, qui antea a Catholica Religione defecerunt, ipsos invitos ad eam redire, donec aliud in Imperio statutum foret, compellant. Et cum ipse dudum ad Bremensem Ecclesiam postulatus fuisset, a suis subditis (qui ab obedientia Sanctæ Romanæ Sedis et Catholica religione dudum recesserant) antequam ad ullam gubernationem admitteretur, coactum, ut ipsis in fide Principis promitteret, quod præter hanc Imperii Constitutionem ipsos quoad religionis causam attineret, nec urgeret, neque gravaret. Et cum jam ad Osnaburgensem Ecclesiam etiam postulatus fuisset, subditique Bremenses id intellexissent, atque animadvertissent, illum fidei professionem Sanctissimo D. N. daturum, illos impetu quodam cum ipso egisse, ne præterea, quæ in Imperio statuta, et ipsis promissa fuissent, quicquam præsumeret. Et tum denuo promittere coactum, se contra dictam constitutionem, suamque promissionem contra ipsos invitos nihil attentaturum: et propterea ne aut levitatis, aut promissionis immemor argueretur, neve manifesto et inevitabili periculo se subjiceret adductum, ut hanc clausulam: Salvis etc. fidei suæ professioni subscriberet. Quemadmodum idipsum Jo: Paulo Castellino, et constitutis procuratoribus jam esset significatum. Ad quæ ego, etsi nescius essem, quid hac in re Sanctissimo Domino Nostro probaretur, consultius tamen mihi videri, ut pura fidei professio daretur. Quod ad assertam Imperii constitutionem attineret, illam mihi incognitam: hoc tamen scire, eam jure divino, et sacris constitutionibus improbatam. Præterea cum Catholicæ fidei professio a D. Postulato, quoad subditos suæ curæ commissos attineret, ultra ea quæ in ipso forent, non requireret, superfluum videri hæc nimium scrupulose et anxie scrutari. Et propterea consultius futurum, ut et ipse D. Postulatus circa formam professionis fidei eadem, quæ cæteri Catholici Prælati præstiterunt, et ipse præstaret. Quæ quidem Schradæus (qui missus fuerat) diligenter se D. Postulato relaturum promisit: ac insuper, ut manu mea eadem ad ipsum perscriberem, rogavit. In quo petitioni suæ haud gravatim satisfeci, firma spe fretus, eundem D. Postu-

latum in hoc (sicut in cæteris, quæ ad Catholicum Prælatum pertinebunt) expectationi Sanctissimi D. N. abunde satisfacturum.

«Præter ista Capitudum Mindense per Syndicum suum (quem ad me ablegavit) plures (quibus illa Ecclesia pro horum temporum injuria premitur) difficultates aperuit. Cum quo, de plerisque quæ aut agenda, aut vitanda videbantur, ex Sacrorum Canonum et Tridentini Concilii præscripto, quantum memoriæ tunc occurrebat, contuli. Et cum illi utrumque satisfactum videretur, cuncta se illis, a quibus missus fuerat, relaturum dicebat. Sed præter ea, etiam duo alia petebat, ut scilicet propter tenuitatem præbendarum, et præsentis seculi calamitatem, authoritate Apostolica aliquot Canonicatus supprimerentur, et illius Ecclesiæ præpositura Capituli electioni permitteretur, prout cedula hisce adjacente copiosius continetur. Ego cum utrumque difficultate non carere indicassem, ille rogabat, (prout et Capitulum enixe petere asserebat) ut ad minus ad Sanctissimum D. N. perferrentur, cum et ejus rei gratia Romæ procuratores jam constituti essent. Sanctissimus D. N. quid suæ Beatitudini magis expedire videbitur clementissime statuet.

«A multis ad me perfertur, Reverendissimum Dñum Confirmatum Mindensem nec Sanctissimi Domini Nostri, nec aliorum Catholicorum expectationi, et Ecclesiæ necessitati satisfacere: et propterea plerique utile futurum arbitrantur, ut vel Sanctissimus Dominus N. eum sui offitii, et quid præsens rerum lamentabilis status ab eo postularet, admoneret, vel Archiepiscopo Coloniensi Metropolitano, ut is illud offitii penes illum exequeretur, demandaret; alioquin multi pii et boni viri valde metuunt, ne illa Ecclesia gravioribus periculis exponatur. De iis, quæ mihi cum ipso agenda commissa fuerant, et quid apud illum profuerim, nuper scripsi, quæ modo repetere superfluum duco.

«Sunt in Germania, et præsertim sub Moguntino, Trevirensi et Coloniensi Archiepiscopis, aliisque Episcopis plura insignia monasteria Ordinis Sancti Benedicti, in quibus olim literarum et virtutum scholæ florebant: nunc vero miserabilis eorum facies apparet. Egi cum aliquot hujus religionis Abbatibus, ut juxta regulæ et Sancti Benedicti institutum necessaria aliqua reformatio institueretur. Verum illi multa impedimenta, ac temporum iniquitatem prætendebant: quæ tamen quo sunt calamitosiora, eo magis Abbates illos et fratres suæ regulæ et vocationis memores esse oporteret. Sed illi præter communia illa gravamina, etiam vel de hoc conquerebantur, quod nisi illius religionis patribus et fratribus carnium esus moderate saltem permittatur: quod nec idoneos fratres, aut monachos colligere, vel etiam jam collectos, admissos et professos in offitio continere queant; atque ideo plane illi ordini expedire arbitrabantur, ut saltem aliquot in septimana diebus carnibus vesci liceret, prout supplici libello Sanctissimo D. N. exhibendo copiosius sunt prosecuti, quem ut Romam mitterem, valde rogarunt. Scio ante multos annos idem tentatum: et licet interea, licentia Sanctæ Sedis Apostolicæ petentium votis expresse (quod ego sciam) non accesserit, promiscue cum tamen in omnibus fere hisce Germaniæ monasteriis carnium usus indulgetur: cum sine illius permissione monachos et fratres habere se non posse, nec divinum cultum in illis monasteriis observare constanter adseverent: ac propterea Sanctissimi D. N. indulgentiam hac in re plane necessariam (antequam deteriora contingant) arbitrantur. Quid autem Sua Sanctitas illi Ordini magis expedire judicaverit, Illustrissima et Reverendissima Celsitudo Vestra facile cognoscet. Forte non abs re foret, si quæ modo ab istis Germaniæ Abbatibus petuntur, Illustrissimo et Reverendissimo D. Protectori Generali, et cæteris præcipuis ejus religionis patribus deliberanda et expendenda committerentur: et quæ tunc magis idonea, vel necessaria apparerent, aut permitterentur, aut negarentur.

«Postquam ea, quæ pro instauratione et reformatione studii Coloniensis longo tempore tractata, deliberataque nuper Romam transmissa fuissent, duorum Collegiorum Sancti Laurentii, et Montis, Regentes me convenerunt, declarantes omnino providendum fore, ne ex illis marginalibus annotationibus, quas Provisores addiderunt, ipsorum Collegiis ullum præjudicium fieret. Nam cum illa duo Collegia circa annum 1504 a Valentino Engelhardi a Gertersheim Sacræ Theologiæ Doctore, et aliis præclaris viris fundata et erecta, et in fundationibus expresse cautum fuisset, quomodo et a quibus dictis Collegiis Rectores et prælectores constituendi forent; propterea peterent, ut de istis Sanctissimus D. N. omni cum humilitate admoneretur, ne scilicet quovis modo Senatui et provisoribus facultas concederetur, in hujusmodi Collegiis moderatores, vel lectores constituere, vel destituere; sed illa potestas penes illos, quibus in testamentis concessa, et qui ea hactenus usi fuissent libera relinqueretur. Alioquin enim dictorum Collegiorum et studiorum magna turbatio subsecutura foret, cum non doctiores et meliores, sed qui sanguinis et parentelæ propinquitate vincerent (reliquis exclusis) præferendi forent. Visis itaque testamentis, et cognitis iis, quæ ex immemorabili usu subsecuto approbationem meruerunt, ad preces dictorum Regentium hæc etiam perscribere debui: Ut si Sanctissimus Dominus Noster pro hujus universitatis instauratione quandoque aliqua statuere decrevisset, ne quoad horum Collegiorum Regentes et lectores constituendos, aut

destituendos, contra fundatorum ultimam voluntatem, tot annorum inviolabili observatione comprobatam, Senatui et provisoribus quicquam permitteret, sed juberet, ut dictis Collegiis Regentes et lectores more majorum constituerentur. Quod cum rationi convenire arbitrentur, sperant dicti Regentes, Sanctissimum Dominum Nostrum justæ ipsorum petitioni facile et clementer locum daturum.

«Demum Provisores, et præcipui plerique ex Senatu, diligentissime etiam mecum egerunt, quo Illustrissimam et Revmam Celsitudinem Vestram humillime rogarem, ut apud Sanctissimum Dominum Nostrum intercedere non gravaretur, ut primus Canonicatus et præbenda, quam in collegiata Ecclesia Sancti Georgii apostolice vacare contingeret, Pastori parochialis Ecclesiæ beatæ Mariæ et sancti Lysolphi conferretur, perpetuisque futuris temporibus dicto pastoratui Apostolica clementia uniretur, ex causis in adhærente memoriali latius expressis. Et licet copiose ipsis explicaverim, Senatui et provisoribus Universitatis non deesse commodas occasiones, quibus nedum illi sed omnium parochialium Ecclesiarum civitatis Coloniensis necessitati commode providere possent: cum ex indulto Bonifacii jus nominandi, et alios tres integros menses Apostolicos usurpent, in quibus vacantes Canonicatus et beneficia, si idonee dispensarentur, nec in scholis, nec in Ecclesiis parochialibus, idonei professores et pastores essent defuturi. Cum hodie quadraginta septem et plures in civitate inveniantur, qui hujusmodi beneficia occupata detineant, et tamen pauci ex illis, aut scholis, aut Ecclesiis, cum quem deberent, et quem jurejurando sancte promiserunt, fructum reddant.

«His tamen surda aure præteritis, in sua petitione perstiterunt. De paupertate quidem Ecclesiæ constat, et sane idoneo pastore (hoc præsertim tempore) eget; quare Sanctissimus D. N. an præter tanta Sanctæ Sedis Apostolicæ et suæ Beatitudinis præstita beneficia, in hac etiam parte supplicantium petitionibus annuendum putaverit, clementer et benigne statuet. Christus Jesus Suam Beatitudinem et Illustrissimam et Reverendissimam Celsitudinem Vestram sua gratia cœlesti tueatur, ac Reipublicæ Christianæ conservet. Coloniæ xv. die mensis Augusti Anno Salutis humanæ 1574.

Illmæ et Rmæ Celsitudinis Vestræ

Deditissimus et obsequentissimus Servitor

Caspar Gropperus m. pp.

Haud aspernanda sunt, quæ idem de restaurandis in Germania litterarum studiis, et præ primis de Universitate Coloniensi refert. [*]

[*] Germania Vol 34 fol. 148.

Reverendissimo et Illustrissimo Domino, Domino Ptolomeo Gallio Novocomensi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Presbytero, Archiepiscopo Sipontino et Domino meo Colendissimo.

Illustrissime et Reverendissime Princeps et Domine Domine Colendissime.

«Literas Illustrissimæ et Reverendissimæ C. V. xi. Septembris ex Urbe ad me clementer datas, ea qua debui observantia accepi. Et quantum ad studiorum in hac Coloniensi Universitate instaurationem attinet, ut hactenus quæ pro horum temporum infœlicitate, continuoque motu, et nunquam satis digne deploranda inquietudine, aliqua commoda ratione fieri potuerunt, diligenter promota: ita ubi primum Sanctissimi D. N. clementissimam voluntatem, sacramque jussionem cognovero, ea quæ superesse videbuntur, urgere non cessabo, donec opus istud Ecclesiæ Dei, et huic provinciæ, imo toti Germaniæ tantopere necessarium, ad eum quem oportet finem perducatur, quo vel tandem scholis idonei professores, et Ecclesiis in lege Domini exercitati fideles pastores, animarumque curatores reddantur. Quod cum moltis jam annis aut prætermissum penitus, aut valde saltem negligenter præstitum, illæ quas videmus et deploramus gravissimæ difficultates, et rerum omnium tam divinarum, quam humanarum turbationes, et inextricabiles dissensiones (quæ utinam Dei Omnipotentis misericordia quandoque, et citius componantur) natæ fuerunt. Mala ista quidam sentiunt, et deplorant multi, et tamen vel avaritia, aot propriis commoditatibus excæcati, ea, in quibus magna et potissima reformationis pars consistit, aut negligunt prorsus aut crasse dissimulant. Nam etsi ex Sanctissimorum Pontificum indultis plurima professoribus conferantur beneficia, munera tamen et offitia in concessionibus Apostolicis injuncta et requisita negliguntur. Etsi interim Bonifaciana et Paulina indulta, a professione cessantium beneficia vacare, et tales occupatores fructus suos minime facere, manifeste declarent. Ipsimet etiam provisi juramento obligati, ut juxta indultorum præscriptum, continuo legendo, regendo, docendo, injuncto muneri satisfaciant. Fuit frequenter magnopere laboratum, quomodo huic malo aptum aliquot remedium adhiberi posset: et cum aliqua proposita fuissent, statim negligentes et cessatores isti desidiæ suæ patronos invenerunt, quibus (quæ turpiter omissa fuerunt) palliandi conquisiti colores non defuere, adeo ut tot modis misere afflicto isto sæculo cuncti tantum, quæ sua et non quæ Jesu Christi sunt, quærere non cessent. Quo itaque omnis cessationis et frandis hactenus commissæ negligentia et exquisita palliatio submoveri posset, quidam expedire arbitrati sunt, ut singularum Facultatum Decani singulis annis Sanctissimo Domino Nostro litteris suis significare tenerentur, quot in sua Facultate (qui hujusmodi beneficiorum possessione fruerentur) haberent professores, et quid illi toto anno professi, et constito, quod indultis Apostolicis non fuisset satis-

factum, eadem beneficia incontinenti conferrentur aliis, qui vellent et possent verbo et opere ea exequi, propter quæ Sanctissimi Pontifices ad Christi gloriam, et Ecclesiæ incolumitatem hujusmodi beneficiorum dispensationem et distributionem concessissent.

« Alii etiam judicarunt, inquisitores aliquot sive syndicos aut palam, aut clam constituendos, qui sub jurisjurandi religione eos, qui per mensis spatium professionis munus intermisissent, denunciare tenerentur; vel quod in singulis congregationibus Universitatis, dum de nuvi Rectoris et Decanorum electione agitur, diligens inquisitio per modum visitationis fieret, quid hujusmodi beneficiati profitendo et docendo sub illo Rectore et illis Decanis suis Facultatibus commodi, utilitatisque attulisseut; nam uno aut alio ex istis (vel si etiam commodioribus et magis upportunis quæ excogitari et statui possent) remediis hujusmodi cessatores saltem aliqua ex parte in uffitio contineri posse plerique (qui rebus Catholicæ religionis consultum cupiunt) sunt arbitrati.

« Quod vero ad eos attineret, qui aut omnino nollent, aut nun possent professionis munus (propter quod tamen beneficium et illius emolumenta asseculi essent) idonee, et cum studiosorum auditorum fructu sustinere, ut illi ad minus eam quantitatem (quæ commode pensionis nomine ex hujusmodi beneficio præstari posset) illi Facultati, in qua profiteri tenebantur, vel illis, qui vices illorum legendo et docendo utiliter sustinerent, præstandam conferrent. Istis, aut aliis magis forsan opportunis remediis negligentium, et tam turpiter cessantium socordia (si modo Sanctissimorum Puntificum piis concessionibus, et Christianæ Reipublicæ præsentibus necessitatibus aliqua saltem ex parte satisfieri debeat) excitanda fuerit. Abusus enim, qui invaluerunt, nisi superiorum autoritate comprimantur, in dies ex prava observatione, pessimaque licentia et corruptela majores vires sument, adeo ut postmodum emendationis remedia difficilius sint admissura.

« Reverendissimi Domini Bremensis et Osnaburgensis Postulati fidei professionem minus recte factam, ut ad præscriptam a Sancta Sede Apostolica formulam aptaretur, dudum multis cum suo Consiliario Laurentio Schradæo coram egi: quemadmodum et me xv. præteriti mensis Augusti perscripsisse memini. Quas litteras cum jam redditas sperem, modo prolixior non ero: miratus sum valde, quod is qui antea hic Coloniæ varia pietatis et Catholicæ Religionis (quemadmodum testium dicta comprobant) inditia reliquerat, tam subito eo devenisset, ut putaret, diversis et quodammodo contrariis fidei professionibus se duobus Dominis illo sursum, alio deorsum tendente satisfacere posse. Intellexi etiam interea (quod invitus scribo) de morum innocentia et vitæ puritate aliquid decessisse, ut quidam etiam nescio quid metuere incipiant, quasi principatus potius, quam Episcopalis functio quæsitus videatur.

« Scripsit nuper Schradæus ille (cujus jam memini) D. Postulatum etiam propter illam, etsi minus legitime factam fidei professionem, haud levibus tamen periculis se exposuisse, quemadmodum Illustrissimæ et Reverendissimæ C. V. ex ipsius adjunctis litteris benigne intelliget. An autem ista talia sint, ut propterea quoad fidei professionem aliquid remittendum vel immutandum, Illustrissima et Reverendissima C. V. facile dijudicabit. Demus enim in Bremensi diœcesi forsan quosdam insolentiores esse: an hinc Osnaburgensis Ecclesia, quæ non illi, sed Coloniensi Archiepiscopo est Suffraganea, aliquo discrimini erit exponenda?

« Dum vero Illustrissima et Reverendissima C. V. clementer significat, ut donec hujusmodi Confirmationis negotium Romæ tractatur, Osnaburgense Capitulum (ne illius Ecclesiæ possessionem, administrationem ne ullam ipsi Postulato, antequam a Sancta Sede Apostolica confirmationem obtinuerit, permittat) per me admoneatur: in eo etsi absque periculo difficile aliquid fieri possit, cum capitulares illi cuncta, quæ cognoverint, D. Postulato aut verbis, aut litteris sint revelaturi, faciam tamen, ut rectius potero, quo intelligant, D. Postulato in illa diœcesi ante Apostolicæ confirmationis concessionem nihil licere: neque ipsos illi aliquid sive circa possessionis apprehensionem, sive administrationem permittere posse.

« Quæ Illustrissima et Reverendissima C. V. de Sacri Jubilæi appropinquante anno (quo spirituales Ecclesiæ thesauri aperiuntur) scribit, ea ut mandatur, diligenter exequar, et Illm̃o Juliæ et Cliviæ Ducis sacrum Breve reddi curabo, cæteraque exemplaria Bullæ publicationis ipsius Jubilæi inter Christianos et Catholicos Principes Electores, Archiepiscopos, Episcopos, et cæteros Sacræ Romanæ Ecclesiæ obedientes status distribuam; in Domino confidens, ipsos paternæ, Apostolicæ, clementissimæque voluntatis, et admonitionis, imo et propriæ salutis, consequendarumque indulgentiarum minime immemores futuros.

« Quandoquidem variis argumentis cognosco, ex plurimis suo ordine successive missis literis, aliquas suo tempore minime redditas, quemadmodum et quasdam Illustrissimæ et Reverendissimæ C. V. ad me (prout ex aliis C. V. litteris cognovi,) datas magno desiderio adhuc expecto. Et dum isto sæculo, quo omnes omnia sibi permittunt, etiam litterarum prædatio passim impune exercetur, volui trium ultimarum xv. Aug. x. et xxvi. Septembris scriptarum exemplaria istis

conjungere, ut si illæ suo tempore (quod tamen minime desiderarim) redditæ non fuissent, copiarum lectio vel jam tardius (quæ antea novisse oportuerat) suppleret. Deus Optimus Maximus Illustrissimam et Reverendissimam C. V. sempiterno protectionis suæ fulgore atque gratia perpetuo illustret, atque conservet.

Coloniæ vi. die Octobris Anno Salutis humanæ 1574.

Illmæ et Rmæ Celsitudinis Vestræ

Deditissimus et obsequentissimus Servitor.

CASPAR GROPERUS m. pp.

Postremo narrat, quæ cum Duce Cliviæ de ipsius filio postulationis in sedem Monasteriensem confirmatione egerat. [*]

[*] Germania Vol. 84, fol. 182.

Illustrissimo et Reverendissimo Domino, Domino Ptolomeo Gallio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Archiepiscopo Sipontino, Domino meo Colendissimo.

Illustrissime et Reverendissime Princeps et Domine, Domine Colendissime.

« Novissime 17. proxime lapsi mensis Novembris, quæ cum Illustrissimo Juliæ, Cliviæ et Montium Duci super iis, quæ Monasteriensem confirmationem concernebant, et a Sanctissimo Domino Nostro pro illius Ecclesiæ salute desiderabantur, acta fuerunt, perscripsi. Sed quum ille tunc cuncta se maturius consideraturum inter cætera respondisset, sub finem proxime jam exacti mensis Novembris Hambachium in Ducatum suum Juliacensem me evocavit. Et quum prolixe sollicitudinem vere paternam Sanctissimi Domini Nostri, qua erga ipsum natosque suos, imprimis autem erga tam nobilem Monasteriensem Cathedralem Ecclesiam afficitur, commendasset (Cancellario suo Wilhelmo ab Orspach proloquente), subjungebat, cuncta ea, quæ a Sanctissimo Domino Nostro pro majori securitatis cautione desiderarentur, sibi summopere placere, seque nihil æque, quam quod cuncta ea debito effectui et executioni demandari possent, exoptare. Verum cum capitulationes et cautiones hinc inde jam sint firmatæ, nihil sibi licere, nisi simul Capitulo Monasteriensi, et illius statibus consentientibus. Etiamsi autem ipse quam maxime vellet, eadem illis quoque persuaderi posse, ipsum tamen citra gravem suspicionem nihil audere; ne, dum ille hæc promovere inciperet, illi in suspicionem veniret, quasi hæc ipso procurante a Sanctissimo Domino Nostro proficiscerentur, ipseque capitulationum et cautionum minus tenax observator judicaretur, et nedum hac levitatis atque inconstantiæ nota apud Monasterienses gravaretur, sed etiam cæteri sui hæreditarii subditi, et fideles alium eum jam redditum, quam hactenus fuissent experti, forent suspicaturi; cum apud Germanos, præsertim autem Principes et Nobiles viros ea consuetudo loco firmissimæ legis invaluerit, ne ab iis, quæ semel placuissent, postea ab altera partium, etiamsi utriusque inter paciscentes conditio melior redderetur, quovis modo recedere liceat; unde nec sibi præter existimationis suæ gravem jacturam hac in re penes Monasterienses quicquid tentare permitteretur, sed ea omnia mihi agenda, considerandaque relinquat; maxime autem se cupere, ut quibus possem rationibus, Monasterienses etiam commoverem, ut quæ paterna sollicitudine Sanctissimus Dominus Noster constituta cuperet, ipsi quoque Monasterienses Status approbarent atque sequerentur. Tum enim nihil residuum remanere, ex quo ipsum vel inconstantiæ, aut pactorum minime tenacem unquam arguere possent. Sin autem Monasterienses difficiliores (quod minime crederet) experirer, neque illi, ut Sanctissimi Domini Nostri vere paternis mandatis prompte parerent, adduci possent, tum Sanctissimo Domino Nostro opportuna remedia non defutura, quo minus eadem quam clementissime, prudentissimeque considerata fuere, debitæ executioni demandarentur. Nam cum cautiones inter ipsum Ducem et Capitulum, statusque diœcesis Monasteriensis initæ, Sanctissimum Dominum Nostrum Supremum Principem et Dominum non ligent, posse Suam Sanctitatem in ipso confirmationis diplomate hæc eadem, et alia quæ placuerint inserere ac mandare, ut illis per omnia satis fiat. Quidquid enim hac in re (sicut in cæteris omnibus) Sanctitati Suæ optimum videtur, ipsum Ducem diligenter curaturum, atque servaturum: etsi quasi hæc ab ipso proficiscerentur, Monasterienses scire nollet. Superesse itaque ut de iis, quæ diligenter cum ipso pertractassem, cum Monasteriensibus eadem sedulitate quoque agerem: se interea quantum citra levitatis, inconstantiæ et existimationis suæ jacturam facere posset, cuncta diligenter promoturum. Cum itaque quid hac de re cum Illustrissimo Duce ultra agerem, nihil pene haberem: scripsi Monasteriensi Capitulo, ut locum et tempus magis commodum, quo cum ipso agere possem, significaret: supervenisse enim quædam, quæ potius coram ore ad os, quam litteris explicari possent. Si enim illis minime præmonitis accederem, vel plerosque forsan absentes vel alia impedimenta tractationem suspendere posse. Sed hactenus tabellarius ille, quem miseram, ad me non est reversus. Statim ubi locum, tempusque opportunum cognovero, efficiam, ut nihil eorum, quæ vel per me fieri poterunt, quicquam prætermittatur. Dissoluto vero conventu atque colloquio, et mutua communicatione finita, ut cuncta successerint, fideliter, diligenterque litteris meis renunciabo.

« Quod autem ad secundum, si forte D. Postulato contingeret quandoque aliam vitæ rationem inire, ut tunc Imperator vel aliquis Princeps Elector caveret. Hoc quoque ipse Dux sibi mini-

me displicere respondit; imo plura, quæ nunc postulentur, dudum præstita: ajebat enim Imperatorem ipsum jam fidem suam in eum eventum interposuisse. Filium quoque suum primogenitum Illustrissimum Principem Carolum Fridericum, quæ ab eo fieri Sanctissimus Dominus Noster voluerat, abunde etiam complevisse. Præterea cum in ipsis capitulationibus casus iste nominatim matureque fuerit prævisus, et consideratus, et amplissimæ cautiones adhibitæ: ipsum Ducem vix animadvertere posse, quid ultra ab eo vel desiderari posset, aut debeat, cum plurimi Prælati, et viri nobiles in ipsis capitulationum cautionibus illi eventui sua fide, et omnium bonorum hypotheca abunde prospexerint. Quorum substantiæ cum in ipsa Diœcesi Monasteriensi sint sitæ, abundantius ipsi Ecclesiæ utique consultum, quam si aliquis adhuc Princeps ea de causa adeundus foret: cum tutius ipsi Monasteriensi Ecclesiæ sit futurum, rei incumbere, quam potentiorum fidem, atque promissiones sequi. Unde quoque idem Illustrissimus Dux benigne a me desiderabat, ut dictarum Capitulationum veridicum exemplar describi curarem, manusque meæ subscriptione et sigillo munirem, ac Romam mitterem. Illo enim viso, omnino confideret nihil remansurum, quod amplius ab ipso Duce juste expectari, aut merito præstari debeat. Quod ad exemplum autem, sive copiam Capitulationum attinet, quia originalibus me legente et inspiciente in singulis conveniebat, subscripsi ac una cum hisce litteris junctum transmitto. Ubi cuncta solita maturitate considerata deliberataque fuerint, Sanctissimus Dominus Noster quid factu optimum judicaverit, clementer benigneque statuet, etsi satis manifeste animadverterim, Duci videri, quod Sanctissimus Dominus Noster nimis anxie de promissionum fide per ipsum præstanda dubitare videatur. Hæc ut Illustrissimæ et Reverendissimæ Celsitudini Vestræ innotescerent, hisce litteris curandum putavi: quam Christus Jesus suæ Reipublicæ, quam diutissime fœlicem atque incolumem conservet. Datum ex Arce Hambach Ducatus Juliæ 13. Decembris Anno reparatæ salutis 1574.

Illmæ et Rmæ Celsitudinis Vestræ

Deditissimus et obsequentissimus Servitor

Caspar Groperus.

VI. — Bartholomæus quoque ex Comitibus Porciæ, alter quem Gregorius ad Principes Germaniæ, et præcipue ad Archiduces Austriæ ad negotia Ecclesiæ curanda miserat, frequentes cum iisdem sermones habuit. Dux Bavariæ ipsi sequenti scripto, quod ei Augustæ Vindelicorum mense Septembri obtulerat, consilium communicat de Ducis Brunsvicensis filio in Episcopum Halberstadiensem postulato, de restaurandis litterarum studiis, de reformandis Religiosorum atque Monialium moribus, nec non de spe, quæ ejus animo affulgere videbatur, Principem virum Ducem nempe Saxoniæ S. R. I. Principem Electorem mox ad Ecclesiam Catholicam reversurum fore. [*]

[*] Germania Vol. 39. fol. 438.

« Quæ Sanctissimi D. N. Summi Pontificis nomine atque mandato Reverendus in Christo Pater D. Bartholomæus Comes Purtiliarum, Abbas Modii Sanctitatis Suæ Nuntius, Serenissimo Principi Domino Alberto Comiti Palatino Rheni utriusque Bavariæ Duci etc. sermone scriptoque explicavit, ad ea Serenissima sua Celsitudo primum reverenter agit gratias, quod Sanctitas Sua non solum de iis, quæ ad filii dilectissimi Principis Ernesti salutem atque dignitatem facere videantur, sed etiam de summis et gravissimis aliis Reipublicæ atque religionis negotiis, tam paterne tamque benigne secum communicare dignetur. Atque Optimi Pontificis consilia, sicuti plena sunt sanctitate, sapientia ac pietate, ita Serenissimum Principem sic afficiunt atque occupant, ut nihil tam sibi ab immortali Deo expetat, quam præsentem atque efficacissimam facultatem, qua conferre ad ea plurimum possit. Sane piissimæ sunt hæ pro Illustrissima Domo Bavarica, pro præsentibus Reipublicæ Christianæ difficultatibus cogitationes Sanctitatis suæ, quibus officio pietateque sua libentissime ac promptissime semper aderit Serenissimus Princeps.

« Halberstatensem causam, licet ea ex Brunsvicensis maxime Ducis jam diu susceptis consiliis atque machinationibus extra periculum esse minime videatur, ita tamen suscipiet Serenissimus Princeps, ut quæ tam ad Episcopatus salutem atque securitatem quam Capituli ipsius consolationem pertineant, neglexisse minime videatur: inque cum usum per idoneos homines curabit, ut si vim aliquando paret Dux Brunsvicensis castrisque et oppidis istius Ecclesiæ armis immineat, non desit consilium et auxilium. Quia vero conficiendi totius istius negotii summa in eo facile sit, ut Illustrissimus Princeps Ernestus Administrator Frisingensis per liberam et canonicam Capituli electionem seu postulationem ad Ecclesiæ Halberstatensis gubernacula vocetur, non deerit hic voluntati S. D. N. urgebitque et impellet capitulum, ut ad ejuscemodi electionem absque omni mora procedat. De qua quidem ex capitularium manifesta voluntate optime sperat Serenissimus Princeps, nec intermittet etiam augere interim istum erga filium favorem, additis subinde et institutis quæ ad repentinos casus necessaria videbuntur, sicuti superius dictum est. Et Breve quidem illud Sanctitatis Suæ ad ipsum Reverendissimum D. Nuntium dirigi, vel ob id e re istius negotii futurum erit, ut is, antequam offeratur Capitulo, cum Serenissimo Principe ulterius conferat, quid facto sit opus, si quid nihil ex Brunsvicensis Ducis motibus pertimescendum hic est, id eo tempore sese osten-

det maxime, postquam ex reddito Brevi de Sanctitatis Suæ mandato apud Capitulum plene constiterit, ipseque Dux Julius viderit, se et causa et expectatione cecidisse. In quem eventum necessarium omnino judicatur, ut sub ipsum novæ electionis sive postulationis tempus castra et oppida Episcopatus munita tutaque sint, in quo pollicetur operam suam Serenissimus Princeps, sed et conferre existimat ad meliores rei successus, si aliud etiam Breve mittat Sanctitas Sua ad Metropolitanum Moguntinum, quo totum negotium benignissime illi commendet, utque authoritate sua Capitulo adsit, hortetur. Quod si etiam Sanctissimus Dominus Noster in suis ad Imperatorem ipsumque Ducem Brunsvicensem responsionibus rationes aliquas, quæ ad hanc rem adsunt gravissimæ, serio urgeat, spes erit fortassis mitius cessurum negotium. Et Imperatori quidem satisfacere posse videretur, si admoneatur de Julii Ducis consiliis non ita obscuris, quibus nimirum non aliud hoc loco querat, quam ipsius Episcopatus extinctionem atque suppressionem ultimam, neque expectari debere æquius ab eo, qui desertis catholicæ Ecclesiæ partibus ad Augustanæ confessionis errores aperte transierit, filium quoque talem effecturum proculdubio, qui etiam nullam habeat Sanctæ Sedis judicio atque sententiæ reverentiam aut obedientiam, sed potius contra eam, inque ejus contumeliam castra et oppida Hyldesheymensis Ecclesiæ violenta manu teneat. Posse etiam hic exemplo esse alios plures septentrionalium terrarum Episcopatus ad internecionem deletos, maxime insignem Archiepiscopalem Cathedram Magdeburgensem, cujus doleri quidem possint vices, juvari autem atque restitui non ita facile. Ipsi vero Julio Duci si Sanctitas Sua significet, nihil se hic aliud, quam ipsius Episcopatus præsentes difficultates atque necessitates considerasse, deque tali sollicitam fuisse Episcopo, qui per ætatem notasque virtutes iis rebus adesse ipse possit, nec defuturam Sanctam Sedem filii sui dignitati, si eum in catholica religione priscæque pietatis exercitiis ita educatum cognoverit, ut Ecclesiasticis rebus idoneus et utilis judicari queat, æquiorem forte illi parabit mentem, aut saltem ab apertis illum deducet injuriis. Neque enim tum gravior esse debebit Ecclesiæ isti, quod ea filio puero committi non potuit, nec etiam electo vim facile inferre, a quo æquitatem ipsam stare viderit, Suæque Sanctitatis voluntatem manifestam. Et si factis adtentare quippiam voluerit, non deseret Serenissimus Princeps filii causam.

« Tentandi porro Saxoniæ Electoris quam antehac sæpius Sanctissimo Domino Nostro itemque Cardinalibus Hosio atque Commendono familiariter syncereque explicavit Serenissimus Princeps, neque videt hoc tempore quo superiora consilia mutet. Ex familiari sane ipsorum Principum colloquio, si ex ullo remedio alio ejus rei opportunitas aliqua suboriri poterit, id quod brevi etiam futurum videtur. Et tunc minime negliget Sanctitatis Suæ piissimam voluntatem suumque proprium votum Serenissimus Princeps, legationis, scriptionisve omnis nullum hic plane fructum videri, cum quæ ita proponantur, ex communi Germanicorum Principum consuetudine, vel non audiat solus, vel intellecta ad consiliarios et familiares statim referat. A quibus quid expectandum sit aliud, quam quod rem totam perturbet atque evertat, nemo facile judicabit, cum ipsorum vel maxime intersit, Principem in admissis erroribus atque tenebris fortissime teneri, inque alia re nulla esse constantiorem, quam ut sanis obluctetur consiliis, neque redeat facile in veræ salutis viam, quæ tanta cum præfracti animi insolentia, tamque impotenti fastu deserta est abjectaque jam diu, sic ut etiam laudem quærat præcipuam ex illius matris, quæ salutem ipsorum omnibus modis sitit et exoptat, odio atque contemptu. Quod si etiam mittatur eo nomine vir aliquis maxime industrius, qui tentet Principis animum, metuitur tamen, ne exinde obfirmetur potius in proposito, quam præparetur futuræ secretiori collationi; sed absterreatur quoque Princeps iste, sic, ut cum præsentem esse contigerit, in familiare aliquod colloquium difficulter descendat. Arte siquidem hic opus esse judicatur, quæ tanquam aliud agens, errantem pie circumveniat, qui ex professo et manifeste oblata consilia nulla penitus admittet, præsertim cum præter tot alia domi suæ impedimenta perpetuum ibi sit, et acre admodum ex uxore obstaculum, quæ quo ex sexu impotentiori concitatior est, eo importuniora suffundet consilia, si resciscat hanc apud maritum rem agi, cui sese miris modis atque contentionibus hucusque opposuit. Resciscet autem omnino, quicquid non instituerint, semotis arbitris omnibus, Principes ipsi, si modo vel illud quoque clam eam esse possit. Nihil itaque hic directe, nihil ex proposito instituendum videtur, donec ex inventa occasione Principem per indirectum quodammodo occupari contigerit.

« Pro reformatione monasticæ disciplinæ cum varia hucusque tentarit Serenissimus Princeps, tum illud etiam intelligere fuit perjucundum, quod a Sanctissimo D. N. et benignissimis literis et Reverendi Domini Nuntii verbis atque scripto hic proponitur. Atque primum equidem est, quod ad restitutionem priscæ sanctæque Monasticæ quamplurimum facit, ut accedat nimirum qui professioni alicui nomen daturi sunt, quam maxime idonei, nihil adferentes de mundo, cui renuntiare constituerunt. Hoc tamen an institui queat fœlicius, antequam Ordines ingrediantur juvenes, an vero post data sua vota, dubitatum est in his partibus, non tamen ex sapientum virorum judiciis, quam ipso ejus rei magistro u-

su. Plerique enim cum a pueris ad solitariam vitam animo atque studio recte ferantur, postquam aliquos in literis progressus faciunt, disciplinam et perfectionis onera horrere videntur; at vicissim qui in tenera illa ætate mundo reluctari primum discunt, postea liberalibus studiis adhibiti, voto institutoque suo constantius inhærent. Cogitatum itaque est sæpe, ut in hunc usum vel hic, vel Ingolstadii penes Patrum de Societate Jhesu collegia, peculiaris quædam domus esset, in quam ponerentur hujus provinciæ valentes ingenio Monachi juvenes, et literarum et pietatis studiis imbuendi; nec procul abest talis aliqua commoditas in utrovis locorum jam dictorum. Et Ingolstadii quidem ædificatum est Sereniss. Principis pietate atque liberalitate amplissimum Collegium novum, quod eos solummodo capiet, qui sacris studiis et pietati sese mancipant. Inde ad Monasteria quoque pervenient, qui reliquis exemplo esse queant, sicuti ex dictorum Patrum scholis plures quotidie ad varia Monasticorum Ordinum Instituta confluunt juvenes in literis atque pietate egregie exercitati. Et Cistercensium Generalis, cum superiore æstate sui ordinis Monasteria per Bavariam visitaret, selegit aliquot juvenes Monachos, primo vere ad ipsum mittendos in Galliam, quos necessariis doctrinis virtutibusque instructus remittet ad certam totius Instituti dignitatem. Id si ex aliis Monasteriis Bavaricis aliorum quoque Ordinum Generales expetiverint, nulla erit difficultas, cum nihil tam optet Serenissimus Princeps, quam ut prisca illa omnis pietatis domicilia sint purgatissima; sicuti effectum quoque est suæ Celsitudinis pietate, et quæ graviora atque enormiora iis in locis conspicerentur, statim sint correcta et sublata, ita ut Bavarica Monasteria quantum quidem per temporum horum impedimenta fieri omnino potuit, non ita turpia aut scandalosa hucusque aparuerint. Quod idem in posterum etiam præstabitur sedulo, atque sic satisfacere posse videtur Sanctissimi D. N. voluntati, si in hac civitate domus constituatur pro solis junioribus religiosis, in qua illi prima et pietatis et litterarum rudimenta imbibant, quos deinceps in gravioribus Theologicis studiis absolvendos perficiendosque suscipiat collegium illud novum Ingolstadiense, sic ut habitura sit Bavaria, unde Monasteriis suis recte atque utiliter consulat. Qua etiam commoditate perfrui licebit aliis vicinis Monasteriis, atque illorum quoque Generales non abs re fecerint, si juniores aliquos Monachos, studiis et pietati aptiores ad Italiæ Monasteria evocant, in quibus recte perficiantur.

«Superest jam, ut de gravissimo negotio, Germania nimirum ad Turcici belli, quod Italiæ imminet, considerationem excitanda, de quo S. D. N. cum Serenissimo Principe tam benigne agere voluit, respondeatur, atque hic, si quod res est dicendum veniat, nihil sanctius ab Optimo Pontifice, nihil Reipublicæ Christianæ necessarium magis a vigilantissimo omnium pastore proponi aut prospici potuit hoc tempore. Ea etenim hæc est calamitas, quæ post occupata remotiora quidem membra, universo corpori extremam perniciem minatur. Neque propterea minus censeri debet malum Germaniæ, quod vel in Italia, vel Hispanicis Regnis arsurum primo videtur. Nostra quippe sunt incendia, quæ finitimos tangunt parietes: nostra pericula, quæ proximorum imminent visceribus, et æquiori fortuna sese muniunt, quorum auxiliis finitima sunt in tuto. At vero qua ratione, quo consilio ad istam suam fœlicitatem permoveri queat, sui ipsius tam negligens Germania, inque propinquus sua fata tam præceps, nemo facile dixerit, communium rerum paulo peritior. Verendum quippe est, ne ea vicina pericula aut contemnat fortiter, aut si curæ habere maxime velit, conferre tum vires aut nolit per religionis discordiam, perque fœderis Cæsarei opinionem, aut non possit ita efficaciter, per privata sua impedimenta. Rei equidem sanctissimæ et honestissimæ obstacula ex his fere dependent. Argumento hic esse possunt impiæ Lutheranorum Præconum voces, a clarissima sancti fœderis victoria superiori auditæ, quibus Turcarum potius fortunam execrando quodam scelere optasse videbantur quam Sanctissimi Pontificis atque Christianorum, quorum armis cessuras tandem metuebant hæreses atque errores, in Rempublicam Christianam sua improbitate invectos. Et icti quoque cum Turcis renovatique fœderis, et si ad Germanos proprie non pertineat, religionem multi pluris facient, quam ejus fidei sacramentique necessitatem, qua Deo ipsi per Baptismum, qua Ecclesiæ per Christi servatoris mandatum sunt obligatissimi. Jam vero si Episcopi, cæterique Principes Catholici et civitates sus omnis libenter conferant, neque obstent etiam, quæ tamen plurima esse poterunt adversæ religionis partium impedimenta, minus hoc erit ad tantæ rei difficultates sustinendas. Itaque quando sic visum est Sanctissimo D. N. ut in re summi momenti, quid sentiat Sereniss. Princeps, quidve facto judicet opus, syncere dicat: unicum hoc occurrit consilium, ut nimirum S. Sua negotii molem, totumque periculum Cæsareæ Majestati quamprimum aperiat, summaque authoritate atque contentione elaboret, ut primo quoque tempore Imperii Comitia cogat. Interim donec conveniant Germanici Principes S. Sua cum Rege Hispaniarum, cumque Italiæ Principibus rei deliberationem, futuræque defensionis consilia suscipiat: sic ut ad primos Statuum Imperii Consessus, et suæ Sanctitatis et omnium simul Italiæ Principum atque Statuum Legati et Oratores adsint, qui de præsentissimis non Italiæ modo, sed totius Europæ adeoque universæ Christianæ Rei-

publicæ periculis atque necessitatibus uberrime exponant; deque Imperii Romani, cui et fidei Christianæ et orbis universi tutela non obscuro divini numinis favore commendata sit, viribus atque armis consilia et auxilia rogent. Poterunt tum etiam catholici in istius rei studium excitari privatim majori cum fructu, quam si disjuncti jam compellantur; poterunt persuasiones suffundi, quibus adversæ etiam religionis status ad officium et Reipublicæ curam adigantur, quales certe cum ex Hungariæ fortuna, tum ipsorum Italiæ Principum meritis peti poterunt innumeræ; neque dubium est Serenissimo Principi fœlicius cessurum, quod sic communi totius Italiæ nomine in publico quæratur, ubi minime defuturi sint extremi catholicorum conatus, quibus quicquid habet Sereniss. Princeps authoritatis atque facultatis, ita libenter prompteque adjunget, ut quam sæpe probavit Sanctissimæ Sedi fidem atque devotionem suam, et maxime in re quæ S. D. N. ita cordi est, sicuti ea summi Pastoris officio esse potest. Quia vero et Imperii Ordinum atque Statuum conventus non ita facile coguntur, et si conventum sit maxime, de consiliorum tamen eventu, maturioribusque auxiliis non statim certum sit futurum, providebit ex altissima sua sapientia beatissimus Pontifex durioribus casibus, nedum sua quadam mala fortuna moras nectit Germania, aut propriis difficultatibus implicata, opem consiliumque explicat tardius, detrimentum gravius capiat Italia. Certe vel sola Hungaria documento esse potest, quam sint tardi Germani ad tuendos sociorum vicinorumque parietes; quantisque distrahantur difficultatibus, si decreta etiam præstanda sint subsidia.

« Hæc ut ad Sanctissimum D. N. pro sua prudentia commode decenterque referat Reverendus Dominus Nuntius, atque Halberstadensem causam, in quam studii atque benevolentiæ plurimum jam posuit, habeat commendatissimam, benigne et amanter orat Serenissimus Princeps.

VII. — Quæ Gropperus et Bartholomeus a Porcia de ærumnoso Ecclesiæ Germanicæ statu retulerant, Pontificis animum adeo ingenti mœrore affecerant, ut nihil ei potius fuerit, quam ut ad ingentem hanc malorum vim propulsandam paratissima ac pervalida remedia adhiberentur. Illud vero ad erigendum ejus animum valuit plurimum, quod spes aliqua eum subiit, fore ut excelsi Principes, Saxonicus scilicet et Holsatiensis, qui tanquam firmissima Reformatæ Ecclesiæ columina habebantur, ad Ecclesiam redirent, ab hac enim non admodum alienato esse videbantur animo. Quare nullum caritatis officium apud Bavarorum Ducem omisit, ut pro viribus niteretur ad hos præclarissimos et celsissimos viros ab suis abducendos erroribus inque catholicam Ecclesiam inducendos. En quibus verbis Pontifex hoc in negotio Ducem Bavariæ alloquitur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 234. f. 160.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

«Dilecte fili Nobilis vir salutem, et Apostolicam benedictionem. Ut nihil est, quod magis debeat cordi esse Vicario Christi animarum salute, quæ ipsi Christo fuit propria vita charior; sic quæcunque spes hujus salutis ostenditur, nihil est, quod impensius, atque alacrius suscipiendum putemus. Gravissime vero de iis angi debemus, quos videmus versari in maxima pernicie; constat autem nihil esse hæresi perniciosius; siquidem deterius multo est, cognitam, atque adeptam semel veritatem, et Catholicam fidem deseruisse, quam nunquam agnovisse. Itaque si Adulphus Olsatiæ Dux non simulate ostendit cupere hæreticam impietatem deserere, atque ad Sanctam Matrem Ecclesiam, hoc est ad certissimum portum salutis redire, inque eo liberos suos collocare, et educare; nihil est, quod huic negocio prævertendum putemus, neque quod tam laborandum ducamus, quam ut cum omnibus velis, remisque impellamus. Hanc autem ejus voluntatis explorandæ, et si syncera fuerit reperta, adjuvandæ provinciam tuam potissimum esse, cupimus charissime fili; novimus enim prudentiam et pietatem tuam, ac Christi gloriæ zelum, libenterque hoc Nobilitati Tuæ munus committimus, unde immortalem a Deo mercedem referre possis: nam si magnæ mercedis est, inquit Gregorius, a morte eripere carnem, quandoque morituram; quanti meriti esse debet liberare animam, in cœlesti patria sine fine victuram? Tanti nimirum est, ut Jacobus Apostolus sic confirmet, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum: quid quod nunc, non de unius tantum hominis, sed de universæ illius provinciæ salute agitur? Maximum enim populo utramque in partem, vel ad recte, vel ad male vivendum incitamentum est vita atque exemplum principis. Incumbe igitur per Deum toto pectore in hanc curam, si profeceris, quod quidem precamur, experietur Adulphus omnibus in rebus paternam nostram erga se et natos Suos charitatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Aprilis MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Haud absimiles sunt litteræ, quas eidem de procuranda Ducis Saxoniæ conversione dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 603. f. 245.

Dilecto Filio Nobili viro Duci Bavariæ.

GREGORIVS PP. XIII.

«Dilecte fili, Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex omnibus rebus, quas Principes possunt magna cum laude et fructu, magnaque cum populorum salute et felicitate agere, atque curare, nihil potest esse majus ac laudabilius, nihil fructuosius ac beatius, quam iis rebus

invigilare, quæ pertinent ad animarum salutem et Dei gloriam. In his autem nihil præstantius, quam curare, ut Catholicæ fidei sinceritas, quam hæretici fœdare et perdere moliuntur, pie sancteque colatur, utque eorum fallaciæ simulatæ cujusdam pietatis integumentis involutæ quam maxime patescant. Quæ cura ubi non suæ cujusque Principis ditionis finibus continetur, sed ad alias quoque gentes extenditur laboraturque, ut ab illis pestilentissimum hoc hæreticorum virus noscatur viteturque, nihil potest fieri majus, nihil Deo acceptius. Quod igitur egregiam occasionem nactus Ducis Saxoniæ indignationis atque odii in eos, qui se invito Calvinianam hæresim spargere ausi fuerunt, miseris ad eum homines pios ac peritos, qui hæreticorum perversitatem et perniciosas artes aperirent, eamque eum ad suavissimam Catholicæ veritatis lucem vocarent, summamque apud bonos omnes laudem, apud Deum vero mercedem et gloriam consecutus es. Nam cum nihil possit esse Deo acceptius salute animarum suo sanguine redemtarum, cumque hæc salus extra Catholicam ecclesiam nusquam esse possit, necesse est, nullum Deo laborem gratiorem esse eo, qui in Catholica fide edocenda, inque hominibus ex tenebris Sathanæ, hoc est ex hereticorum præstigiis eripiendis insumitur. Tuum vero meritum eo etiam redditur cumulatius, quo majus est pro multarum animarum, quam pro unius tantum salute laborare. Neque enim dubium est, quin si Dux ipse Catholicam veritatem aspicere voluerit atque ex tartari tenebris emergere, hoc ejus exemplum omnibus illis populis profuturum sit, maximumque ad resipiscendum incitamentum futurum. Quod si minus successerit, tuæ certe optimæ voluntati eadem ipsa, quæ facto merces reposita erit. Voluntatem enim accipit Deus, remuneraturque pro se ipsa, ubi quid obstat, quod amovere non possumus. Perge igitor, charissime fili, hocque ex omnibus factis tuis, in quibus tota vita versatus es magna cum laude et pietate, longe pulcherrimum maximumque existima. Hoc ut tuam istam virtutem et Christi gloriæ zelum satis mirari et laudare non possumus, sic non cessamus illum divinæ bonitati offerre, eamque orare, ut omnibus in rebus adsit tuis optimis conatibus ad nominis sui gloriam, ecclesiæ suæ sanctæ dignitatem atque amplitudinem. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 4. Septembris MDLXXIV. Pontificatus nostri anno tertio.

Piissimus Dux spondet Pontifici, se lubentissime præstiturum, quo sanctis ejus votis satisfieret. [*]

[*] Germania Vol. 16. fol. 30.

Beatissime in Christo Pater, Domine mi Benignissime.

»Sanctissimorum pedum devotissimam deosculationem, ac obsequentissimi filii perpetua studia. Bina Sanctitatis Vestræ Brevia, quorum prius ultima Augusti, alterum quarta die Septembris in urbe datum est, summa quam debui reverentia et voluptate perlegi. Ac Jubilæi quidem sacros thesauros in necessariam ac certam Ecclesiæ atque Reipublicæ Christianæ consolationem, divino Sacrosanctæ Sedis consilio apertos et propositos, uti devote mihi desidero et exopto, sic ex benignissima Sanctitatis Vestræ dispensatione reverenter et gratissimus accipiam, nihil dubitans, quin sacro isto augmento ditatus, ad omnia quæ Christiani piique Principis erunt, paratior firmiorque sim futurus. Neque sane quicquam mihi in hac vita jucundius possit accidere, quam ut tanti muneris fœlicitate ipse in urbe præsens afficerer. Sed ea est et inclinatæ valetudinis meæ, et Reipublicæ etiam conditio, quæ sanctæ hujus peregrinationis facultatem prorsus aufert. Ac ne filio quidem fortasse satis erit integrum domo, susceptisque negotiis abesse. Sive tamen ipsum aut aliquem meorum miserim ad urbem, sive eorum qous jam ibi habeo, quempiam Sanctitati Vestræ nominaverim, qui officii pietatisque meæ vices gerat, idem tunc mihi pollicebor ex obfirmata sinceri animi pietate, quod præsens ad Sanctitatis Vestræ pedes, et sub ipsos beatissimos oculos sperare possim.

»Ad alterum quod attinet, ubi Sanctitas Vestra studium voluntatemque meam sanctæ religionis propagationi adhibitam collaudat, intelligo equidem amplius aliquid ad me pertinere, quam hucusque per temporum injuriam præstare atque efficere potui. Animi sane promptitudine, multorumque salutis cupiditate officio nunquam defui, sicuti posthac etiam minime remissius agam, ubi vel exigua sese offeret rei bene gerendæ occasio. Unum est, de quo alias uberius Sanctitati Vestræ per literas loquutus sum, quod meos conatus plurimum frangit mundi nimirum, ac eorum quæ ejus sunt, vehemens quidam pudor, qui vel solus hæreses, ne appareant, obvelat, miserosque mortales, ne admissi erroris turpitudine aliqua notentur, in ipso impietatis officio fortissime continet. Hic mihi murus oppositus est; hæc obstacula mihi objecta apud Germaniæ Principes cognatos affinesque meos, nulla certe alia animi malitia laborantes, quam quod turpe sibi futurum putant, si vel improvide ac leviter conceptam persuasionem deponant, quamdiu ejus apud alios similis erroris pertinax potius quam constans studium viderint. Cui morbo si Deus medicinam ex alto dederit, nihil addubitabo de restituenda Germaniæ salute atque dignitate sua. Is etenim si apud Electorem Saxonem Principem, alioqui minime pravum, auferri jam penitus queat, actum erit de sectarum errorumque in istis locis præsidio. Videre namque potest, quam infirma sint Lutheri arma contra Calvini fraudes et amentiam, cognitum est illi, eadem levitate a Luthero dissentire Calvinum, qua ille prius

Ecclesiam oppugnare cœpit, nec apud utrumvis quicquam esse, quod sanæ obstet religioni, quam deploratam execrandæ superbiæ audaciam. Ac sane ejuscemodi turbines hæreticis illis fumis frequentiores optandi sunt, ut errores quibus capti homines, quam sint fœdi ac impudentes, rectius appareat. Qua ratione qui sanam doctrinam per vanum timorem audire non possunt, ipsorum quibus sese addixerunt errorum turpitudine ad mentis aliquam usurpationem cogi poterunt. Ego vero, Beatissime Pater, si quid vel penes hunc Principem vel alios, quod ad religionis atque pietatis incrementum faciat, amplius etiam potero, id omnium prius mihi erit, quod ad S. Vestræ expectationem quam proxime accedat. Cui perpetuam fœlicitatem senectamque et longissimam et florentissimam exopto, meque meosque humiliter ac reverenter commendo et offero. Monachii XXIX. die Octobris Anni a Christo nato MDLXXIIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

VIII. — Maximilianus Cæsar sine dubio minus recte de rebus Halberstadiensibus instructus, Pontificem adiit, instanterque adprecatus, ut Henricus Julius Ducis Brunsvicensis filius, puer vix undecim annorum, a Decano, et Capitulo postulatus jam ab anno MDLXVI., defuncto Episcopo Halberstadiensi, in ejus locum tandem Apostolica confirmatione Episcopus hujus Sedis efficeretur. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 35. fol. 6.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ, continuum incrementum. Expositum nobis est ex parte Illustrissimi Julii, et Dilectionis suæ filii, Henrici Julii, Ducum Brunsvicensium et Luneburgensium, consanguineorum et Principum nostrorum carissimorum, qualiter ipse Dux Henricus Julius superiori anno sexagesimo sexto, vacante tum temporis Ecclesia Halberstatensi, unanimi voto Honorabilium, devotorum, nobis dilectorum Decani et Capituli Ecclesiæ istius Cathedralis in ejusdem Episcopum postulatus fuerit. Et quamvis postulatione ea facta, apud Sanctitatis Vestræ Antecessorem, olim Pium V. Pontificem fel. record. non modoDilectiones suæ, sed et earumdem avus et genitor, Illmus quondam Henricus Dux Brunsvicensis et Luneburgensis, oratores sive legatos suos destinaverint, qui pro more Postulationis hujusmodi confirmationem a Sanctitate Sua reverenter peterent. Eam tamen tunc temporis, ob ipsius Episcopi Postulati tenuiores annos minus concessam, sed in adultiorem magisque confirmatam ejusdem ætatem fuisse rejectam. Quoniam vero nunc eo ætatis provectus sit, quæ Episcopali muneri obeundo idonea habeatur, adeoque sibi tam postulatus, quam præfatus ejus genitor, de Sanctitate Vestra omnino polliceantur, eandem hoc loci se non minus benignam esse exhibituram, quam antehac cum aliis nonnullis Germaniæ Episcopis, et novissime quidem cum Venerabili, devoto, nobis dilecto Hermanno Comite a Schaumburg, ante plures jam annos in Episcopum Mindensem Electo, at nuper primum a Sanctitate Vestra confirmato, factum sit; præsertim ubi nostra quoque commendatio accesserit. Idcirco ab iisdem Ducibus Brunsvicensibus, consanguineis et Principibus nostris carissimis, submisse, diligenterque requisiti sumus, ut pro hujusmodi confirmatione a Sanctitate Vestra impetranda, nostras quoque partes interponere dignaremus. Cum igitur, ut Illustris et antiquissimæ Ducum Brunsvicensium (quos inter præcipuos Germaniæ Principes haud postremum locum obtinere, nec Sanctitati Vestræ ignotum esse arbitramur) Domus splendorem taceamus, eorumdem Ducum Majores de Antecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus et Regibus, ac nostra quidem memoria, præfatus quondam Dux Henricus, postulati Episcopi Halberstadiensis Avus, de Divis olim Imperatoribus Carolo V. et Ferdinando, Dominis patruo, socero et genitore nostris carissimis, augustæ memoriæ, ac nobis, Sacro Imperio, inclytaque Domo nostra Austriæ, nec non universa Republica Christiana optime semper mereri contenderint, ac non solom præfatus Dux Julius, Postulati pater, hujusmodi majorum suorum vestigiis sedulo insistat, nec ullam suæ in nos, sacrum Imperium, ac inclytam nostram Austriæ Domum, ipsamque Rempublicam Christianam præclaræ voluntatis et studii comprobandi occasionem prætermittat, verum etiam ejusdem filium, Ducem Henricum Julium ita educatum ac iis moribus, eruditione, linguarum scientia, multisque aliis insignibus, ac ejusmodi Principe imprimis dignis virtutibus præditum, ornatumque esse amplissimo testimonio edocti simus, ut spem haud dubiam conceperimus, Dilectionem suam Episcopatus istius administrationi recte, ac cum ejusdem commodo et dignitate profuturam esse: equidem nos tum hisce, tum aliis etiam rationibus ducti, præfatorum Ducum Brunsviciensium petitioni deesse non debuimus. Quapropter Sanctitatem Vestram obnixe summoque studio rogamus, ut tam eorum, quæ diximus, imprimis vero ipsius postulati et ejusdem majorum virtutum atque meritorum, quam hujus nostræ accuratissimæ intercessionis condignam rationem ducere, ac petitæ postulationis hujus confirmationi sine ulteriore aliqua mora vel difficultate locum dare, seque hac in parte tam

benignam promptamque exhibere velit, ut voti nostri, una cum ipsis Ducibus Brunsvicensibus compotes facti, reipsa cognoscere possimus, eidem intercessioni nostræ a Sanctitate Vestra haud parum tributum fuisse. Quod uti de Sanctitate Vestra, quæ sua est nobis quavis occasione paternæ gratificandi propensissima voluntas, nobis omnino pollicemur, ita sedulo operam dabimus, ut id ipsum quibusvis filialis observantiæ officiis promereamur de Sanctitate Vestra. Quæ præfatos etiam Illustrissimus Duces Brunsvicenses patrem et filium, sibi hoc nomine plurimum devinctura est. De cætero Sanctitatem Vestram diu incolumem superesse, ac prosperrimo rerum omnium successu frui exoptamus. Datum in civitate nostra Vienna, die xxix. mensis Aprilis, Anno Domini MDLXXIV. Regnorum nostrum Romani XII, Hungarici XI, Bohemici vero XXVI.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius
MAXIMILIANUS.

Idem efflagitant et ipsi Canonici Capituli Halberstadiensis. (*)

(*) Germania Vol. 26 fol. 75.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri, Dño Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ et Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater.

« Ut præmissa deosculatione humilima pedum Sanctitatis Vestræ una cum oblatione obedientiæ nostræ Sanctitatem Vestram interpellemus, Ecclesiæ hujus et nostra nos urget necessitas, quare paterne, ut audiamur, obnixe petimus.

« Ex rebus gestis antecessoris Sanctitatis Vestræ Domini Pii Quinti piæ memoriæ sine dubio apparet, ex quibus causis, Reverendissimo ac Illustrissimo Principe Domino Sigismundo Archiepiscopo Magdeburgensi, administratore Halberstadensi, Marchione Brandeburgico, defuncto, nos in Episcopum illustrem Dominum Henricum Julium Ducem Brunsvicensem postulavimus, nec non submisse petivimus, ex vera necessitate, maxima utilitate et personæ merito postulationem profectam ratam haberi. Et ut ejus rei Sanctitas Vestra rectius convincatur breviusque instruatur, exemplum Ecclesiæ nostræ ad Dominum Pium Quintum perscriptæ adjicimus, eamque ut legat S. V. summis votis contendimus. Intelliget sane S. V. a nobis omnia rite peracta esse. Quamquam autem speravimus Dominum Pium Quintum confirmationem cum dispensatione petitam ex plenitudine Pontificiæ potestatis daturum fuisse; attamen hactenus nihil responsi ad nos pervenit, quod quidem ærumnas nostras mirifice auxit. Verum S. V. perbene sciat, quis sit status religiosus in Germania, ad quas denique concertationes perventum sit, non arbitramur nos operæ precium facturos, si ejus rei longam narrationem institueremus. Nos arbitrati sumus nostri esse muneris, diligenter circumspicere, cui Ecclesiam nostram tuto committeremus. Hæc dum cogitamus, venit nobis in mentem, qua fide, constantia, quibusque periculis Henricus cognomento Junior Brunsvigiæ Dux catholicam Ecclesiam sæpius cum hoste cominus pugnando defenderit, usque adeo, ut regno suo exutus, exul et in vinculis aliquandiu invexit. Factaque nobis est spes, Henricum Julium avi sui fore similem, maxime pia et Christiana educatione accedente, quam avus et pater pollicebantur. Fecimus ergo ex singulari providentia divina postulationis nostræ decretum. Et possumus sancte affirmare, hujus postulationis necessitatem tunc temporis ac etiam hodie tantam fuisse et esse, ut dicentibus vox, scribentibus stylus prius quam rerum argumenta deficerent, quoniam ex natura loci nostra diœcesis multis exposita periculis, cum magnis heroibus, illustrissimisque viris de summa rerum, prout ipsorum adversus nos et Episcopos nostros editæ actiones perhibent, concertare cogimur. Accedunt temporum injuriæ, incursiones hostiles, et insolitæ magnitudinis æs alienum propter bella hac nostra ætate gesta contractum, ut fere ad infortunam nostra redacta sit diœcesis. Dux itaque et auctor nobis opus fuit et est, quem adversariis nostris tuto opponamus, quique tantæ sit potentiæ tantarumque opum, ut laboranti Ecclesiæ succurrere et possit et velit. Talem inter Proceres vicinos alium reperire, quam Henrici Brunsvigii nepotem, nulla oblata est nobis occasio. Inspirante itaque Spiritu Sancto, universa singula suffragia nostra Henrico Julio data fuerunt, nec ulla adest sufficiens causa recedendi ab hac divina sententia. Si quidem non solum necessitas datorum suffragiorum et liberandi fidejussores et prædia Episcopalia nexu præclara occasio præsto est; sed tertiam quoque utilitatem quam omnium primam censemus, cupimus ex postulatione nostra quod neutiquam impediamur divinis cultibus, juxta Sanctitatis Vestræ et Romanæ Sedis præcepta, operam dare. Atque hoc omnibus sacerdotibus, diaconis, subdiaconis, monachis, monialibus et toti denique Clero Episcopatus nostri nobiscum est commune.

« Præterea Postulatus noster Henricos, Ottones, Lotharios Saxones Illustrissimæ stirpis antecessores, Imperatores et Reges Romanos in linea paterna, in materna vero Brandeburgicus nec non inclytæ Poloniæ reges numerat avos, proavos, abavos, tritavos et prosapiæ autores. Horum similem fore Postulatum nostrum naturæ bonitas et tam perillustris indoles, qua duce eo jam pervenit, ut in hac ætate tenera Bibliorum historias et Psalmos mirando modo recitet, convincunt: maxime si adhibita fuerit vera Principum more institutio, quam pater Julius illustris

Brunsvigiæ dux recepit, ita se curaturum, ut sit christiana, eoque perveniat Henricus Julius, ut possit suo muneri, ad quod vocatur in spiritualibus et temporalibus cum fructu præesse.

« De qua re cum Sanctitatis Vestræ legato Domino Casparo Groppero per certos homines contulit et nobis per fidum hominem significavit, se cum Sanctitate Vestra per literas luculenter collocuturum, usque adeo ut hoc negotium Sanctitatis Vestræ beneplacito prorsus subjiciatur, confidens fore, ut S. V. petitam confirmationem paterno affectu concedat, curetque ita institui totam actionem hanc, ut in nostra diœcesi vetusta vera, catholica religio manu teneatur et contra omnem vim injustam defendatur. Quapropter cum per hanc postulationem diœcesis nostra hactenus sarta tecta habuerit et contra adversarios, eorumque machinationes egregie defensa sit, et ab ære alieno tandem liberari possit, ad Sanctitatem Vestram confugimus, obnixe rogitantes, ut postulationi nostræ acquiescat eamque auctoritate pontificia corroboret, prout piæ memoriæ Domino Pio Quinto supplicatum fuit, quas preces brevitatis ergo repetimus, offerimusque V. S. nostras devotas ad Deum preces, cum omni genere officiorum, quod S. Vestræ exhibere nos par est. Dabantur Halberstadii 7. Idus Junii anno a Christo incarnato 1574.

Vestræ Sanctitatis

Devoti humilimique Capellani
Decanus Senior Totusque Capitulum
Cathedralis Ecclesiæ Halberstadensis.

IX. — Verumtamen Gregorius optime sciens Postulatum æque ac patrem acclivi paratoque ad neoterica dogmata animo esse, clandestinis quantumlibet adhuc votis, nonnullosque ex ipsis Canonicis eidem novæ doctrinæ pariter favere, postulationem constanti animo rejecit, Canonicos fortiter admonuit, ut quam primum alium digniorem que, et catholicæ veritatis publicum assertorem in Episcopum sibi deligerent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 69 fol. 219.

Dilectis Filiis Canonicis, et Capitulo Ecclesiæ Halberstadiensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Ut nullus potest esse cujusvis Ecclesiæ status a nostra cura, et solicitudine alienus, sic nihil possumus dissimulare, in quo Ecclesiasticam disciplinam, et animarum salutem periclitari intelligamus. Quid potuerit esse in puero, ac pene infante, ut deberetis eum superioribus annis ad Episcopum postulare? Nos certe non videmus: scimus autem hactenus inauditum fuisse, neque e re vestra, atque istius Ecclesiæ esse potuisse Pastore carere tamdiu, dum ille posset esse ea ætate, atque iis virtutibus præditus, quæ in Episcopo excellere debent. Sed esto, aliquid Nos moverit, certe postquam Sedes Apostolica eam postulationem non confirmaverat, et vos vestra spes atque expectatio fefellerat, (quæ enim consecuta sint, optime nostis, et Nos a gravissimis viris certiores facti sumus) non oportuit tamdiu novam legitimi Episcopi electionem differri; neque vero ignoratis, quod sit jus sedis Apostolicæ, ubi Electores negligentes sunt. Quæ cum ita sint, tamen ut nostram paternam erga vos voluntatem majorem in dies, ac meliorem experiamini, relinquimus vobis integrum jus eligendi, monemusque, ut omnino et quamprimum eligatis virum optimum, ac tali et tanto munere non indignum, inque eo omnem curam et diligentiam ponatis; sic enim et vestræ tum Ecclesiæ, tum conscientiæ, et Christi gloriæ, et animarum saluti præclare consuletis. Speramus, vos pro vestra pietate tantæ rei minime defuturos. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die trigesimo Julii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Archiepiscopum quoque Moguntinum auctoritate, qua pollebat, admonuit, ut hoc negotium apud Halberstadienses urgeret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 70. fol. 219.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ecclesiam Halberstadiensem tamdiu pastore caruisse, pro ea quam Nobis imposuit Deus Ecclesiarum sollicitudine gravissime dolemus. In quo ejus Ecclesiæ Canonici multis modis peccarunt: primum enim postularunt puerum, ac pene infantem, quod certe inauditum est; tum cum viderent eam postulationem non fuisse a Sede Apostolica comprobatam et confirmatam, neglexerunt Episcopum legitime eligere; postremo cum cernerent, se ea spe, quam forte a principio habuerunt, frustrari, remque longe aliter succedere, quam putarunt (omnia enim Fraternitati tuæ nota esse non dubitamus), tamen in eadem negligentia perseverarunt. Itaque etsi potuissemus ei Ecclesiæ providere, tamen relinquimus Canonicis jus integrum eligendi, sed ea de re ad eos serio scribimus, hortamurque, ut omnino et quam primum optimum virum, et tanto munere non indignum eligant. Hoc tuæ Fraternitati indicare satis esse confidimus; cæterum persuasum habemus, te pro tua pietate et Christi gloria, atque animarum salutis zelo omni cura et diligentia huic electioni invigilaturum, eique auctoritate, opera, consilio et auxilio futurum, summamque a Nobis, ab universa illa Ecclesia, et quod caput est, a Deo gratiam inituram. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Julii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

X. — Ast tamen isti Canonici Halberstadienses, adhortationibus Pontificis neutiquam exterriti, audacter et summa cum simulatione causam postulati Episcopi agunt, eumque summis

laudibus extollunt, ceu meliorem digTioremque, qui inter omnes, quotquot tunc temporum ad pastorale munus obeundum uti divinitus acciti haberi potuissent, in Germania inveniri posset. (*)

(*) Germania Vol. 26 fol. 66.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio Decimotertio Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater.

« Præmissa deosculatione humilima pedum Sanctitatis Vestræ vera cum oblatione obedientiæ nostræ Sanctitati Vestræ significandum esse duximus, Breve, quod Sanctitas Vestra 30. Julii ad nos perscripsit, 25. tandem die Augusti ad nos perlatum fuisse. Accepimus quidem illud, summa qua decuit reverentia, nec imus inficias non intelligere, quanti sit periculi Sanctitatis V. mandatis non parere. Cogitavimus igitur diligenter, quid nostrarum esset partium. Sed quid nobis venerit in mentem, clementer ut audiat Sanctitas Vestra obnixe rogamus. Litterarum Sanctitatis Vestræ hæc est summa, ut juditium nostrum de Henrico Julio Duce Brunsvicensi et Luneburgensi in postulatione habitum retractemus, et ad novam progrediamur electionem Episcopi Halberstadensis. Jam facile Sanctitas Vestra pro summa authoritate, qua pollet, hoc mandare potest, sed quam difficile a nobis ad effectum perducatur, potius cogitari quam ad Sanctitatem Vestram referri potest. Quis enim sit status Religionis in Germania, maxime in his partibus, in quibus nos vivimus, probe novit Sanctitas Vestra. Necesse est itaque, ut nos qui mala nostræ, vicinarumque Ecclesiarum non solum ante pedes jacentis, sed et quæ futura sunt, prospicimus, operam demus potius aliquam quam nullam habere Rempublicam. Hoc sæpius in vetustissimis Asiæ et Europæ Ecclesiis usu venit. Testes sunt historiæ de Novationorum et aliorum hominum rebis gestis memoriæ proditæ. Huic salutari consilio insistentes prædecessores nostri, eo produxerunt res Ecclesiæ nostræ, ut nulla sit facta Religionis mutatio, nec divini cultus cessaverint, ab anno decimo septimo supra millesimum quingentesimum usque in hunc diem. Si quis præteritorum temporum in vicinis regionibus crebros motus, seditiones, cædes, bella collegerit, miretur sane tantum Dei beneficium, quod nos profecto sæpe facimus, nec ullam invenimus causam, nisi quod Capitulum hoc pensi hactenus habuerit, non necesse esse quosvis omnia pro suo jure agere, sed prout res dant nobis sese ita humiles atque magni facti sumus. Quapropter persuasum habeat Sanctitas V. nos non fuisse incogitantes, eo die quo Henricum Julium Ducem Brunsvicensem in Episcopum designavimus. Non defuerunt nobis authores qui ex instinctu Spiritus Sancti ea retulerunt, suggesserunt, inculcarunt, quæ viros sanctos, prudentes et circumspectos decet. Advolarunt tunc quidem in urbem nostram magnorum heroum legati, qui dominorum suorum desyderia graphice exposuerunt, Episcopatum (bonum quidem opus) expetentium. Sed credat Sanctitas Vestra, nemo inventus est nostræ Ecclesiæ magis idoneus, quam Henricus Julius. Hoc latius in decreto postulationis nostræ, et epistola ad S. V. nuper admodum perscripta exposuimus. Ne itaque actum agamus utriusque paginæ exemplum huic scripto adjungimus. Rationes juditii nostri ea perspicuitate proposuimus, ut addendo quid oneremus quam honoremus potius, Sanctitatis Vestræ erit munus benignissimo, ex plenitudine Majestatis Pontificiæ, assensu laboranti succurrere Ecclesiæ. O utinam piis votis res humanæ expediri possint, sane optaremus ex intimis animarum nostrarum viribus, ut uno atque altero die, sine Sanctitatis Vestræ dispendio, liceat eam ipsam nobis adesse, ærumnasque quibus premimur coram inspicere non fieret sine lachrymis, admirationeque magna, hanc Ecclesiam tam diu statum suum defendisse, non humanis (ut opinamur) consiliis, sed divinitus hæc evenerunt. Et sane in hoc nervos intendimus omnes, ut ad posteros propagetur hæc beatitudo. Si itaque hodie de novo esset agendum Episcopo, quid aliud Beatissime Pater, quam Deum et Ecclesiæ nostræ salutem præ oculis haberemus, cogitantes non solum de his quorum luculenter fit mentio in postulationis nostræ decreto, sed etiam de tribus bene constitutæ Reipublicæ summis capitibus, scil. de Religione, de Justitiæ administratione et conservatione œconomiæ. In his tribus donis, beneficio postulationis nostræ, triumphamus. Nobis enim totique clero, et omnibus monachis monialibusque licet secundum leges Sanctitatis Vestræ et Sedis Romanæ, vivere, Missas celebrare, divinis cultibus vacare. Hoc itaque modo servamus, qui servare volunt. Reliquos, qui sunt sui capitis (sicuti per pragmaticam sanctionem de pace convenit inter Germaniæ proceres tam Ecclesiasticos quam laicos) facimus missos, donec aliæ et meliores sese offerant occasiones rei melius gerendæ. Justitia per totam Diœcesin administratur subditis, ea industria, ea fide, eo candore, ut requirunt Canones, Decretales, decreta, leges, constitutiones, rescripta Principum et reliqua tam antiqua quam nova jura, communia et provincialia. Nec impediuntur qui Sanctitatem Vestram aut Imperatoriam Majestatem, prout fert litium motarum natura, respective apellare volunt, modis tamen licitis et de jure permissis, quod nostram demonstrat confidentiam et testimonium perhibet, ita nos Rempublicam curare, ut Sanctitatis Vestræ et Imperatorias censuras non extimescamus, Deo etiam Optimo Maximo suo tempore reddituri rationem. Bona denique Ecclesiæ ita custodiuntur, ut nihil alienetur, annui fructus fidelissime colli-

guntur, creditoribus (quorum insolens est numerus) debita solvuntur, qui fidem suam pro Ecclesia interposuerunt, indemnes habentur, et prædia Episcopalia nexu solvuntur, nec cuiquam, etiam potentioribus, conceditur Ecclesiæ damnum inferre. Si opus est ad Imperaturem integerrimum (cujus Majestati omnes operas debitas, cum collectis, conventis cum Imperii statibus, bona fide persolvimus) recurritur, consilium et auxilium petitur. Quo hactenus impetratum fuit, ut de summa nihil decesserit, quamvis a potentissimis simus vocati in jus, et de toto patrimonio Sancti Steffani certatum sit, quibus equidem Dux magnus opponendus fuit, qualis est, et erit Henricus Julius, cujus Celstitudini non deerit pater, si opus est. Quare Sanctitas Vestra non sit sollicita, vel minimum quod ad curam animarum, Religionis zelum, Justitiæ administrationem, bonorumque Ecclesiasticorum conservationem pertinere videtur, omitti. Expediuntur omnia quæ fieri debent et possunt, usque adeo ut si sanctissimus quispiam nobis proponatur Episcopus, nihil amplius præstaret, rebus sic stantibus, sub umbris alarum postulati nostri pie et honeste vivitur, nemo læditur, et unicuique quod suum est tribuitur. O vere beatum populum cui hæc sunt. Commode igitur (ut supra diximus) præter illas canonicas rationes, quibus plenum est postulationis nostræ decretum, hæc nobis jamjam mandata Sanctitatis Vestræ, quo ad electionem novi Episcopi exequentibus merito sese trutinanda offerrent. Sed cum dudum ea sint egregie curata medius fidius, nulla ratione nec potuimus nec debuimus, judicium de Henrico Julio ex Spiritus Sancti inspiratione admirabili habitum, tam subito infringere. Sed nostra nos convincit conscientia, rerum series nobis in præsentia propositarum urget, sequentium temporum non obscure imminentia pericula suadent, constanter manere in rebus diu deliberatis, et optime in pulchrum esse deductis; si quidem quod diu æquum visum fuit, sine magna ratione innovari non debet. Imo parvula certarum rerum mutatio magnos secum trahit motus, ruinas et evulsiones Ecclesiarum. Maxime vero decet nos constantia, quum ab anno sexagesimo septimo usque in hunc diem ad nos de voluntate adversa antecessoris Sanctitatis V. nihil relatum. Imo facti sumus certiores, ejus Sanctitatem Henrico Juniori Brunsvigio paterne rescripsisse de postulatione nostra, temerario ausu, neutiquam pronuntiatum iri; sed omnia debere rite fieri, diligenter inquiri, et commodiore tempore, quid opus sit, determinaturam esse Suam Sanctitatem. Huic rescripto confisi sumus, in eo acquievimus, obedienter expectantes Suæ Sanctitatis paternam confirmationem aut dispensationem. Nihil itaque commisimus indigne, adversus Sanctitatis Suæ decreta, aut paternas admonitiones. Si sunt, qui aliud Sanctitati Vestræ retulerunt, viderint, quo fundamento ipsorum nitantur inditia. Nostræ conscientiæ sunt liberæ, ad nos nullas devenisse Pontificias declarationes postulationi nostræ derogatorias, sed steterunt hactenus res Halberstadianæ in pia, frugifera, paterna Pontificis Romani tollerantia. Sed et ne istæ res obliterarentur, neve insolitæ socordiæ Capitulum Halberstadiense accusaretur, idem quod antecessori Sanctitatis Vestræ scripsimus, idem petivimus, prout loquuntur exempla nostrarum epistolarum, his adjuncta literis. Nunc vero nova prælustria accedunt solatia, alterum quod Divus Maximilianus Secundus Romanorum Imperator, Ecclesiæ summus advocatus (prout est liberalissimo ingenio prædltus, ita ut ipsius Majestatem, ad exemplum ter maximi illius Pauli, non pudeat, omnia fieri omnibus, ut prodesse possit omnibus) partes postulati nostri suscipiat, manu teneat, defendat. Ad Sanctitatem Vestram, tanti herois de Ecclesia Romana optime meriti, Imperatoria intercessio erexit nos in spem certam, Postulati nostri causam in tuto loco positam esse, et nos quidem nunc cum ipso navigare in portu, nec opus esse aliquid amplius expetere, multo minus licuit nobis ejus Majestatis intercessionem præpostero facto antevertere, non expectata Sanctitatis Vestræ jussione secunda. Alterum vero de quo dicimus solamen est, quod ipse Postulatus tantos in studiis fecerit progressus, ut erudite latinas fingat literas, latio loquatur ore, de se facta postulationis juditia approbet, uti filium decet ad patrem submisse scribat, Sanctitatis V. confirmationem Postulationis, cum dispensatione, rogitans, fidem et obedientiam offerens, idque manu propria exarato literarum pignore, una cum mille pedum manuumque vestrarum osculis. Quod et ipsum ejus est generis, ut nos apud cordatos luculenter excuset, si nimis tenera a quoquam nobis objiceretur ætas. Nam Germanum latio ore loqui vel grammatice scribere, elementa recte et eleganter pingere, non facile, nisi in ea ætate, quæ profectior est, contigit. Hae scientiæ nobis non innascuntur, sed addiscuntur. Verum ad tam officiose et accurate a Postulato emissas schædas non expectare Pontificium responsum, sacrilegii instar erat. Moras itaque pia mente interpositas haberi excusatas confidimus. Jam Gregori Tertie decime Pater Beatissime, cogita, in quanto rerum fastigio sedeat Sanctitas tua, et quam facile possit nos Saxo, quod volumus, liberare. Nos ad quos jura ejus rei præcipue pertinet, ex tribus capitibus (prout decet Electores) fecimus postulationis decretum, nullis sordibus contaminatum, suggerente Spiritu Sancto, hoc non rejicit Postulatus. Intercedit vero apud Sanctitatem Vestram, vir omnium (ut arbitramur) Germanorum Procerum, optimus Maximilianus Secundus Ferdinandi filius, Caroli Quinti ex fratre nepos, gener, Imperator vel ipso Antonino

probior, cum Carolo Magno de Ecclesiæ Romanæ conservandæ incolumitate certans. Hæc divina intercessio nostram collaodat postulationem. Merito itaque lætamur nostra acta laudari a laudato Principe. Quoniam itaque Sanctitas Vestra cum Divo Imperatore hoc habeat commune, ut sint omnia jura in scrinio pectorum Vestrorum, volvat atque revolvat Sanctitas Vestra altius rem ipsam putando, numquid sit satius rigori juris insistere, vel in gratiam principis viri paululum remittere, et Pontifitia potestate libera, expedire, quod est ex re Ecclesiæ Halberstadensis, obedientissimæ filiæ Sanctæ Sedis Romanæ. Si Agesilaus Lacon in gratiam honesti deprecatoris, etiam nocentem liberum pronuntiari, humanitatis esse censuit, multo magis humanissimum erit Pontificem, quum absque omni dubio sine dispendio animarum fieri possit, Imperatori rogitanti, hoc quod postulat, paterne concedere. Aspiciat Sanctitas Vestra paternis oculis Illustrissimum principem, Illustrissimis parentibus prognatum, ad pedes Sanctitatis Vestræ jacere et petere præmiolum (nostra enim Ecclesia non est opima, nec magnorum reddituum ferax,) avitæ virtutis, et quidem ejus avi, viri Principis, qui dum Ecclesiæ Romanæ sequitur auspitia, eamque contra vim injustam defendere satagit, omnibus fortunis exutus, exul factus, et ad imos etiam carceres pertractus est, sæpius cum hoste, pro aris et focis Vestræ Sanctitatis et Sanctæ Ecclesiæ Romanæ pugnavit, etiam filios in acie amisit duos, hac calamitate non fractus, hostem Ecclesiarum victum fugavit, prosequutus est, ad internecionem cecidit. Horum meritorum praemia petentis non meminisse non poterit Sanctitas Vestra, idque admonita singulari pietate, qua præfulget, nepos Henrici Junioris vere Magni. Si anquirit Sanctitas Vestra de ingenio Postulati, liberalissimum invenerit. Si vero de, commendatitias, singulari studio scribentis literas Imperatoris scil. bonitate, eam reperiet, quæ omnium est admiratu dignissima. Si Ecclesiæ Halberstadensis et nostra totiusque cleri salus in considerationem a Sanctitate Vestra (prout nil ambigimus) recipitur, obviam venient mille argumenta, quorum intuitu ratio est habenda Postulati. Nihil ergo restat, quin Sanctitas Vestra hoc, quod Divus Imperator Augustus, Postulatus ipse Brunsvigii Leonis alacris propago, et nos pro Ecclesia nostra (suo quisque modo, authoritate, devotione supplici humilimaque) agimus, petimus, obsecramus, ex paterno amore concedat. Nou abeant, super Illustrissimus Triumphator invictissimus Cæsar, item Dux illustris, et tot spectabiles uobilesque devoti filii, æqua flagitantes, a paterno Sanctitatis Vestræ vultu tristiores. Si quid deest Postulationi Sanctitas Vestra suppleat, subveniat oou inconcessa rogitantibus, exerat vires Pontifitiæ plenæ absolutæ, liberrimæqur potestatis, et acta transacta erunt omnia, nam Pontifice annuente, nihil est de quo non sit habenda fides. Si de ætate Postulati agitur, Sanctitas Vestra non revocet in dubium, se posse per Canones eorumque interpretes in gratiam viri principis pia dispensatione succurrere. Quod jura negant, Pontificum Imperatorumque, æquam moderationem rerum usu et circumstantiis pensitatis, permittere par est. Hinc quidquid Pontifici et Imperatori placet, habet legis vigorem. Idcirco in talibus casibus ex æquo et bono sæpius rescripserunt Imperatores, et dispensarunt antecessores Vestræ Sanctitatis, item optimi Pontifices. Ejus rei vetusta et recentia exempla commemorare possumus, sed labore hoc supersedemus, ne nimium fiamus prolixi, nec videamur de propensissima voluntate Sanctitatis Vestræ, qua amplectitur Germanos Principes, subdubitare. Et ut semel dicamus, nostra Postulatio ejus est farinæ, ut ex optimis evidentibusque rationibus sit emanata, Spiritu Sancto inspirante. Per eam relligio Romanæ Sedis non oppugnatur, multo minus expugnatur, Ecclesiæ Halberstadensi jura, privilegia, bona, omniumque statuum res in portum sunt deductæ. Nemo impeditur Sanctitati Vestræ obedire, cultibus divinis juxta præscriptum Sanctitatis Vestræ et Sedis Romanæ vacare; justitia administratur tramite recto, et fiunt omnia quæ a bonis patribusfamilias curanda sunt. Salus ergo est Ecclesiæ Sancti Steffani, conservatio cleri, levamen populi, ne evertatur, opprimatur, expiletur. Quapropter tertia vice nos propter locorum distantiam per has literas, quibus mentes habemus affixas, pio zelo ad genus, imo ad pedes Sanctitatis V. procidimus petentes cum Postulato, ejus Celsitatis rationem haberi, vel integre confirmari Postulationem, vel dispensari, vel tollerari, donec adolescat Postulatus; prout nostrum decretum Postulationis ergo conscriptum, uec nou epistola ad vestram Sanctitatem nuper transmissa, latius loquuntur, quæ omnia et singula brevitatis ergo repetimus. Maxime illud, ut Sanctitas Vestra interea dum hac de re per Sanctitatem Vestram et Cardinalium collegium consultatur, tempus electionis per Canones definitum ita extendat et proroget, ut nihil nobis et huic Ecclesiæ detrimenti accedat, siquidem nec præfracte, nec contumaciter hactenus quicquam egimus, sed nostri instituti præclaras habemus rationes, de novo et ex inopinato emergentes, ejusque generis, ut sit verisimile, Sanctitatem Vestram nobis et Ecclesiæ nostræ gratificaturam, et hoc erit uobis tam gratum quam quod gratissimum, singulisque horis precibus Deos abtundemus, ut vivat Sanctitas Vestra hic in terris annos plus quam Nestoreos, cum Christo autem filio Dei redemptore nostro in æterna æde poli, per omnia secula seculorum, fiatque particeps omnium gaudiorum, quæ sunt antequam mundus crearetu relectis constituta, parata, par-

ta, hisqui sunt sanguine Jesu Christi mundati, et veram Christianam egerunt pœnitentiam. Valeat Sanctitas Vestra prosperrime, et nostri, postulatique nostri, hanc, quam nobis Imperator piissimus optat, precatur, largirique vult, gratiam faciat. Dabantur Halberstadii 26 Octobris Anno Salutiferi Partus 1754.

Sanctitatis Vestræ

Humilimi ac devoti oratores
Decanus Senior totusque Capitulum
Cathedralis Ecclesiæ Halberstadensis.

XI. — Quum autem isti Canonici ex Cæsaris commendatione apud Pontificem interposita omnibus lætitiis incederent, Gregorius haud tulit, Cæsarem diutius de Halberstadiensi postulatione in errore versari, eundemque sequentibus litteris de hocce negotio ac de causis, quibus nullo unquam tempore postulationem istam ratam habiturus esset, plene edocuit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 125. fol. 261.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem, et Apostolicam benedictionem. Ut Tuæ Majestati omnibus in rebus gratificari cupimus, sic graviter dolemus, ubi quid accidit ejusmodi, in quo tuæ voluntati, nostroque summo desiderio satisfacere non possimus. In negocio Henrici Julii ad Ecclesiam Halberstadiensem postulati, quem in literis datis Nona Aprilis tantopere Nobis commendas, hæc sunt. Puer est, neque enim dicitur excedere annum XI., usus est educatione, et magistro, ut accepimus, lutherano; habet parentem jamdiu ab Ecclesia Catholica, in qua ipse, suique majores vixerant, alienum, ut difficile sit filium ab eo dissentire, aut illum pati posse, filium, quem in potestate habet, Catholicum esse: natus unicus est, aut certe primus, in quo non verisimile est, parentem velle successionis sibi spem præcidere, aut ad alium transferre, nisi forte cogitat Episcopo uxorem, aut Ducatui suo Episcopatum adjungere, aut certe ubi quantum voluerit fructuum ex Ecclesia perceperit, eum ab Ecclesiastica vita et professione avocare: nam de bonis Ecclesiæ Hildeshemensi ab ipso Duce ablatis, neque adhuc restitutis, nota res est. Quod si Apostolus deterret Timotheum hac obtestatione gravissima: Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando: manus nemini cito imposueris, neque communicaveris peccatis alienis: imponemus Nos manum puero, præficeremusque Ecclesiæ eum, cujus domum, educationem, disciplinam a Sanctorum Patrum decretis, atque a Catholica fide, et veritate abhorrere intelligimus? An quidquam Nobis charius esse debet nostra, et Christi gregis salute? Sic autem perderemus eos, quos Henrico committeremus, Nosque eorum peccatis irretiti, et constricti una interiremus. Adimat Nobis citius Deus vitam, quam mentem eam, quam ejus benignitati acceptam ferimus, omnibus in rebus ejus gloriam, et animarum salutem quærendi, et quoad ejus misericordia largietur, tuendi, quod utrumque in Ecclesia illa Henrico præfecto periclitari videmus. Habes causas, quæ Nos penitus retrahant ab Henrici postulatione approbanda, committendaque ei Ecclesia Halberstadiensi, quas causas non dubitamus a tua prudentia et pietate judicari gravissimas. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, cui omnem fidem haberi cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVI. Nov. MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XII. — Verdenses quoque virum Henrico Julio Brunsvicensi haud absimilem sibi in Episcopum eligere statuerant, quam ob rem Gregorius eos graviter increpat, jubetque, digniore delectu habito, alium sibi Pastorem nuncupare. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An III. epist. 131. fol. 263.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Verdensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam ad vestram Ecclesiam Episcopum Lubecensem, neque is Apostolicam, ut debebat, auctoritatem, et confirmationem per tot annos petere curavit, miramur, quid sit, quod tamdiu Pastore carere voluistis, tamque in re vestra negligentes fuistis. Ut autem omnem vobis in posterum excusationem præcidamus, certiores vos facimus, Nos eam postulationem plane improbare, neque velle ei istam Ecclesiam committere, et quamquam propter vestram hactenus negligentiam possemus nostro jure uti in Episcopo præficiendo, tamen ut nostram paternam erga vos voluntatem perspectam habeatis, relinquimus vobis jus integrum eligendi, monemusque, ut quam primum eligatis virum optimum, et tali ac tanto munere non indignum, inque eo omnem curam et diligentiam ponatis; sic enim et vestræ tum Ecclesiæ, tum conscientiæ, et Christi gloriæ, et ejus gregis saluti preclare consuletis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Nov. MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XIII. — Simili modo cohortatur Gregorius gravissimis verbis Monasterienses et Paderbornenses Canonicos, ut Deum ejusque gloriam, nec non salutem animarum fidelium præ oculis unice habeant in electione futuri ipsorum Episcopi. En litteras ad Monasterienses. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 221. fol. 196.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus venerabilem fratrem Episco-

pum Monasteriensem Pastorem vestrum graviter ægrotare: quem si forte Deus ex hujus vitæ miseriis expedire voluerit, ipse quidem pietatis suæ amplissimum feret fructum sempiternæ beatitudinis; Nos vero, vosque una in gravissima cura et solicitudine relinquemur. Scitis enim pro vestra prudentia, quantum intersit ad Christi gloriam, atque ad animarum salutem eum potissimum pastorem deligi, cui utrumque maxime cordi sit; neminem autem posse ea, ut oportet, curare, qui non perpetuo cogitet, qua via ad Episcopatum pervenerit, quam vivendi rationem teneat; quid cæteros doceat, quam ipse infirmus atque imbecillus sit: prima illa cogitatio deterret ab omni honoris conditione et humanarum rerum cupiditate; altera mirifice incitat ad omnes virtutes, atque a vitiis deterret: tertia fidei synceritatem, sine qua salus nulla esse potest, commendat: postrema Pastorem demissum, ac suis viribus diffidentem, omnibusque in rebus divinum auxilium, et gratiam implorantem reddit; ea autem fretum, indutumque virtute ex alto convenit humanum nihil formidare, personamque et munus Episcopi præclare sustinere et gerere. Hæc igitur filii charissimi in Episcopo deligendo spectate, utque eos, qui adsunt, cognitos habetis, sic si forte Deus Episcopum vestrum ad se evocaverit, optimum deligite vestræque Ecclesiæ in tanto discrimine, tantaque hæreticorum vicinitate, et impunitate omni studio et vigilantia providete: hocque unum opus ex iis omnibus, quæ a vobis agi possunt, longe maximum et gravissimum esse existimate: in primis autem Sanctissimum Spiritum implorate, atque ab eo postulate, ut ostendat vobis eum, qui maxime idoneus sit ad istam Ecclesiam in sanctitate et justitia regendam. Veniet ad vos, si poterit, dilectus filius Gaspar Gropperius Nuncius noster, sin minus, ad vos perscribet: ex ejus sive sermone, sive litteris nostrum consilium planius intelligetis, eique omnem fidem tribuetis. Dominus vestras cogitationes omnes et actiones aspirando præveniat, atque adjuvando prosequatur, dirigatque eas ad sui nominis gloriam, atque ad istius Ecclesiæ amplitudinem et salutem. Datum Civitate Veteri sub Annulo Piscatoris die v. Februarii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Quæ sequuntur, scriptæ sunt ad Paderbornenses. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. II epist. 227. fol. 138.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Veremur, ne forte velit vos Deus orbare Episcopo Monasteriensi vestro pastore: accepimus enim illum graviter ægrotare: quod si fiet, eo vigilantius oportebit vos cogitare de optimo pastore, quo gravius negotium agitur. Quid enim potest esse gravius Religionis synceritate, animarum salute, Christi gloria? hæc autem sita maxime sunt in Pastoris bonitate et sanctitate. Curate igitur per eundem ipsum Christum, qui Catholicam Religionem sanxit suo ipsius Sanctorumque suorum sanguine, quique nostram salutem operatus est in medio terræ, ut optimum virum diligatis: inque eam curam eo acrius incumbite, quo propinquiores habetis hæreticos, qui nihil aliud, quam animarum interitum, et Christi dedecus moliuntur: hos facile arcebit, compescetque Pastor bonus, et Dei charitate præditus. Non dubitamus complures inter vos reperiri, de quorum pietate et sanctitate ex anteacta vita judicium facere possitis. Optimum igitur deligite, eum quoque vobis toto pectore postulamus, precamurque a Divina bonitate, ut vobis largiatur Episcopum ab omni labe et terrena contagione purum, quique nihil aliud studeat, nisi homines ad terrenam hanc Hierusalem, hoc est ad Ecclesiam Catholicam aggregare, ut deinde perveniant ad cœlestem illam, in qua perfruantur sempiterna beatitudine cum Patre, Filio et Spiritu Sancto, qui est unus Deus benedictus in sæcula. Veniet ad vos, si poterit, dilectus filius Gaspar Gropperius Nuncius noster, sin minus quæ opus erit, perscribet. Ejus sive sermoni, sive literis omnem fidem tribuetis. Datum Civitate Veteri sub Annulo Piscatoris die v. Februarii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XIV. — Mindensem quoque Episcopum, quod suo muneri graviter desit, Gregorius monet, ad eumque Alexandrum Trivium Canonicum Bonnensem mittit, qui cum eo nomine suo de rebus Ecclesiæ suæ ageret. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann III ep 100. f. 280.

Venerabili Fratri Episcopo Mindensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. De nostra erga te voluntate facilem conjecturam facere potes ex tuæ electionis confirmatione, quam non gravate fecimus, cum eam a sanctæ memoriæ Pio Quinto obtinere non potuisses. Movit Nos optima de te spes, et gravissimorum virorum confirmatio, te talem futurum, qualem oportet esse optimum Episcopum. Tuum igitur est curare, ne Nos facti nostri, illos autem suæ asseverationis pœniteat, atque ita te gerere, ut perpetuo cogites, tibi commissum esse gregem Christi, et curam animarum, hoc est onus vel Angelorum humeris tremendum: huic autem gregi multiplex pabulum præberi oportere, Verbi scilicet Dei, sanctorum Sacramentorum, et pastoris ipsius vitæ exempli; normam porro vivendi ab Apostolico quam diligentissime præscriptam esse. Ad hanc, charissime frater, Nos ipsos conformemus, quoque ab illa longius absumus, eo gravius ingemiscemus, conatusque nostros omnes ad eam intendamus; in primisque Divinam opem, sine qua nihil rectum non modo agere, sed ne cogita-

re quidem possumus, imploremus, eamque Nobis minime defuturam, nisi nos ei defuerimus, confidamus. Libenter hæc tecum recognoscimus, nostramque erga te charitatem gravissima in re declaramus, qua etiam charitate proficiscitur hæc dilecti filii Alexandri Trivii Canonici Bononiensis, quem ad te mittimus, visitatio: non dubitamus, te eum libenter visurum libentissimeque auditurum, atque executurum ea, de quibus ille tecum aget nostro nomine ad Dei gloriam atque ad animarum salutem. Cupimus vehementer a Tua Fraternitate certiores fieri, quibus in rebus utrique causæ satisfacere possimus. Ut enim nihil est, quod Nobis magis cordi sit, sic ad hæc Fraternitati Tuæ omnem nostram auctoritatem atque operam pollicemur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Id idem in mandatis dedit Archiepiscopo Coloniensi, cujus studium in promovenda re catholica denuo impense laudat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. III epis. 168. f. 291.

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Ex litteris dilecti filii Gasparis Gopperii Nuncii nostri incredibili cum voluptate cognovimus, multa Fraternitatem Tuam istic præclare inchoasse: scribit enim de visitatione jam cœpta, de schola in Andreaeo instituta, de Seminarii et Theologorum Collegii instituendi cura suscepta. Quæ quidem sunt tua pietate et munere dignissima, Deoque acceptissima: quibus nimirum ejus gregis saluti mirifice consulitur. Nihil autem est, quod impensius curare debebat is, qui Dominum diligit, quam ejus gregi, quem pascendum suscepit, omni studio tum publice, tum privatim prospicere, inque ea re constantissimum esse, et usque ad mortem perseverare; quod cum prudentiam et pietatem tuam præclare intelligere non dubitemus, nihil est, quod cohortatione utamur; rerum ipsarum potius tanta cum laude et fructu institutarum absolutionem in dies expectamus, ut et Christi gloria, et nostrum gaudium, et tuum meritum cumuletur. Illud præterea a Tua Fraternitate vehementer postulamus, ut quam diligentissime moneas Episcopum Mindensem, quem suo officio graviter deesse accepimus, ostendasque ei, quanta cum vigilantia debeat versari in munere, ut sibi atque aliis in recte administrando maxime salutari, sic in offendendo cæteris quidem propter scandalum periculoso; sibi vero sine ulla dubitatione exitiosissimo. Hoc autem eo accuratius facies, quia in obtinenda ejus confirmatione pro eo sponsor fuisti, ut tuum maxime sit eum talem præstare, qualem pollicitus es. Speramus, tuam auctoritatem et monita plurimum profutura. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die quarto Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XV. — Summam lætitiam conceperat Gregorius de electione Julii Herbipolensium Præsulis, quem Gropperus sequenti virtutum elogio Cardinali Comensi commendaverat. [*]

[*] Germania Vol. 31. fol. 182.

Reverendissimo et Illustrissimo Domino, Domino Ptolomeo Gallio Novocomensi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Presbytero, Archiepiscopo Sipontino et Domino meo Colendissimo.

Rme et Illme Dñe Dñe Colendissime.

« Quo metu Clementissimus Deus Catholicæ religionis in Germania studiosos ex optima Electione Herbipolensis Episcopi liberaverit, ex superioribus litteris meis Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem V. cognovisse credo: vir iste, qui illi Ecclesiæ ruinam quodammodo nunc minanti, divinitus datus est, proxime ad me scripsit, prout ex ipso originali scripto hisce adjacenti Reverendissima et Illustrissima Dominatio Vestra cognoscet. Ipsius etiam pietatem singularem, et eruditionem non vulgarem litteræ Reverendi Patris Georgii Baderi Rectoris Collegii Herbipolensis istis etiam conjunctæ demonstrant. Ego cum illi nunc præsens adesse (dum isto momento Juliæ, Cliviæ et Montium Dux mihi in castro suo Dusseldorphiano tractationis diem præscripserit, et pleraque alia etiam adhuc imperfecta remanserint) non potuerim, ideo quod colloquio coram explere prohibitus fui, litteris, qua potui diligentia, cum ipso egi. Neque dubito illum (sicut semper fecit) sui similem perpetuo permansurum, et Sanctissimi Domini Nostri sacrique Cardinalium Collegii expectationi abunde satis facturum. Quam enim ille solicitus sit, ut ex debitæ obedientiæ et observantiæ erga Sanctam Sedem Apostolicam nihil prætermittatur, litteræ ipsius satis luculenter comprobare videntur. Qua de re etiam spe bona ducor, in hac Catholicorum virorum in Germania raritate, Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram istius D. Electi pia desideria clementer apud Sanctissimum Dominum Nostrum sacrumque Collegium promoturam. Maxime quod istud pium officium, et Deo omnipotenti imprimis gratum, Catholicæ vero religioni et illi Ecclesiæ plane necessarium.

« Cætera Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram ex ternis meis hac etiam de re ad eandem nuper perscriptis litteris clementer cognovisse credo, quare nunc superflua repetitione Illustrissimæ et Reverendissimæ Dominationi Vestræ (quam gravioribus perpetuo occupationibus premi cognosco) molestus esse nolui. Quam Christus Jesus ad gloriam nominis sui et Ecclesiæ exaltationem quam diutissime tueatur, et ad sua pia et sancta vota perpetuo se-

cundet. Datum præpropere ex Colonia Agripina die 10. Januarii anno reparatæ salutis 1574.

Illmæ et Rmæ Dominationis V.

Obsequentissimus et deditissimus servitor

CASPAR GROPPERUS.

Eu quæ Archiepiscopus Moguntinus in laudem tanti Præsulis Pontifici perscribit. (*)

(*) Germania Vol. 28. fol. 33.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio ejus nominis Decimotertio Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post debitam obedientiam et devota semper Sacrorum pedum oscula.

« Beatissime et Clementissime Pater. Sanctitati Vestræ pro ea qua in me est paterna affectione significandum duxi, me non ita pridem, cum mihi renunciaretur, defuncto Herbipolensi Episcopo, Julium ejusdem Ecclesiæ Decanum et meæ Moguntinæ Canonicum Capitularem suorum confratrum suffragiis recte designatum, magno perfusum fuisse gaudio: maxime quod virum a pientissimis catholicæ religionis parentibus etiamnum superstitibus prognatum, ab iisdem in Catholicis ubique Universitatibus utpote Lovanii, Parisiis, in ipsa etiam Urbe Roma sedulo educatum meminerim. Patris quoque sapientissimo et fratrum optimorum consilio operaque prudentiæ et fidelitatis plenis, in administratione muneris mihi commissi, jam complures annos, non infeliciter utar: quod denique ipsius designati morum integritas, rara prudentia, spectata eruditio, in perfungendis prioribus muneribus dexteritas singularis, nec non in religionem catholicam studium enixum mihi satis superque perspecta explorata sint.

«Quare petenti nunc factam de se electionem a S. V. comprobari hasce in personæ et causæ commendationem adjungere minus dubitavi. Spe certa fretus Sanctitatem Vestram ubi intellexerit, quantam expectationem hic vir nobis de se præbeat, non parum ei Ecclesiæ de tali pastore et meæ Provinciæ de hujusmodi synergo gratulaturam. Verum licet ea Ecclesia inter Germanicas valde illustris habeatur, misere tamen superioribus annis gravissimis iisque diuturnis bellis fuit quassata et afflicta, ut nec dum vires resumere integras hucusque potuerit. Quam quidem rem S. Vestram per ejusdem Electi Oratores explicatius edoctum iri omnino mihi persuasum habeo. Hoc unum autem ut addam prætermittere non possum. Si quidem S. V. annatæ quam ea Ecclesia dependere solet, gratiam hoc tempore fecerit, rem non modo peropportunam, verum etiam urgente scilicet hisce in locis nunc rei Ecclesiasticæ difficillimo statu, adprime necessariam facturam eam, omnino confirmare ausim. Ad quæ quidem ut benignis oculis respicere S. V. dignetur, precibus id humillimis enixim contenderem, nisi ejus in nationem Germanicam illustris liberalitatis et paternæ benevolentiæ percelebre nomen, jam universum fere terrarum complesset orbem. Cæterum Deum Opt. Max. ardentibus precibus oro, ut S. V. in ejusmodi sanctissimo proposito, cum ad conservationem universalis, tum etiam instaurationem particularium apud nos Ecclesarium quam diutissime sospitem et incolumem conservare dignetur. Ex Aschaffenburgo decima sexta Martii anno Domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Quarto.

Sanctissimæ Paternitatis Vestræ

Devotissimus et fidelissimus filius

DANIEL ARCHIEP. MOGUNT.

Canonici ipsi Herbipolenses haud pressiori stylo utuntur in laudando suo Præsule litteris, quibus Gregorium de ejus electione certiorem reddunt. (*)

(*) Germania Vol. 28. fol. 30.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio, ejus nominis XIII. Sacrosanctæ Rom. et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino nostro Clementissimo.

Post devota Sanctitatis Vestræ pedum oscula, promptissimamque ac humilimam obsequendi voluntatem.

« Sanctissime et Beatissime Pater. Accepimus Sanctitatis Vestræ literas VIII. Novembris, anni superioris datas, saluberrimis præceptis et commonefactionibus de eligendo vero Catholico Episcopo refertas, e quibus ejusdem Sanctitatis Vestræ paternam plane erga hanc Ecclesiam et Provinciam solicitudinem et pietatem præclare perspeximus, gratissimisque animis recognovimus. Et quidem, sicut Sanctitas Vestra in divina illa sua mente augurata est, ita is, pro cujus incolumitate eadem tantopere sollicita fuit, Episcopus hujus Ecclesiæ Wirceburgensis, Fridericus felicis memoriæ, quarto post die, quam Sanctitas Vestra ad nos literas dedit, tam pie tamque Christiane ex hac vita in illud sempiterna lætitia circumfluens cœlestium animorum domicilium migravit, ut Sanctitatis Vestræ solicitudo ipsiusque sanctissima ex hac vita migratio, etiam divino judicio comprobata esse videatur. Etsi autem amissione optimi et omni laude summi Præsulis. tantum Reipublicæ huic detrimenti allatum existimabatur, ut nulla re unquam resarciri posset: tamen cooperante Spiritus S. gratia, ea religione, pietate, virtute, judicio, doctrina multisque aliis eximiis dotibus ornatum et florentem, ad hujus Ecclesiæ gubernacula concordi suffragatione adhibuimus, ut nulla a recto cursu aberratio metuenda sit, et quod et in præcessore suo amisisse nos lugebamus. vel jam nunc nos consecutos publica gratulatione testemur, vel ita efflorescere, quasi propediem consecuturos nos, in pulcherrimam spem haud dubie excitemur. Sed quod dicto Electo pietatis et virtutum testimonium dederimus, alias Sanctitas Vestra per nos testatum

habet. Quod superest, tuto et certo sibi persuadeat Sanctitas Vestra in Electionis negotio, rite pieque conficiendo (sicut sancti cœlites nobis certissimi testes esse possunt) nos omnes debitæ pietatis nervos intendisse, nec solum Collegium hoc ab omni hæreseos labe (quod Sanctitatem Vestram subvereri, literæ ipsius nonnihil innuebant) sincere vindicatum et intactum florere, neminique hæreticorum ad illud aditum patere, aut tolerari ullum prava opinione corruptum: verum etiam Romanam nos ac Orthodoxam Catholicam Religionem, ceu sacratissimum patrimonium aliquod, quavis etiam acerbitate proposita, constantissime tueri; nec unquam commissuros, ut a sanctissimo illo fœdere, quod per majores nostros cum eadem sancta Romana Ecclesia ictum est, et a debita obedientia turpiter et impie deficiamus. Quam animi nostri testificationem, minus fortassis necessariam, nisi eam pia quædam verecundia expressisset, apud S. V. ceu in almo augustoque sacrario quodam custodiendam deponere voluimus. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram ad publicam Ecclesiæ suæ salutem et amplificationem diutissime conservet, cui nos totumque hoc Collegium devotissimo obedientissimoque animorum consensu humilime commendamus. Datum Wirceburgi XXIX. Martii anno MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequio et obedientia
Subditissimi devotissimique filii
PRÆPOSITUS, SENIOR, TOTUMQUE CAPITULUM
PRIMARIÆ ET CATHEDRALIS ECCL. WIRCEBURG.

XVI. — Verumtamen qualis et quantus Præsul iste futurus erat, egregie litteræ demonstrant, quibus Pontificem implorat et flagitat, ut suam electionem ratam habere velit. (*)

(*) Germania Vol. 98. fol. 42.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio ejus nominis XIII. Sacrosanctæ Romanæ et Univ. Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post devota Sanctitatis Vestræ pedum oscula humilimamque obsequendi submissionem.

« Sanctissime et Beatissime Pater. Quam primum ad hujus Ecclesiæ Würceburgensis gubernacula, Deo Opt. Max. ita de me pro suo inscrutabili consilio statuente, concordibus Capituli mei Canonicorum votis et suffragatione, animis eorum subita quasi religione tactis, post acerbam et luctuosam cum mihi, tum piis et bonis omnibus, Reverendissimi quondam in Christo Patris et Domini, omnique pietatis et virtutis laude summi Principis, Domini Friderici Episcopi Würceburgensis, Domini et Prædecessoris mei carissimi, tam sibi fœlicem, quam Reipublicæ Christianæ immaturam mortem, canonice lectus adhibitusque sum: ardenti desiderio animum meum incendi sentiebam, ut ocyus istuc advolarem, adeoque ad Sanctitatis Vestræ pedes humilime advolutus, observantiam et observationem meam erga eandem Sanctitatem Vestram et Sanctissimam illam Sedem Apostolicam coram ostenderem testatamque darem. Nam et incredibilem quandam lætitiam cepissem ex Sanctitatis Vestræ summi Dei Vicarium in terris agentis augusto conspectu, et effecissem, nisi valde fallor, ut eadem Sanctitas Vestra, pro sua excellenti planeque divina bonitate et sapientia, nonnulla quæ ad recreandam sarciendamque afflictam hanc Ecclesiam meam roganda erant, et quorum gratia in præsens per literas ago, coram roganti clementer benigneque indulsisset. Nunc quando id, quod tantopere desiderabam, cum propter animi in recente mœrore perturbationem, tum ob turbulenta et exulceratissima hæc tempora, quibus divina humanaque omnia fœdissime proculcantur, consequi nullo modo me posse prospiciam, et quidem periculi plenum sit, teneris hisce initæ et susceptæ administrationis initiis ab Ecclesia hac longius diutiusque abesse: ad id quod proximum est, descendi, ut internuncios meos, Reverendum et Nobilem Dominum Neitthardum a Thüngen, Cathedralis Ecclesiæ Würceburgensis Decanum, nec non Venerabilem et egregium virum Georgium Fischerum, Sigilliferum, Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Novimonasterii in Herbipoli Canonicum, Consiliarios nostros nobis sincere dilectos, ad Sanctitatem Vestram ablegarem: serius fortasse quam expectabatur, et officii mei ratio, perpetuaque mea Prædecessorumque meorum observantia et cultus postulare videbatur, nisi anni tempus et difficultas itinerum, gravissimorumque negociorum occupationes, quibus assidue exerceor, hisce rebus explicandis importune moram injecissent. Quamobrem humilime precor, ut Sanctitas Vestra meam absentiam purgatam habeat, mihique non animum aut voluntatem isthuc accedendi, quæ sane promptissima est, sed omnino facultatem et occasionem defuisse, sibi persuadeat: adeoque Internuncios meos, in exponendis iis, quæ ad Ecclesiæ hujus salutem et dignitatem spectant, clementer audiat, matureque ipsos confecto fœliciter negotio dimittat. Summa vero petitionis et votorum meorum hæc est. Primum ut Sanctitas Vestra electionem Capituli mei de me factam, ratam acceptamque habeat, eamque suo assensu, auctoritate et confirmatione prosequatur, corroboret et obsignet, ut catholicorum Episcoporum sub signis Sanctitatis Vestræ militantium ordinibus aggregatus, tanto uberiorem exercendæ veræ pietatis et virtutis, deque Christiana Republica præclare merendi materiam ad manus paratam habeam, fortiterque navatæ operæ, recta semper firmaque tenendo summi Dei, et sanctæ ac catholicæ Religionis vexilla, victricem lauream olim referre queam. Alterum est, quod devotissimo animi affectu a Sanctitate Vestra pe-

to, nec ego solum, sed communibus quasi lacrymis et votis mea mecum Ecclesia, ut oh ingens æs alienum tristissimis temporibus conflatum (quando Marchio Albertus Brandeburgicus Ecclesiam hanc hostiliter invasit, inque sanguinem et succum ejus incendiis et populationibus crudelissime grassatus est: quo extincto, suppullulavit aliud hydræ caput, impius quidem civis et exul, qui urbe hac insigni fraude occupata, miserandum in modum eam diripuit, gravissimumque vulnus inflixit) Sanctitas Vestra sumptuum pro confirmatione Apostolica obtinenda aliorumque Jurium persolutione, si non remissionem omnimodam concedere, saltem liberali aliqua moderatione Ecclesiæ hujus necessitates recreandas soblevandasque clementer in animum inducat. Nec vero bellorum tantum procellis Ecclesia hæc misere jactata est, quin aliæ calamitates divinitus superioris anni hyeme acceptæ sunt, corruptis nimirum vastatisque diro gelu vineis, in quarum proventu hujus regionis fortunæ prope consistunt omnes; tanta etiam urgente annonæ caritate, quanta jam inde a multis seculis nulla fuit, quaque ita subditi nostri premuntur, vix ut alere sese, tantum abest aliquid in medium conferre queant; exhausti nimirum et fessi tot annorum collationibus, et publice privatimque acceptis calamitatibus attriti: ut taceam interim quantum a vicinis Principibus et statibus Imperii, in usurpatione et imminutione jurium et facultatum hujus Ecclesiæ quotidie accipiatur detrimentum. Denique ne quid ad cumulum tot insignium calamitatum deesset, accidit ante biennium, ut repentino excitato incendio, orientale hujus Arcis Episcopalis latus pulcherrimi et sumptuosi operis, debacchante flamma conflagraret, quo rerum preciosissimarum thesaurus irrecuperabilis clade vix ullo unquam ævo sarcienda, in cineres evanuit. Quæ cum ita revera se habeant, (singillatim enim omnia percensere nimis longum foret) in non dubiam spem erigor, Sanctitatem Vestram meæ Ecclesiæ necessitates benignis oculis respecturam, ad ejusque vulnera sananda ex visceribus misericordiæ et caritatis paternæ aliquid exoptatæ levationis allaturam esse; quo nexu debitorum aliarumque difficultatum solutus, ad illa pulcherrima sanctissimaque opera Præcessoris mei, fœlicis recordationis, pietate inchoata, tanto maturius perficienda, quam primum accingar, meamque Ecclesiam ex variis fluctibus jactationibusque turbulenti hujus seculi in tutum portum, secundi numinis Sanctitatisque Vestræ aspirante aura, provectam esse, meque votorum compotem factum, aliquando lætari possim. In hisce Sanctitas Vestra sicut præstabit rem divina illa sua virtute, bonitate et sapientia, Apostolicoque munere dignissimam et Ecclesiæ meæ Würceburgensi non minus optatam, quam necessariam: ita ego vicissim omnes industriæ meæ et debitæ pietatis nervos eo intendam, ut amplificandæ ornandæque Sanctissimæ illius Sedis Majestati extremos sensus reservasse, nullique labori et studio, quacunque acerbitate proposita, vel si vita et sanguis profundendus foret, pepercisse videar: utque eadem Sanctitas Vestra Præcessoris mei pietatem et observantiam, in me vestigiis suis incedentem derivatam, certissimis rerum argumentis liquido cognoscat. Et hanc quidem animi mei sententiam et testificationem, plenam pietatis et observantiæ penes Sanctitatem Vestram ceu in religiosissimo sacrario deponendam et consignandam duxi, Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram spiritu suo sancto regat, eamque diutissime incolumem conservet, cui me meamque Ecclesiam humilime commendo. Datæ ex arce mea Montis Beatæ Mariæ Virginis sup. Wirceburgum, die Lunæ post Dominicam Judica, 29. Martii anno 1574.

Sanctitatis Vestræ

Devotiss. et obsequentiss. filius

JULIUS EL. EP. WIRCEB.

Gregorius, perspecta Julii vigilantia pastorali, eundem hortatur, ut quam primum Synodum Diœcesanam convocet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. III epis. 120. f. 264.

Venerabili Fratri Episcopo Herbipolensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex dilecto filio Nicolao Elgardo facile cognovit Fraternitas Tua, quantopere cupimus, ut habeas Synodum Diœcesanam, quod autem ei responsum accepimus, te quidem percupere, sed existimare eam nullum fructum allaturam esse antequam Venerabilis frater Archiepiscopus Moguntinus suam Diœcesanam, quam nondum inchoavit, absolverit. Nos aliter judicamus; nimis longum esse expectare, dum veniant tempora ad eam synodum opportuna, hactenus enim dicebantur aliena esse, neque tuam tamdiu differri sine magno animarum periculo et jactura posse. Eam igitur omnino habebis, neque ullam moram interpones, quæque repereris Sathanæ fraude, atque hominum militia collapsa et corrupta, restitues, sanabisque, ut decet Episcopum optimum et cupidum Christi gloriæ atque animarum salutis, quod utrumque Tuæ Fraternitati magnopere cordi esse non dubitamus. Seminarium etiam constitues ex Sancti Tridentini Concilii decreto atque ex tuo ipsius promisso; sic enim Elgardo pollicitus eras, te id facturum quamprimum Apostolicam confirmationem habuisses; eam autem plures ab hinc menses habuisti. De his atque aliis rebus tecum aget Elgardus, cui omnem fidem habebis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XVII. — Altera electio Gurcensis, quæ sedes

est Suffraganea Archidiœceseos Salisburgensis, haud secus ex votis Pontificis processerat; piissimus ille Præsul diu anceps hærebat, an infulam sibi collatam reciperet, ut ipse narrat in litteris, quibus Pontificem adprecatus, ut electioni suæ, invito eo factæ, robur daret. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 83.

Sanctissimo Patri Domino Nostro Gregorio Divina Providentia Tertiodecimo Domino meo Clementissimo.

Bme Pater, post beatorum pedum oscula.

« Cum abhinc aliquot diebus et mensibus ad curam Episcopatus Gurcensis nescio cujus promotione vocatus essem, ad quam non modo non aspiraveram unquam; sed neque cogitaveram, diu multumque mecum dubitavi, quid mihi in hac re faciendum esset. Hinc etenim vires meas, tanto oneri longe impares dimetiens, ab hac vocatione facile deterrebar; illinc vero multorum hortatu adductus, præsertim Illustrissimi et Reverendissimi Protectoris Germaniæ Dñi Cardinalis Madrutii ad id munus suscipiendum invitabar. Vicit tandem Dñi protectoris auctoritas, quæ mihi semper pro imperio est, atque in eam electionem consensi, hoc unum præ oculis habens, ut Dei Optimi Maximi laudem, honorem, gloriam quærendo, atque Ecclesiæ suæ sanctæ pro viribus inserviendo, si non idoneus, saltim fidelis servus esse merear. Scio quidem me provinciam arduam subire, cum Episcopatus ille gentem habeat variis erroribus jam a multis annis imbutam, atque adeo ab Ecclesiæ catholicæ ritibus et observationibus deviam; tamen divino præsidio, qui meus scopus esse debet, Beatitudinisque Vestræ fretus auxilio, nullum laborem tam difficilem mihi ducendum censeo, quem non libenter et ex animo subeam. Itaque idibus Novembris Salisburgi de confirmatione Episcopatus ab Illustrissimo et Reverendissimo Archiepiscopo mecum transactum est, in sequenti die ab eodem secundum ritum Romanæ Ecclesiæ consecratus sum. Jam vero me ad ipsam Gurcensem Ecclesiam confero. Hæc Beatitudini V. nota esse volui, ut intelligat nihil omnium rerum mihi magis esse in votis, quam ut sibi ac sacrosanctæ Sedi Apostolicæ obsequentissimum filium, fidelissimumque servum exhibeam, cui me quam possum humillime, quamque enixissime commendo. Ex Salisburgo 16. Cal. Dec. MDLXXIII.

Vestræ Beatitudinis

Humillimus et devotissimus servus
CHRISTOPHORUS EPISCOPUS GURCENSIS.

Pontifex haud diutina animi dubitatione hæsit, quin Electum ad suscipiendum onus Episcopale ei collatum paterne cohortaretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An III. epist. 146. f. 273.

Venerabili Fratri Christophoro Episcopo Gurcensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam bedictionem. Gratissimæ fuerunt Nobis litteræ Fraternitatis tuæ plenæ pietatis et Christi gloriæ zeli. Quo autem alienior eras ab istius vocationis et muneris non modo desiderio, sed etiam ut scribis, cogitatione, hoc magis debes totius facti agnoscere auctorem Deum; magis ejus ope confidere, qui ut eos rejicit, qui sibi honorem assumunt, sic eos quos vocat, tanquam Aaron, amplectitur fovetque sua gratia; unde etiam habes istam mentem, quam scribis, Dei ipsius laudem, honorem et gloriam quærendi, Ecclesiæque suæ sanctæ omnibus viribus inserviendi. Hujus nunc rei præclaram tibi facultatem esse intelligis in ista natione multis hactenus, ut idem scribis, erroribus imbuta, et ab Ecclesiæ catholicæ ritibus aliena. In tanta autem messe adjunge tibi operarios assiduos et servos Christi fideles ac prudentes. De nostra vero voluntate nihil te fallit tua expectatio: sic enim confirmamus, nihil Nos magis cupere, quam certiores fieri, quibus potissimum in rebus possimus causam Christi istic juvare et animarum saluti providere nostramque auctoritatem atque operam omnem Tuæ Fraternitati ad hæc paucissimam pollicemur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Decembris 1574. Pontificatus Nostri anno tertio.

XVIII. — Sedi quoque Tergestinæ in Illyriæ provincia Gregorius egregie prospexit; quum enim benevolum Caroli Archiducis Austriæ animum apprime novisset, ne ejus privilegio derogaret, ad eam Franciscum Sporenum ex Ordine Minorum Sancti Francisci Conventualium, suo Romæ negotiorum gestorem, virum omni laude dignum ei proponit [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 256. f. 161.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quantum cuique Ecclesiæ situm sit in optimi pastoris cura et vigilantia ad fidei synceritatem, et vitæ ac morum sanctitatem, quibus duobus Dei ipsius gloria et salus animarum maxime continetur, facile intelligis pro tua prudentia, pro pietate autem non dubitamus, cupere te optimum pastorem Christi ovibus præesse. Itaque defuncto, ut accepimus, Frangipanio, cum providendum sit Ecclesiæ Triestensi, voluimus eum potissimum virum proponere Nobilitati Tuæ, quem maxime idoneum judicaremus: is est Franciscus Sporenus ex ordine Franciscano, cui ad eam quam diximus, vigilantiam et vitæ innocentiam accedit etiam excellens doctrina, quæ cum in omni Episcopo exoptanda est, tum vero in illius Ecclesiæ Episcopo est pernecessaria, ut is sit, qui possit hæreses dignoscere et confutare, Christi gregem pascere exemplo vitæ, sanctis sacramentis et syncera doctrina, pestemque ab eo hæreticam arcere. Hunc si Nobilitas Tua præesse voluerit, præclare cum illa Ec-

clesia agitur, magisque erit, cur ipsi Ecclesiæ, quam cur huic homini gratulemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIIII. Aprilis MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XIX. — Ferdinandus, alter Archidux Austriæ, bene noscens munia ecclesiastica nonnisi piis et dignis viris conferenda esse, ad Præposituram Ecclesiæ Tridentinæ Joannem de Cavalleriis presbyterum, virum virtute ac scientia satis illustrem nominavit: quam nominationem Pontifex ultro adprobavit. (*)

(*) Germania Vol. 25. fol. 21.

Sanctissime in Christo Pater et Domine Domine Clementissime.

« Humillimam mei commendationem et pedum oscula beatorum. Vacante præpositura Tridentina, prout antea Sanctitatem Vestram litteris meis certiorem reddidi, eandem contuli Honorabili devoto mihi dilecto Joanni de Cavalleriis Confessario meo tanquam personæ idoneæ, quam Sanctitatem Vestram plurimum comprobasse ex litteris fratris Francisci Sporeni ibidem agentis mei intellexi. Cum autem ex ejusdem litteris nunc perceperim negotium hoc investituræ propediem expediendum et pro taxa litterarum quadringentis Coronatis opus esse; id significandum duxi præfato Confessario meo, qui me summopere et humiliter rogatum habuit, ut eundem litteris meis Sanctitati V. hoc in negotio commendarem. Nam ipse una mecum, sic existimat taxam hanc exigi a solo substituto Cameræ absque scitu et jussu Sanctitatis Vestræ, quæ cum piissima et prudentissima sit, facile intelligit in quæ incidimus tempora nempe periculosissima et perturbatissima, et prout verum et tantum pastorem decet omnimodam dat operam, ut juvet, custodiat, et tueatur afflictam sponsam Christi Sanctam Ecclesiam Catholicam sibi commendatam, et Sedem Apostolicam illæsam ab omni labe, et oves errantes et dispersas ad pristinum et verum suum ovile ardenti quodam paterno affectu adducat et revocet, mores reformando, et collegia pro studiosis Germaniæ juvenibus erigendo, nec non haud exiguam pecuniarum summam in commodum et utilitatem totius Reipublicæ Christianæ insumendo. Quare cum ita sit, præfatus Confessarius meus hac ardenti Sanctitatis Vestræ pietate motus, eandem una mecum suppliciter rogat, ut taxam hanc illi benigne condonare dignetur, præcipue vero cum Præpositura illa Tridentina, ut omnes referunt, nunc certe in pessimo sit statu propter absentiam et avaritiam Præpositorum prædecessorum, qui ferme omnia illius bona dilapidarunt, alienaruntque, et jam illius ædificia tam Ecclesiæ quam domus minantur ruinam, nec habetur in domo Præposituræ locus in quo tuto habitari possit tempore pluviarum. Hic vero cum ego mihi in animo proposuerim præfatam Præposituram, quantum in me erit, ad pristinum suum statum et nitorem reducere, et quæ fuerint alienata recuperare, spero Sanctitatem Vestram pio huic meo instituto haud defuturam gladio suo spirituali (si ita opus fuerit) illos omnes feriendo, qui injusto titulo illius bona possident et detinent. Rogo igitur Sanctitatem Vestram humillime, ut pro solita sua erga me paterna charitate in condonanda taxa illa annuere velit petitioni meæ, et præfati Confessarii mei: nec enim in archivio nostro Oenipontano invenitur Præposituram præfatam temporibus præteritis aliquam persolvisse taxam, cum tamen illa tunc temporis in longe meliori et quidem optimo statu existeret. Ego autem ita me erga Sanctitatem Vestram et Apostolicam Sedem gerere studebo, ut omnes intelligant eandem Sanctitatem Vestram hic in faucibus Germaniæ habere filium et vere Catholicum et sui observantissimum. Cujus sanctissimis precibus et orationibus me totum devoveo et commendo. Datæ in Civitate Oeniponte secunda die mensis Junii, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Sanctitatis Vestræ

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

Præsules qui studio erga religionem flagrabant, paternis verbis admonuit, ut in sancto incepto opere semper alacriores progredi velint. Atque, ut pauca exempla commemoremus, Coloniensi animum adjecit, ut a sua ditione homines nuperorum pravorum dogmatum asseclas penitus arceret, scholas institueret, seminarium presbyterorum jam inceptum perficeret, ac corruptos Cleri mores reformaret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 209. f. 120

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater Salutem etc. Quanto semper studio Romani Pontifices curaverint hæreticos a Christi grege quam longissime arceri: deque iis, qui inter Catholicos tutiores essent, diligentissime inquiri, semperque ad eam rem fratres suos Episcopos hortati fuerint, ex ipsorum epistolis, et scriptis permultis facile est intelligere. Videbant enim sapientissimi viri neque ullam pestem posse esse hac capitaliorem, magisque inimicam Deo, neque rem ullam digniorem, in qua Episcoporum omnium vigilare deberet industria; siquidem nihil est Episcopi nomine, et munere dignius, quam Christi gloriam, et animarum salutem commendatam habere, quam utramque hæretici oppugnant, quantum possunt; dum Catholicam fidem Christi, ejusque Sanctorum sancitam doctrina, et sanguine, sine qua impossibile est placere Deo, quæque extra Romanam Ecclesiam nusquam esse potest, conantur omni studio ex hominum animis evellere, pestiferasque in eis opiniones inserere, quorum tanta est su-

perbia, ut neque velint pie sentientibus credere, neque ad Sanctorum Patrum sententias et decreta recurrere, sed ex sua imperitia, et perversitate statuere, et judicare: de quibus verissime scribit Basilius, videri illos quidem hominibus adversari; re autem vera Deo bellum inferre, nec quidquam aliud propositum habere, quam ut fidei soliditatem, et Apostolicas traditiones evertant, inque eam rem omni studio incumbere, quorum etiam plerique, quo interius sunt corruptiores, et inquinatiores; eo conantur videri exterius sanctiores, et puriores, ut scilicet hoc artificio incautos, atque imperitos facilius capiant, atque a salute avertant, interimantque animas blando sermone, quasi dulci quodam, sed mortifero poculo. Hanc igitur tam exitiosam pestem, quam et fidei nostræ sinceritas, et humanarum legum damnat auctoritas, cupimus longissime a Christi ovibus abesse; quod idem tuam quoque Fraternitatem cupere pro eo, qui in te est Christi gloriæ, quæ animarum salute maxime continetur, zelus, non dubitamus. Nihil igitur aliud restat, charissime fili, nisi ut quod cupimus, quod Nos facere debere agnoscimus, omni studio exequamur. Expectamus incredibili cum desiderio tuas literas, in quibus intelligamus, hæreticos eos, qui Gueuses appellantur, aliaque hujusmodi monstra omnia ex ista tua nobilissima civitate, atque universa diœcesi, quo irrepserunt, ejecta esse, sanctissimæ inquisitionis officium restitutum, Seminaria instituta, cæteraque omnia summa cum tua Capitulique tui consensione provisa, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam, atque ad Catholicam Religionem augendam pertinent. Hanc nostram summam expectationem ne diutius differi patiaris, quantum possumus, in Domino rogamus: ac si quid opus ad ea, quæ diximus, exequenda, atque ad tuam optimam voluntatem adjuvandam afferre posse intelligis nostram auctoritatem, fac Nos certiores: nulla enim unquam in re eam libentius adhibebimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die nona Januarii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XX. — Moguntini Archiepiscopi diligentiam in visitanda diœcesi merito laudat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. an. III. epistol. 86. fol. 230.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere necessarium sit, ut Pastores suas diœceses visitent, et ratio ipsa declarat, et suum ipsorum nomen, ac munus ostendit, et tuum recens exemplum facile confirmat. Neque enim possunt Pastores suum munus præstare, hoc est ovium ipsarum utilitati ac saluti invigilare, si ignorent, quis earum sit status, quo pabulo utantur, salubrine, an pestifero, quibus rebus indigeant, quid periculi impendeat; neque vero possunt hæc melius cognoscere, quam si ubi perpetuo adesse non possunt, curent, ut quam frequentissime sint: qua quidem cogitatione adducti sancti Patres, multa de visitatione ab Episcopis facienda gravissime et monuerunt, et in sacris Conciliis decreverunt. Laudamus igitur summopere diligentiam tuam in ipsa diœcesi visitanda, inque iis, quæ depravata erant, corrigendis, noxiis amovendis, maximeque in Sathanæ Ministris ejiciendis, catholicisque sufficiendis: ut enim nullum potest esse virus animabus exitiosius impia hæreticorum doctrina; sic nihil est salutarius Catholica veritate, quæ a Sanctæ Ecclesiæ filiis pure sincereque traditur. Hæc omnia curasse Fraternitatem Tuam magno cum fructu gravissimorum virorum Nobis testimonio confirmatum est. Itaque et gratias agimus Deo, et Tuæ Fraternitati ex animo gratulamur: hancque veram gratulationem esse ducimus, quæ de recte factis pro Christi gloria, proque animarum salute suscipitur. Perge igitur charissime frater utraque in re laborare, et diœcesim ipsam quam sæpissime visitare, sinceramque doctrinam, et morum sanctitatem, ubi deest, inducere, ac si quid nostra auctoritate ad hæc opus esse intelligis, fac Nos certiores; nihil enim est, in quo paratiores invenire possis. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XVII. Septembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXI. — Et de Salisburgensium Antistitis anteacta oscitantia dolet, inde de exequendorum suæ synodi decretorum cœpto consilio gratulatur, atque ut constanti immotoque animo cœptum præstet, atque in eo perseveret, enixe suadet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. an. III. epist. 112. fol. 253.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Salisburgensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Laudavimus summopere consilium Fraternitatis Tuæ, quod ex tuis, ex Porciæ Nuncii Nostri, ex Feliciani literis cognovimus, de exequendis tuæ synodi decretis. Expectavimus quotidie progressum ipsum cognoscere, sed hactenus nihil accepimus. Itaque pro nostro summo desiderio hortamur Fraternitatem Tuam, ut in hanc curam tam utilem, tamque necessariam omni studio incumbas, omnemque operam adhibeas, ut fructus optatissimus consequatur, quodque in te est, efficias, ut diœcesim tuam visites, Seminarium constituas, cæteraque, quæ pie sancteque decreta sunt, exequaris, eademque a tuis Suffraganeis fieri cures: expectamus vehementer de his rebus certiores fieri. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXII. — Rebus quoque Collegii Germanici in Urbe Gregorius sapientissima lege prospexerat, destinando eidem, sequenti Constitutione, quatuor Cardinales, ita dictos Protectores, qui

auctoritate Pontificis omnia negotia curarent, jura assererent, quæstiones dirimerent remota etiam appellatione. [*]

[*] Bullar. T. IV. Par. III pag. 280.

GREGORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

« Pro nostri muneris officio æquum est providere, ut qui in scholis bonarum disciplinarum operam dant, a perturbationibus, quantum potest, liberentur.

§ 1. Quocirca ut Collegium Germanicum pridem a Nobis in Urbe nostra institutum, in quo non minus quam centum pueros e universa Germania, septentrionalibusque illi adjacentibus regionibus colligendos, liberalibus scientiis, ac disciplinis, necnon sacris Canonibus, et Theologia instrui, atque erudiri volumus, et ad illorum sustentationem redditus annuos decem millium aureorum ipsi Collegio perpetuo attribuimus, speciali privilegio prosequi volentes, Motu proprio venerabilibus fratribus nostris Jo. Ostiensi, Morono, et Alexandro Prænestino Episcopis, Farnesio, ac dilectis filiis nostris Marco S. Georgii ab Altaëmps, et Ptolomeo S. Agathæ Comensi, ac Ludovico S. Onuphrii titulorum Madrucio nuncupatis, Presbyteris Card. ejusdem Collegii Protectoribus, et defensoribus a Nobis constitutis, ac eorum cuilibet, omnes et singulas causas civiles, criminales, et mixtas dicti Collegii, illiusque Collegialium, Scholarium, Rectorum, Magistrorum, Œconomorum, Advocatorum, Procuratorum, aliorumque Ministrorum, et Officialium pro tempore existentium, Collegium prædictum, illiusque res, jura, actiones, et bona concernentes dumtaxat, tam active quam passive, per se ipsos, aut quemlibet ipsorum, vel eorum, aut cuilibet ipsorum Auditorum, seu Auditores, aut alium, vel alios, qui eis videbuntur, etiam summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura judicii, necnon manu regia, nullaque tela judiciaria servata, sed sola facti veritate inspecta, atque etiam omni et quacumque appellatione remota, audiendi, cognoscendi, decidendi, et sine debito terminandi, vel etiam delegandi, et ad hunc effectum quoscumque citandi, ac quibus, et quoties inhibendum fuerit, etiam sub pœnis pecuniariis, et aliis eorum arbitrio, ac in subsidium juris, censuris Ecclesiasticis inhibendi, cæteraque omnia in præmissis, et circa eo quomodolibet necessaria, et opportuna faciendi, et exequendi, liberam auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus facultatem.

§ 2. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac stylo Palatii, et Romanæ Curiæ, necnon quorumcumque tribunalium Urbis prædictæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis eisdem tribunalibus, et curiis, illorumque Judicibus etiam ejusdem Palatii Auditoribus, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, et scientia similibus, aut alias quomodolibet in genere, vel in specie, ac quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent præsentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§ 4. Volumus autem, quod præsentium transumptis etc. etiam impressis, manu Notarii publici, dictique Collegii Secretarii subscriptis et sigillo communi ejusdem Collegii munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud, ac alias ubicumque opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

« Nulli ergo omnino hominum etc. si quis autem hoc attentare etc. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Idibus Julii, Pontificatus Nostri Anno III.

XXIII. —Quam grata Germanis ista celeberrima studiorum palestra esset, Canisii litteræ ad Pontificem ea de re datæ apprime demonstrant; quibus eumdem insuper edocet de peroptato eventu, quem Gropperi et Bartholomei a Porcia in re Christiana exaugenda, juvandaque Collegii Germanici causa iteratæ curæ studiaque adhibita tulerant. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 31.

Sanctissime in Christo Pater ac Dñe.

« Annus est propemodum, quod ego ex Urbe discedens a B. V. in mandatis acceperim, ut ad illam aliquando meas litteras darem. Primum igitur supplex veniam peto, si fortassis hoc expressum B. V. mandatum meo diuturno silentio violavi: etsi putaverim mea quidem scriptione minus opus esse, quamdiu B. V. Nuncius Rflius Porcia nobis adesset. Is vero nunc Augu-

stam discessit, ac de germanicis rebus in Urbem subinde scribit, ut ego quæ adjungam vix habere ulla videar.

« Animadverto majorem in modum placere Germanis, eosque sibi et Ecclesiæ moltum gratulari, quod Romæ Collegium Germanicum B. V. auspiciis instituatur, ejusque institoti successum et exitum multis in Germania Ecclesiis admodum salutarem fore confidunt. Nostrum est interim cum piis omnibus Deum æternum precari, ut B. V. consilia in hoc opere sancto nec satis unquam laudando confirmet, atque ad publicum hujus corruptæ Nationis commodum prosperet perpetuetque. Mirum sane videri potest, tot catholicorum millia in his regionibus passim superesse, quibus vel nulli, vel inepti prorsus contingant pastores atque sacerdotes. Eoque magis optant sapientes, ut Germaniæ Principes et Antistites in Seminariis passim erigendis V. B. imitentur exemplum, quod ægre admodum fore putent, ut sine hoc ipso medio Catholica religio diu conservetur, totque populorum salus promoveatur.

« Quod ad Revīños Nuncios Porciam et Gropperum a B. V. Germaniæ nostræ destinatos attinet, res ipsa quidem fateri cogit, eorum adventum nostris hominibus multum profuisse; qui eo et chariores, et utiliores in his regionibus esse pergent, quo diutius in hoc præclaro munere confirmabuntur.

« Egent profecto Principes et magnates frequenti admonitione, ut hæreticorum audaciam comprimant, Ecclesiasticas vero personas et earum jurisdictionem hoc tempore tueantur. Egent rursus Rm̃ó Episcopi et Archiepiscopi monitoribus, suum ut officium faciant in primario et secundario Clero reformando, in Ecclesiis et monasteriis visitandis; ac præterea in Scholis bene constituendis. Quibus in rebus Apostolicorum Nunciorum usus sane multiplex, et in hoc Germaniæ frigore tantum non necessarius videri potest: ut omittam, quanti sit momenti per eosdem res Germanicas probe cognosci, multorum animos S. Sedi Apostolicæ magis magisque conciliari, et hæreticorum artes fraudesque profligari. Fit autem aliquando, ut pastores et sacerdotes nonnulli ad Rm̃os Nuncios velut suos medicos in gravissimis morbis accedant, ac propterea tristes abeant, quod ingratam repulsam ferre cogantur. Audiunt enim Rm̃is Nunciis non licere, ut potestatem aliis faciant in casu hæresis absolvendi, et circa plærasque censuras Ecclesiasticas dispensandi. Sit autem juditium penes B. V., possint ne dictis Nunciis facultates extendi, ut Germanis eo et gratiores et utiliores existant. Desiderarent sane permulti, ut cum ipsis Ordinariis serio tractarent Rm̃i Nuncii, qua ratione quidem Parochi et Confessarii in his Ecclesiis constitui possent, penes quos ex peculiari gratia B. V. maneret facultas, in communi et quotidiano casu hæresis pœnitentes absolvendi, quando illi nec infames, nec relapsi essent. Videntur sane majorem nunc quam prius mereri gratiam Germani, qui postquam in medio Nationis pravæ nati et educati sunt, tamen Romanæ sanctæ Ecclesiæ fidem integram profitentur, et a vicinis sacerdotibus petunt beneficium absolutionis. Verum hæc obiter ego tot pereuntium animarum calamitate commotus dixerim, salvo semper judiciu S. Sedis Apostolicæ, cui velut pientissimæ matri, ter miseram et afflictam Germaniam summa quidem cum submissione commendo atque committo. Clementissimus Deus B. V. diu nobis Germanis, et Ecclesiæ Catholicæ incolumem servet. Œniponti decima Maji 1574.

Beatitudinis Vestræ

Servulus infimus
PETRUS CANISIUS.

XXIV. — Ast Præsules ipsi Germaniæ, non intermissis studiis, Pontificis benevolentiæ Collegium istud commendarunt, eundem efflagitantes, ut auctiori quoad fieri posset, alumnorum numero locus fiat. Quam probata fuerit constitutio hujus collegii, patet etiam ex literis Episcopi Monasteriensis, quibus ipse commendat Cardinali Comensi juvenem quemdam ex familia de Rasfelt animi dotibus, et generis nobilitate conspicuum, ut in collegium Germanicum admittatur. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 1.

Illm̃o ac Rm̃o Dño D. Ptolomeo Novocomensi S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Sipontino Dño suo amplissimo.

Illostrissime ac Revm̃e in Christo Pater
Dñe amice charissime ac observande.

«Præsentium lator subditus noster est ex familia nobilium de Rasfelt oriundus, venit Romam, ut collocetur in Collegium, quod S. D. N. pietatis zelo pro instituenda juventute Germanica catholice erexit et fundavit. Et quia Reverendus Dñus Nuntius Apostolicus Gropperus S. Suæ nomine et hoc nobiscum egit, ut si qui erunt ex nostris diœcesibus, qui in illo bonis litteris operam dare et postea Ecclesiæ sese mancipare vellent, ii libere mitterentur: in eam curam nobis incumbendum maxime existimavimus, ut non tantum plebei aut ex patriciorum gente, sed etiam præcipua nobilitate militari et quorum constantia in amplectenda, defendenda et propaganda religione catholica nota et perspecta esset, in illud ponerentur ac istac proficiscerentur. Quorum numero cum hic adolescens præcipuas partes ferret, quippe qui parentes consanguineos et totam affinitatem habet religionis catholicæ observantissimos Amplitudini Vestræ Rm̃æ et Illm̃æ eum præ cæteris commendare, ut honesto loco haberi inque præscriptum Collegium patrocinio, benevolentia, et authoritate Amplitudinis Vestræ Illm̃æ adolescens ingenuus et pro ætate be-

ne in literis versatus recipi possit, implorare voluimus. Ornatus quoque præterea est suis dimissoriis et commendatione publica studiorum, et sese nostra testificatione dignum comprobabit. Itaque Amplitudinem Vestram Illmam ipsi sponte benefacturam confidimus. Quæ diu ut valeat et nos sibi devictissimos ducat, vehementer eandem rogamus. Datum in Castro nostro Ahus nostræ Monasteriensis diœcesis, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, die quidem vigesima mensis Januarii.

Johannes de Hoya Dei gratia Episcopus Mon. Osnab. ac Paderb. Ecclesiarum Administratur.

Illmæ ac Rmæ Dnationis Vestræ

Addictissimus

Jo. Episcopus de Hoya.

G. V. Heyden.

Piissimus quoque Augustanorum Præsul eodem studio erga istud collegium ferebatur. Amplior quam collegialis disciplinæ scita sinerent, juvenum numerus excolendorum studiorum gratia ab eo missus fuerat; ast Pontifex, cognita tanti antistitis virtute, votis ejus annuit, datis per Cardinalem Comensem ad eum sequentibus litteris. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol 28. epistol. 70.

Episcopo Augustano.

« Reverendissime Domine. Paucis ante diebus adolescentes ii, quos Amplitudo tua transmisisse per suas literas mihi significaverat, ad Urbem pervenerunt, uno tantum excepto, qui morbo impeditus fuisse dicitur, quominus iter prosecutus sit. Qui quidem cum præscriptum meis literis numerum excederent, ætatem requisitam non haberent, et exiguæ admodum eruditionis essent, non parum in eis admittendis negotii exhibeatur; præsertim cum in Collegio, tum propter receptos jam, tum ob eos, qui expectabantur, vix tot scholaribus locus relinqueretur: sed tamen Sanctissimi Domini Nostri paterna erga Amplitudinem tuam voluntas, has omnes vicit difficultates. Voluit enim Sanctitas ejus, institutis Collegii. propositæque rationi, et utilitati adversari potius, quam tibi morem non gerere. Itaque recepti omnes sunt, et aliquanto benignius etiam tua causa tractabuntur. Utinam ipsi hujus Sanctissimi Domini Nostri clementia dignos se ostendant, et ætatis defectum studiorum assiduitate, ac celeritate compensare curent. Deus Amplitudini tuæ bonam valetudinem et cuncta prospera largiatur. Romæ die xxvii. Februarii 1574.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

XXV. — Vix dici potest, quanto gaudio Pontifex perfusus fuerit, quando intellexit, pium illum Albertum Bavariæ Ducem sapientissimum consilium, quod jamdiu animo agitaverat, nempe filium secundo loco natum, Ernestum, Administratorem Ecclesiarum Frisingensis et Hildeshemiensis, Romam mittendi, tandem summota quaque animi dubitatione plane probasse ac suscepisse. Ita enim fiebat, ut iste quotidianis Pontificis colloquiis de vita pastore digna, deque negotiis christianæ rei adaugendæ aptissimis edoceretur. En Ducis ea de re litteras ad Gregorium, quas nemini perlegere erit, quin vehementi animus ejus in tantum Principem admirationis impetu proripiatur. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 29.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. S. Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo Domino meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe Benignissime.

« Obsequentissimi filii studia ad beatissimos pedes, quæ votis meis nunc exosculor, extendi cum primis cupio.

« Cum unicuique gravissimum debeat esse ejus testimonium, qui ad eum integritatis et veræ virtutis gradum pertigit, ut etiam hoc nomine Apostolicis literis celebrari mereatur; haud immerito plurimi facere debemus, quæ Andreas Fabritius, noster ad Vestram Sanctitatem Orator, de singulari et plus quam paterno in me meosque affectu longo sermone, huc reversus, coram enarravit. Tam magna enim sunt illa, ut mihi meisque omnibus hanc fœlicitatem plurimum gratulari debeam, nec etiam sciam, an ullo tempore huic Sanctitatis Vestræ benevolentiæ respondere possim; nisi forte taota sublimitas sibi quoquo pacto satisfactum esse putabit, si quæ ex nostra professione Christo ejusque Vicario debemus, hoc sedulo etiam et animose præstare nitamur. Fecimus quidem hactenus, variis licet turbidinibus et procellis circumdati, quantum vires et humeri sufferre valuerunt, nec, Deo adjuvante, unquam sumus commissuri, ut fidem catholicam hæretica perfidia commutemus. Minime hic prolixius commemorabo, quam multa inter aliquot annos ad eum scopum direxerim. Illud tamen breviter attingam, sinceræ fidei amorem me præcipue commovisse, ut filium meum Ernestum, natu minimum, sacris destinarem et manciparem, existimans, si quid forte humanitus mihi contingeret, interveniente ducalis sanguinis religiosa auctoritate, non modo populares, verum etiam cæteros meos liberos facilius in semita majorum nostrorum retineri posse. Quapropter eumdem filium meum studiis et exercitiis accommodis institui et educari, semper solicite curavi, traditis illi tempestive moderatoribus probatissimis, qui tenerum adhuc animum ad statum Ecclesiasticum præpararent, et in spiritualem militiam sensim manuducerent. Sed nescio, quis malus genius statim ipso initio nobis tantum bonum inviderit, conceptaque optima consilia interverterit. Cum enim Regis Hispaniarum et aliorum Principum hortatu, Spiram Nemetum ad comitia et alias ad visitationem Cameræ Imperialis (officio et ordine hoc expostulante) pro-

ficiscitur, ac rursus Coloniam Imperatoris voluntate et jussu residentiæ (ut vocant) causa ablegatur, ut plerumque fieri solet, in eorum consuetudinem et colloquia incidit, qui infirmum animum et in vitia cereum, a recto et salubri proposito abducere, pravisque exemplis et suasionibus ad lubricos mores invitare solent. Atque hac ratione factum est, ut jacta illa pietatis semina antequam assurgerent, vel multum impedita, vel in primo etiam germine oppressa fuerint. Hinc etiam illud est consecutum, ut apud me certo constitueretur, quidvis potius tentandum, quam ut Filium remotius a nobis abesse deinceps pateremur. Sed cum nec sic quidem succederet, et ex parte nostrorum Ecclesiasticorum grave offendiculum filio exhiberetur, non defuerunt amici, inter quos piæ memoriæ Cardinalis Augustanus, qui judicarent consultissimum esse, ut ad eam Urbem mitteretur, in qua omnium virtutum frequentissima exercitia, summorumque Virorum exempla laudatissima conspicerentur. Postquam vero animus noster etiam in hanc partem se inflexerat, jamque sanis ejusmodi consiliis obsequi meditabar, mox aliud incommodum ex tristissima morte Cardinalis Augustani, cui propter antiquam amicitiam plurimum tribuebam, supervenit, insignique isto præsidio orbatus etiam postremum hoc consilium immutandum duxi, quod nemo in Urbe occurreret insigni auctoritate præditus, cujus sollicitudini Filium tam libere et confidenter committerem. Jam vero cum divino prorsus favore singularem Sanctitatis Vestræ in me meosque omnes, ac præcipue in filium meum Ernestum benevolentiam ab Oratore meo pluribus argumentis confirmari intelligam, priorem istam consultationem, ob causas depositam, ita revocavi, ut jam ab aliquo tempore istuc Filium amandassem, nisi prius cum Oratore meo Fabritio de variis fuisset agendum. Nunc vero omnibus difficultatibus excussis, maturaque cum amicis et consiliariis deliberatione habita, omnino et quidem brevi præfatum Filium meum Ernestum Sanctitati Vestræ transmittere, eidemque ut parenti optimo committere constitui, ut pro sua benignitate et prudentia hunc, tamquam adhuc teneram et impolitam plantulam erigere, sustentare et corroborare, prout ipsius natura exiget, non gravetur. Quod sane tam audacter postulare non auderem, nisi Sanctitatis Vestræ voluntatem, (quod summa cum gratiarum actione et reverentia hic etiam recolimus,) in eam rem pronam prorsusque obviam intelligerem. Ut etiam pari fide et candore agerem, nolui Filium, plusquam meretur, commendare; sed cum Christo ejusque Vicario tanquam infirmum, offerre curandum. Licet enim Deus non contemnendas animi dotes, ingenii inquam et memoriæ, nec non judicii quasi prematuri, sit elargitus; sunt tamen multa, quæ vel ad naturæ fœlicitatem vel ad morum perfectionem in ipso desiderantur. Neque enim ab heri aut nudiustertius est eloquens, nec affectus ita compositi, cum huc et illuc brevi momento subinde abripiatur. Attamen istac tam accurata educatione, quam Sanctitatem Vestram meditari audio, futurum confido, ut in bivio constitutus dextri lateris semitam, ad sempiternam fœlicitatem ducentem, sua etiam sponte eligat et sequatur. Præsertim si repulsis corruptoribus, in multitudine ac medio presbyterorum prudentum semper consistat, et ex eorum pectoribus, ut Paulus ad pedes Gamalielis, sapientiam salutarem hauriat. Ejusmodi profectum ut commodius certiusque etiam expectare liceat, multum referre putavi, qualem opinionem de Urbe ejusque moribus ipso statim principio consistat, quam fere ex objectis externis sensibus oblatis apprehendere istiusmodi Adolescentes consueverunt. Cum autem frequentissima eaque sanctissima omnis pietatis exercitia et spectacula post medium quadragesimæ istic passim exhiberi intelligam, existimavi, non inconsultum fore, si hoc pacto eam profectionem institui curem, ut sub illud tempus istuc Filius appellat, nisi tamen aliud Sanctitati Vestræ visum fuerit. Cujus sententiam ut in aliis omnibus semper sequi cupio, me meaque omnia paterno ipsius favori commendans, et constanti eaque avita in Sedem Apostolicam observantia consecrans et submittens, simulque Deum Optimum Maximum rogans, ut Sanctitatem Vestram diu Ecclesiæ Catholicæ conservet incolumem. Ex Civitate mea Fridperga tertia Mensis Januarii Anno a Christi natali MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.

p. m. ppriam

Secundis sequentibus litteris idem Princeps Ernestum Gregorio ceu carissimum amoris et devotionis ejus erga Sanctam Sedem pignus offert, ac commendat, et nuntiat eundem iter versus almam Apostolorum Urbem jam adgressum esse. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 28.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe Benignissime.

Humillimam obsequentissimi filii observantiam, et pedum beatissimorum oscula devotissima.

« Quem S. V. benignissimis suis cohortationibus ad Urbem vocavit, dilectissimum filium meum Principem Ernestum, Administratorem Hildesheymensem ac Frisingensem, ad Sanctitatis Vestræ beatissimos pedes reverenter offero, de omnipotentis Dei bonitate confisus, sicuti hac in re obedientissimi filii officio perquam libenter functus sum, ita non inauspicato cessuram hanc rem totam ad æterni sui nominis gloriam, et Ecclesiæ Catholicæ dignitatem. Hunc

ipsum vero filium meum, imo non meum amplius, sed Sanctitatis Vestræ vere filium, si sacris suis muneribus idoneum et sufficientem aliquando redire videro, tum plenum erit in sinu meo gaudium, tum apparebit familiæ meæ S. Sedis gloria, et satiabitur ab ubertate Pontificiæ benedictionis. Atque hoc ingens et solidum animi mei bonum, si in hac vita paratum mihi est, instar mihi erit jucundissimi finis eorum quæ pro religione, proque republica abs me suscepti sunt, laborum periculorumque omnium. Neque enim tam mihi curæ unquam fuit, ut ex Ecclesiæ thesauris filio prospiceretur, quam ut ipsi Ecclesiæ filius aliquando adesset, utilis dignusque patronus et curator. Cujus quidem meæ fœlicitatis maximam nunc spem concipio ex summa ista S. V. clementia, quam etiam erga præsentem filium adauctam iri non dubito; in quem quicquid meum esse potuit, Sanctitati Vestræ totum penitus resigno, trado atque devoveo, recepturus id procul dubio, eo majori cum fœnore atque dignitate, quo perfectius esse scio meliusque omne, quod a tanto parente in salutem ejus conceptum institutumque est jam diu. Atque hinc etiam feci, ut quæ ad tuendas firmandasque vitæ suæ universæ rationes pertinere poterant, minus anxie perscriberentur: cum is ex sanctissimis Vestræ Beatitudinis præceptis atque monitis totque amplissimorum procerum adeoque ipsius sacræ Urbis vivis exemplis componere sese et formare potius debeat, possitque. Optime itaque evenire cupio et exopto, quod S. V. pro Germaniæ fortuna, pro familiæ dignitate, proque ipsius Ernesti salute tam clementer est aggressa. Deus æternus, omnis boni operis remunerator largissimus, tribuat Sanctitati Vestræ secundum cor suum, annosque addat tranquillos et longissimos, ut respirare tandem sub optimo ac beneficentissimo patre possit ex tot difficultatibus Ecclesia sancta: me vero meaque omnia reverenter commendo et offero. Monachii XXII. die Martii Anno LXXIIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ
p. m. ppriam.

XXVI. — Gregorius nulli comitatis officio erga inclytum hospitem defuit, eique usque ad fines dictionis pontificiæ unum ex cubiculariis obviam mittit, qui cum suo nomine salutaret, Romamque comitaretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 206. f. 161.

Dilecto Filio Nobili Viro Ernesto Frisingensis et Hildesemiensis Ecclesiarum Administratori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus obviam Nobilitati Tuæ dilectum filium Camillum Capilupum Cubicularium nostrum, ex quo cognosces, quam desideratus advenias, et quantopere cupiamus te præsentem videre, atque amplecti, nostram erga te paternam charitatem testificari, hoc inquam, aliaque ex ipso Capilupo cognosces, omnemque ei fidem tribues. Longiores non sumus; cætera enim coram brevi, ut cupimus, agemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Aprilis MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Ernestus una cum suo vere regio comitatu, qui ex viris octo supra sexaginta constabat, inter quos juvenes lectissimi primariæ Germaniæ nobilitatis inveniebantur, summis honoribus excipiebatur a Pontifice, qui eidem æque atque inclytis ejus itineris sociis in magnifico Vaticani cubiculo, quod Innocentianum audit, hospitium præbuit, dum Romæ is commoratus est. Alberto Gregorius de Ernesti adventu, deque ejus apud ipsum commoratione fusiori calamo exprimit, nuntiatque se omnia libenter præstiturum, ut tenera ipsius mens omnibus virtutibus Episcopo peroeccessariis excolatur atque instruatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII, An II. epist. 207. f. 171.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Pervenit ad Nos Ernestus natus tuus reddiditque Nobis litteras Tua Nobilitate dignas, hoc est paternæ charitatis et Christianæ pietatis plenas. Quod precaris, hunc ejus adventum atque apud Nos commorationem totam referri ad Dei gloriam, Catholicæque Ecclesiæ dignitatem; id vero speramus, nostramque operam adjungemus, quantum poterimus. Quod Nobis cum totum committis, et tradis; tam nobile depositum custodiemus quam diligentissime, adhibebimusque optimam custodem charitatem Christi. Quod cupis et precaris, ut videas filium tuum auctum non Ecclesiæ thesauris, sed Ecclesiæ patrono dignis virtutibus, hocque amplissimum in hac vita ducis præmium laborum periculorumque omnium, abs te pro Religione, proque Christiana Republica susceptorum; agnoscimus in his verbis præceptum illud Apostoli, quo monebat potentes, non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat omnibus affluenter ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus; thesaurizare sibi fundamentum in futurum, ut apprehendant veram vitam: illud etiam Bernardi agnoscimus, cum, qui aliis regendis præsit, nunquam posse bene regere, nisi ipse sese a Deo regi sinat. In quo non fallemus spem tuam; sic enim pollicemur, Nos omnem curam et diligentiam posituros in Ernesto pie sancteque educando, atque iis virtutibus instruendo, quibus Antistitem in Ecclesia Dei præditum esse oportet. Idque Nos consecuturos speramus a Dei benignitate, atque ab ipsius Ernesti natura: est enim præclara indole, singularique modestia atque optima spe:

ad quæ cum diligens institutio accessit, facile existunt illa, quæ utrique vehementer cupimus. Hæc nostra curatio erit, nitemurque omni studio, ut tuo nostroque summo desiderio satisfaciamus. Tuam autem istam insignem pietatem, et Dei gloriæ zelum offerimus eidem Deo, tibique et natis tuis, universæque familiæ tuæ salutem atque omnem prosperitatem, et gloriam sempiternam ab ejus bonitate precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda Maji MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXVII. — Quid mirum Albertum pro tantis in filium collatis favoribus Pontifici ex corde gratias egisse, addita iterata sponsione se nihil reliquum facturum, quominus votis ejus quoad filium, incolumitati atque utilitati Ecclesiæ Germaniæ satisfacturus sit. (*)

(*) Germania Vol. 20. fol. 20.

Beatissime Pater, Domine mi Benignissime.

Devota beatissimorum pedum oscula et perpetua obsequentissimi filii studia.

« Facit ea quam Sanctitatis Vestræ judicium apud me excitavit, summa de charissimo filio meo Ernesto spes atque expectatio, ut quam pro salute ejus dudum susceperam ingentem equidem sollicitudinem, eadem major apud me indies efficiatur. Dum enim et Sanctitatis Vestræ voluntati, et urbis expectationi meisque votis satisfacere debet, uti profecto debet, facile video, illum non nisi perfectissimum et absolutissimum aliquando patriæ reddi debere: maxime cum nihil admodum sit, quæ tam egeat Germania quam ejuscemodi Ecclesiasticis Principibus, qui non tam inanes clarorum majorum titulos, quam veræ virtutis vigorem atque dignitatem adferant. Quam quidem perfectionem ut filius charissimus assequatur, cum in una illa, quæ de Sanctitatis Vestræ summa benignitate mihi est fiducia, sit positum, reverenter tandem ac devote obtestor, ut ne abjicere velit ipsius curam, sed authoritate sua clementissime semper adsit. Ita futurum spero, ut is officium minime deserat, et inter tot summa urbis exempla ad ipsum virtutis atque pietatis plenitudinem recta contendat. Cujus quidem rei suavissimos atque optatissimos fructus, ut eum Sanctitate Vestra degustare aliquando possim, faxit is, in cujus manu sunt omnia, trinus et unus benedictus Deus in sæcula. Et Sanctitati Vestræ me meosque omnes reverenter commendo et offero. Datæ Monachii XXVI. die Octobris Anno MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

Gregorius quoque de pietate tanti patris summe lætatus, ei animum addit, ut in sancto consilio gloriæ Dei in regionibus Germanicis promovendæ, eadem qua hucusque fuerat, alacritate progrediatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 147. fol. 276.

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Vere et sapienter dicitur, eum, qui rem aliquam diligat propter Deum, referatque in ea re diligenda curam et sollicitudinem suam omnem ad eundem Deum, nec quidquam aliud in ea quærat, nisi Dei laudem et gloriam; non tam rem illam diligere, quam in ea Deum, amoremque suum ita aliqua ex parte tribuere rei creatæ, ut simul totum tribuat Creatori. Hoc autem facere Nobilitatem tuam in Hernesto filio perspicue apparet in literis datis XXVI. Octobris. Scribit enim, te omnibus votis a Deo postulare illum aliquando redire perfectissimum, atque absolutissimum, ac talem, quales multos requirit Germania Ecclesiasticos Principes, qui scilicet possint non inani nominum ac titulorum umbra, sed veræ solidæque virtutis ac pietatis præsidio, et robore majorum suorum dignitatem et generis claritatem sustinere. Erit, ut postulas, nostra hæc in Hernesto summa curatio; in quo tamen non multum negocii habebimus: est enim ea gravitate, affabilitate, modestia, religione, ut optimam spem afferat, talem fore, qualem utrique cupimus. Quod autem in alteris literis datis XXIX. Octobris excusas te de veniendo ad sacrosanctum Jubileum, accepimus excusationem tuam. De filio autem mittendo, nollemus Nos incertos relinqui. Nisi igitur quid gravius obstiterit, libentissime eum videbimus; speramus enim cæteros Principes tua præstanti auctoritate permotos idem facturos, non minimo cum eorum ipsorum quos mittent fructu: videbunt enim fortasse in hac urbe ea, quæ si in recte vivendo, et sancta Religione ut oportet colenda imitari voluerint, minime eos adventus sui pœnitebit. Interim autem nollemus et Nos privari hujus dilecti filii præsentia, et ipsom tam salutaris peregrinationis fructu, qui etiam præterquam quod videbit hic fratrem germanum, habebit etiam amore parentem, qui eum omnibus charitatis officiis complectetur. Quod studium, atque operam tuam omnem polliceris in Duce Saxoniæ, cæterisque Principibus quantum misericordia Dei largietur ad matrem Ecclesiam revocandis, est hoc pietatis tuæ Nobis perspectissimæ, animique Christi gloriæ atque animarum salutis cupidissimi. Qua etiam de re nostrum desiderium cognosces ex Nuncio nostro aut coram aut certe si quid erit impedimenti per literas. Ei igitur et fidem habeas, quæque cupimus, prompto libentique animo efficias, etiam atque etiam petimus. Aderit utriusque nostrum conatibus Deus, quodque pro ejus gloria aggredimur, sua gratia et ope fovere et perficere dignabitur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXVIII. — Verum Albertus Bavariæ Dux, quum minor quam par dignitati, suæ familiæ, regnoque esset, oratori suo Romæ haberetur honos ob vindicias jurium, quæ Legati quidam exterorum Principum quoad præcedentiam ita dictam in Capella Pontificia sibi competere dixerant; causam suam apud Pontificem agit cumque omni reverentia ac summa observantia adprecatur, ut debitam præeminentiam, debitumque oratori suo honorem impendi, juraque sua sarta tecta servari velit. (*)

(*) Germania Vol. 38. fol 89.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo Domino Meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe clementissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota. Levius equidem hucusque existimavi negotium, quod ratione consessus atque præcedentiæ Oratori meo in Urbe factum est, quam quod meis ad Sanctitatem Vestram literis agendum susciperem. Spe nimirum permagna fretus, nunquam eam admissuram facile, ut ea in re, quæ nulla prorsus æquitate, nullaque rationabili causa nititur, Bavaricæ domus honor atque dignitas, in periculosam aliquam contentionem pertrahatur. Nec etiam pertimescendum mihi fore putavi, ex eo loco, ubi ad unam Sanctitatis Vestræ voluntatem, mea meorumque omnia, rectissime composita esse ita cupio, ut non quod ego velim, factove putem esse opus, sed quod vestra jusserit Sanctitas institutum atque perfectum unice exoptem. Quam quidem mentem, etsi non exuere me patitur perspectissima Sanctitatis Vestræ erga me benignitas, meque adeo securum esse jubet; quia tamen non mea solummodo, sed totius familiæ, atque aliorum etiam Germaniæ principum res hic agitur: reverenter admonere obtestarique volui Sanctitatem Vestram, ne quicquam adferri patiatur, aut constitui, quod præjudicium pariat communi dignitati, famæ et existimationi. Mihi sane, meæque familiæ nunquam, certe scio, tam inexpectatam reddet gratiam S. V., ut dum ad ejus voluntatem, iniquo satis tempore filium cum Oratore in urbem transmitto, dum sacrosanctæ Sedi, indignantibus frementibusque plerisque Germaniæ Principibus, devotionem studiaque mea probo, et conservo integra, ea interim apud ipsam in periculum atque diminutionem mihi adducantur, quæ tot seculis majorum virtute atque nobilitate parta nulloque meo merito vitiata sunt. Nemini, Beatissime Pater, legitimos honores invideo, nemini ex ambitione, vanæque gloriæ aviditate inique cupio; sed tamen meos etiam honores ab aliorum inferiorumque injuria tutos, integrosque mihi conservatos, optimo jure desidero. Quod obtinebo procul dubio apud S. V., quæ cum summæ sit imposita rerum christianarum custodiæ, indeque suum dispenset cuique libenter et æquissime, nunquam permittet, ut in Urbe atque Italia et sub conspectu Sanctissimæ Sedis minor habear aut inferior, quam per universi Imperii Romani regna et provincias, omnes omnium ordinum atque dignitatum homines, voces et sententiæ me habent: quem etiam de loco dignitateque sua, in talem aliquam contentionem, qualis excitata in Urbe videtur, nulla ratione, nullo unquam tempore descendere permittet. Ac ne diversæ etiam religionis hominibus ita gratificari volet Sanctitas Vestra, ut obedientissimi filii non alia habeatur in Urbe ratio, quam quæ famam quæ honorem ejus, universamque existimationem summo exponat ludibrio, risui, atque contemptui; quod equidem precari mihi non dubito, ab iis, quibus infracta mea erga Sanctam Sedem fides et constantia, non obscuræ sunt indignationi atque offensioni. Sed de hac re plura forte commodius aget Orator hic meus, quem in his atque aliis meis negotiis plena fide benignissime semper audiet S. V., atque eidem hoc maxime sacri Jubilei tempore, cum quæ meæ pietatis erunt peragere, explereque debebit, suus meo nomine occupandus tenendusque locus, ut assignetur percupio. Valeat floreatque diu Sanctitas Vestra in magnam Ecclesiæ Catholicæ consolationem, mei meorumque benignissime semper memor.

Datæ Monachii ipsa vigilia Sanctissimæ Nativitatis Salvatoris nostri ad finem anni MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

XXIX. — Gregorius totus erat in restauranda collapsa Claustralium in Germania disciplina, eamque provinciam, ut jam diximus, pientissimo illi Feliciano Ninguardæ ex Ordine Sancti Dominici Prædicatorum demandaverat. Iste monasteriis tum sui Ordinis, tum aliorum Ordinum Mendicantium in Bavaria visitatis, ubique saluberrimas leges, ad reformandos Claustralium mores, alendaque in iisdem monasteriis studia condidit. En quæ conventui Mendicantium Sancti Augustini Monachii præscribit. (*)

(*) Germania Vol. 32. fol. 45.

« Ordinationes factæ per Reverendum Fratrem Felicianum Ninguardam, sacræ Theologiæ Doctorem et Sanctissimi Domini nostri Gregorii XIII. Pontificis Maximi ac Sanctæ Sedis Apostolicæ Subdelegatum, et a Serenissimo Duce Bavariæ Domino Alberto, Domino nostro Clementissimo approbatæ pro conventu Sancti Augustini Monachii Diœcesis Frisingensis.

» Cum invenerim in hoc monasterio, quod juniores indigeant, ut instituantur præsertim in Grammatica, ordino, ut omnes qui Sacerdotes non sunt, accedant scholas Patrum Societatis Jesu, aut curetur, ut aliquis pater e Societate Jesu

veniat quotidie in monasterium eisque aliquid prelegat. Qua de re jam locutus sum cum Reverendo Patre Rectore, qui lubens id faciet, cum domus contiguae sint.

«Quia hic non est tanta commoditas studendi et institutum monasticum bene addiscendi, ordino, ut mittantur in Italiam ad aliquod monasterium reformatum hi duo fratres juvenes professi F. Udalricus Mennzinger Subdiaconus monacensis et Frater Stephanus Ostermair Accolitus, ne discedant autem hinc, quoad habeant mandatum a Reverendissimo Generali, id quod mihi curae erit, ut Sanctitas Sua Generali tutius ordinis ita injungat. Quae res servari debet sequentibus etiam annis, quoties fuerint reperti fratres apti, qui mittantur. Ordino etiam, ut fratres juniores praesertim novitii singulis diebus dominicis confiteantur Superiori, aut alteri patri ad hoc per Superiorem deputato.

«Item ut prospiciatur de duobus patribus idoneis, quorum unus praesit Monasterio, ita tamen ut habeat Oeconomum saecularem, quem serenissimus Dux dederit, quoad inter fratres aliquis idoneus reperiatur, et alter curam habeat fratrum juniorum praesertim novitiorum, et juniores Sacerdotes sacras literas doceat. Quod negotium mihi curae item erit, ut a Sanctitate Sua id Generali committatur.

«Cum Pius Quintus felicis recordationis excommunicaverit mulieres ingredientes monasterium religiosorum cujuscumque ordinis, et eas suscipientes absque speciali Sedis Apostolicae facultate, ordino, ne ulla mulier intra clausuram Monasterii intromittatur, nisi cum licentia Sedis Apostolicae.

«Hoc etiam fratres admonere volui, quod cum significasset Serenissimo Duci Monasterium debere ad octingentos florenos, et rogasset, ut aliquo modo sublevare debita vellet, Serenitas Sua vult satisfacere creditoribus et Monasterio etiam adjungere Monasteriolum Ramsee, ut commodius vivere possint.

«Pollicitus sum autem Serenitati Suae Fratres ita deinceps victuros, ut nullum amplius debitum contrahatur, vestrum autem erit sollicitare negocium.

«Haec sunt, quae occurrerunt in hac visitatione, ut pro debito munere vobis providerem. Reliquum est, ut mei memores in orationibus et sacrificiis vestris semper esse velitis. In quorum fidem his sigillo meo ordinario munitis propria manu subscripsi.

Datum Monachii die sexta Februarii 1574.

Similia Patribus sui ordinis Sancti Dominici Landshuti edixit. (*)

(*) Germania Vol. 22. fol. 51.

«Ordinationes pro conventu Landishutano Praedicatorum factae per me Fratrem Felicianum Sanctissimi Domini nostri Subdelegatum etc.

«Primum ordino, ut fratres non Sacerdotes praesertim Novitii juxta constitutiones ordinis confiteantur singulis diebus dominicis Priori aut alteri Patri ad hoc per Superiorem deputato.

«Singulis hebdomadis praelegatur Regula Beati Augustini in refectorio tempore prandii et coenae, et ea finita praelegantur etiam constitutiones ordinis, ut fratres praesertim juniores in illis instituantur. Unusquisque autem a primo usque ad ultimum teneatur per hebdomadam praelegere. Pater Prior videat deinceps, ut Pater ille, qui curam Novitiorum habet, diligentior sit in instituendo, et tantum temporis Novitiis detur, ut aliquid addiscere possint. Insuper curet, ut juniores in disciplina et humilitate contineantur, et singulis hebdomadis voluntarias discant facere poenitentias.

«Ordino, ut Fr. Nicolaus Schienhedel, qui bonam de se praebet expectationem, post annum mittatur in Italiam ad aliquod Monasterium, in quo possit in religione, in moribus, et in literis bene institui, ut postea rediens, possit huic civitati magis prodesse. Erit autem mihi curae, ut Reverendissimus Generalis ei provideat.

«Praecipio Patri Priori, ne quem admittat ad professionem ante annum decimum sextum aetatis, neque ad Sacros Ordines quemque mittat, nisi habilis et debitae aetatis fuerit juxta Canones Sacri Concilii Tridentini.

«Pater Prior diligens sit in puniendis excessibus fratrum.

«Haec sunt, quae occurrerunt in hac visitatione, ut pro debito munere vobis providerem. Reliquum est, ut mei memores in orationibus et sacrificiis vestris esse velitis. In quorum fidem his sigillo meo ordinario munitis propria manu subscripsi. Datum Landishutae die 14. Febr. 1574.

Gregorius, a Feliciano exoratus, Religiosos Italos virtutibus et scientiis insignes in varia Germaniae monasteria ablegat, ut ibi mores fratrum reforment, eosque bonis litteris instruant. En litteras, quas de hoc negotio ad Ratisbonensem Praesulem dedit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 160. f. 212.

Venerabili Fratri Episcopo Ratisbonensi.

GREGORIUS PP. XIII.

«Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex litteris Feliciani fratris Ordinis Praedicatorum, quem miseramus ad visitanda Germaniae provinciae fratrum Mendicantium Monasteria, cognovimus, Monasterium Sancti Augustini, quod est isthic Ratisbonae magnopere egere praefecto aliquo et doctrina, et vitae innocentia praedito, qui utraque re fratres illos gubernet, et Monasterii rebus prospiciat. Itaque elegimus eum, qui has litteras reddet Fraternitati Tuae, quem commendatissimum habebis juvabisque auctoritate atque opera, ubi ea indigebit in fungendo eo munere, quod ei dedimus, inque eo Monasterio regendo, nostrisque mandatis exequendis; hoc tibi magnopere curae fu-

turum esse pro tua insigni pietate, et Dei gloriæ zelo non dubitamus. Ipsi autem fratri fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die decima Septemb. MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Monachium quoque fratres Mendicantes mittit, eosque Duci Bavarorum commendat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 90. fol. 242.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Feliciani fratris ordinis Prædicatorum, quem miseramus ad visenda istius Provinciæ fratrum mendicantium Monasteria cognovimus, Monasterium ordinis Sancti Augustini, quod Monachii est, magnopere egere duobus fratribus et doctrina et vitæ innocentia præditis, ut possint utraque re populis illis prodesse, et parare Deo plebem perfectam. Itaque elegimus hos ipsos, qui has litteras reddent Nobilitati Tuæ, quos volumus ad te ire, tuumque auxilium postulare omnibus in rebus, quibus indigebunt in fugendo eo munere, quod eis dedimus, nostrisque mandatis in eo monasterio exequendis. Cupimus, ut eorum orationi fidem habeas, eosque, ubi opus erit, tua auctoritate atque opera juves, omnibusque in rebus commendatissimos habeas; quod quidem pollicetur spectatissima pietas tua et Dei gloriæ zelus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo piscatoris die x. Septembris 1574. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXX. — Eidem Duci insuper suadet, ut ex monasteriis cujusque provinciæ et ordinis unum seligatur, in quo seminarium quasi monachorum ad sanctioris hosce religiosos vitæ cultores optimis moribus et monastica disciplina imbuendos institueretur, situ, ædificio, peropportunoque censu instructum. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 123. f. 299.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, in plerisque istius tuæ ditionis Monasteriis vehementer collapsam esse monasticam disciplinam, quod sane gravissime dolemus, quia magnam animarum jacturam fieri intelligimus: neque enim ipsorum tantum sic depravatorum Monachorum, quod ipsum per se dolendum est, sed aliorum præterea multorum, quibus illorum vita et mores ante oculos versantur, salus periclitatur: ea siquidem est humanæ naturæ imbecillitas, ut gravius multo ad vitia, quam ad virtutes moveant aliorum exempla; maxime vero eorum, quos imperiti, quorum ingens est numerus, propter susceptam vitæ rationem a vitio abesse arbitrantur. Remedium optimum esse judicamus, si Nobilitas Tua curaverit ex tam multis Monasteriis, quæ istic sunt, unum aliquod deligi situ, ædificio, facultatibus opportunum, inque eo instituti quoddam quasi Monachorum Seminarium ad homines optimis moribus et Monastica disciplina instruendos, ut illis postea per monasteria distributis hac ratione possit Monastica disciplina restitui. Hoc tuæ perspectissimæ pietati magnopere curæ futurum esse confidimus, teque præclaram facultatem minime amissurum maximam ab omnibus bonis laudem, a Deo mercedem promerendi, cæterosque vicinos Principes exemplo ipso ad eandem laudem vocandi. Quod ut incredibiliter cupimus, sic omnem nostram auctoritatem atque operam Tuæ Nobilitati paratissimam pollicemur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Octobris 1574. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXXI. — Pontifex per Felicianum Ninguardam Cæsari consilium dederat, ut ad illa Germaniæ monasteria, ubi scientia defecerat, et regularis disciplina aliquantulum relaxata erat, Religiosi pii iidemque Itali mitterentur, qui ad primævam disciplinam eadem revocarent. At vero suadentibus quibusdam e suis consiliariis minus e re christiana et publica et ipsius Principis sententibus parum abfuit, quin Cæsar omnino rejiceret sapientissimum illud consilium impediretque, quominus re conficeretur. Quamquam enim hucusque in hisce monasteriis sæpissime Itali Germanis permixti versarentur, tamen Cæsar, dum Felicianus demandato sibi operi, i. e. visitationi Apostolicæ in Austria manum admoturus erat, eundem præmonuit, ut id præ primis in obeunda Apostolica visitatione ob oculos haberet, ut omnes Religiosos Italos quemadmodum et aliarum gentium ex conventibus Sedi Metropolitanæ Vindobonensi subjectis amoveret, iisque solos Germanos Religiosos sufficeret: quod ni vellet, visitationem ipsam omnino intermitteret. Etenim Cæsaris animo nonnullæ præconceptorum opinionum nebulæ perdito quidem consilio offusæ effecerant, ut ille in suspicionem veniret de horum Religiosorum vivendi ratione tanquam minus laudabili, dubitaretque, ne forte ut idiomatis germanici imperiti nulli usui essent futuri. Felicianus eam ob rem toto pectore nitebatur, quæ Cæsari ad aures insussurrata fuerant, ex ejusdem mente depellere, eique sequens scriptum obtulit, quo ipsi candide exposuit, quam injuste, quamque absona lex ista a vera Ecclesiæ disciplina esset, quale quantumque præjudicium et damnum non institutis monasticis solum, sed et religioni ipsi et ordinibus religiosis allatura esset. (*)

(*) Germania Vol. 22. fol. 83.

Invictissime et Augustissime Cæsar et Domine Domine Clementissime.

« Hac hebdomada cum omni humilitate ac reverentia accepi decisionem per Sacram Cæsaream Majestatem Vestram factam in consilio, quæ duos articulos continet, quorum unus est,

quod Sacra Cæsarea Majestas Vestra in hac Sua Metropolitana Civitate Viennensi, et huic incorporatis Monasteriis alterius nationis, quam ex Germanis nativis Conventuales nullos velit habere, nec alterius tolerare, idque ex causis valde legitimis et evidentibus, quæ ad Suam Sanctitatem specifice perscriptæ sint. Alter, quod visitatio Monasteriorum valde necessaria, et utilis sit, sed ut ablegatis aliarum Nationum fratribus, de bonis Germanicis conventualibus provideatur; id quod si facere voluero, Sacram Cæsaream Majestatem Vestram suum favorem, et auxilium daturam; ad hæc Sac. Cæs. Majestas V. meam resolutionem expectat. Proinde ut Sac. Cæs. Majestatis V. mandato, et Suæ Sanctitatis commissioni satisfaciam, quam breviter fieri potest, quam humilime respondebo, rogans, ut me pro sua innata clementia benigne audire velit, ac hujus rei rationem habere dignetur. Quod si fuero prolixior, quam deberem, id Sac. Cæs. Majestas V. rei necessitati, non meæ voluntati ascribat.

«Quod ad primum attinet, esset res sancta, et optima, si tantus fratrum Germanorum numerus reperiretur, quantus satis esset Monasteriis Viennensibus et aliis. Verum penuria facit, ut huic rei satisfieri tam cito non possit. Neque vero integrum nobis est semper eos habere, ut optamus. Non desum tamen ego, nec deero pro viribus, ut paulatim pro Monasteriis Ordinis mei reperiantur. Nam tres jam inveni pro monasterio Viennensi, unum Augustanum, qui Priorem aget, alterum Slesitam, qui Dominica proxima elapsa in dedicatione Ecclesiæ nostræ germanice concionatus est, et hic habitum Monasticum suscepit, tertium Tyrolensem Tridentinum evocavi ex studio Bononiensi, qui etiam in hoc Monasterio inter nos cooptatus est. Postea dabitur opera, ut consequentibus temporibus fratres Germani ad habitum suscipiantur, et instituantur pro prædictis monasteriis, et aliis omnibus. Interea si aliunde poterint haberi alii, huc accersentur. Quod si Sac. Cæs. M. V. omnino volet plures Germanos nativos habere modo, et sciat, unde haberi possint, si certior fiam, ego eos non solum auctoritate Reverendissimi Generalis Ordinis mei, verum etiam Apostolica huc advocabo; simul etiam omnem lapidem movebo, si quos alios nancisci possim: dolere tamen S. S. ac procul dubio omnes status Imperii, qui non sunt nativi Germani, mirari possent, quod S. Cæs. Majestas V. neminem velit habere, aut tolerari in præfatis monasteriis Viennensibus, qui non sit nativus Germanus. Nam cum Sac. Cæs. Majestas V. sit caput totius Imperii Christiani, et hæc Civitas sit sedes Sac. Cæs. Majestatis V., non deberent excludi alii externi; maxime ii, qui sunt ex statibus Imperii, quin possint hic libere habitare; præsertim quod hujusmodi Status semper fuerunt parati, non solum exponere bona, verum etiam vitam pro Imperio, ac Serenissima Domo Austriaca. Unde in omnibus quoque Ecclesiis ipsorum, ac Monasteriis fit quotidie inter sacra et in aliis precationibus peculiaris Oratio pro salute, et incolumitate Sac. Cæs. Majestatis V. Præterea cum admittantur hic laici homines, et Sacerdotes sæculares omnium Nationum, cur non etiam Religiosi admittendi sint? Nam si prohibeatur illis accessus, videbuntur quasi deteriores esse sæcularibus Præsbyteris, et laicis hominibus: in quo Religiosis omnium nationum, excepta Germanica, inuretur magna ignominiæ nota ad perpetuam infamiam ipsorum. Est etiam vetustissima consuetudo apud nos in Religione nostra, ut in omnibus universitatibus, ubi Monachorum facultates id ferunt, admittentur duo ad minus fratres singularum provinciarum, qui studere ibi, et literis invigilare possint. Unde Bononiæ in monasterio nostro sunt Germani, Hispani, Galli, Flandri, Græci, et alii; ita quoque Parisiis, Lovanii et aliis in locis. Quare cum hic sit non solum universitas, sed Archigymnasium, idem fieri deberet, si monasterium tot sustinere posset. Proinde externæ nationes excludendæ non essent, præsertim illæ, quæ sunt ex statibus sacri Imperii. Ad haec accedit, hic esse legatos Principum externarum Nationum, Nobiles, Mercatores et alios multos sacro Imperio subjectos homines, qui propter negotia sua ad Sac. Cæs. Majestatem V. confluunt, et propter linguam, non nisi cum suis res spirituales tractare, et apud ipsos Sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta suscipere possunt. Nec asserendum est, ut aliqui dicere possent, quod habeant Patres Societatis Jesu, et alios sacerdotes: nam præterquam quod non tot sunt, ut satisfacere possint, multi etiam ad alios accedere malunt, prout sunt varii captus et naturæ hominum. Unde hac quadragesima, et his feriis Paschalibus aliqui oratorum et aliorum multi ad nos venerunt, ut et alii ad alia Monasteria. Nam quisque ita facit libenter, prout conscientia dictat. Illud quoque urget, quod Monasterium hoc Viennense egeat Sacerdotibus quinque ad minus, tum quia quotidie veniunt ad nos fere omnes Principum Oratores, et alii quam plurimi, ut sacrum audiant, et sæpe evenit, ut in aliis templis Civitatis nostri vocentur ad sacra facienda: tum etiam ut cultus divinus debite peragatur, cujus rei præcipua habenda non est, cum ejus quoque causa Religiones institutæ, ac Monasteria erecta fuerint; cum vero non sint tot Germani, retineri aliquos alios simul cum Germanis necesse est, quod provisum fuerit. Postremo intentio et mens Superiorum Ordinis mei, ut et aliorum Ordinum, non est, ut mittant huc Italos, aliosque in propriam utilitatem, cum in Italia et alibi quietius vivere ac commodius possint: sed ut monasteria retinean-

tur, quousque fuerint inventiGermani, quæ alioquin inter tot hæresum procellas naufragium jam fecissent, nullis fere, aut paucissimis Germanis fratribus existentibus, qui in eis habitare, et ea conservare possent. Et hoc fecerunt Superiores nostri, tum ex debito ufficii, tum etiam ut referrent beneficium, quod a Germanis acceperunt præteritis sæculis. Nam in Longobardia cum ex ingenti peste fere omnes fratres Ordinis mei extincti fuissent, ne Monasteria amitterentur, Generalis, qui tum erat Ordinis mei, mandavit Provinciali Germaniæ Superioris, ut Monasteriis illis de fratribus suis Germanis provideret, quoad alii novi fratres Longobardi susciperentur ad habitum, et in religione bene instituerentur. Id quod factum est et constat ex archiviis Ordinis mei, quæ Romæ habentur ad Minervam, una vice fuisse missos a Provinciali Germaniæ ad illa Monasteria ad quinquaginta fratres germanos, qui longo tempore præfuerunt illis Monasteriis, quousque postea Longobardi ad habitum suscepti successerunt; si ergo Generalis Ordinis beneficii loco ad hæc Monasteria deficientibus Germanis fratribus alios misit, videretur mirum, ut loco gratiarum expelli debeant, et hæc infamiæ nota ordini inuri. Propter has igitur, et alias causas posset Sac. Cæs. Majestas V. ad beneplacitum suum aliquos admittere, de quibus, si securius etiam caveri velit, potest mandari, ut nemo hic admittatur, qui non solum probatæ vitæ literas testimoniales sui Generalis non habeat, verum etiam aut non sit ex statibus Sacri Imperii, aut non afferat secum testimonium scriptum fidelitatis a suo Principe, vel ab Illustrissimo Cardinale Sacri Imperii protectore, quod præsentet Sac. Cæs. Majestati V. aut excelso Regimini Austriæ, aut cui commissum fuerit, qui Priori etiam Monasterii cognitus, ac gratus esse debeat. Quod reliquum est, meæ partes nunc postulare viderentur, ut ad causas, quæ jam secundo a Sac. Cæs. Majestate V. ad Suam Sanctitatem perscriptæ dicuntur, paucis responderem, si mihi fuissent eo scripto indicatæ, ut aliunde prius eas audivi, quas propterea missas facio, ne etiam non necessaria longitudine Sac. Cæs. Majestati V. molestus esse videar.

«Quod pertinet ad alterum articulum, placere Sac. Cæs. Majestati V. destinatam visitationem, ut valde necessariam, et utilem, si voluero aliarum nationum fratres mei ordinis ablegare, et Monasteria cum bonis Germanicis Conventualibus restaurare, ad cujus negotii complementum necessaria mandata confici, et succursum maturum cum necessariis subministrari procurabit; jam Sac. Cæs. Majestati V. coram, et per scriptum indicavi, me, quoad fieri poterit, provisurum juxta mentem piam Sac. Cæs. Majestatis V. Id quod profecto non facile fieri potest, nisi prius visitentur Monasteria et cognoscantur necessitates illorum, ut sciatur, qui ac quales Conventuales in unoquoque Monasterio sint: et hoc est, quod S. Sanctitas vehementer desiderat, quia audivit aliquos esse tam scandalosos ac rebelles, ut jam amplius ferri vix possint, inter quos non tam Itali, quam Poloni, et aliarum nationum sunt. De quibus rebus omnibus certior fiet postea Sac. Cæs. M. V. antequam aliquid constituatur, tum ex me, tum etiam ex illis, qui nomine Sac. Cæs. M. V. assistent, et concludetur, quid agendum, ac quomodu providendum videatur, amotis inutilibus, scandalosis et rebellibus religiosis. Monitam autem volo Sac. Cæs. Majestatem V. ex Monasteriis nostris Prædicatorum, in quibus habitent conventuales post Viennense, unum esse tantum in Austria, Crempsæ, quatuor in Moravia, Brunæ, Znymæ, Olomutii et Iglaviæ: sed reliqua in Bohemia, quorum etiam ratio habenda est, pro quibus præcipue Sac. Cæs. Majestis V. favorem, et auxilium imploravi; nam in aliis nihil repugnarent, ut jam certus factus sum. Et si a Cæs. Majestate V. mandatum habuero, uti non dubito pro sua pietate, visitandi, conferam etiam omnia cum Rmo Archiepiscopo Pragensi. Hæc sunt, quæ pro mea resolutione ad Sacræ Cæs. Majestatis V. decisionem humillime respondenda habui, quæ spero Sac. Cæs. Majestatem V. pro sua ac prædecessorum suorum Sacratissimorum Imperatorum religione ita accepturam, ut necessitas hujus temporis et Monasteriorum postulat, ac facturam benignissime, ut hæc accessoria visitatio diutius produci non debeat, cum non damno, sed utilitati Monasteriis futura sit; præsertim quod nullibi aliquid innovandum et constituendum est, quin prius S. Cæs. Majestatis V. voluntas cunsulatur, ut deinde cuique Monasterio pro necessitate prospici possit. Nam intentio mea, juxta piam voluntatem Suæ Sanctitatis alia non est, quam ut Sac. Cæs. Majestatis V. optimæ menti satisfiat, ac Monasteriis provideatur, ut reipsa postmodum videre erit. His me Sac. Cæs. Majestati V. quam humillime commendo ac mea minima obsequia offero paratissima, felicem ac diuturnum vitæ cursum eidem precatus, et expecto a Sac. Cæs. Majestate V. benignissimam responsionem, et expeditionem, ut S. S. in hac necessitate satisfiat, et ego cætera negotia mihi demandata aliis multis in locis conficere possim.

Ex nostro Viennensi Monasterio Prædicatorum die 29. Aprilis 1574.

Sac. Cæs. Majestatis V.

Minimus Capellanus
Fr. Felicianus.

XXXII. — Attamen providus Pontifex alia quoque via reformationi Claustralium bene et sapienter prospexit. Ita exempli gratia votis Caroli Archiducis Austriæ obtemperavit, qui eum adprecatus fuerat, ut monasteria Monialium or-

dinum SS. Dominici et Francisci visitationi Ordinariorum subjicerentur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 126. f. 262.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex iis, quæ Nobilitas Tua scripsit ad Nuncium nostrum Porciam, magna cum voluptate cognovimus, quantopere tibi cordi sit sanctitas vitæ, et morum in iis maxime, qui propter susceptam vitæ rationem, qua se Deo dicarunt, debent aliis modestiæ, castitatis, innocentiæ ac virtutum omnium specimen esse, atque ut pie scribis, omni studio cavere, ne nomen Dei per eos blasphemetur. Itaque statuimus gratificari postulationi tuæ, de mulierum Dominicani ac Franciscani ordinis Monasteriis Ordinariorum visitationi et curæ subjiciendis; qua de re literas Apostolicas confici jussimus, easque quam primum licebit mittimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Coloniensi Præsuli in mandatis dedit, ut curet, quod Malmeduriensi Ordinis Sancti Benedicti monasterio, salva tamen Patrum horum libera eligendi potestate, idoneus Præpositus præficeretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 96. fol 232.

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Oportet Christi gregis Pastorem non solum præsentibus rebus providere, sed futuras etiam prospicere, quæque eidem gregi noxia accidere possunt, repellere. In quam curam ut omni studio incumbimus, sic non minima ex parte allevamur studio et diligentia venerabilium fratrum nostrorum, in quibus te in primis numeramus, quia tuam operam pro ea, qua præditus es, pietate Christo atque ejus gregi non defuturam confidimus. Accepimus, Abbatem Malmadriensem graviter ægrotare, periculum autem esse, ne adductus carne et sanguine, quæ res in iis, quæ Christi sunt, nihil debent valere, conetur Monasterium illud ad aliquem suum propinquum nihilo se meliorem transferre: nosti enim, quam male se gerat, quamque a Pastoris et Abbatis munere alienus sit. Curabis igitur omni spe, ne quis alius interim quocumque nomine ejus Monasterii administrationem attingat: ubi autem Abbatem ipsum humanis miseriis exsolvi contigerit, operam dabis, ut ejus Monasterii Priori et conventui libera Abbatis eligendi ac postulandi potestas relinquatur: jubebisque eligi, postularive sacerdotem idoneum, qui in monasterio permaneat, omniaque Abbatis et Prioris munia impleat; certioresque eos facies, nisi hæc diligentissime præstiterint, nullum a Nobis atque a Sede Apostolica confirmatum iri, Nosque nostro jure usuros. Hæc breviter indicasse Fraternitati Tuæ satis esse ducimus, tuam enim tam gravi in re vigilantiam, atque operam eximiam futuram persuasum habemus.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die VII. Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Archiepiscopum Moguntinum monet, ut Vicariis Ordinis Cisterciensis in obeunda visitatione suorum monasteriorum utriusque sexus auxilio sit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 141. f. 274.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino S. R. I. Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ut nihil est, quod Nobis magis cordi sit, quam sanctam in quoque ordine vivendi disciplinam servari, atque ubi depravata est, restitui; sic magnopere eorum studium commendamus, qui in hac præclara et Christianæ Reipublicæ pernecessaria curatione versantur: quod quidem facere accepimus dilectum filium Magistrum Generalem Ordinis Cisterciensis; multa enim illum constituisse superiori æstate in iis tum virorum, tum mulierum sui Ordinis Monasteriis, quæ in isto tuo Archiepiscopatu sunt. Verum et illa omnia, et quæ etiam erunt in nostris litteris super illius Ordinis reformatione, frustra erunt provisa, et constituta, nisi Tuæ quoque Fraternitatis opera accesserit, in quo eo te paratiorem futurum confidimus, quo tuam pietatem et Christi gloriæ zelum perspectiorem habemus. Sic enim judicamus, utriusque nostrum desiderio satisfieri posse, si ad Senatum tuum scripseris, ut curet, decreta illa quam diligentissime servari, et quoties Ordinis Vicarii, ipsius Senatus auxilium postulaverint adversus eos, quorum contumaciam seculari brachio retundi opus erit, illud adhibeant. Scimus, optimo pastori et sanctæ disciplinæ percupido satis esse rem ipsam atque opportunitatem indicare, cohortationem ut supervacaneum esse.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXXIII. — Neque minus Pontifex postulationibus Archipræsulis Trevirensis favebat, qui eum per Cardinalem Commendonum efflagitaverat, ut celeberrimum monasterium Prumense Ordinis Sancti Benedicti sedi suæ primatiali uniretur, quo facilius disciplina, ibi collapsa, restitui posset. En Archiepiscopi litteras ad Commendonum. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 28. fol. 202.

Illustrissime et Reverendissime Domine.

« Singularem quamdam Celsitudinis Vestræ erga nos, Ecclesiamque nostram propensionem, venerabilis, devotus, sincere nobis dilectus Wilhelmus dictus a Landtskron, Ecclesiæ nostræ

Trevirensis titulo Sanctæ Agathes in Lonquiono Archidiaconus (qui nuper ex Urbe ad nos rediit) magnopere, et merito nobis prædicavit. Cognovimus siquidem Celsitudinem Vestram nostra negotia, quæve pro Ecclesiæ nostræ incolumitate a Sanctissimo Domino Nostro, atque Sancta ista Sede Apostolica nobis petenda veniunt, suo favore, atque auctoritate diligenter semper promovisse. Quod nunc sane evidentiori quoque argumento nobis contestatum est, cum per Reverendum Patrem Dominum Casparum Gropperum, Sanctissimi Domini Nostri Nuntium, intellexerimus, Celsitudinem Vestram Sm̃o Domino Nostro piis desideriis nostris in concessione unionis Prumiensis Monasterii cum Archiepiscopatu nostro Trevirensi, pro religionis Catholicæ instauratione atque exaltatione, publicæ pacis conservatione, subditorumque nostrorum incolumitate, paterne et clementer per Sanctissimum Dñum Nostrum facta, benigne annuendam judicasse. Qua in re ut equidem magnam consolationem accepimus, sic Celsitudini Vestræ eo nomine gratias quantas possumus agimus maximas, nosque vicissim Celsitudini Vestræ quamplurimum debere agnoscimus. Eam tandem dicti monasterii unionem non ullius proprii commodi, aut emolumenti causa, nec alia ratione a nobis petitam desideratamque esse, Celsitudo Vestra sibi de nobis certo polliceri potest, quam ut tam celebris et pervetusti Monasterii regularis et monastica disciplina juxta regulæ et professionis præscriptum, divinusque cultus restitueretur, ipsumque Monasterium pene collapsum reædificaretur et instauraretur, pristinaque devotionis et pietatis, nec non orationis sancta opera ad solius Dei Optimi Maximi gloriam et honorem catholicæque unitatis perpetuam conservationem, et propagationem omni indefessaque sedulitate resuscitarentur, et promoverentur; ut denique rapaces Lupi undique grassantes et oblatrantes hæretici ab ovili Catholicæ Ecclesiæ longius arcerentur, subditis pax amabilisque concordia et tranquillitas, Ecclesiæ vero nostræ Trevirensi publica securitas redderetur et conservaretur. Quæ omnia cum omnipotenti Deo non possint non esse gratissima: ita spero Sm̃o Domino Nostro tamquam Christi in terris Vicario, vobisque Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus non minus accepta grataque futura: ad eam autem rem perficiendam unicum superesse videtur, ut videlicet Sanctissimi Domini Nostri pia voluntas, factaque concessio ejusdem Sanctitatis Suæ Diplomatibus corroboretur. Quapropter commisimus Magnificis, sincere nobis dilectis, Domino Johanni Paulo Castellinio Jurium doctori, et Henrico de Rover in Romana Curia Procuratori literarum desuper conficiendarum, et expediendarum solicitationem, et eosdem ad omnia alia ad eam rem pertractandam necessaria præstandum et faciendum procuratores nostros constituimus. Quos ut Celsitudo Vestra auctoritate sua sublevare, et adjovare dignetur negotiisque nostris (quod facit) patrocinari non desinat, unice atque obnixe rogamus. Nos vicissim pro virili, omnique industria in hoc versabimur, ut præmissa diligenti opera compleantur, atque Sanctissimum Dominum Nostrum cum sacro Cardinalium Collegio, hujus concessæ indultæque unionis nulla unquam sit subitura pænitudo. Atque hisce Celsitudini Vestræ, quam Deus Optimus Maximus conservet, prosperetque in omnibus, nos nostraque omnia amice et fraterne commendamus.

Datæ Confluentiæ die octava Julii Anno Domini 1574.

Celsitudinis Vestræ Addictissimus
IACOBUS ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS
ET PRINCEPS ELECTOR.

XXXIV. — Hoc quoque anno Gregorius summo erga Societatem Jesu studio excelluit. Carolo Archiduci Austriæ gratulatur, quod consilium jam captum Collegium Societatis in urbe sua Græcensi condendi tanta alacritate perficiat; ut ipse binis litteris ad Pontificem datis innuit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 128. f. 270.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi res tuas commendare Nobilitati Tuæ supervacaneum esse ducimus, quia scilicet res cuique suæ commendatæ esse debent sua sponte, Jesuitarumque Collegium, quod in tua civitate Grezensi instituisti, tuum est; tamen quia nostra confirmatione nostrum quoque esse agnoscimus, voluimus, Tuæ Nobilitati perspectam esse nostram erga illud voluntatem. Commendamus igitur illud, quantum possumus, Nobilitati Tuæ, ut quo magis illud amplecteris, eo uberiorem fructum ferre possit ad Dei gloriam, ad populorum salutem atque ad tuam sempiternam mercedem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Novembris MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

En Caroli ea de re litteras. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 23.

Beatissime in Christo Pater,
Domine mihi colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem, filialis meæ erga Sanctitatem Vestram et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Pergratum mihi fuit, ex litteris Sanctitatis Vestræ quarta Julii proxime elapsi ad me datis, intelligere, eidem Sanctitati Vestræ id Collegium non mediocriter probari, quod ego Societati Jesu in hac mea Civitate Grezensi constituendum induxerim animum. Video nempe, Sanctitatem Vestram in eo

mecum convenire. Nimirum ea in re his populis et subditis meis ad salutem multum, Deo autem optimo maximo ad gloriam quam plurimum situm, et propterea hoc meum institutum omnino necessarium fuisse. Siquidem ex eo, ut S.V. plane pie scribit, Christi ovibus misere passim errantibus et famelicis ejusmodi Pastores tribuentur, a quibus illæ cœlestem cibum petere poterunt, vitæ scilicet sanctitatis in moribus, doctrinæ, sinceritatis in religione et divinæ gratiæ in sacramentis. Itaque cum nunc tandem per Dei gratiam dictum collegium adeo erexerim, ut in eo non contemnendus numerus fratrum dictæ Societatis alatur, iique surgenti hoc principio tantum jam in Ecclesia et scholis profecerint, ut mihi facile polliceri possim, eosdem brevi quamplurimum profecturos. Ideo Sanctitatem Vestram quam obnixissime rogo et præcor, ut id quod a me hac in parte in evidentem summamque communis boni utilitatem feliciter inchoatum, et jam quasi plane perfectum sit, eadem pariter authoritate sua ratum et firmum habere, literasque meas fundationis, quarum exemplar cum hisce Vestra Sanctitas accipiet, patentibus suis litteris quantocius corroborare, confirmare ac stabilire dignetur. Factura in eo Sanctitas Vestra rem et paterna sua sollicitudine dignam, et Sacrosanctæ Ecclesiæ perutilem, imprimisque provinciis his meis longe maxime necessariam, atque adeo mihi constanti mea erga Sanctitatem Vestram observantia et cultu perpetuo recognoscendam, quam de cætero ad multos annos bene valere optamus.

Datæ in civitate mea Grätz vigesima Januarii, anno MDLXXIV.

E. S. Vestræ

Obsequentissimus filius Carolus Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ et Comes Tyrolis etc.

Carolus.

Eadem perscribit alteris litteris, quibus eidem Pontifici Sodales Societatis Jesu impense commendat, eorumque labores in erudienda juventute meritis laudibus prosequitur. [*]

[*] Germania Vol. 25. fol. 31.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe mihi Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem filialis meæ erga Sanctitatem Vestram, et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Redditæ mihi fuerunt Sanctitatis Vestræ literæ, quibus mihi Jesuitarum Collegium, hic in Grätz per me institutum, paterne commendare dignata est. Ad eas igitur Sanctitati Vestræ ita breviter ac humiliter respondeo. Licet hactenus nihil prius, nihilque antiquius habuerim, quam dicti Collegii omnimodam perfectionem: daturum me tamen ob hanc gratiosam Sanctitatis Vestræ commonefactionem eo majorem operam, ut id sine ulla mora plane exædificetur, ejusque res omnes eum in statum perveniant, ut inde desideratum fructum, ad Dei gloriam, eo citius et abundantius percipere possimus. Quod nobis absque omni hæsitatione omnino sperare licet. Siquidem Patres illi, qui huc missi fuerunt, eam et in scholis et in Ecclesia ingenuam operam sedulo navant, tanto cum profectu, ut ultra 200. scholares, quos in bonis literis ac pietate erudiunt, concionum etiam in Ecclesia auditorium de die in dies frequentius habeant: ita ut ex ea re omnes boni maximam voluptatem et consolationem capiant. Quare Sanctitatem Vestram iterum humiliter præcor, dignetur juxta ea mea humilia postulata, quæ superioribus diebus ad Sanctitatem Vestram perscripsi, ejusmodi collegii confirmationem et ratificationem mihi per primam commoditatem clementer impartire.

« Et quoniam plane constitutum habeo, maxime sic a Sanctitate Vestra per Prothonotarium de Porcia paterne admonitus, plura ejusmodi collegia erigere, præsertim versus Italiam, ne virus hoc hæresum ac schismatum ulterius serpat, sed ejusmodi Collegiis veluti propugnaculis quibusdam a progressu propulsetur. Et vero Sanctitas Vestra ex adjunctis originalibus literis venerabilis Domini Episcopi Parentinensis liquido intelliget, quam sese nobis ad hoc cum Monasterio ad Sanctum Petrum in Silva, Comitatus mei Pisinensis, qui fere in media Histria, Italiæ contigua, jacet, egregia nunc occasio offerat. Idcirco a Sanctitate Vestra, qua possum diligentia peto, dignetur pro gloria Dei optimi maximi, et pro sacrosanctæ nostræ religionis Catholicæ conservatione paterne annuere ac concedere, nec non id litteris suis ad nos perscribere, ut videlicet ego et præfatus Episcopus Parentinus impios illos ne gravius dicam Monachos ordinis quidem D. Pauli Hæremitæ, sed vita ac moribus seculi hujus, et illius Principis Alumnos, pro eorum merito ex Monasterio exturbare, et illud ordini ipsi Jesuitarum, tradere possimus: ita ut in eo continuo quinque aut sex fratres alere, ac illi populis illis concionando et aliis divinis ministeriis majori cum fructu et emolumento præesse possint. Quam rem sane Sanctitas V. eo libentius facere debebit, quod, ut præfertur, id Jesuitarum Collegium, veluti propugnaculum quoddam e regione Principatus mei Carniolæ futurum sit. Ex quo omnes malignorum insidiæ detegi, ac versus partem illam Italiæ prorucntes Schismatici profligari ac repelli poterunt: adeo quod ea re impræsentiarum nihil magis salutiferum ac proficuum excogitari posset. Quapropter Sanctitatem Vestram non solum pro eo consensu seu authoritate vehementer præcor, sed etiam illud ab ea quam obnixissime peto, dignetur simul Præpositum Societatis illius paterne ac serio requirere, cohortarique, ut dictum Monaste-

rium absque omni exceptione acceptare, et statim quinque aut sex insignes ejus ordinis Patres Italos, et si fieri poterit, unum atque alterum Sclavum, cum ii mei populi omnes communiter lingua Sclavonica et multi Italica utuntur, eo destinare velit. Quibus possessionem Monasterii confestim dari curabo, eosque deinceps ita amanter amplexaturus sum, ut procul dubio illis in partibus Ecclesiæ Dei, cui sua divina Majestas hic in terris Sanctitatem Vestram misericorditer præfecit, maximum fructum allaturi sint. Itaque plane mihi polliceor, Sanctitatem Vestram huic meo pio et justo desiderio sine omni cunctatione vel hæsitatione satisfacturam esse. Quam Deus Optimus Maximus ad multos annos florentem ac incolumem conservet.

Datæ in mea Civitate Grätz vigesima secunda die Decembris anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

E. S. V.

Obsequentissimus filius Carolus Dei gratia,
Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ etc.
Comes Tyrolis etc.

CAROLUS.

XXXV. — Res Fuldenses, ob Protestantium pravorumque quorumdam Catholicorum molimina tanto in discrimine positæ, Pontifici in primis obversabantur oculis, ejusque animum valde excruciabant. Cæsarem itaque adiit, monuitque, ut virtute dignitatis, qua ceu Advocatus Ecclesiæ fungebator, Abbati Fuldensi in conservanda avita fide, et fovendis patribus Ignatianis præsto esse vellet. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. II epist. 216 f 131.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electu.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Nullum potest esse negocium, in quo majori cura, et studio versari debeamus, quam cum de animarum salute, deque pio Dei cultu, et fidei synceritate retinenda et tuenda agi intelligimus. Qua quidem curatione neglecta neque Pastores essemus, neque possemus effugere iram Dei, suarum ovium interitum, suæque gloriæ detrimentum nostræ desidiæ ascribentis. Quem enim ei fructum aucti gregis afferemus, si cum ipsum, quem pascendum suscepimus, ociosi cernimus a bestia devorari! An cura, et solicitudine pro Christo suscipienda inferiores erimus iis, qui in hostili eorum odio, et furore nihil aliud conantur, nisi Catholicam fidem suo ipsius sancitam sanguine evertere, et delere? Hæc cura ita Nos angit, ut maxima quoque ex parte Tuam Majestatem attingere debeat, quin autem attingat, quæ tua est pietas, non dubitamus. Nosti enim ex magni Leonis sententia, istam tibi potestatem a Deo tributam esse, præcipue ad Catholicæ Ecclesiæ præsidium, ot ausus nefarios comprimas, et quæ bene sunt statuta, defendas, et veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas, et alieni juris pervasores depellas. Hujus rei præclara nunc Tuæ Majestati facultas datur in dilecto filio Abbate Fuldensi a Potentium injuriis tuendo, inque Christi causa suscipienda, pro qua ille gravissime vexatur. Prohibetur sua jurisdictione in constituenda ecclesiastica disciplina, inque Catholica fide conservanda uti suis in locis ab iis, quibus utrumque summo odio est, quique Augustanam confessionem, hoc est Sathanæ conspirationem anteponunt Catholicæ veritati. Proponunt minas et pericula, nisi ille eam confessionem suis permittat, presbyterosque eos, quos habet, ex Sodalitate Jesu quamprimum ejiciat. Quæ quidem nullo jure neque Divino, neque humano adversariis licere facile intelligit Majestas Tua. Hortamur, quantum possumus, proque nostro jure, et paterna in re benevolentia monemus, ac si poteris, etiam rogamus, ut æquitati, atque innocentiæ auxilio sis, ut Christi causam toto pectore amplectaris, neve cum opprimi sinas, qui nullum pro Christo laborem, ac periculum defugere paratus est, quique sese omni cum modestia continet suis finibus, in cum alios per summam injuriam invadere ne patiaris: declares etiam licere Abbati per Imperii decreta collapsam in sua ditione Religionem restituere, inque ea re ei subjectos obtemperare debere: licere etiam presbyteros ex Sodalitate Jesu a Sede Apostolica, atque a Concilio Tridentino approbata retinere, eosque permitti in Religionis concordia a Romano Imperio constituta, eaque omnia gravissimis edictis comprehendas, atque exeqoi cures pro ista tua, quam accepisti a Deo, cujus causa nunc maxime agitur, potestate. Erit hoc tua præstanti virtute et pietate dignissimum, Tuæque Majestati apud omnem Catholicam Ecclesiam gloriosissimum, apud Deum ad sempiternam mercedem amplissimum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDLXXIII. Puntificatus Nostri anno secundo.

Ferdinandom quoque Archidocem Austriæ alloquitur, ut cum Cæsare agat, ne Jesuitæ impiis Protestantium Catholicorumque pravorum machinationibus Fulda ejiciantur. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An II epist. 260. f 161.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus Electorem Saxonem et duos Hassiæ Principes omni studio atque opera niti de Jesuitis Fulda ejiciendis, corrupisseque nonnullos ipsius Abbatiæ nobiles et monachos, litterasque ad eos de Jesuitis ejiciendis, deque Augustana confessione, hoc est de summo impietate retinenda dedisse. In quo per-

spicuum est, nihil aliud eos conari, quam ut Catholica Religio inde ejiciatur, utque illud antiquissimum syncerae fidei propugnaculum pereat, ostiumque illud in Hassiam et Saxoniam Christo obstruatur; utque hoc exemplo caeteri a Catholica Religione deterreantur, et Jesuitae tota Germania expellantur; denique ut de vera Religione sibi judicium arrogent. Sic enim dicunt, Ordinem illum esse sectam quandam impiam, blasphemam, seductricem. Quod malum quantum sit, quamque late pateat, quantaque cum Catholicae fidei et animarum Christi sanguine redemptarum pernicie tentetur, et te pro tua prudentia intelligere, et pro insigni pietate gravissime dolere non dubitamus. Nam cum leviorem multo ducere debeamus humanarum rerum omnium, quam unius animae jacturam, qui possumus de tam multarum animarum interitu non gravissime dolere? unum remedium est, si tu, dilecte fili, quantum niti auctoritate et gratia poteris, ages cum Charissimo in Christo filio nostro Maximiliano, ut omni ope, studio, charitate hoc negocium amplectatur, provideatque, ne quid Catholica Religio detrimenti accipiat; ne Jesuitae ejiciantur, neve aut ipsis, aut Abbati, qui eos demittere recusat, amantissimeque amplectitur, ulla vis aut injuria inferatur, Saxonemque et Principes eos, quos diximus, ab eo consilio deterreat: hoc speramus illum et sua sponte facturum, et te pro tua pietate cum eo acturum, omnemque curam atque operam in eo positurum, ut hoc, quod incredibiliter cupimus, consequamur, ac poteris, per viscera Domini Nostri Jesu Christi, cujus causa agitur, rogamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXXVI. — Abbatem ipsum Fuldensem Gregorius solatur, hortaturque, ut in perferendis persecutionibus, quas ob suum avitae fidei conservandae studium sustinet, invicto animo perseveret, neque sinat Patres Societatis Jesu amandari. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 218. f. 133.

Dilecto Filio Balthassari Abbati Fuldensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Salutem etc. Legimus tuas literas pietatis et charitatis plenas, ex quibus cognovimus, quantis in laboribus et periculis pro Catholica Religione verseris, quam forti animo resistas iis, qui convenerunt adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Itaque et gratias agimus Deo, et tibi gratulamur, quod tam praeclaram ab ejus benignitate oblatam facultatem sempiterna praemia promerendi, caeterosque Catholicos ad tuendam Christi gloriam tuo exemplo imitandi tam cupide, tamque alacriter amplexus sis. Perge fili, ut coepisti, Sathanae eripere, Christoque tum restituere, tum conservare eos, quos ejusdem Sathanae fraus partim abduxit, partim abducere molitur, terroresque eos, qui sese ostentant, ac si quos etiam majores ejus Ministri proposuerint, contemne, nec quidquam Christo, atque animarum salute charius habe, hancque ei gratiam redde, ut non defatigeris, neque ullis terroribus de tam praeclara voluntate, atque incepto dimovearis; spemque omnem in eo repositam habe, et quo majores excitantur procellae, eo acrius in ejus causam incumbe: Jesuitarum in primis opera utere, neque eos amandari sine: videbis diabolicos omnes conatus concidere. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos. Scribimus, ut postulas, ad charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum, atque ad Capitulum tuum, earumque literarum exempla ad te mittimus. Si quid praeterea erit, in quo nostra auctoritate atque opera profici posse intelligas, fac Nos certiores: nunquam enim defatigabimus pro Catholica Religione et Christi gloria, pro qua vitam ipsam libentissime poneremus. Nos tibi charitate arctissime devincti sumus; teque ut filium charissimum, optimeque meritum cogitatione, atque animo amplectimur, atque osculamor, laboresque istos, et zelum tuum Deo offerimus et commendamus, tibique majorem in dies in eo progressum, atque omnem foelicitatem ab ejus benignitate precamur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXXVII. — Magistrum quoque Ordinis Theutonicorum monet, ut monasterium quoddam Patrum Ordinis Praedicatorum fere derelictum, et in Praefectura sua situm, Jesuitis concedat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III ep. 198. f 263.

Dilecto Filio Georgio Ordinis Militum Beatae Mariae Theutonicorum.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Libenter postulamus a te ea, quae pertinent ad Christi gloriam, atque ad animarum salutem, quia te quoque ea capere, libenterque tribuere non dubitamus. Cupimus, ut illud olim Dominicanorum, nunc autem ab illis plane destitutum Monasterium, de quo cum Tua Nobilitate egit dilectus filius Nicolaus Elgardus, Jesuitarum Collegio tribuatur: novimus enim ejus ordinis virorum studium atque operam inexhaustam in iis, quae Dei sunt; inque sacrae doctrinae sinceritate, et morum sanctitate tuenda, hominumque animis inserenda. Erit Nobis gratissimum tuaque insigni pietate dignissimum, si huic nostro desiderio quamprimum satisfeceris. Ipsi autem Elgardo super iis, de quibus cum Tua Nobilitate aget nostro nomine, omnem fidem habebis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Novembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXXVIII.—Quod ad Collegium Societatis Jesu Augustæ Vindelicorum pertinet, superiori loco jam enarravimus, [*] quomodo præsertim Fuggeri et Ilsungi hujus collegii fundationem urgerent, Gregoriumque adprecati fuissent, ut templum et ædes S. Crucis, Augustinianis Patribus, tum incolentibus, ad monasterium S. Georgii, Augustæ quoque situm, translatis, in usum ejusdem collegii concederet. Nobiles isti viri, qui magnam religionis fovendæ speciem præseferebant, quo facilius ad optata pervenirent, Augustinianos Patres eorumque Præpositum pessimo consilio teterrimis coloribus Pontifici depictos repræsentaverant. Veruntamen Gregorius, acerrimus justitiæ vindex, Augustanorum Episcopum consuluit, eique mandavit, ut si vera essent, quæ de Patribus Augustinianis dicerentur, idque e re religionis esse cognosceret, eorum templum ædesque collegio isto condendo adhiceret. Tam vero ille virtute ac litteris clarissimus Præsul, quique totus erat in fovendis tuendisque Patribus Societatis Jesu, eorumque opera in diœcesi sua administranda plurimum utebatur, plane aperteque rei veritatem Pontifici patefecit. Itaque affirmavit Fuggerorum atque Ilsungorum effusas largitiones (promiserant ducenta millia florenorum imperialium in sumptus ejus Collegii instituendi) prorsus vanas esse; idque eos in ea re postulanda sequutos esse, ut ejus templi ædiumque jura invaderent, omnique pudore abjecto sui juris facerent. Erat enim vero monasterium illud opulentissimum, cujus opes si bona ei adnexa spectes, ad plura centena millia florenorum pertinebant. Verendum porro esse, sapientissimus hic Præsul monuit, ne hi viri, bonis monasterii aucti, ad Protestantium castra deficerent, quod in hujusmodi casibus sæpissime tunc temporis in Germania maximo Ecclesiæ mœrore ac damno usu venerat. Addebat etiam ementita ac falsissima omnino esse, quæ viri isti in Patres Augustinianos eorumque Præpositum ad Pontificem detulerant. At quid diutius moramus in narrandis horum virorum nefariis moliminibus contra sacrosancta Ecclesiæ jura, quæ ample exposita inveniuntur in memorata vigilantissimi Episcopi relatione, quam ideo lubet hic adponere, quippe quæ mirum in modum miseræ illorum temporum Ecclesiæ conditioni inservit? Idem Episcopus Pontificem gravibus verbis exurat, ne pravis horum virorum consiliis in posterum aurem præbeat, Patresque Augustinianos in pacifica templi ædiumque possessione remanere sinat atque tueatur. [*]

[*] An. 1573. § 26., 1573. § 2.

[*] Germania Vol. 20. fol. 5.

« Beatissime Pater et Domine clementissime. Post devota beatorum pedum S. V. oscula, debitamque obedientiam, per hasce meas literas S. V. significare debui, quod duo mihi S. V. Brevia, ad Rmum Illmumque Episcopum Frisingensem et me scripta, eo tempore quo post S. V. confirmationem mihi Episcopatus mei Augustani administratio, Deo auxiliante, incipienda erat, et valde multis distinerer negociis, per Reverendum P. ac Dñum D. Gasparem Gropperum Rotæ auditorem et S. V. nuncium tradita sunt, quorum altero S. V. nobis mandavit, ut Præpositum et Conventum S. Crucis civitatis Augustanæ moneremus, hortaremur atque in Domini nostri Jesu Christi visceribus benigne et obnixe rogaremus, ut quantum fieri potest, citissime se una cum rebus suis omnibusque monasterii sui proventibus et oneribus ad monasterium S. Georgii ejusdem Ordinis et civitatis conferrent, monasteriumque S. Crucis illiusque Ecclesiam una cum ædificiis, hortisque omnibus vacuam dimitterent: esse enim eam S. V. mentem, quod ibi Collegium Societatis nominis Jesu, quod quidem Augustani se dotaturos promiserunt, constituere velit; altero vero mandatur, ut Præpositi S. Crucis electionem ob apostasiam ab eo antea commissam, nullam pronunciaremus, atque una cum conventualibus, invocato etiam si opus fuerit brachio sæculari, ad monasterium S. Georgii transferremus. Quæ Brevia quamvis animum meum de insigni S. V. voluntate, qua Catholicam religionem in Germania, maxime vero in diœcesi mea Augustana conservare studet, certissimum reddant, et ego quoque tanquam in partem sollicitudinis vocatus, paratus sim, omnia illa, quæ S. V. mihi mandaverit, pro debita obedientia quam citissime exequi: impedivere me tamen hactenus infinita negotia, quæ mihi statim in principio regiminis hujus diœcesis occurrunt, quo minus potuerim omnia, mihi a S. V. commissa, pro negotii ipsius magnitudine atque diœcesis meæ cum utilitate, tum necessitate sufficienter parvo temporis spacio deliberare; ex quo factum, quod ad Brevia ista tardius quam ipsemet etiam voluerim, respondeam. Ante omnia autem S. V. id sibi de me promittat, quod pro catholica religione et Sanctæ Sedis Apostolicæ Sanctitatisque V. obedientia, Deo dante, omnia quæ mihi possibilia erunt, usque ad extremum vitæ spiritum, etiam cum periculo vitæ et omnium bonorum meorum faciam; neque quicquam mihi tam grave mandari poterit, in quo S. V. mandata non sim alacri animo perfecturus. De ipsis quoque fratribus societatis nominis Jesu, qui insigne collegium in mea diœcesi non procul ab Augusta habent, egregie sentio, cumque operam eorum hactenus pro Catholicæ religionis defensione utilem fuisse agnoverim, non desinam eos benigno favore prosequi. Cur igitur ea, quæ S. V. mihi in duobus suis Brevibus mandavit, nondum exequutioni mandata sunt? Compellit me, Beatissime Pater, diœcesis meæ paternus amor, ut ante S. V. pedes provolutus, ejus necessitatem et utilitatem circa translationem illius monasterii exponam, certam de

S. V. insigni prudentia concipiens spem, quod simulatque de omnibus, quæ ad totam istam causam pertinent, sufficienter admonita fuerit, mihi ac diœcesi meæ non minus æqua erit, quam Augustanis illis, qui translationem monasterii S. Crucis in fratres societatis nominis Jesu tantopere desiderant: quæcumque autem de eo scribo, non ea scribo mente, ut aliquid, quod ad conservationem Catholicæ religionis pertineat, impediam, sed potius ut S. V. intelligens quid in tota causa sit, id faciat, quod pro conservatione jurium Ecclesiæ meæ utilius sit, neque alicui grave præjudicium pariat. Scribit de toto hoc negocio copiosius Capitulum Ecclesiæ meæ Cathedralis, atque idem prorsus mecum supplex petit, quod spero S. V. tanto benignius, vel propterea quoque audituram, quod ex quadraginta constans Canonicis, qui fere omnes ex præcipua totius Sveviæ nobilitate sunt, et una cum suis (Sveviæ videlicet nobilibus) in hunc usque diem in catholica religione perstiterunt; quod eo quoque in illis laudabilius est, quia omnes liberi ac nulli Principi, sed potius Imperatori immediate subjecti, secundum constitutiones Imperii liberrimam mutandæ religionis facultatem habent, qua tamen ipsi non utuntur, sed potius in catholica religione, ac S. V. sanctæque Romanæ Ecclesiæ obedientia perdurant. Eos igitur S. V. sibi commendatos habeat, et una mecum supplicantes benigne intelligat.

« Quantum ad primum Breve attinet, si ego mandato S. V. Præpositum ac Conventum S. Crucis per viscera misericordiæ Dei nostri orarem, ut relicto monasterio S. Crucis se ad aliud ejusdem Ordinis, Divo Georgio dicatum, transferrent, an S. V. eorum e contrario præces contemnendas existimaret, quibus regulæ S. V. de non tollendo jure quæsito, concordatisque Germaniæ inhærentes, a me per viscera ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ejusque acerbissimam passionem, quam pro nobis in ligno Sanctæ Crucis passus est, atque Sanctissimi Ecclesiæ Doctoris Augustini, cujus regulam ipsi et eorum majores in eodem monasterio professi sunt, atque a quingentis sexcentisve annis observarunt, petituri essent, ne eos novo atque in hisce regionibus prorsus inandito modo ex antiquissima sui monasterii possessione deturbarem atque novas sedes apud illos, quibus non admodum grati futuri essent, atque apud quos ipsis quoque locus non esset, quærere cogerem? Quid vero si Sanctitas V. eorum preces non esse audiendas putaret, an meas, Capitulique mei, ac totius meæ Diœcesis eidem regulæ de non tollendo jure quæsito innitentium, ac mecum coram Deo, et Sanctis ejus Angelis, atque Ecclesiæ S. Crucis, hujusque laudabilis Diœcesis Patronis, supplicantium preces auditura non esset, cum majori nos ratione pro conservatione Juris nostri, quam alii pro ejus occupatione supplicemus? Non est, Beatissime Pater, res parvi momenti, quam pauci quidam in civitate Augustana contra meam atque Ecclesiæ meæ utilitatem de translatione illius monasterii moliuntur, quasi nihil aliud agatur, quam quod Canonici regulares Ordinis Sancti Augustini cultum, quem antea exhibuerunt Deo in monasterio Sanctæ Crucis, mutato solum loco in monasterio Sancti Georgii exhibeant, et interim Patres Societatis nominis Jesu audiendo confessiones, prædicando verbum Dei, juventutemque instituendo, cultum divinum, (attributo ipsis solum in monasterio Sanctæ Crucis loco) augeant, atque illi, qui pro ipsis intercedunt, ducenta aureorum millia (quæ meo quidem judicio magis magnifice promittuntur quam præstabuntur) in utilitatem Ecclesiæ impendant. Dum enim ista liberaliter promittuntur, id agitur, ut mihi meæque Ecclesiæ Augustanæ locus, qui una cum suis ædificiis centum aureorum millibus comparari non posset, mihi meæque Ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus subjectus, anferatur, in laicorum patrocinium transferatur, certissimumque subeat periculum, quod et ipsum quoque, ut multa alia in civitate et Diœcesi Augustana, loca vel omnino, vel aliqua ex parte tandem in hæreticorum dominium transeat. Multa, ex quo hæresis Germaniam hanc nostram invasit, monasteria, tam in civitate Augustana quam extra eam, per hæreticos occupata sunt eo prætextu, quod Laici sibi ea in temporalibus subjecta esse dicerent, vel nescio quod exile jus se in illis, vel ad illa habere prætenderent. Ea vero quæ Episcopo Augustano, vel ejus Capitulo subjecta fuerunt, atque in quibus Laici nullum prorsus jus habuerunt, in hunc usque diem et Catholicæ religioni et Ecclesiæ Augustanæ integra permanserunt. Quæ igitur ratio aut subest aut subesse poterit, ut mihi meæque Ecclesiæ Augustanæ monasterium S. Crucis auferatur, atque sub specioso Patrum de societate nominis Jesu titulo, magnificisque immensæ pecuniæ impendendæ promissionibus Laicorum patrocinio subjiciatur? At nihil in administratione temporalium immutabitur, manebunt omnia Episcopi, nisi quod Patres Societatis Jesu, qui Sedi Apostolicæ immediate sunt subjecti, in monasterii et templi possessionem immittentur. Facilia quidem sunt illa dictu, quod si Sanctitas V. sciret, quid de aliis monasteriis, in quibus Laici speciem aliquam juris habuerunt in civitate Augustana actum sit, haud facile monasterium Sanctæ Crucis (quod sine omni periculo amissionis sub mea est jurisdictione) mutata antiqua ejus monasterii forma laicis, ut ipsi illud nova dote ornarent, concederet, cum dos illa fundum ad se tandem, si non jure, saltem injuria, contra quascumque etiam promissiones, quæ super eo forte interponi possent, tractura, communique om-

nium monasteriorum in quibus Laici in civitate Augustana aliquid juris habent, periculo subjectura esset: non pauca enim monasteria, ob jus defensionis, quod Laici sibi in illis competere existimarunt, omnino in hæreticorum manus devenerunt, ea vero, quæ adhuc pro Catholicis sub potestate tamen Laicorum supersunt, jus libertatis Ecclesiasticæ integrum non servarunt. In ipsis quoque Catholicorum templis, in quibus Laici aliquantulum juris habent, omnia sacrorum Canonum jura, ob levissima, vel potius nulla eorum jura in incerto sunt, quod vel unico hoc exemplo docuisse satis erit; si qui Catholici in templis Catholicorum jus sepulturæ habent, iis mortuis filii eorum hæretici et ipsi quoque ibi sepeliri volunt; quod quantum cum sacris Canonibus pugnet, quis est qui nesciat? Nec tamen id satis est quorundam furori, qui priusquam tempus sepeliendi eos adveniat, vivi ac sani, vigore juris sepulturæ, ut sibi abominabilem præparent sepulturam, et altaria in sacellis suæ sepulturæ destruunt, et parietes dealbant, idque in templis Catholicorum, nec aliquam super eo reprehensionem admittunt, seque omnia ista jure suæ religionis facere affirmant. Quis vero Sanctitatem V. vel me successoresve meos de eo certos reddet, quod Augustani illi, qui tantopere monasterium meum Sanctæ Crucis desiderant, simulatque me cum veteribus possessoribus ejectis, patres de Societate ejus monasterii possessores constituerint, mutata per ipsos, vel eorum successores religione vel totum monasterium illud, ut pleraque alia in Lutheranorum usus, ejectis denuo Jesuitis, aut etiam in prophanos suos usus non convertant, vel saltem illi, qui ex ipsis a Catholica religione, desciverint, ut in multis aliis locis factum est, ita et in hoc quoque monasterio in quibusdam suis sacellis vel locis, vigore nescio cujus Juris patronatus, aut sepulturæ, altaria non demoliantur? statuas non dejiciant, sacrasque imagines non radant, vel etiam multo apertiora hæresis suæ signa constituant? A quibus omnibus prædecessores mei hactenus Ecclesiam Sanctæ Crucis immunem servarunt, ac ego quoque, Deo dante, (nisi mihi ejectis antiquis suis possessoribus adimatur) eam in posterum jure illo, quod mihi tanquam Episcopo, et Principi Imperii in illa Ecclesia competit, immunem servabo. Sed ponamus (quod omnibus votis opto), nunquam futurum, quod aliquis ex illis, qui contra meam ac Ecclesiæ meæ utilitatem monasterium S. Crucis tantopere desiderant, e Catholica Ecclesia exeat ad hæreticos, alia tamen me ratio ad conservandum Ecclesias, mihi in spiritualibus et temporalibus subjectas, maxime vero in civitate Augustana compellit, videlicet quod quamvis Episcopus Augustanus Cathedram suam Episcopalem in civitate Augustana habeat, civitas tamen ipsa, quantum ad administrationem temporalium attinet, non Episcopo, sed magistratui seculari illius civitatis, ut aliæ civitates liberæ, subjecta est, exceptis paucissimis quibusdam Collegiis, monasteriisque, inter quæ est quoque monasterium Sanctæ Crucis, quæ Episcopo Augustano tanquam Principi Imperii antiquitus semper subjecta fuere, et adhuc subjecta sunt. Qui quidem magistratus secularis civitatis Augustanæ omnem omnino emendi in civitate Augustana bona immobilia facultatem mihi totique meo clero per suas constitutiones ademit, ut ea ratione neque ego neque Clerus mihi in spiritualibus et temporalibus subjectus vel minimam ædiculam, etiamsi centum millia aureorum solvere vellemus, emere possemus. Cum igitur non solum difficile, sed propemodum impossibile sit, quod in civitate Augustana, in qua Cathedram meam Episcopalem habeo, vel minimum quid acquirere possim, cogitet nunc S. V. quanta mihi cura ea, quæ ibi habeo, conservanda, nec Laicis vel eorum patrocinio concedenda sint.

«Reliquum est, ut de magna quoque utilitate, quæ, si translatio ista fieret, in civitate Augustana, ac vicinis locis, totoque imperio ex ea subsequi posset, pauca quædam scribam; nam ea potissimum Sanctitatem Vestram ad translationem istam faciendam movisse videtur. Novit Deus quantopere, tanquam in partem sollicitudinis vocatus, una cum Sanctitate V. desiderem, omnia ea facere, quæ ad Catholicæ religionis conservationem atqoe augmentum pertinent, et quantum quoque Patribus Societatis nominis Jesu, atque iis, qui pro ipsis collegium instituere volunt, in piis atque honestis eorum desideriis faveam; sed non video, quæ tanta possit subesse necessitas, ut tam magno Diœcesis meæ damno, tantoque perdendi locum istum periculo, monasterii illius translatio fieri debeat, nam si concionandi munus respiciamus, exercuere illud ante Patres de societate, et alii viri insignes, neque video, etiamsi novum Collegium instituatur, quid ea in re amplius præstari posset; sed in confessionibus audiendis plurimum Ecclesiæ prosunt, verum id quidem est, et propterea quoque juste amantur; sed et id quoque verum est, etiamsi quam plures alii Augustæ essent, eos tamen ea in re vix amplius prodesse posse, quam illos, qui nunc Augustæ sunt sacerdotes, tanta enim inibi est Catholicorum paucitas, ut etiam ö, qui Augustæ sunt pœnitentiarii, sæpe feriari cogantur. Tertium est, quod juventutem docent, sed faciunt id quoque non minori otilitate alii, pluresque propemodum in civitate Augustana, alioquin maxima ex parte hæretica, sunt scholares catholici quam lutherani, si qui vero posteaquam Augustæ prima rudimenta bonarum literarum didicere, vel ad theologiam, vel ad jurisprudentiam vel ad philosophiam aspirare velint, illis ob vicini-

tatem Academiæ Ingolstadiensis et Dillinganæ facultas et illas, et quascumque artes addiscendi non deest. Cum igitur nulla subsit necessitas, atque ipsi Patres societatis nominis Jesu amplissimam facultatem bene de Catholica religione in civitate et diœcesi Augustana merendi, mea ac Capituli mei Augustani liberalitate habeant, pergant illi quidem divina gratia, quantum possunt boni facere, sed ita tamen, ut neque mihi neque Clero meo graves sint: illi quoque, qui ipsis magnas dare eleemosynas volunt, faciant id de suo, non de alieno.

«Verum de his satis. Venio nunc ad secundum Breve, in quo mihi ac Frisingensi Episcopo mandatur, ut Præpositi monasterii S. Crucis electionem, ob ejus apostasiam, quam antea commisisse dicitur, si de ea constiterit, pronunciemus nullam esse, ac deinde cum una cum conventu suo ad monasterium Sancti Georgii ejusdem ordinis transferamus. Quantum ad electionem Præpositi attinet, cum ea per sententiam definitivam, quæ in rem transiit judicatam, confirmata sit, non video, qua nunc ratione eam nullam pronunciare possemus, nisi novi aliquid supervenerit, ob quod electio illa nulliter facta pronunciari posset, atque hoc illud esse videtur, quod S. V. nobis mandat, ut videlicet cum apostata sit, et propterea ineligibilis, ejus electionem nullam esse pronunciemus. Qua autem via contra eum post sententiam confirmatoriam suæ electionis procedemus, an via accusationis? Sed ubi sunt accusatores, eorumque inscriptio, ne innocentem sine suo periculo vexare possint? Si per viam inquisitionis, ubi frequens de ipsius apostasia fama, quæ inquisitionem præcedere debet? Si per viam denunciationis, ubi denunciatores? De quibus omnibus ex tacito S. V. mandato, prius nobis tanquam Commissariis Apostolicis dispiciendum erit. Cum enim Sanctitas V. nobis processum ad pœnam infligendam mandaverit, etiam ea sine quibus ad processum istum deveniri non potest, mandasse videtur; ac quantum ad denunciatores attinet, nulli adhuc apparent, nisi sint illi Augustani, qui cum Monasterium S. Crucis fundationi illius Collegii, quod meditantur, donari peterent ante aliquot menses, longa epistola omnia totius Germaniæ cleri crimina in monasterium illud congesserunt, et inter alia quoque electum et confirmatum eorum Præpositum ter apostatam esse scripserunt, quod si verum est, sique ad denunciationem illius criminis zelo potius justitiæ quam studio habendi illud monasterium progrediuntur; quare non comparuerunt cum tempore confirmationis in civitate Augustana publico proposito edicto omnes citarentur ad dicendum causas, quare electus S. Crucis Præpositus confirmari non debeat, ac de apostasia illius proposuerunt, cum sine dubio citatio illa una cum omnibus postea subsequutis ad eorum notitiam pervenerit? Cum autem tum temporis non comparuerint, valde dubito, an nunc, cum monasterium ipsius sibi concedi petunt, audiendi sint. Quod si per viam inquisitionis mandato S. V. procedendum est, primo nobis videndum erit, an aliqua super eo, quod ter aut etiam semel apostataverit, fama sit, de quo, an probari possit, nescio; posito autem quod ob electi apostasiam vel alia de causa electio illius nulla decernenda esset, an futurum putabo, quod S. V. contra concordata Germaniæ, quibus Summi Pontifices derogare non solent, conventui jus eligendi, mihi vero electum confirmandi, una cum toto monasterio adimere, atque ad alios transferre velit?

«At extant Sacræ Cæs. Majestatis et multorum præterea Principum litteræ commendatitiæ, quibus testantur, esse ex utilitate Catholicæ religionis, quod in civitate Augustana collegium societatis nominis Jesu erigatur; sit quidem id utile, erigantque Collegium illud suis impensis, quibus Deus inspiravit; quod vero novo atque inusitato prorsus in hisce regionibus modo, non solum integer numerosusque Conventus contra suam voluntatem in aliud monasterium transferatur, atque mihi, qui non solum Episcopus, sed etiam Imperii Princeps sum, meum monasterium, mihi in spiritualibus et temporalibus subjectum, cujus solum locus, una cum ædificiis suis valde preciosus est, quodque in civitate mihi alias in temporalibus non subjecta, in qua tamen Cathedram meam Episcopalem habeo, situm est, auferatur; id spero Sacram Cæs. Majestatem ac Principes, qui ea de re scripsere omnino non velle. Quapropter mihi quoque humiliter et amice rogandi erunt, ut mihi non solum tanquam Episcopo, sed etiam tanquam Principi omnia mea jura, maxime in civitate Augustana, et monasterio S. Crucis, de cujus translatione nunc agitur, integra maneant.

«Oro igitur obsecroque, ut S. V. mihi humillimæ suæ creaturæ clementer ignoscat, quod de illorum exequutione, quæ S. V. mihi in duobus illis Brevibus contra me et Ecclesiam meam, contraque eos, qui mihi non solum tanquam suo Ordinario in spiritualibus, sed etiam tanquam suo Advocato in temporalibus subsunt, quibusque non tam advocationis, quam jure meo tanquam Ordinarii id debeo, ut huic negocio me interponam, mandavit, me excuso atque meas et Capituli mei Augustani pro conservatione jurium nostrorum preces a me visas, et perlectas veritatique innixas clementer exaudiat, illosque, qui translationem monasterii Sanctæ Crucis petunt, in Domino hortetur, ut Collegio Societatis nominis Jesu, quod fundare dotareque constituerunt, ita de loco provideant, ne Ecclesia mea et Capitulum Augustanum in aliquo gravetur, aut tam insigni monasterio privetur, neve subditi

mei, Præpositus videlicet et conventus S. Crucis ex antiquissima possessione pulcherrimi sui monasterii inviti ejiciantur, jureve suo etiam illo, quod ipsis nomine Concordatorum Germaniæ competit, priventur. Si autem aut ipsi, aut alii quicumque aliquas vel accusationes vel denunciationes contra Præpositum Sanctæ Crucis, aut ejus conventum tam super apostasia, quam super aliis quibuscumque criminibus habeant, eas S. V. jubeat ipsos, vigore decretorum Concilii Tridentini, in prima instantia coram me illius monasterii Ordinario instituere, justam, Deo dante, sententiam relaturi. Deus S. V. in publicam suæ Ecclesiæ utilitatem quam diutissime servet incolumem: cui me, et Ecclesiam meam unice et quam humillime commendo.

Datum Dillingæ die decimo mensis Februarii, Anno Domini MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientiss. Filius

Johan: Egolphus Episcopus August. indignus.

XXXIX. — Verumtamen cum Episcopo in hujus negotii relatione Pontifici transmissa breviori uti calamo placuerit, cumque ad ea remiserit, quæ Canonici suæ Cathedralis Ecclesiæ, capitulariter congregati, de eadem re Gregorio quoque perscripserint, oportet et hanc relationem hic inserere, quæ Episcopi narrationem apprime illustrat atque confirmat. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 13.

Beatissimo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. SS. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater ac Domine Clementissime, post oscula beatissimorum pedum salutem ac debitam promptissimamque subjectionem. Dum superioribus diebus Reverendus atque clarissimus vir Dominus Casparus Groperus Sanctitatis Vestræ in partes nostras Nuncius salutem et Apostolicam benedictionem, gratulationem ob electum tam idoneum atque zelosum gregis Augustani Pastorem et Episcopum, oblationem insuper protectionis ac brachii Apostolici, sub Sanctitatis Tuæ nomine nobis capitulariter intimaret, atque posthæc præmissa a nobis peteret, ut pro parte nostra translationem Monasterii S. Crucis in Societatem Jesu, a quibusdam Augustanis apud Sedem Apostolicam sollicitatam, non vellemus impedire. Nos sane pro ea fide, subjectione, reverentia et obedientia, qua S. V. tanquam legitimo in terris Christi Vicario, astrictos nos esse libentissime atque cum gaudio fatemur, pro officii nostri ratione convocatis ad præsens nostrum peremptorium capitulum tam capitibus ac prælatis, quam etiam membris ac confratribus nostris capitularibus omnibus (quorum et maxima pars personaliter comparuit, absentes vero ac legitime impediti mentem suam in scriptis declararunt) negotium hoc præsens, tamquam maxime arduum et grave, præter omnia a nobis jam quidem sæpius super eodem antehac tractata et agitata, maturo et deliberato consilio de novo solemniter tractavimus, quærentes (si qua extaret usquam) pro viribus viam, per quam Sanctitatis Tuæ petitioni morem gerere possemus.

« Cæterum tametsi de Sanctitatis Vestræ piissima in hoc negotio intentione nullum nobis unquam dubium neque potuerit neque debuerit, neque etiamnum dubium existat ullum: imo res ipsa loquatur, quanto non solum Catholicæ religionis propagandæ zelo, sed etiam afflictæ passim Germaniæ succurrendi affectione plus quam paterna Sanctitas Vestra ducatur, atque proinde id unum ac solum promoveri studiose desideret, ad quod ratione sui supremi pastoralis officii tenetur; id quod nos quoque pro viribus juvare non tenemur solum, sed et omni possibili modo paratissimi sumus atque Deo dante perpetuo erimus. Nos tamen, utpote qui civitatis hujus adeoque totius Germaniæ statum coram intuemur, neque solum loci, sed et personarum, temporum atque totius in se præsentis negotii conditionem perspectam habemus, post longissimam et maturam deliberationem, in veritate talia tantaque translationis hujus impedimenta ac gravamina deprehendimus, ut nobis persuadere non possimus, ullum in rerum natura existere justum judicem, qui postquam hæc, quæ in proposito negotio nos indies magis ac magis invenimus obstacula, intellexerit, ac sedulo consideraverit, nobis ac causæ nostræ ullatenus adversari merito queat. In præfata enim nostra solemni et peremptoria consultatione atque conventu deprehendimus, non solum causas manifestas, quæ translationem hanc impediant, sed etiam eas causas, super quibus se Sanctitas Vestra fundat, ob nostrorum adversariorum ut coloratam, ita falsissimam informationem omnino deficere, atque proinde quod ex causis falsis impetratum est, ipsum quoque viribus subsistere nec posse nec tale esse debere, propter quod alteri quod suum est adimi queat. Primo enim valde inique ab istis asseritur, quod per hanc translationem monasterii hujus sit ille propagandæ religionis atque convertendæ hujus civitatis effectus secuturus, quem pauci quidam Laici Augustani Vestræ Sanctitati inconsiderate audent polliceri. Secundo ob eorum, quorum interest, hanc translationem non fieri, enormem læsionem, ac exinde orituras dissensiones et scandala, destructionem potius eorum, qui stant in via Domini timendam, quam eorum, qui a communione Ecclesiæ Catholicæ recesserunt, reparationem aut ædificationem ullam sperandam videmus. Tertio tametsi huic translationi nemo hominum se opponeret, ex sui tamen natura est

non solum valde difficilis, sed fere impossibilis. Quarto S. Crucis Præpositum modernum apostatam non esse, ac proinde monasterium hoc non vacare, sed tam Præposito super tanto crimine injuste traducto, quam nobis, ex variis causis apud Sedem Apostolicam falsissime divulgatis, ab Augustanis nostris adversariis crassam inferri injuriam. Quinto denique S. V. posteaquam nos præsenti hoc nostro scripto sufficienter audiverit, per se judicaturam speramus, quod S. Imperatoriæ Majestatis, atque aliorum quorundam Principum literæ, super hoc translationis negotio ad Sanctitatem Vestram scriptæ, neque Augustanis solicitatoribus esse auxilio, neque ulli per hanc translationem offendendo, detrimento esse nec debeant nec possint.

«Quamobrem, Beatissime Pater, quam possumus humillime rogamus et obtestamur, dum ea quæ jam enumeravimus, qua possumus brevitate explicando prosequimur, atque ea quæ rei veritas, adversariorum nostrorum importunitas, ac nostra nos ipsos legitime defendendi compellit necessitas, Sanctitati Vestræ fideliter exponimus: hæc omnia eadem V. S. a nobis tanta excipere dignetur clementia et benignitate, quanta nostra est fiducia, quæ nos in hanc spem deduxit, quod posteaquam causæ nostræ statum exposuerimus, a Sede Apostolica tanquam omnis religionis et justitiæ asylo, justam sententiam et legitimam adversus importunos petitores protectionem simus accepturi.

«Neque enim vel S. V. vel alius quisquam, ut speramus, nobis vitio vertet, quod contra id nos defendere conemur, quod duobus Apostolicis Brevibus motu proprio munitis, et ex certa scientia emanatis corroboratum est. Cum nemo nesciat, per has clausulas adversariorum nostrorum falso narrata jure non purgari; neque tacitam illam excludi conditionem, si preces veritate nitantur. Ea igitur, Pater Sancte, audi et exaudi nos clementia et benignitate, quæ nos commovit, ut dum ex una parte jam pridem quotidie ab hæreticis divexamur, atque jam quoque ab ipsis catholicis nostra nobis eripere volentibus impugnamur, inter utrorumque tela, ad Tuæ solius Sanctitatis confugiamus paternam protectionem.

«Fuit primo loco S. Vestræ a civibus quibusdam Augustanis pro coloranda sua petitione ob oculis posita, famosæ hujus civitatis ad fidem Catholicam revocatio, idque per concionum, scholarum et audiendarum confessionum media, ab ipsis quidem ad longum coram S. V. proceul dubio deducta, a nobis autem ob brevitatis studium hoc loco iterum non repetenda. At vero nos omnipotentem Deum pro viribus quidem rogamus, ut ejusmodi tantæ civitatis reparatio, quam isti pollicentur, istius monasterii translatione unquam evenire posset. Id autem ex hoc medio sequuturum, nemo mente sanus, temporum, hominum et loci hujus, atque totius Germaniæ status notitiam habens, aut alias erga præsentem causam privatim non male affectus, sano consilio unquam asserere poterit. Enimvero exceptis quinque aut ad summum sex Augustanis Senatoribus, totus Catholicorum ordo, sed et reliquorum plebejorum in hac civitate Catholicorum maxima ac potissima pars, imo vere paucissimis exceptis, cœtus Catholicorum fere universus, una nobiscum verissime judicat, fructum illum, qui ex hac translatione ostentatur, in abstractu a nostris adversariis considerari potius, quam in concreto, in imaginatione potius subsistere, quam id quod magnifice promittitur, sperare licere; ventum potius esse in nudis verborum ampullis residentem, quam eventum illum ab istis speciose prætensum, re ipsa aliquando feliciter sequuturum: aurea denique illa sæcula ab adversariis nostris ob hanc translationem promissa, in nuda speculativa quiescere, ad praxim autem nedum deducenda, sed ne unquam quidem, rebus Germaniæ in eo in quo nunc sunt stato perdurantibus, deduci posse.

«Qui enim morem Augustanorum in educanda sua juventute considerat (id quod rerum omnium in præsenti negocio merito debet esse primum) hic facile deprehendit, inter primates paucos esse, qui liberos suos ad studia, plurimos vero qui hos ab ineunte ætate ad mercaturas educent, et in eum finem ad universas fere totius mundi partes a prima juventute ablegent: paucos vero illos inter ditiores, qui literarum cognitionem mercaturæ præferunt, suos in prima statim ætate non hic solere studiis imbuendos curare, sed ut alienarum linguarum et morum cognitionem, literarum scientiæ conjungant, ad peregrinas nationes ablegare solere. Quod si jam nos de vulgarium ac plebejorum catholica juventute instituenda quisquam interroget, huic nobis tacentibus res opportune respondet et loquitur ipsa. Etenim tametsi numerus eorum, qui religionem novam profitentur, decuplo Catholicorum numerum vincat, constat tamen pro Lutheranis in hac amplissima civitate, unam tantum; pro Catholicis vero ntut numero inferioribus, præter nonnullas privatas, quatuor publicas scholas latinas easque Catholicas existere. Sed etsi quis universale Catholicum studium desideret, novem tantum miliaribus Ingolstadium: si scholam Jesuiticam, septem horarum spatio Dilinganum studium hinc ab urbe distare. Quibus omnibus tot ac tantis Catholicis scholis usque ad nauseam propemodum sufficientibus Augustana juventus commode in catholica religione educari potest.

«Jam vero si nostri adversarii non de sufficienti scholarum numero, sed bonitate nobiscum se contendere affirment, facile a nobis hæc poterit

retundi cavillatio. Nam tametsi nos scholarum nostrarum ipsi precones existere nec velimus nec debeamus, quas ipsi tamen interim sine calumnia rejicere nequaquam possunt. Constat tamen ex proxime per nos deductis, etiamsi adversarii nostri totius mundi peritissimos huc advehant professores, atque politiam scholasticam erigant talem, qualem vel imaginari sibi ipsis possunt, interim tamen attento Augustanorum in educanda sua juventute prædicto more, ex tunc non præceptores auditoribus, sed auditores præceptoribus defuturos.

« Neque hoc loco adversarios illud poterit quicquam relevare effugium, si adversus prædicta id nobis objiciant, quod quicquid de Augustanorum sit juventute, quæ aut omnino non, aut saltem in patria hac sua studiis rarissime incumbere soleat: non dubiam tamen esse, quin divulgato eo rumore, quod scilicet locus S. Crucis tam magnificus et speciosus Jesuitis pro schola erigenda sit traditus, ex universo circumquaque rure plurimos ad hanc novam scholam convolaturos. Meminerint enim hi adversarii nostri, a scopo proposito juvandi scil. hac in parte, sua nova schola, hanc insignem civitatem, nimis inconsiderate hoc loco se aberrare, dum jam de ruralibus agunt.

« Sed etsi jam de ruralibus illos tanta teneat solicitudo, eosque non nisi in schola Jesuitarum commode educari ac imbui posse contendant, non ob id opus erit Præpositum ac Conventum S. Crucis suo monasterio expelli, et una cum ipsis nos aliosque plures suis juribus tanto tempore ibidem possessis innocenter privari, cum rurales isti, qua facilitate ad Jesuitas Augustam, eadem et ad eosdem Dilingam confluere queant, atque hac via interim unicuique ex omni parte illæsum maneat quod suum est.

« Eadem per omnia plane, quæ de nova schola hic Augustæ omnino superflue erigenda deduximus, quo ad concionatorum et confessariorum nostrorum justum numerum et qualitates in proposito nostro omnino locum habent, adeo ut pro repetitionis fastidio evitando prædicta hoc loco superfluum omnino sit repetere. Nam dum tantus in hac civitate hæreticorum numerus in quatuor aut quinque civitatis Augustanæ locis publicas habeant conciones, constat Catholicos numero multo inferiores in octo potissimis hujus civitatis Ecclesiis a viris pietate et eruditione selectissimis (inter quos duo jam antehac de Societate Jesu sunt) conciones publicas omnibus diebus festivis habere. In quibus ac etiam aliis pluribus in locis isti iidem atque etiam alii plures idonei ac pii viri confessionibus et pœnitentiariæ præsunt; adeo ut excepta hac paucorum istorum immature commota tragædia, ejus rei nomine, a quoquam ullo tempore nunquam sint auditæ querelæ.

« Ex quibus omnibus, Beatissime Pater, facile Sanctitas Vestra, videt qua calliditate ea Germaniæ calamitas ac cleri negligentia, quæ in multis (proh dolor) tam inclitæ nationis locis in religione Catholica plantanda conspicitur, pro coloranda hac monasterii petitione ab istis huic nostræ Augustanæ Ecclesiæ affingatur, quæ per gratiam Dei in veritate non apparet. Imo docet rei ipsius evidentia, adeo commodum ex hac translatione aut exiguum, aut verius nullum sequuturum, aut inde sperandum, ut ex adverso inconvenientia hinc oritura fere innumera manifeste se offerant. Primo enim frustra hoc loco repetimus, aut inculcamus crassissima scandala, quæ ex nudo hoc translationis istius rumore in tota hac civitate sparso etiamnum orta sunt, cum eorum quædam in literis nostris jam pridem ad Sanctitatem Vestram datis enumeravimus, quæ sane ludus et jocus eorum comparatione erunt, quæ translationem ipsam, si ea cum effectu tentaretur, essent sequutura: dum Præpositus S. Crucis una cum Conventu e suo se monasterio sexcentis jam annis possesso expelli se quemquam non sineret, atque injuria suis e sedibus se pelli proclamaret: dum pariter quoque non nisi vi Societas Jesu expulsorum in locum subintroduceretur, idque in favorem quinque aut sex Augustanorum civium, ac contra voluntatem reliquorum fere omnium, clamantibus interim et reclamantibus cunctis tam in clero quam in Senatu ac populo, prout unusquisque huic vel illi parti favet ac patrocinatur.

« Secundo suspecti forsitan erimus, si hanc ipsam tam odiosam translationem, casu quo tentatum haberet progressum, causam aliquando futuram affirmaremus, ut una cum Jesuitis, totus iterum Clerus Augusta olim expellatur. Verum cum Senatorii ordinis Catholici ac graves viri, pacisque publicæ simul et religionis amantissimi, de eo nos ita fideliter monuerint, idcirco non nostra, sed ipsorum verba hoc loco referimus.

« Quod si tertio loco jam etiam de enormi ac imo magna ex parte intollerabili eorum læsione aliquid commemorandum est, qui per hanc translationem S. Crucis pro suo interesse justas sint oppositori querelas. Est sane, ut de aliis taceamus, in primis nobilis illa Sveviæ familia de Werdenstain, quæ cum olim monasterium S. Crucis bonis ac juribus ditaverit, atque in recompensationem id sibi juris reservaverit, ut futuris perpetuis temporibus quicumque de hac progenie Augustam veniret, in hoc monasterio una cum suis servis, equis ac omni familia, quam pro tempore secum ferunt, hospitio excipiatur, nunquam profecto (prout se familia hæc etiamnum declaravit) patietur, ut per translationem hanc, aut suo tam magnifico atque insigni hospitio, aut ipsis hospitibus (cum per translatio-

nem hanc hospites et hospitium separarentur) absque culpa privetur.

« Pari quoque modo cum inter eos, qui interesse suum adversus hanc odiosam translationem opponunt, nos nequaquam postremi simus, nec esse debeamus; cur, Pater Sancte, ad instantiam paucorum Augustanorum, nos nostro privaremur monasterio, Patroni antiqui et Ecclesiastici, ac subintroducerentor novi, hique laici, qui postquam nobis una cum nostro Præposito ac Conventu S. Crucis per confictos augendæ religionis aliosque pretextus nostra eripuerint; ac postmodum vel ipsi vel ipsorum liberi a religione defecerint, (prout æque præter omnem spem atque præsens casus esse posset, ejusmodi per Germaniam innumera exempla, et inter hæc in ipsa quoque Fuggerana familia talia visa sunt,) destructa postmodum et sua quam offerunt, et nostra quæ jam præ manibus est, fundatione, vigore pacis religionis in publicis comitiis erectæ, quod semel Deo dedicarunt, una cum eo, quod nobis jam eriperent, sibi facerent hæreditarium, præsertim cum adversus prædicta comitiorum decreta, quibus in tali se facto post prolapsum in hæresim defendere possent, nobis nostra repetendi nullum penitus amplius suppeteret remedium.

« Jam vero posteaquam hæc perantiqua ac præclara Augustana Diœcesis variis potentum a religione defectionibus, bellicisque gravissimis tumultibus, inter alia enormia damna, quibus variis temporibus non ita pridem afflicta jacet, præter trecentas fere parochias, magnificis ac plurimis Monasteriis ac Prælaturis antehac privata, spoliata sit; quis non deploraret, non jam ab hæreticis, sed a Catholicis hisque paucissimis ac sub specie religionis propagandæ, familiæ suæ in loco tam magnifico memoriam comparare quærentibus, tam insigne eripi Monasterium, quod a nostris prædecessoribus de bonis Ecclesiæ nostræ fundatum, a singulari illo Ecclesiæ nostræ patrono D. Udalrico, nato Comite de Dillingen, aliisque Episcopis et Canonicis nostris egregie, ut infra demonstrabitur, locupletatum; atque in eo loco ac civitate situm est, a qua hæc Diœcesis nomen quidem accepit suum, sed alias maxima ejusdem Civitatis pars, non ut olim tota Augustano Episcopo, sed hisce temporibus, pro maxima parte Imperio subest; apparet enim, quo minus est id, quod in hac Civitate ad Episcopum hoc tempore spectat, tanto enormius eundem lædi, si quid ei de exiguo illo, quod in eadem habet adimatur. Neque enim hac in parte blanda illa adversariorum nostrorum dissimulatio ipsos quicquam relevare potest aut debet, quod se bona monasterii minime, sed locum tantum atque ædificia petere captiose affirmant. Cum monasterium hoc in civitatis hujus commodissimo loco situm, speciosissime ac ita ædificatum sit, ut non solum reliquorum hujus civitatis monasteriorum nulli cedat, sed etiam in hoc, quod copro sit sumptuosissime tectum, omnia reliqua in universum superet. Rem igitur, si Superis placet, exiguam adversarii nostri petunt, quod non bona, sed structuram tantum petant, ac diœcesi alias ut præfertur afflictæ adimere cupiant, quam interim centum millibus aureis comparare minime possent.

« Quod si enim pauculos Augustanos istos ad tam temerarium, multis damnosum, ac interim tamen non necessarium, petitæ translationis opus non ipsa Monasterii S. Crucis allicit pulchritudo et magnificentia, ubi arma seu insignia sua suspendere ac familiæ suæ memorias varias extruere possent; sed tantopere boni publici ac scholæ non necessariæ erigendæ ipsos tenet desiderium, habent isti vias præ manibus ad hoc propositum ordinarias, ut proinde alienorum ademptione non indigeant. Extat enim in hac civitate Monasterium S. Martini nostræ Diœcesis ab Augustanis dudum ademptum, ac profano seu laico usui destinatum, in quo schola antehac erat Catholica, qua si isti magis magnificam requirant, cur eam sua pecunia ad pios usus per ultimas suorum voluntates ac fori pœnitentialis condemnatione pridem destinatas, quasque ante multos annos ad pios usus ex testatorum voluntatibus convertisse debeant, pro suo libitu non ampliant, ac nobis interim nostra intacta relinquunt?

« Habent quoque hi nostri adversarii prope hujus urbis mœnia, adeoque etiam non uno tantum in loco hujus civitatis amplissimas easque ociosas ac fere vacuas proprias ædes et hortos: quod si tantopere ipsis religio bonumque publicum curæ est, cur non illas Jesuitis ita tradunt, ac sua pecunia locupletant, et cum obstante statuto seu jure municipali hujus civitatis, ab oneribus civilibus eas eximere non possint, ipsi adversarii nostri tanquam laici interim hæc onera in se recipiant: aut si id facile ac sicco pede fieri non possit, cur non eam operam et sumptus, quos in id impendunt, ut nostra nobis eripiant, insumunt ad hoc, ut hæc onera in se recipere Imperatoria vel alia authoritate vel intercessione illis liceat?

« Sed et jam tertia via dudum fuit præ manibus ac etiamnum est. Cum enim Societas Jesu ex Episcopi et Capituli beneficio et liberalitate Curiam Canonicalem inhabitet amplissimam, in qua scholam commodissimam habere, confessiones audire, verbum Dei e regione illius Curiæ in nostra Cathedrali ac aliis Catholicis Ecclesiis ubicunque fere libet, prædicare possint, sicque ulla via citra ullius hominis injuriam, id quod prætendunt, jam prius habeant et exequi possint. Nimium sane se manifeste produnt, quod objecta per nos illis tenentur

pulchri monasterii cupiditate potius, quam boni publici desiderio. Quod si enim propagandæ religionis tantum incumbit ipsis sollicitudo, non tam refert, an cupro tectum ac pulchre pictum ad id habeant S. Crucis monasterium, quam an amplam Canonicalem Curiam: neque tam interest, an eam habeant propriam, an sine suo onere alienam, dummodo utroque casu æque commodam, cum non a proprietate, ad quam isti tantum contendunt, sed a commoditate nostrorum adversariorum pendeat speciose prætensa religio.

«Quod si jam istis hæ, quas pro suo proposito promovendo ipsis enumeravimus, viæ non placeant, vel inde sane ab isto conamine desistant aut removeantur adversarii nostri, necesse est, quod prout superius attigimus, translationem hanc etiam per rerum naturam impossibilem esse constet.

« Est enim primo impossibile, ut Præpositus et Conventus S. Crucis ad angustum S. Georgii locum antehac debito numero Conventualium repletum, neque plures commode capere valentem, transferatur, præsertim posteaquam in capite et membris, vigore proxime nostræ reformationis, Monasterio S. Crucis secundum regulam et statuta Monasterii ejusdem abunde multitudine personarum, antequam adversarii nostri in Curia Romana quicquam impetrarent, abunde provisum sit.

« Pari quoque modo sicut præfatus S. Georgii locus ob nimiam angustiam personas S. Crucis non capit, ita nec multo minus bona: nam cum S. Crucis monasterium non solum juxta civitatis hujus mœnia propriorum agrorum culturam habeat, sed etiam decimis majoribus et minoribus intra et extra hanc civitatem circumquaque in magna copia existentibus, a D. Udalrico de bonis Ecclesiæ nostræ sit dotata, atque ad hanc rem, in qua potissima fere pars redditutum totius monasterii constitit, familia multa, equorum aliarumque rerum tam mobilium, quam se moventium multitudo magna, sed et ad hæc omnia, horrea amplissima requirantur: patet quam considerate nostri adversarii personas ac res plurimas et amplissimas, contra rerum naturam ac omnem sensum communem, in locum angustissimum, qui S. Georgii Præposito una cum suis antehac vix sufficiat, intrudere conentur, atque adversus impossibile manifeste nitantur et pugnent: demonstrat enim evidentia ipsa ad oculum, etiamsi et templum et sacrarium S. Georgii una cum reliqua sui monasterii structura simul jungerentur, atque usui prophano destinarentur, quod S. Crucis prædicta omnia istorum consilio eo transferenda monasterium S. Georgii capere non posset.

« Neque nobis hic nostri adversarii objiciant, ad S. Georgium nova extrui horrea, aliaque ædificia debere, quæ prædicta omnia capere possint, nam ut hoc loco omittamus, quam foret iniquum eos ad novas ædificationes remittere, qui prius ædificatas habeant commodissimas: id insuper adversarii nostri tanquam cives Augustani optime norunt, contra libertatem Ecclesiasticam in hac civitate Laicum extare statutum, illudque quantumvis jure invalidum, pertinacissime ab ipsorum magistratu manuteneri, cujus vigore, nedum ad tam amplam ædificationem locus necessarius, sed ne unius palmæ spatium daretur.

« Alia quoque et quidem tertia juris et facti in hoc tentato negotio impossibilitas est ista, quod in eodem S. Georgii monasterio aut duos Præpositos, sicque unius corporis duo capita, monstruose conspici, aut ad paucorum laicorum injustam instantiam contra sacrorum canonum decreta, ac præter meritum alterum horum degradari, ac suo quæsito jure, per modum in partibus nostris nusquam gentium auditum, privari.

« Tametsi enim id isti facile fieri posse affirment, quod alter istorum Prælatorum, videlicet is qui ad S. Crucem est manifestus sit apostata, qui ter, ajunt, cucullam abjecerit; nos sane Præpositum eundem non manifestum apostatam, sed adversarios nostros manifeste S. Sedis Apostolicæ esse infideles informatores, deprehendimus. Cum enim Præpositus iste neque semel neque ter apostasiam incurrerit, sed id jam pridem ab alio quodam hujus monasterii conventuali, qui in hodiernum usque diem a monasterio abest, patratum esse notorium sit. Sequitur inde, aut adversarios nostros in persona turpi et crassa ignorantia errare, aut (quod de ipsis malumus non præsumere) Præposito innocenti pro victoria causæ suæ falsa crimina scienter intentare: prout et super aliis quoque excessibus eundem hunc Præpositum falsissime notatum, et in Romana Curia diffamatum esse, ad aures nostras jamdudum pervenit. Cæterum nos, priusquam devoluto ad nos per obitum Reverendissimi nostri Augustani Cardinalis piæ memoriæ confirmationis jure, vacante Sede Episcopali, ad confirmationem hujus Prælati S. Crucis accederemus, ea fide, qua Deo et nostræ Ecclesiæ sumus astricti, non solum Vicarium nostrum in spiritualibus generalem, sed et per privatus quoque scrutatores, tam de formaliis electionis, quam eligentium ac Electi qualitatibus inquiri curavimus, horumque nihil, de quibus isti diffamatores nobis occinunt, invenimus: imo constitit nobis ac deputatis ad inquisitionem prædictam commissariis nostris de Electo isto plane contrarium ejus, quod isti de eo divulgare non erubescunt. Sed et ante confirmationem solito more publica proclamata ad valvas Ecclesiæ affixa sunt, in iisque publice sunt omnes citati, qui quicque, quomodocumque contra hunc Electum

possent aut vellent canonice opponere. Cur isti tum assertam apostasiam aliaque crimina non intentarunt? Ideo scil. quia multa a S. Sede Apostolica et nobis petere, multa pro coloranda sua petitione asserere, sed probare possunt nihil. Unde nil penitus est reliquum, quam ut sententia confirmationis hujus Prelati, post legitimum atque canonicum processum a nostro Vicario seu Ordinario totius negotii Judice in forma debita cunctisque adhibitis adhibendis lata, quæque jam dudum transivit in rem judicatam, atque actuali executioni publice demandata est, istis machinatoribus os obduret, sanctaque Sedes Apostolica in virtute rei judicatæ, post quam nemo, nisi novi aliquid sufficientibus suffultum rationibus emergat atque legitime probetur, de jure audiendus est, eisdem perpetuum imponat silentium.

«Jam vero, Beatissime Pater, quod ad ultimum punctum attinet, cujus intuitu a Sede Apostolica supradicta Brevia in favorem nostrorum adversariorum fortassis inter cæteras causas præcipue impetrata esse videntur, quod scil. translationem hanc Imperatoria Majestas una cum quibusdam aliis Imperii Principibus tanquam Christianæ Reipublicæ utilem approbaverit. Constat vel ex iis solis, quæ hactenus deduximus, Principes istos haud aliter esse informatos, quam eodem modo ac per eadem media, quibus et Sedes Apostolica informata est, quæque fere omnia aut notorie falsa, aut per crassam ignorantiam erronea esse demonstravimus. Unde quod ex narratis falsis, quodque sub et obreptitie ab istis Principibus impetratum est, an, quantum et quo jure nobis aut monasterio nostro obesse possit vel debeat, nemo est, qui non facile judicet: præsertim quoque ob id, quod commendatitiæ hæ litteræ, quæ in locis ejuscemodi facile impetrari solent, hunc valorem jure non habeant, ut in vim probationis adversus nos, nondum a Principibus his auditos, produci possint: tametsi enim generaliter verum sit id, quod isti Principes affirmant, nosque una cum ipsis ultro fatemur, quod scil. utile sit in Germania passim sive Jesuitas sive alios viros doctos fovori: non dubium est tamen interim, quin manifeste si in specie rogentur, sint negaturi se scivisse, quod cultui divino prius hic Augustæ ita abunde provisum sit, prout supra retulimus, negabunt quoque se scivisse, quod modernus S. Crucis Præpositus apostata non sit; negabunt denique se scivisse quicquam de eo, quod Conventus S. Crucis in antiquo suo vigore ac reformato debito numero constitutus, nec quoad personas neque quoad alia supra memorata omnia ob angustiam loci ad S. Georgium habitare non possit: prout et in specie Illustrissimus Bavariæ Dux datis ad nos literis negavit se scivisse, translationem hanc, pro qua ipse apud S. V. intercessit, contra voluntatem nostram tentari, aut nobis damnosam esse. Sic quoque S. Cæsarea Majestas nedum nobis de translatione quicquam mandavit, sed ne rogavit quidem aut petiit a nobis super translatione quicquam; ex quo sane nostrorum adversariorum nihil nisi manifesta ad oculum apparet erronea assertio.

«Quamobrem, Beatissime Pater, cum ex his omnibus per nos hacteuus fideliter enumeratis manifeste pateat, quod erectio ista novi Jesuitarum Collegii, non ita in hac civitate, ut in aliis multis Germaniæ locis necessaria, sed ex enumeratis causis penitus superflua; neque ut a pauculis istis adversariis Augustanis contra reliquorum fere omnium suorum catholicorum concivium sententiam imaginarie et subreptitie asseritur utilis, sed scandalosa, plurimis damnosa et intollerabilis, ac proinde plane talis sit, ex qua non ædificatio, sed destructio concordiæ et pietatis sit expectanda: Neque insuper ita facilis, ut sicco pede hæc translatio ad S. Georgium fieri, et (ut Sanctitatis Vestræ Apostolicum Breve habet) ut Præpositus et Conventus S. Crucis ibidem Deo servire, et commode vivere possint, sed ex supra deductis causis omnino sit impossibilis. Neque porro S. Crucis Præpositus apostata existat, ac ob id monasterium jure non vacet, atque etiamsi vacet, non propterea monasterium aliis dandum, sed secundum concordata Germaniæ novus et idoneus Prælatus eligendus veniat. Neque in Germania tutum sit, monasteria aliave loca pia exclusis antiquis patronis Ecclesiasticis laicos patronos substituere, qui quod nobis eriperent, mutata per ipsos aut eorum liberos religione, sibi deinde hæreditarium facerent. Neque denique intercessiones Principum nobis quicquam nocere aut præjudicare habeant, eo quod illi impedimenta per nos deducta proculdubio ignorent: atque per consequens ad oculum liqueat, sicut præfatos Principes ita quoque S. Sedem Apostolicam infideliter et perperam esse informatam, nos ac monasterium præfatum hactenus injuste inquietatos, atque ad superfluos labores et sumptus perductos esse. Idcirco ad Sanctitatem Vestram tanquam ejusdem deditissimi et obsequentissimi filii confugimus, eandemque quibus possumus modis iterum humillime rogamus et obtestamur, ut quod petitioni per supradictum Sanctitatis Vestræ Nuncium nobis insinuatæ quoad translationis hujus negotium morem gerere ne possimus quidem, etiam si vellemus, id totum non ab eo animo proficisci existimet, quod legitimo eidemque supremo nostro magistratui in rebus licitis reluctari studiose desideremus (quippe cum inter nos ne unicus quidem sit, qui juramento fidei secundum Tridentini Concilii formam dudum præstito, Sedem Apostolicam tamquam Sedem Vicarii Christi non libenter veneretur et suspiciat,) sed potius

ut S. V. agnoscat et intelligat, pro impugnandis falsis nostrorum adversariorum informationibus, ac defendendo eo, quod nobis injuste adimeretur, Vestraque Sanctitate super ipsa veritate informanda nos laborare. Rogamus proinde humillime, ne nos, qui haetenus in Sedis Apostolicæ agnitione contra quascumque tentationes in medio hæreticorum infracti perstitimus, deterioris conditionis Sanctitas Vestra esse permittat iis in Germania Ecclesiis, quæ diversis in locis a fide et S. Sede Apostolica defecerunt; sed nos pro concredito suo pastorali supremo officio paterne atque clementer adversus quoscumque oppugnatores laicos protegere et defendere dignetur, præsertim pauculis istis Augustanis complicibus, in hoc ipsorum concitato tragico (ut res ipsa minatur) conatu, perpetuum silentium imponat, seque pro justitiæ debito erga ipsos ita exhibeat, ut dum isti prout supra attigimus, potius per suum propositum familiæ suæ in hac civitate memoriam ædificandi quærere videntur occasionem, quam quod id judicent in hac civitate tam necessarium aut utile fore aut esse posse, quod prætendunt: interim quoque intelligant, se in hoc eodem proposito, etiam cunctis ipsorum narratis ita veris existentibus, sicut pro majori parte falsa sunt, non quomodo velint, sed quomodo citra aliorum læsionem et injuriam juvari possint, juvandos se esse animadvertant. Qua sane re S. V. Sedesque Apostolica non solum publicam tranquillitatem mirifice promovet, maximaque jurgia in publicis adhuc Imperii comitiis certissime alias oritura, quæ Episcopo ceu Principi Imperii tantum monasterium adimi non sinent, scandala innumera avertit, sed et insuper dum cuilibet quod suum est tribuit, ipsissimam justitiam publicam nobis ministrat. Cui nos ac Ecclesiam nostram post oscula beatissimorum pedum humillime et devotissime commendamus.

Datæ Augustæ 13. Februarii Anno 1574.

Sanctitatis Vestræ

Subjectissimi ac devotissimi

Marquardus de Berg Præpositus-Wolphgangus Andreas Raem de Kaetz Decanus-Totusque Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Augustensis Peremptorie Congregatum.

XL. — Non defuit hoc anno vir, qui militiæ ecclesiasticæ adscriptus, favore Principum ad seculum redire cupiebat. Dux Juliæ adprecabatur Gregorium, ut Conrado a Kettler Canonico Monasteriensi et subdiacono, qui invitus et nonnisi a parentibus coarctatus hunc majorem ordinem susceperat, postea vero suasu amicorum uxorem duxerat, facultatem tribueret eam legitime retinendi. (*)

(*) Germania Vol. 27. fol. 2.

Sanctissimo Beatissimoque in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio Papæ XIII. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo clementissimo.

Beatissime Pater.

« Exposuit mihi Conradus a Keteler nobilis ordinis equestris subditus ac vasallus meus, quod impubes adhuc Canonicatum et Præbendam Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis atque etiam ordinem subdiaconatus, voto præstito, procurantibus atque etiam jubentibus parentibus suis susceperit: posteaquam vero judicium cum ætate accrevisset, parentibus jam demortuis, atque ita reverentia et metu paterno sublato, canonicatu et prebenda se abdicaverit, eumque reipsa experiretur votum, quod invitus metu et lubrico ætatis voverat, se nullo pacto præstare posse, expenderetque reliquos fratres suos duos ætate minores Ecclesiasticos et subdiaconos, hæreditatem a parentibus satis amplam et locupletem delatam adierit, matrimoniumque ad conservandam familiam cum nobili virgine etiam equestris ordinis, cum sibi id licere putaret, contraxerit consumaveritque. Deinde in memoriam votum præstitum revocans, ac a rerum sacrarum peritis et prudentibus viris monitus matrimonium istud, nisi Sanctitas Vestra benigne et gratiose cum illo dispensaret, constare non posse, ad Sanctitatis Vestræ clementiam et misericordiam confugere decreverit; orans atque observans, ut meis precibus ad Sanctitatem Vestram illum juvare non gravarer, quo Sanctitas Vestra pœnitentem recipere a peccato imperitia commisso benigne absolvere, et gratiose super matrimonio conctracto dispensare illudque ratificare dignaretur. Re itaque in eum statum deducta, ut amplius sine maximo offendiculo et animorum dissensione, ex quibus rixæ et cædes pertimescendæ, mutare non integrum, sed solum pœnitentiæ sit locus. Sanctitatem Vestram etiam atque etiam rogo, ut subditum et vasallum meum pœnitentem clementer recipiat, atque cum eo gratiose dispenset matrimoniumque prædictum esse concedat. Id nos omni officiorum genere debita erga Sanctitatem Vestram et Sedem Apostolicam observantia promereri omnibus viribus conabimur. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ et Reipublicæ Christianæ quam diutissime incolumen conservare dignetur.

Datæ in arce nostra Clivensi VIII. Calendas Junii Anno MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius

Guilielmus Dux Juliæ etc.

Gregorius particularibus rationibus permotus Ducis precibus annuere decrevit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 84. f. 230.

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Duci Cliviæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Maxime optavimus, ut

Conradus tuus in suscepto Ecclesiasticæ vitæ instituto permansisset, Apostolumque audire voluisset, sic consulentem: solutus es ab uxore, noli quærere uxorem; cogitassetque quanti idem Apostolus liberius esse ducat ad serviendum Deo uxore carere. Sed quoniam aliter ei visum est, neque possunt præterita mutari, noluimus deesse Tuæ Nobilitatis postulationi, humilique ipsius Conradi supplicationi, neque illum suum crimen agnoscentem diutius jacere passi sumus. Itaque solvimus eum, concessimusque, ut haberet justam uxorem eam, quam duxerat adversus sacrorum Canonum, et Conciliorum decreta: in quo ut Tuæ Nobilitati gratificati sumus adducti iis rationibus, quas scribis: sic quæcomque facultas dabitur, nostram erga te paternam charitatem declarandi non deerimus. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nortri Anno tertio.

XLI. — Gregorius solitis cæremoniis Jubilæum proximi anni indixit. Litteræ quibus idem indictum « Dominus ac Redemptor » et Romæ datæ VI. Idus Maji 1574. publice lectæ fuerunt die Dominicæ Ascensionis 20. Maji, die etiam 19. Decembris Dominica quarta Adventus a Camillo Burghesio, qui deinde in Petri Sede fuit Paulus V. Ut insignis celebritas magis magisque enitesceret, Gregorius Cardinales ad pietatem hortatus est. Die Natalem Christi diem præcedente ante vesperas sollemni supplicatione ad portam Sanctam accessit, cam ter malleo ictam aperuit, Basilicamque illam cum Cardinalibus ingressus est. Cardinales Moronus, S. Collegii princeps Sancti Pauli via Ostiensi, M. Antonius Columna, Altaempsii Archipresbyteri ægrotantis vices fungens, S. Joannis Lateranensis, Alexander Sfortia, Archipresbyter Sanctæ Mariæ Majoris, portas Sanctas, a Gregorio missi, aperuerunt. Gregorius ingrediens Crucem dextera, ceream accensam facem sinistra manu detulit. Malleum, Cardinali Hosio majori Pœnitentiario traditum, Bavariæ Principi, qui tum Romæ erat, dono dedit.

Die Natali Domini, Sacro Pontificio absoluto, ensem et galerum præcedente nocte sacratum Clivensi Principum donavit.

Idibus Novembris eodem anno plenarias indulgentias omnes tam extra Urbem quam intra ad suum et Apostolicæ Sedis arbitrium suspenderat.

Ante annum, quem ex Jubilæi celebritate sanctum nuncupant, Gregorius tam magnum cerearum imaginum, quæ vulgo Agnus Dei audiunt, numerum consecravit, ut iisdem locandis capsas ducentas et quinquaginta elaboratas fuisse ejus ævi hypomnemata memorant.

XLII. — Cæsarem quoque, uti Episcopos et cæteros Principes sæculares Germaniæ Gregorius Romam ad Jubilæum humanissimis litteris invitaverat. En quas Maximiliano scripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. II epist. 78. f. 25.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ut Nos omnem nostrum conatum ad Dei gloriam, atque ad animarum salutem dirigere debere et agnoscimus et profitemur, sic libentissime ea, quibus utrumque assequi possimus ex meritis Jesu Christi Domini et Redemptoris Nostri, gloriosissimæque ejus matris Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium deprompta fidelibus impertimus: omnesque cœlesti hoc inæstimabilique thesauro ditari incredibiliter cupimus. Cujus quidem rei in primis Majestatem Tuam tum participem in sacris hujus Urbis templis in proximum annum, in quem vetustissimo Romanorum Pontificum instituto sacrosanctum Jubilæum indiximus, visendis, tum desiderii nostri adjutricem in cæteris tuo exemplo permovendis habere cupimus, etsi per tuam valetudinem, perque istam quam tibi imposuit Deus, tanti Imperii curam et custodiam licebit, Nos habituros, tuoque conspectu fruituros speramus. Quæ duo si forte impedimento erunt, saltem mittas aliquem ex natis tuis; erit hoc Nobis ultra quam dici possit jucundissimum. Quod si neque hoc tuo commodo facere poteris, Nos certe non patiemur, Majestatem Tuam carere hoc tanto Ecclesiæ thesauro: ac si aliquem Catholicum de nobilibus ac primariis tuis huc miseris, per hanc illius peregrinationem, et sacrarum basilicarum, quæ in nostris Jubilæi indictionis literis descriptæ sunt, visitationem ea ipsa spiritualia munera tribuemus Majestati Tuæ, quæ tribuimus iis, qui per se hæc faciunt, quæque ipse consequereris, si huc venires, sanctaque hæc loca visitares; in quo ut facile potes nostram paternam erga Majestatem Tuam charitatem agnoscere, sic eam declarabimus in omnibus rebus, in quibus Tuæ Majestati Nos gratificari posse intelligemus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die ultima Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XLIII. — Verumtamen rerum Germaniæ tristissima conditio non sinebat Præsules a Diœcesibus abesse; ipsi vero miserunt legatos ad lucrandas Jubilæi indulgentias una cum litteris devotionis, pietatis et amoris erga Pontificem Sanctamque Romanam Sedem plenissimis, quibus se excusabant, quod iis limina Apostolorum visitare non liceret. En litteræ Præsulis Moguntini. [*]

[*] Germania Vol. 96. fol. 50

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio ejus nominis Decimo Tertio Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo clementissimo.

« Post debitam obedientiam et devota semper sacrorum pedum oscula, Beatissime Pater, et Domine, Domine clementissime. Scripsit ad me hisce diebus Gropperus Sanctitatem Vestram quam maxime cupere, ut ad instantem annum Jubilæum, siquidem gravioribus non præpediter negotiis una cum aliis Ecclesiæ proceribus Romæ me sisterem. Quod etsi fortassis ego non minus quam Sanctitas Vestra cupiam tam propter temporis hujusmodi raritatem, quam multarum, gravissimarum rerum præsentem communicationem: tamen is est hodie Germaniæ nostræ status, ut etiam me tacente Beatitudo Vestra animadvertat, nec absque contumeliosa criminatione, neque summo meorum periculo stationem haud vel ad breve aliquod tempus relinquere me posse. Veruntamen quod salutari eo Ecclesiæ thesauro a Sanctitate Vestra sacro illo tempore dispensando frui omnino desiderem, volui Leonhardum Saucrum, qui mihi a sacris et concionibus et cærimoniis est, sub initium exoptati illius anni ibidem esse, qui officium votaque mea isthic persolvat, me expiet et indulgentias a Sanctitate Vestra summa qua decet veneratione animique religione pro me excipiat. Quare etiam atque etiam rogo, ut Sanctitas Vestra per eundem Leonhardum Presbiterum de contracta quacunque animi mei labe ex Jubilæo indulgentias æque plenarias ac si ipse coram eas demeritus essem mihi gratissime præstare dignetur. Adjunxi eidem Leonhardo canonicum Ecclesiæ meæ Metropolitanæ, mihi sanguine junctum Joannem Everhardum a Carben juvenem, ut sub præceptoribus Collegii Germanici intraque ejusdem septa meis sumptibus sua studia prosequatur. Quamquam nondum ex ephebis excesserit, ea tamen qua est ætate tantum eum in literis profecisse spero, ut haud inidoneum audiendis isthic præceptoribus quibusdam illum etiam hoc tempore esse putem. Quem ut Sanctitas Vestra una cum comite suo Everhardo Plest mei secretarii filio, qui et ipse ad promovenda jurisprudentiæ studia, quibus aliquot annis in universitate Lovaniensi vacavit, eodem proficiscitur ea clementia atque paterno affectu, quo reliquos a nobis hinc venientes solet, complectatur, in tutelam suam supremam recipiat. Quamquam ego juventutem omnem Ecclesiæ ministerio in mea diœcesi destinatam isthic Sanctitatis Vestræ auspicio sub doctissimis illis atque pientissimis viris, et sciendi et vivendi præceptis, recte erudiri optem: tamen ab iis, ad quos provisiones beneficiorum vel jure ordinario vel speciali aliquo privilegio pertinent, id vix obtenturum me video, nisi illarum constitutionum, quæ beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia ejusdem dispositioni reservata esse volunt, a Sanctitate Vestra gratia fiat. Quam ut faciat pro instituti sui ad Ecclesiam meam juvandam ratione, deque ea literas mihi speciales præbeat suplex peto. Quæ omnia cum gratissima mihi erunt, tum omni officii atque observantiæ genere, quantum in me est, ut promerear, sedulo studebo. Interea temporis oro Deum Opt. Max. ut Beatitudinem Vestram Ecclesiæ suæ quam diutissime superstitem esse velit, in primis vero ut dignam eam faciat, quæ instanti Jubilæo et iram ipsius penitus expiare et misericordiam ejusdem nobis salutariter procurare valeat. Ex oppido nostro Aschaffenburgo pridie Calendas Novembris Anno Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Quarto.

Sanctissimæ Paternitatis Vestræ

Devotissimus et fidelissimus

DANIEL ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINUS,

PRINCEPS ELECTOR.

Perpulchra sunt, tantoque Principe digna, quæ Ferdinandus Archidux Austriæ Pontifici scribit. (*)

(*) Germania Vol. 20. fol. 30.

Beatissime in Christo Pater et Domine Domine Clementissime.

« Humillimam mei commendationem et pedum oscula beatorum. Sanctitatis Vestræ Breve, quod ad sanctissimum proxime futuri anni Jubilæum Romam me quam amantissime invitat, ea qua par est, veneratione accepi, et hic ut alias semper facile perspexi, Sanctitatem Vestram nullam plane suæ erga me benignitatis exercendæ, meique honorandi occasionem prætermittere. Sane nihil jucundius aut optabilius mihi esset, quam ut præsens hujus sacratissimi Jubilæi participem redderem, et simul Sanctitati Vestræ meam erga eandem pietatem atque observantiam coram declarare, et desideratissimo illo Vestræ Sanctitatis conspectu et alloquio frui possem. Cujus quidem rei fructum si mihi assequi liceret, eundem nec Sanctitati Vestræ injucundum fore sperarem. Cæterum is omnino est præsens rerum ac provinciarum mearum status eaque corporis mei valetudo, ut vel maxime volenti mihi Romam proficisci hoc tempore integrum non sit. Me itaque plane impedito animus æque promptus erat, alterum ex duobus filiis meis mittere. Quod etiam eo libentius fecissem, quo ipsi alioquin pro ætatis captu in Catholica Religione probe educati hac occasione non solum Sanctitati Vestræ commendatiores redderentur, sed etiam ut illi debito Vestræ Beatitudinis sanctæque istius Sedis Apostolicæ cultui et obsequiis quam addictissimi evaderent, atque eo maturius assuescerent, si nimirum præsentes Sanctitatis Vestræ benignitatem et indulgentiam paternam experirentur, quod ipsum profecto longe gratissimum mihi esset. Verum manifestum hoc est, ambos filios meos ætate, ingenio et intellectu adhuc teneriori esse, quam ut ipsis talis functio committenda sit, etiamsi itineris tam longinqui nulla habeatur ratio. Quare ut nihilomi-

nus et Sanctitati Vestræ et mihi satisfiat, quod proximum erat, faciam; expediturus sum ad S. Vestram Generosum Comitem Schweickhartum de Helfenstain Consiliarium meum, mearumque superioris Austriæ provinciarum Locumtenentem, qui pro divino illo sanctissimi Jubilæi beneficio consequendo mei absentis vicem hoc munere perfungatur. Qui cum ob præclaram generis nobilitatem et virtutes egregias, atque etiam propter plurima merita sua charus probatusque mihi sit, non dubito, quin et Sanctitas Vestra ipsum meo nomine benigne excepturа et hoc in negotio solitam suam summam erga me elementiam declaratura sit. De me autem Sanctitas Vestra sibi vieissim persuadeat, quæcumque in humanis a Deo Optimo Maximo mihi data et concessa sunt, ea ad Sanctitatis Vestræ, et Beatæ istius Sedis servitia quovis tempore et loco paratissima fore, eidem Sanctitati Vestræ me humillime commendans.

Datæ Oeniponte decima octava die Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

Quis sine animi voluptate legat, quæ Magister Ordinis Theutonici de eadem re Gregorio refert. [*]

[*] Germania Vol 90. fol. 85.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

«Beatissime ac Sanctissime in Christo Pater, post humilima beatorum pedum oscula, et debitam obedientiam, Clementissime Domine. Cum ita semper erga sanctissimam Apostolicam Sedem fuerim animatus, ut nihil prius aut charius habuerim, quam observantiam meam, studiumque pietatis summum ei exhibere, sane qua debui lætitia perfusus sum, postquam ex literis Sanctitatis Vestræ singulari elementia et benignitate ad me datis cognovi, D. Gasparis Gropperii Nuncii ejusdem testimonium, et commendationem mei plurimum apud illam voluisse, camque quam semper optavi opinionem de me paterna fiducia confirmatam habere. Quare in quod antea spontanea voluntate et orthodoxæ religionis amore ab ineunte ætate inductus maxima cura incubui, ne quod ad veræ et a majoribus nobis traditæ fidei cultum tam conservandum quam propagandum pertineret, quicquam abs me prætermitteretur; id nunc multo magis etiam operam dabo Sanctitatis Vestræ piis cohortationibus incitatus. Muneris mei hoc esse proprium, adeoque militiæ mihi commissæ salutem in eo consistere, ut intelligo: ita omnem meam diligentiam, laborem, industriam, Deo gratiam largiente, tamquam ad optimum scopum libentissime atque constantissime conferam. Hanc voluntatis meæ cupidissimam propensionem Sanctitati Vestræ, quam primum literis declarandam proposueram: sed dum ipsius Nuncii Apostolici D. G. Gropperii ex reditu, uti spem fecerat, transitum iterum hac quotidie exspectabam, interim evenit, ut is missa ad me Sanctitatis Vestræ instantis anni Sanctissimi Jubilæi (quod omnium piorum mentes ad maximam devotionem, consolationem et lætitiam merito accendit) saluberrima Indictione, nomine quoque ejus beatissimo ad tam preciosum gratiæ thesaurum consequendum paterne me invitaret, quo incredibili animi gaudio percepto gratulatus equidem sum tum Sanctitati Vestræ in cujus felicissima tempora plenissimæ gratiæ dona hæc inciderint, tum universo fideli populo, ad cujus salutem et prosperitatem ea ipsa redundarent, in optimam spem erectus, Christum dominum gregem suum multis malis hactenus oppressum a gravissimis crudelissimorum hostium insultibus clementissima et validissima manu protecturum atque conservaturum esse. Cum autem nihil optabilius mihi fuisset, quam ut sacro huic cœtui interesse, præsensque tanti muneris particeps fieri possem, gravissimis cupiditati meæ, quæ S. Vestra consideratione nostrarum partium turbulentissimi status facile conjiciet, obstantibus impedimentis, non tamen prætermisi (S. Vestræ clementia id concedente) honestum nostrum fidelem Leonhardum Kirchheimer Juris utriusque Doctorem Ordinique meo a consiliis, latorem harum ad almam Urbem destinare, qui debita pietatis officia etiam nostro nomine præstaret, et oblatos Ecclesiasticæ largitionis uberrimos atque salutares fructus impetraret: interim nec illud omittens, quin populum mihi a Deo commissum, quæcumque ad remissionis et salutaris Indulgentiæ hujus adipiscendæ præparationem spectant, qua decet diligentia erudiendum curem. Dicto autem Doctori Leonhardo privilegiorum Ordini meo per prædecessores Sanctitatis Vestræ largissime concessorum exempla fide digna et Notarii publici Curiæ Romanæ nota manu subscripta in Sanctitatis Vestræ fulgentissimum conspectum perferenda imposui; eandem humillimis precibus implorans atque rogans, ut quod a superioribus Summis Pontificibus Ordini meo non sine singulari gratia atque ratione indultum est, id summa auctoritate sua firmum ratumque habere velit, quo nos sanctissimæ Sedis præsidio tutiores et tanquam sarti tectique Militiæ nostræ munia melius obire, et ab adversariis defendere valeamus. Hoc si a Sanctitate Vestra impetravero, quod sperare cum ab omnibus prædicata maxima ejus benignitas, tum æquitas ipsius postulationis me jubent, nihil equidem neque ego, neque universi Ordinis mei fratres prætermittemus, quod ad summam justissimamque gratitudinem requiri

videatur. Nos sanctissimæ Vestræ clementiæ (quam perpetua gaudere felicitate optamus) humillimis atque ardentissimis votis commendantes.

Datum Mergenthemii viii. die Decembris Anno a partu Virginis MDLXXIV.

Sanctitati Vestræ

Obedientissimus et deditissimus Henricus Generalis militiæ Hierosolomitanæ Ordinis Beatæ Mariæ Teuthonicorum in Prussia Administrator ac ejusdem per Germaniam et Italiam partesque marinas Magister, Sacri Imperii Princeps.

HENRICUS ADMINISTRATOR ORDINIS TEUTHONICI MAGISTER.

XLIV. — Unus omnes antecedebat, pius Guillelmus Cliviæ Juliæ et Montium Dux, qui ipsum filium suum primogenitum, Principem nempe Carolum Fridericum Romam ad Jubilæum miserat. Medio Decembri Carolus in Urbem maxima cum pompa ingrediebatur. Pontifex eum summis honoribus excipiebat, eique in proxima Capella, quæ die decima nona Decembris, Dominica quarta Adventus, in Sacello Vaticano habita fuit, locum in sedili Cardinalium, post ultimum Cardinalem Diaconum assignavit. Princeps deinde Pontifici hac in solemnitate assistebat, eique venienti et redeunti fimbrias posteriores pluviali sustinebat.

Quæ distinctio invidiam Legatorum Principum excitavit. Audiamus quæ hac de re sane minimi momenti Mucantius narrat. [*]

[*] Diarior. Caremon. Vol. 11. fol. 207.

«Hoc mane, die nempe XIX. Dec. Dominica IV. Adventus, nullus Oratorum, excepto Urbinate, venit ad Cappellam, ut mox auditum est, ægre ferentes dictum esse locum Principi prædicto Cliviæ in banco Cardinalium. Sed certe in hoc ipsi Oratores ab omnibus fere inculpati ac reprehensi fuere, nulla enim inter ipsos et hujusmodi Principem præeminentiæ disceptatio esse poterat, cum re mature discussa inter Patres delectos ad reformationem Cæremoniarum, fuerit eidem Principi ille locus ut competens assignatus: nec est querendum, quid in Curia, vel Aula Imperiali, vel Regia circa hujusmodi præcedentias inter principes et oratores observetur. Nam potius debemus inspicere consuetudinem, et statuta Sedis Apostolicæ, a qua aliæ Curiæ exemplum sumere debent, maxime in ipsa Urbe Romæ degentes.

«Quare nimis superbe, et cum contemptu quodammodo Pontificis et Patrum prædictos Oratores se gessisse judicatum est.

XLV. — Res perturbatissimæ Hungariæ Præsules hujus regni, qui non ita pridem electi et a Sancta Sede confirmati fuerant, utique impediere, quominus votis suis juxta canonum præscripta satisfacere possent, limina Apostolorum visitare, ut Agriensis Episcopus Pontifici non sine magno dolore nuntiat. [*]

[*] Germania Vol. 90. fol. 46.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater.

« Cum primum est allata a S. Vestra authoritas meæ et aliorum consecrationis, maxima sum affectus voluptate, maximasque gratias ago, agamque S. Vestræ, quod me tanto honore affecit, ut in numerum Episcoporum cooptandum judicarit. Ego, quod in me est, dabo operam, ut S. Vestræ hoc beneficium bene colocasse videatur. Nam et humilitate et obedientia erga S. Vestram satisfaciam et officium meum in hoc regno, quoad ejus fieri per summam calamitatem temporum poterit, sic exequar, ut judicii factique sui Sanctitatem Vestram pœnitere non possit. Consecrati quidem jam omnes sumus et jusjurandum quisque nostrum Sanctitati Vestræ mittimus. Non nos fugit obstrictos nos teneri religiose ad veniendum Romam et visitandum limina Beatorum Apostolorum et sanctissimos pedes Sanctitatis Vestræ osculandos; sed is status est rerum hungaricarum, ut nos hinc commovere nullo modo possimus. Quod non dubitamus, quin Sanctitas Vestra pro sua sapientia sua sponte intelligat. Quocirca misimus istuc Franciscum Diotalevium virum optimum, ac insigni pietate et industria præditum, cujus antea quoque fideli opera sumus usi in authoritate consecrationis a Sanctitate Vestra impetranda, qui nostram vicem expleat, omniumque istic munera nostro nomine fungatur. Humillime supplicamus Sanctitati Vestræ, ut et rem et hominem probet: nam neque ipsi venire, si maxime velimus, possumus, et homo is est, quo nemo vir melior, nemo aptior mitti queat. Quod reliquum est, nos miserimis his temporibus, qua hæreticis, qua Turcis imminentibus, officium tamen præstabimus nostrum atque oculis identidem ad Sedem Apostolicam, in qua divinitus S. V. locata est, conversis tamquam ad perennem fontem veræ religionis et fidei stabilimentum, non defatigabimur, aut frangemur ullo impetu adversariorum, quin studium nostrum erga fidem Catholicam ac Sanctitatem Vestram testatum omnibus reliquamus. Deus Sanctitatem Vestram incolumem servet quam diutissime Ecclesiæ suæ Sanctæ; cui me atque orationes meas humillime commendo. Datum Posonii XII. Septembris Anno Domini 1574.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus servus et capellanus
EPISCOPUS AGRIENSIS.

XLVI. — In Transilvania piis et assiduis Principis conatibus religio magis magisque refloruit, quam ob rem Gregorius ei meritas laudes

tribuit, animumque addit, ut opera sua avita fides ubique in regno suo quam primum postliminio redire possit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 317. fol. 183.

Dilecto Filio Nobili Viro Stephano Bathorio Transilvaniæ Vaivodæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Renovarunt mirifice gaudium nostrum de tua excellenti pietate ea, quæ Nobilitatem Tuam scripsisse accepimus ad dilectum filium Georgium Fabium Archidiaconum Coloccensem: sic enim cognovimus scripsisse te vehementer cupere, daturumque operam, ut omni impietate isthic sublata vera Religio quasi postliminio redeat, atque omnes tuum Catholicæ Religionis zelum, et pro Sede Apostolica devotionem agnoscant. Quod tametsi te facturum non dubitamus, tamen quia cupiditati celeritas ipsa tarda est, nihil longius habemus, quam dum ecclesiis earumque Præpositis suas res restitutas, cæteraque, quæ tantopere tamque præclare cupis, per te constituta videamus. Incumbe igitur charissime fili in istam curam, quam Sanctissimi Spiritus gratia animo tuo immisit: quæque recta esse intelligis sine ulla cunctatione exequere, neque ullas molestias, aut labores defuge: reddet enim omnia levia atque expedita ejusdem Spiritus Sancti gratia, quæ talem tibi animum elargita est. Ipsum autem Archidiaconum commendamus, quantum possumus, Nobilitati Tuæ, rogamusque, ut ei sua beneficia, Archidiaconatum scilicet Coloccensem, Canonicatum Albensem, et altare Sancti Georgii, eorumque beneficiorum res restitui cures. Erit hoc Nobis gratissimum, tuaque spectata pietate dignissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Martii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Nobilis ille Princeps, tanta Pontificis benevolentia devinctus, eidem spondet, se nihil omissurum, quo votis ejus satisfieret. [*]

[*] Polonia Vol. 8. fol. 204.

Beatissime in Christo Pater et Domine Nobis Colendissime.

« Post osculorum Sanctissimorum pedum filialemque obedientiam in gratiam Sanctitatis Vestræ officiosissimam commendationem. Reverendus Dominus Gregorius Fabius Bochnensis Præpositus, alius Archidiaconus Coloccensis reddidit nobis Sanctitatis Vestræ litteras, quas ea qua debuimus reverentia exosculari perlegimus. Etsi antea quoque submisse Sanctitati Vestræ, cum quo in statu sint res nostræ, tum nunquam nobis in promovenda Dei gloria sanctissimæque Sedis Romanæ augenda dignitate voluntatem defuisse, neque nunc deesse indicatum est: tamen id ipsum Sanctitas Vestra ex eodem Domino Fabio, cui hujus regni status, hominum mores errorumque initia progressusque notissimi sunt, denuo copiose poterit intelligere. Hi autem adeo altas radices a viginti inde annis in hoc regno egerunt, atque ita perpetuo usu confirmati sunt, ut si quis iis tollendis extrema et violata adhibere remedia vellet, nunquam profecto id citra popularem funestum tumultum, simul etiam tam sui quam regni ingens periculum præstaret. Nec tamen ideo zelus noster in Catholica religione restituenda refrixit: imo in dies etiam atque etiam in nobis augetur: atque eo magis quod conatum nostrum in reprimendis sensim Arrianæ sectæ præstigiis, quæ non ita pridem principis defuncti patrocinio magnam regni partem pervaserant, Deus Sancti Spiritus gratia mirandum in modum adjuvat. Nam licet radicitus pestis illa nondum sit excissa; tamen cum auctores illius sectæ justo Dei judicio brevissimo temporis spatio ad unum pæne interierint, in reliquiis non est magnopere laborandum, quibus nimirum omnis pullulandi facultas præclusa est. Superest igitur tantum confessionis Augustanæ secta, quæ inter alias ut minus mali sapit, ita etiam magis tolleranda videbatur. Ejus quoque si non in totum, in parte saltem exstirpandæ bona nobis spes est. Eandem de capitulo reformando concepimus, quæ omnia Reverendus Dominus Fabius et bene intelligit, et etiam res ipsa loquitur, nihil ante tempus, quod laudem aliquam mereatur, constitui, nedum se spoliatis per antecessorem nostrum bonis restitui posse. Etenim nobis nihil antiquius est, neque erit in tota vita, quam nostram pietatem a parentibus nostris haustam etiam externis factis declarare. Ceterum ad nutum Sanctitatis Vestræ nostram obedientiam atque obsequia grata accommodare semper conabimur, precantes Deum Opt. Max., ut Sanctitatem Vestram in honorem Ecclesiæ Dei salutemque Reipublicæ Christianæ salvam et incolumem quam diutissime nobis præstet. Datum Albæ Juliæ XIV. Septemb. MDLXXIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius et servitor

STEPHANUS BATHORY VAIVODA TRANSILVANUS.

XLVII. — Helvetios quoque Gregorius laudat, quod consilium cum Genevensibus fœdus ineundi prorsus deposuerint, sodalesque Societatis Jesu Lucernam pro erudienda juventute arcessere velint. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 210. f. 130.

Dilectis Filiis Helvetiis Lucernæ Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil est, in quo magis eluceat ea, quæ in Christi servis est charitas Dei, quam si non solum ipsi eum pie sancteque colant, verum etiam cupiant, ut alii idem efficiant, idque conentur, quantum possint, neque potest hoc quidquam gratius Deo fieri. Hæc est enim illius voluntas, sanctificatio nostra, atque hac de causa misit ad Nos filium suum Christum Jesum, qui factus est Nobis sapientia et justitia, et sanctifi-

catio, et redemptio: nulla autem salus aut sanctitas esse potest sine fidei sinceritate et vitæ innocentia: nam sine fide impossibile est placere Deo, deditque Christus sese in mortem acerbissimam, ut redimeret nos ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Utrinque facere vos, ut et pie sancteque vivatis, et eandem tum pietatem, tum vitæ ac morum sanctitatem in aliorum animis inseri curetis, toto pectore vobis gratulamur, filii charissimi: hancque veram gratulationem esse ducimus, quæ non de terrenis et cadocis bonis, sed de cœlestibus ac sempiternis suscipitur. Itaque magnopere laudamus consilioio vestrum, de quo ex dilecto filio Judoco Segissero cognovimus, habendi apud vos Jesuitas, eisque Collegia instituendi, eorumque opera et labore alios ad sincerum Dei cultum, vitæque sanctitatem vocandi. In quo non fallet vos vestra de illis expectatio; sunt enim hujusmodi in rebus vigilantissimi, et charitate pleni: suamque operam navabunt Christo, ingenti, ut sperandum est, cum aliorum bono, vestra certe cum laude atque apud Deum mercede. Gratulamur etiam, quod hæreticis Genevensibus omnem de fœdere spem præcidistis: Helvetiosque Friborgi et Salodori ab omni ejus cogitatione deterruistis. Sic agite: Catholicam imprimis Religionem commendatam habete, inque pietatis operibus majores in dies progressus facite: eaque ratione inter cæteros elucete: vestroque nomini respondete. Vestras literas, quas Nobis reddidit Judocus noster, libentissime legimus, spectatamque in eis pietatem recognovimus, vobisque omnia, quæ possunt esse parata a patre amantissimo filiis optimis, paratissima pollicemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Martii MDLXXIII. Pontific. Nostri anno secundo.

Quod ut quantocitius perficiant, novis litteris eos monet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 31. fol. 305.

Dilectis Filiis Helvetiis Lucernæ Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Cum statuissemus gratificari dilecto filio Judoco Segissero nostræ custodiæ Præfecto in patriam redire cupienti, idque benigne concederemus, noluimus illum nostris ad vos litteris vacuum venire. Libenter enim amplectimor omnem facultatem ad vos scribendi, quos unice amamus, et quamquam nihil dubitamus de vestra optima voluntate, et Christi gloriæ zelo; tamen pro nostro summo desiderio facere non possumus, quin vos hortemur, ut quod tam præclare suscepistis de habendis apud vos Jesuitis, omni studio perficiatis. Affert Judocus litteras universi ejus Ordinis Præpositi ad Præfectum provinciæ Germaniæ Superioris, quas mitti curabitis, is ad vos mittet duos ex illis sacerdotibus, unumque adjotorem; non dubitamus eorum operam plurimum istic profuturam. Hortamur etiam, ut quod facitis, toto pectore Genevensium conatui resistatis de fœdere cum amicis et fœderatis vestris jungendo, eosque, apud quos plurimum auctoritate, gratia, virtute valetis, a tam fœda societate deterreatis. Est hoc dignum vestra pietate, partoque vestris meritis glorioso Ecclesiasticæ libertatis propognatorum, et defensorum nomine. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XLVIII. — Res Polonicæ auspicatissimo loco positæ esse videbantur. Novus Rex, quacunque per Germaniam Poloniam versus iter agebat, sacris Catholicorum interfuit, etiam in oppidis, ubi Protestantium longe major erat numerus. Admiratione prorsus digna sunt, quæ Gratianus, qui Regi usque ad Francofurtum ad Moenum obviam ierat, de ejus pietate erga Deum, deque studio erga avitam fidem, quod ubique quin immo coram Principibus Protestantibus manifestum reddidit, narrat. [*]

[*] Mantissa document. N. 79.

Gregorius non defuit, quin novi regis pietatem merito laudaret, ei Patres Societatis Jesu, in quorum Collegiis in itioere suo semper commoratus fuerat, enixe commendaret, cumque adhortaretur, ut eis Collegia quam plurima in regno suo erigi curaret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 212. fol. 128.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Poloniæ Regi Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Sanctissimum Domini Nostri Jesu Christi Natalem diem Fuldæ celebrasse Majestatem Tuam, ex tuis literis cognovimus: quanta autem eum devotione, et divinæ gratiæ sensu id feceris, alii perscripserunt, quod enim tu pro tua modestia tacitum reliquisti, id alii ut non possunt facta principum latere, haud silendum putarunt: ut una et Deum laudarent, et Nos incredibili lætitia afficerent, fuerunt illæ tuæ ejus noctis in templo vigiliæ, meditationes, precationes, optimo et vere Christiano Rege dignæ, Christoque ipsi, qui tibi in memoria versabatur, teque sua gloria perfundebat acceptissimæ. Ei igitur gratias agimus; precamurque ab ejus benignitate, ut quantum expertos fuisti voloptatem, eandem, majoremque in dies tuo cordi instillet; tuasque actiones et cogitationes omnes ad sui nominis gloriam, ad Catholicæ fidei propagationem, ad Regni istius, quod tibi elargita est, salutem dirigat. Jesuitarum ordinem universum vehementer diligimus, quia in eo illa magnopere cognovimus, quæ tuo gravissimo testimonio confirmas: singularem scilicet pietatem, doctrinam, integritatem, proque Dei cultu et gloria vigilantiam mirificam, maximeque operosam: ad hanc vero nostram erga

illos charitatem maximus commendatione tua cumulus accedet. Hortamur vicissim Majestatem Tuam, et quantum possumus rogamus, ut ad tuum præclarum de illis judicium tuum etiam factum accedat, eisque Collegia in tuo Regno constitui cures, eorumque opera ad ea, quæ Jesu Christi sunt, utaris: habebis certe homines tales, quales describis, qualesque Fuldæ expertus es. Hoc Nos impetraturos pollicetur tua spectata pietas, et dilecti filii Pauli Foxii confirmatio; sic enim pollicitus est, nostra omnia monita et consilia plurimum semper apud te valitura: neque aliter fieri potest; erunt enim semper patris amantissimi erga filium optimum, optime de Catholica Religione meritum: hoc autem, in quo nunc versamur, per se ipsum tale est, tamque dignum gloria tua, ut nihil nostra cohortatione indigeat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxvii. Februarii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XLIX. — Sub finem mensis Januarii hujus anni Henricus Poloniæ fines intravit, et xii. Kal. Mart. exultantibus Polonis, qui ingenti fere numero ex omnibus partibus regni confluxerant, Cracoviæ solemnem ingressum fecit. Die deinde ix. et non vi. Kal. Mart. ut historici Polonici vulgo asserunt, sollemni ritu ab Archiepiscopo Gnesnensi de Catholica fide retinenda, conservanda et defendenda, de regno sibi a Deo commisso secundum regni ac justitiæ leges regendo, administrando et protegendo interrogatus, cum in omnia jurasset, sollemnibus cæremoniis inunctus et coronatus est.

L. — Dissidentes, antequam Rex coronatur, per viros factionis ipsorum, inter quos haud pauci Catholici reperiebantur, omnia tentaverant, ut eidem persuaderent jurejurando firmare, quæ Legati sui in Polonia tempore Comitiorum electionis in favorem Dissidentium spoponderant, quæque ipse Rex Parisiis, dum decretum electionis suæ receperat, solemni interposito juramento confirmaverat. Parum abfuit, quin Henricus id præstaret, sed obstiterunt fortiter Archiepiscopus Gnesnensis, et fere omnes Senatores Regni, tum ecclesiastici, tum sæculares, magna constantia et omni animi fortitudine asserentes, quæ tunc acta erant citra nationis consensum pacta fuisse. En quæ de hoc negotio Episcopus Vladislaviensis Cardinali Commendono perscribit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 28. fol. 58.

Illmo ac Rmo D. Joanni Francisco Commendono S. R. E. tit. S. Cyriaci in Termis Presbytero Cardinali.

Illme ac Rme Domine Dne Observandissime.

« Diuturni silentii mei, quo hactenus erga Illmam P. V. sum usus, causam non negligentiæ meæ, sed partim difficultatibus ac molestiis, quibus me semper expositum esse non ignorat, partim etiam rerum acerbitati adscribat, quæso. Ut enim observantiam meam erga Illmam P. V. omni officiorum genere testatam esse cuperem: ita quoque tempestate ac fluctibus Reipublicæ nostræ illam perturbari minime vellem. Nunc tamen et liberior factus, et lætiora nactus, usuram tanti temporis compensare studebo. Quo desiderio, animique aviditate adventum Regis expectabamus, eadem plane venientem excepimus. Nam et in finibus Majoris Poloniæ a Nobilitate illa gratanter est exceptus: et hic adventanti frequenter et splendide a Proceribus Regni, istiusque oræ nobilitate obviam est itum, adeo ut ingressu suo splendorem magnificentiamque Regum præteritorum, atque adeo expectationem ipsam nostram superasse dicatur. Processerunt obviam et hæretici, sed tamen ii postridie multa latenter machinati sunt, quibus in longius tempus coronationem protraherent. Illa enim quæ electionis tempore in cassum tentarunt (ut legum correcturam, judiciorumque formulam novam) ante coronationem expediri volebant: studium tamen Catholicorum pervicit, ut omnibus rejectis Dominica Quinquagesimæ cum summo omnium hominum applausu sit coronatus. Circa coronationem nonnihil est tumultuatum: nam postquam juxta formulam in Pontificale descriptam jurasset, Palatinus Cracoviensis tumultuari cœpit, ad ejusque clamorem Palatinus Sendomiriensis accurrerat, ac nonnulli alii, Regemque confœderationis admonebant. Quorum importuno clamore victus, verba hæc, jam erectus, Domino Archiepiscopo nihil ista curante, sed sacra ordine suo prosequente, protulit: pacem inter Dissidentes de religione conservabo, salvis tamen juribus Regni; quam clausulam adjecit nobis admonentibus, et pro viribus solemniter protestantibus. Hac in re nobis atque adeo Ecclesiæ Dei Illustris et Magnificus Dominus Capitaneus Samogitiæ strenuam navavit operam. Postridie in foro publico a civibus Cracoviensibus juramentum recepit: indeque recta ad nuptias Domini Andreæ Zborowski profectus est, quibus et altera die interfuit. Sed ubi die Cinerum in arce hastium apparant ludum, infœlix ac funestus accidit casus. Samuel siquidem Zborowski præclarum illum ac religionis Catholicæ tenacissimum Andream Vapovium Castellanum Premisliensem, dum is contentionem inter eum ac Veinicensem Castellanum dirimere conatur, graviter vulneravit: ex quo vulnere postea mortuus est. Dirum hoc ac crudele spectaculum fuit, quo non modo lætitiam ac voluptatem Principis perturbarunt, sed et famam gloriamque Regni contaminarunt. Itaque hoc tempus in judicanda hac causa consumpsimus, neque tamen quicquam adhuc decisum. Spes tamen est, scelus hoc impunitum non iri. Ex hac vero procrastinatione illud commodi referimus, quod hac causa hæretici occupati, ne dicam, fracti, nihil con-

tra nos machinantur. Et quantum quidem conjicere possum, languescunt jam studia eorum, nec tantopere confœderationem illam suam urgent, pudore, ut existimo, victi: protestatione Plocensium virus illius detegente. Et mirum certe est, quantum hæc protestatio furorem illorum hebetaverit. Articuli quoque illi, quibus Regia potentia astringitur, ne dicam convellitur, evanescunt, ac brevi in fumum obituros speramus. Urgent quidem hæretici comitia, ut sua illa præclara ad evertendam Ecclesiam Dei excogitata judicia obtinere possint: sed Plocenses atque Mazcovii resistunt, comitiaque ejusmodi esse negant, in quibus agi posset de omnibus, sed tantum ad determinatum actum, hoc est coronationem indicta: arbitramurque alios et tedio, et constantia principis victos illis concessuros. Quid multa? Quemadmodum antea animis consideramus, et pessima quæque nobis ominabantur, ita nunc veluti certissima oblata salute confirmamur, ac in eam spem erigimur, fore aliquando, ut nobis in Polonia (si Deus omnipotens Principi longiorem concesserit vitam) pax, et tranquillitas Ecclesiæ optatissima illucescat: habemus enim Principem catholicum, pium, prudentem, justum, invictumque, quandam animi magnitudinem vel ipso vultu præseferentem: qui utut nunc nonnihil hæreticis concedat, ubi tamen solium suum confirmaverit, acerrimum illum Religionis Catholicæ propugnatorem fore non dubitamus.

Datæ Cracoviæ 15. Martii 1574.

Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ

Addictissimus et perpetuus servus

Stanislaus Episcopus Wladislaviensis.

LI. — Gregorius, eadem de re per Nuntium suum Apostolicum, Episcopum nempe Montis Regalis, edoctus, Archiepiscopum Gnesnensem summopere laudat, quod forti atque invicto animo Dissidentium apud Regem conatibus restiterit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 263. f. 160.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Assiduus labor, charitas, et Christi gloriæ zelus tuus in Catholica Religione tuenda, et antea publice, privatimque omni ex parte sese ostenderat per totum interregnum in omnibus consiliis, verbis, factis tuis; et hoc tempore maxime perspicitur; sic enim gravissimorum virorum Nobis testimonio confirmatur, te nihil ex superioris temporis studio, atque ardore remittere, neque posse aut minis, aut pollicitationibus, aut periculis propositis de suscepta causa dimoveri, inque ista ætate, et valetudine, qua te ægra uti dicunt, nullam salutis rationem habere, sed forti, atque invicto animo hæreticorum conatibus resistere, atque ad eos labores, quos suscipis, adjungere etiam verba, et sententias gravissimas, et tuo isto præstanti honore, et munere dignissimas; ut perspicuum sit, nihil esse potentius Christi charitate, cujus vim experiebatur Apostolus, cum gloriaretur, non posse se ab ea sejungi, quidquid omnino accideret undique sive prosperi, sive adversi. Quod quidem Nos nequaquam pari virtute, et divina confirmatione muniti de Nobis ipsis polliceri non possumus; quin potius cavere debemus, ne si Nobis stare videamur, concidamus; cum ignoremus, amore ne an odio digni simus: interim autem niti debemus, quantum possumus, ut per bona opera certam nostram vocationem faciamus. Hoc agere te charissime frater, et tibi, et Regno isti, et Catholicæ Religioni gratulamur: te enim ad præmia sempiterna contendere cernimus: Regna vero scimus, non posse sine Catholica Religione diutius consistere; neque Catholicam Religionem sine Episcoporum, quibus maxime commissa est, cura et vigilantia contineri, quam cum in te summam esse intelligamus, dici non potest, quantopere in Domino gaudeamus. Quid enim potest Christi Vicario (quo in munere ut nulla nostra merita agnoscimus, sic nostræ imbecillitatis conscii ingemiscimus) accidere desideratius, aut voluptuosius Christi ipsius gloria, et animarum ejus sanguine redemptarum salute? constat autem utramque sustineri summissimo fundamento Catholicæ Religionis, tanto cum Christi, tum suorum sanguine, tanta doctrina, tanta sanctitate stabilito. Quæ si miseri hæretici considerarent, nec tenebras magis, quam lucem diligerent, et Sancta Ecclesia tranquillior esset, et ipsi suarum animarum jacturam non facerent, neque tam gravem Christi sanguini injuriam inferrent. Hæc igitur tua insignis pietas, et constantia effecit, ut cuperemus aliquam nostræ erga te voluntatis non levem significationem dare, quoniam autem aliam non habemus; eam quam possumus, libenter dabimus. Decrevimus enim tibi concedere facultatem conferendorum beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium in mensibus Apostolicæ Sedi reservatis; hanc facultatem ex aliis nostris literis accipies; neque enim dubitamus, quin ea daturus sis iis, quos maxime idoneos, maximeque Christi patrimonii, et ubi opus fuerit, sanctorum sacramentorum fideles dispensatores esse cognoveris. Perge, ut facis, Catholicam Religionem toto pectore tueri; ac certum habe suæ ipsius causæ affuturum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Posterioribus litteris eundem meritis laudibus adhuc prosequitur, quod effecerit, ut vetus sanctaque regii juramenti formula, rejectis Dissidentium molitionibus, nulli obnoxia mutationi esset. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. an II epist. 200. f. 162.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam

benedictionem. Quo majora et lætiora in dies ad Nos perveniunt de tua præstanti virtute, et pietate, eo majores gratias agimus Deo, pro cujus gloria nullos defugis labores, aut pericula. Hoc autem quod nuper fecisti, ut in coronando charissimo in Christo filio nostro Henrico ad veteris jurisjurandi formulam, qua sese Reges obstringere solent, nihil addi patereris, tale tantumque est, ut ab omni posteritate summis laudibus celebrari mereatur. Sed certum habemus, te nihil morari humanas laudes in eo, quod sempiterna a Deo mercede remuneratum esse intelligis: sic agere par fuit optimum pastorem, et Episcopum machinis Sathanæ toto pectore sese opponere, omnemque ejus Ministrorum conatum comprimere, fretum virtute Christi, qui semper præsens, præstoque est iis, quos videt pro suo nomine, et causa laborare. Gratulamur Fraternitati Tuæ, ac sic confirmamus, hoc tam præclarum factum ad tuam hactenus laudem, singularemque nostram erga te charitatem maximum cumulum attulisse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Aprilis MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

LII. — Regi ipse Pontifex gratulatur de coronatione, sollemni sanctoque ritu avorum peracta, deque ejus studio fidei in Regno suo dilatandæ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. an. II. epist. 208. fol. 170.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quod summopere cupiebamus audire Majestatem Tuam incolumem in Poloniam venisse, coronamque atque ejus Regni possessionem adeptam esse, hoc nunc factum esse incredibiliter lætamur. Hujus autem nostræ lætitiæ causa est spes illa, quam de tua virtute et pietate conceptam habemus: sic enim speramus, te qui hactenus Catholicæ Religionis acerrimus propugnator fuisti; quique a pueritia in gravissimis periculis versatus es, pro Christi gloria tantam tamque præclaram nunc oblatam facultatem tanta cum potestate nequaquam omissurum, tuique similem futurum, nec quidquam Catholicæ Religionis dignitate atque amplitudine antiquius habiturum, omnemque in eo curam et vigilantiam positurum, ut Catholicam veritatem tantopere apud quamplurimos istic depravatam restituas, eosque ad Christum, unde misere abierunt, reducas, aut certe obstinatos, ne sanis exitio sint, coerceas. Hæc te perpetuo cogitare, minimeque dubia spe polliceri certo scimus. Itaque gratulamur Tuæ Majestati, tibique a Deo prospera cupimus et precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die VII. Aprilis MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Novis, iisque fusioribus litteris ejusdem pietatem atque constantiam in refutandis Dissidentium postulationibus laudat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. an. II. epist. 200. fol. 160.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem, et Apostolicam benedictionem. Gratias agimus Deo, quantas possumus maximas, quod in tantis malis Nos universamque Ecclesiam suam consolatur tua præstanti virtute, et constantia in Catholica Religione tuenda, inque veteribus, quibus Regnum istud hactenus stetit decretis retinendis, novisque et perniciosis, synceræque pietati adversariis rejiciendis. Dignum est hoc prudentia et pietate tua, cujus insignia a puero documenta dedisti; neque enim sine maximo periculo novitates quæruntur, neque sine certissima pernicie Regiis decretis impietas confirmatur. Eidem quoque pietati, et immortali laude dignis factis tuis mirifice respondet illud de Palatinis creandis tantum iis, quos Catholicos esse cognoveris; hoc enim Nuncius noster perscripsit, pollicitamque esse Majestatem Tuam, quod quidem mirifice convenit cum Sanctorum Patrum sententia. Sic enim monent, iis potissimum mandandos esse honores, et Magistratus, qui præstant meritis et fidei, ac vitæ sanctitate, malos autem et impios, dum tolluntur, tum maxime dejici, esseque illis honores ruinam certissimam, eademque ruina eos etiam, quibus præsunt, interire: non possumus hoc gravioribus quam Magni Basilii verbis confirmare. Necesse est, inquit, ejusmodi viris mandare Magistratus, ac eos aliorum constituere duces, qui cæteros omnes prudentia, constantia ac vitæ sanctitate longe antecant, ut virtutes, quibus prædití sunt, communes fiant eorum omnium, qui eos imitantur; nam ad mores eorum, qui gubernacula tenent, componere sese totos ii, qui parent, solent: ita ut quales duces fuerint, tales etiam necesse sit esse eos omnes, qui sequuntur, et quales fuerint in Republica Principes, tales ut plurimum existere solent etiam reliqui cives. Hoc igitur Majestatis Tuæ promissum accipimus, Deoque Optimo Maximo offerimus, omnemque tuæ præstantissimæ pietati, et laboribus pro ejus nomine et gloria susceptis felicitatem precamur, promissoque Regio exitum præclare responsurum non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda Maji MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

LIII. — Henricus totus erat in fovenda re Catholica, Pontificique valde commendabat collegium Societatis Jesu Vilnæ, quod præclarus hujus urbis Antistes propriis somptibus fundaverat, eumque adprecatur, ut eidem Episcopo ad vastissimam suam diœcesim regendam et exactius perlustran lam Georgium ex nobilissima

Radzivilorum Olicæ et Nieswicz Ducum prosapia natum, Coadjutorem concedere velit. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 33 fol. 27.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Dño Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

« Beatissime Pater et Domine, Domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique regni et dominiorum meorum commendationem. Quanta sit perturbatio religionis cum alibi in regno meo Poloniæ, tum in ipso quoque Magnu Ducatu meo Lithuaniæ, id vero non magis mihi, ad quem nuper adeo regnum illud delatum est, quam Sedi ipsi Apostolicæ, quæ de hoc regno jamdudum magnam gerit solicitudinem, perspectum esse potest; itaque ad levandam eam perturbationem quæsita est semper a bonis viris ratio, inter cætera autem quæ eo pertinebant, constitutum est non ita multo ante Jesuitarum Collegium in urbe ipsa Magni Ducatus primaria Vilna per Reverendum in Christo patrem Dominum Valerianum ejus loci Episcopum, sumptu ipsius maximo. Quo sane ex Collegio magni, ut audio, fructus assidue proveniunt ad tranquillandum in illis partibus religionis statum. Verum quoniam non omnia esse possunt in doctrina, quædam sunt etiam in eorum auctoritate reposita, qui cum potestate ecclesiastica versantur. Reverendi autem Domini Valeriani Episcopi auctoritas, quam sibi magnam admodum, ex optime per multos annos administrato Episcopatu, comparasse videbatur, nunc, propter ingravescentem ætatem, et valetudinem ejus afflictam, non nulla ex parte debilitari jam videtur, idcirco præclaram cogitationem suscepisse mihi videtor, de cooptando sibi viventi ejusmodi coadjutore, qui diligentiam eorum, qui evangelium docent et prædicant in illa diœcesi auctoritate ipsa sua fulciret atque stabiliret, qua quidem in cogitatione delatus est animi sui propensione in Illustrem admodum juvenem Georgium Radivilum Olicæ et Nieswicz Ducem, de cujus Coadjutoria cum ad me allatum esset, non solum rem profecto approbavi, sed etiam magnam admodum ex optimo Domini Episcopi consilio voluptatem cepi, quod eum sibi juvenem potissimum pro coadjutore delegerit, cujus et ipsa generis atque familiæ claritas, et vitæ probitas atque integritas singularis, et morum etiam, in juvenili præsertim ætate minime expectata gravitas; et cætera denique præsidia, quibus res omnes humanitus niti solent, ejusmodi sunt, ut magnam spem habeam, ipsum, et nunc quidem viventi domino Episcopo, maximo adjumento futurum, et eo vita functo recte prorsus et ex dignitate Episcopatum ipsum administraturum esse. Una res tantis laudibus obstare videtur, ætas ipsius quodammodo adolescentior. Sed quæ tamen annum decimum nonum attigisse affirmetur, supplico Sanctitati Vestræ, ut eum Coadjutorem ejus Episcopatus Vilnensis cum futura certa successione confirmare velit; et si quid in ætate ipsius deesse videtur ad ejus muneris administrationem, id de plenitudine suæ supplere dignetur. Ille autem facturum se esse spondet, ut, dum Episcopus ipse reliquum ætatis suæ degit, ipse interea in Universitatibus Italicis bonis literis operam navet. Fecerit Sanctitas Vestra rem mihi gratissimam, et Ecclesiæ rationibus maxime consentaneam, ipsam etiam Radivilorum familiam illustrem, in qua magnum religionis catholicæ monumentum est in illis partibus constitutum, tanto reddiderit Sanctæ Sedis Apostolicæ observantiorem. Commendo me regnumque et dominia mea omnia in gratiam et protectionem Sanctitatis Vestræ, quam felicissime valere cupio. Dstum Cracoviæ die prima mensis Junii, anno Dumini MDLXXIV.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
HENRICUS REX.

LIV. — Quod Vilnense Societatis Jesu collegium respicit, illud mox magnam sibi famam conciliavit, ut Episcopus hujus urbis Pontifici amplis litteris lætabundus testatur. (*)

(*) Polonia Vol 8. f 80.

Sanctissimo Dño Nostro PP. Gregorio XIII.

Beatissime Pater.

Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ et obsequiorum humillimam commendationem.

« Quanta sit Sanctitatis Vestræ in administranda Ecclesia sapientia et sollicitudo, ut alia infinita prætercam argumenta, vel inde apparet, quod eam statim post accepta gubernacula usque ad extremos septentrionis fines extendit, et ad me minimum Sacerdotem suum litteras dare superiore anno dignata est, quibus non solum gratam curam a me in erigendo collegio Vilnensi clericorum Societatis Jesu susceptam ostendit, sed etiam benigni animi significationem per omnem occasionem clementer mihi pollicetur, et novæ huic plantationi, in persona Christi, benedictionem ad incrementum impertitur. Quo nomine Sanctitati Vestræ eas, quas debeo et quas possum maximas, cum aliud præstare nequeam, gratias ago. Sane hæc erectio, Sanctissime Pater, non tam humanis consiliis aut viribus, quam Dei providentiæ et benignitati tribuenda est, quæ in hac extrema ætate provinciis istis in magna rerum divinarum ignoratione et salutis suæ neglectione versantibus, quibus illi placuit, mediis subvenire dignata est. Nec benedictio Sanctitatis Vestræ inanis fuit, sed post eam quotidie major fit ad pietatem et Catholicam fidem stabiliendam, et schismata ac hæreses infringendas accessio. Magnus fit ad audiendum Dei verbum etiam a triginta et quadraginta milliaribus Ger-

manicis concursus. Instituenda etiam juventute tantum proficitur, ut cum tam hæretici quam schismatici frequentes liberos ad collegii scholas mittant, simul illi cum litteris orthodoxam fidem complectantur, et ad gremium Ecclesiæ Catholicæ multi accedant. Atque id fit cum primis Dei benignitate, tum eorum, qui Collegio præfecti sunt, cura, prudentia atque diligentia: quos Dei bonitas tales excitavit, quales fundamenta magnis ædificiis superstruendis jacienda, ac harum regionum consuetudo, Principum etiam virorum mores ac ingenia postulabant. Qui si ab illis discederent, plane timerem, ne ea quæ capta sunt, magno Ecclesiæ ac Reipublicæ detrimento vel intermittentur, vel tam fœlices progressus non haberent. Hæc me, Beatissime Pater, valde sollicitum tenuerunt, inde usque ab eo tempore, quo intellexeram Rectorem collegii hujus Vilnensis P. Stanislaum Warsovicium ad iter Svedicum a Sanctitate Vestra esse dignatum. Respiraveram autem aliquantulum, cum esset mihi postea significatum, intellectis rationibus ab eo perscriptis, ita Sanctitati Vestræ satisfactum, ut illi amplius cura collegii non esset deserenda. Sed quia vereor ne forte res eodem redeat, a Sanctitate Vestra majorem in modum supplex peto, quantum licet per obedientiam, quam Sanctitati Vestræ integram et illibatam in omnibus, quoad vixero, sum servaturus, ut hujus septemtrionalis Indiæ benignam rationem habere dignetur, nec ab excolendo isto agro, qui præter spem tantas fructuum primitias jam protulit, cultores illi divinitus destinatos descedere patiatur: ne forte propter incertam spem, qui alibi ostenditur, certissimis fructibus in his regionibus Ecclesia privetur. Qua de re non est opus, ut apud Sanctitatem Vestram multis agam, sed eam totam Sanctitatis Vestræ patientiæ et paternæ curæ, qua totam Ecclesiam complectitur, relinquo, cum sciam, non alio eam inclinaturam, quam quo Spiritus Sanctus impulerit. Hic autem alio non impellet, quam quod ad majorem Dei gloriam et certiorem Ecclesiæ utilitatem sit cessurum. Cum his me Sanctitatis Vestræ gratiæ humillime commendo, et ab ea benedictionem in ætate mea provecta et affecta demisse peto. Vilnæ pridie Nonas Aprilis MDLXXIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Minimus Capellanus

VALERIANUS EPISCOPUS VILNENSIS.

Eadem Episcopus Cardinali Commendono quoque renunciat, eumque insimul deprecatur, ut hujus collegii æque ac Coadjutoris sibi a Rege postulati causam apud Pontificem agat. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 28. fol. 100.

Illm̃e et Rm̃e in Christo Pater, et Domine Observandissime.

« Quantum Illm̃a et Rm̃a Dominatio Vestra rebus Catholicæ Religionis in Lithuania commodaverit, testantur ejus monimenta, non ad tempus, sed perpetuo permansura. Nam et unione templi Parochialis Sancti Joannis Baptistæ, cum Collegio Vilnensi Societatis Jesu authoritate a Summo Pontifice Pio V. sibi delegata confirmavit, et fraternitati Sanctissimi Sacramenti robur ac indulgentias contulit. Ex quorum utroque quantum emolumenti et devotionis in hac civitate primaria Magni Ducatus Lithuaniæ, ex qua ad cætera loca pietatis exempla derivantur, accesserit, non facile verbis explicari potest. Unde mihi persuadeo Illm̃æ Dominationi Vestræ benedictionem divinitus esse datam, ut omnia quæcumque pro utilitate Ecclesiæ in his regionibus egerit, felices habeant successus. Ac ea de causa duabus in rebus, in quibus multum esse positum ad Dei obsequium judico, gratia et authoritate Illm̃æ Dominationis Vestræ apud Sanctissimum Dominum utendum esse statui. Primum quidem eum Illm̃um Dominum Georgium Radziwil in Olika et Nieswiz Ducem in Coadjutorem mihi assumere decreverim, ac id a Sanctissimo Domino petam, ut Illm̃a Dominatione Vestra partes suas apud ejus Sanctitatem interponente tanto facilius obtinere possim. Postulavit id a me Serenissimus Rex meus per litteras, sed multo magis necessitas Ecclesiæ meæ exposcit, ut et ea quæ a me inchoata sunt ad Dei gloriam conserventur, ac etiam augeantur, et Cleri dignitas, atque Ecclesiasticorum bonorum libertas ab injuriis hæreticorum a successore tam illustri loco nato deinceps facilius in hac iniquitate temporum vindicari, et in pristinum statum restitui possit. Alterum est de quo etiam ad Sm̃um D. litteras dedi, ut seminarium hic apud Ecclesiam Cathedralem erigatur, cum jam a me collegium Societatis Jesu, in quo erunt præceptores, pro tenuitate mea fundatum sit. Porro id ex bonis mensæ Episcopalis, vel Capituli nulla ratione præstari potest, cum nec ipsum Collegium plene a me, ut in eo sit universitas, quod cuperem, fundatum sit, et bona nostra ita sint variis injuriis temporum et bellorum afflicta, et deserta, ut vix jam nobis alendis sufficiant. Quamobrem proposui Sanctissimo Domino Præposituram quamdam, quam tenet vir religiosus ordinis Sancti Benedicti, non procul a Vilna, jam ætate provectior, ex qua fortasse duodecim Clerici in Seminario perpetuo ali possint: nunc autem nullus pene fructus ad Ecclesiam ex ea pervenit; imo verendum est, ne forte in manus sæcularium deveniat, quod si vixisset Rex defunctus, procul dubio factum fuisset. Cuperem igitur eam Seminario uniri et incorporari, ut ejus redditus post mortem hujus Præpositi ad alendam juventutem convertantur. Qua in re futura Ecclesiæ utilissima, ut me Illm̃a Dominatio Vestra gratia et authoritate sua apud Sm̃um D. juvet, ac ita iis quæ antea ad religionis catholicæ augmentum hic præstitit, coronidem imponat, magnopere peto. Nec dubito Illm̃um

Dominum Georgium Radziwil vel hoc solo nomine Illmæ Dominationi Vestræ commendatum fore, quod sit Illmi Domini Marschalci frater, qui cum in aliis rebus, tum maxime in ea, quod sub hoc tempus coronationis Serenissimi Regis Henrici acerrime obstiterit, quominus hactenus perniciosa illa confœderatio confirmata sit, et in tabulas publicas referretur, singularem suum erga religionem catholicam zelum ostendit. Video quidem in ætate Domini Georgii aliquod esse impedimentum: sed si quid per ætatem deest, quam ille adhuc cupit in studiis litterarum et pietatis ponere, facile id Sua Sanctitas plenitudine potestatis poterit supplere. Cum his Illmæ et Rmæ Dominationi Vestræ omnia fausta, ac fœlicia a Deo deprecans, me ipsum ac obsequia mea diligenter illi commendo.

Vilnæ 29. Maji anno 1574.

Ejusdem Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ Observantissimus et obsequiosus in Dño
VALERIANUS EPISCOPUS.

LV. — Gregorius Episcopo de prospero successu hujus collegii gratulatur, eique promittit se illud omnis generis beneficiis cumulaturum. [*] Venerabili Fratri Valeriano Episcopo Vilnensi.

[*] Reg Gregorii XIII. An III epist.31,f.804.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibili cum voluptate legimus literas Fraternitatis Tuæ datas pridie nonas Aprilis, egimusque iis perlectis gratias, quantas potuimus maximas Deo: cognovimus enim, quam uberem, quamque Deo gratum fructum isthic afferat Jesuitarum Collegii a te tanta cum pietate et charitate suscepta institutio, quantaque in posterum spes ostendatur catholicæ fidei non solum ubi incorrupta retinetur custodiendæ, sed etiam ubi Sathanica fraude violata est, restituendæ. Nihil autem salutarius est, quam quod scribis, magnus concursus fieri ad audiendum verbum Dei: juventutem tum liberalibus disciplinis, tum Catholica doctrina, et sanctis moribus institui, inque eo inexhaustum esse Jesuitarum studium atque operam, qui enim eo animo adeunt ad sacras conciones, atque ad studia pietatis, ut proficiant, ab eodem ipso Dei spiritu incenduntur, a quo perducuntur: si qui etiam tibi proponunt aut eloquentiam, aut humanam sapientiam, aut quid aliud, hi quoque sæpe experiuntur id, quod Augustinus testatur, sibi initio accidisse, cum Ambrosium audiret, ut earum rerum, quæ dicuntur vi et veritate ad pie sentiendum, recteque vivendum adducantur. Hunc igitur tantum fructum, et Dei benignitate, et tua curatione, et Jesuitarum opera, ac labore ad Catholicam Ecclesiam redire incredibiliter lætamur, teque ut fratrem optimum amamus: neque aut tibi, aut illis Dei Ministris unquam auctoritate atque opera deerimus in Christi gloria, et animarum salute curanda. Varsovitii opera Nobis pernecessaria fuit in Svetia; est enim Dei negotium, non diutius ibi erit, redibitque ad Collegium suum, atque ad tua optima desideria adjuvanda. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die nona Junii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

LVI. — « Dum Rex Henricus regnum Poloniæ quadrimestre fere pacifice administrat, (ita narrat Sal. Neugebauer, haud ignobilis hujus ævi inter Polonos scriptor, [*]) moritur interim Carolus nonus Galliæ Rex frater, de cujus morte certior factus literis a Regina matre, consilia de regno avito repetendo agitavit: non enim parvæ res hæc erat difficultatis, eo quod non nesciret, Polonos in abitum ejus non facile consensuros. Primum itaque ad XV. Junii Cracoviæ Proceres convocat, quibus fratris obitum exponit, causasque addit, cur sua in Gallia præsentia sit necessaria: interea se nihil sine Procerum et Ordinum consensu acturum simulans, comitia mense Augusto indici cœpit, in quibus ea de re tractaretur. Respondet Senatus, Regi tunc præsens, dolere sibi fratris obitum, cæterum se sine regni totius approbatione de Regis discessu nil decernere posse. Orare igitur se, Rex comitiorum sententiam haud ægre expectet, nec interea novi quid moliatur. Interim Rex clanculum mittit, qui fidem publicam a Maximiliano Imperatore peteret, quam haud difficulter obtinuit. Paulo post Bellegræus, cui omnis de profectione cura erat, a matre demandata, Senatui valedicit, sibi in Galliam necessariam ob causam eundum, qui magnam regiæ supellectilis partem secum asportasse dicebatur. Postridie Rex adversam causatus valetudinem solito maturius se somno componit, et nocte intempesta mandato Regis porta arcis aperitur, ipseque peregrino Nobilis habitu egressus, paucis comitatus, citatis equis magnisque itineribus Plezinam primum Silesiæ oppidum pervenit. Mane summus in urbe tumultus: undique Poloni concurrere ad Regem insequendum. Ac quamvis ab una turma, quam Tencinius Castellanus Voinicensis regni succamerarius ducebat, ante versus esset: tamen, quia Austriæ fines ingressus erat, ex itinere retrahi non potuit. Plezina itaque statim post siceræ atque aquæ haustum dispositis equis Vescovium defertur, atque inde Viennam, ubi perhumaniter a Maximiliano Cæsare exceptus. Ex Austria statim literas dat ad Senatum Venetum, Ferrariensem, Sabaudum, aliquotque Italiæ Principes, quibus significat, se in Galliam redeuntem cupere per ipsorum ditiones iter instituere. Placuit Principibus, paraturque statim ad eum excipiendum certatim universa Italia ad omnem magnificentiam effusa. Paulo antequam Henricus Polonia excederet, Carolo Danzæo ad se vocato exponit itineris sui consilium: opus esse celeritate ob periclitantem

[*] Historia rerum Polonicarum. lib IX. p. 616. Francofor. 1618. in 4.

Galliam, literas ei diversas tam ad Episcopum Cuiaviensem, quam ad alios regni proceres tradit, quibus rogabat eos, in fide et veteri in illum benevolentia perseverarent. Has post abitum literas singulis ut redderet, Danzæo injunxit: addens insuper, velle se, ut coram Senatu et omnibus regni Ordinibus suum discessum exposita causa excusaret. Ad Senatum quoque et reliquos regni Ordines ejusdem argumenti literas Rex ipse reliquit, in quibus illis ob summam eorum in se fidem gratias agit, dolore summo deserere eos oportere, excusasse et distulisse abitum, quamdiu potuisset: matri mandatum amplissimum, quod regentiam Galli vocant, misisse: Alenconium et Navarræum monuisse, ut sui desiderium æquo animo ferrent, ne adventum frustra expectarent. Cæterum novas literas supervenisse, nunciantes, actum esse de Regno Galliæ, ni intra viginti dies in Galliæ finibus se sistat. Inde rationes adducebat, cur clam abiisset. Tandem petit ex omnibus Ordinibus ad se in Galliam legatos mitti, quibuscum de statu regni Poloniæ transigat. Poloni itaque, ut Regi satisfacerent, postquam datis ad eum Viennæ subsistentem literis, quibus eum honorifice revocabant, non rediisset, petitam legationem mittunt. Venere legati Ferrariam, ubi Regem inter spectacula rt ludicra nffenderunt: cui Polonorum in se fidem et benevolentiam exponunt, deque inopino excessu conqueruntur. Inde demisse petunt, ad regnum redeat, exponentes pericula, quæ Rege absente a Moscis, Scythis et Turcis imminerent. Tandem obnunciant, nisi ad statum diem redest, abdicandum eum regno, et comitia creandi novi Regis esse indicenda. Henricus Rex lupum auribus tenens (nec dum enim Gallici regni pacatum habebat imperium) timensque, ne forte utroque regno excideret, vafre legatis respondet: se propediem in Poloniam rediturum, non ideo se Poloniam reliquisse, ut potens illud regnum penitus destitueret, sed ad componendas res Gallicas profectum, iis pacatis, mox reversum. Id quod factum fuisset, si tutus patuisset ad Gallos accessus: animos vero quorundam magis exacerbatos; qui per amicos rrant mitigandi. Hanc causam esse, cur tamdiu in Italia hæreret. Postquam legati discessissent, Rex Ferraria Augustam Taurinorum cum Emanuele Duce Sabaudiæ profectus est. Hinc literas iterum ad Poloniæ Proceres mittit, eosque, ut priorem electionem ratam habeant, nec ad alteram transeant, nilque in comitiis contra suam majestatem decernant, hortatur et orat.

LVII. — Henricus Gnesnensem Archiepiscopum, Regni Primatem, extemplo XVIII. Kal. Octobres de suo adventu Lugduni certiorem fecit, eique mandatum dedit, ut se absente ipse, qui esset primus princeps Regni, sua jura sarta tectaque servanda curet. [*]

[*] A. M. Fredri Historiæ gestorum Populi Poloni sub Henrico Valesio. Amstelodami 1698. p. 133.

Eadem commendat Senatoribus Ordinibusque regni, additis denuo ingentibus, quamvis prorsus inanibus pollicitationibus, se compositis modo rebus Gallicis in Poloniam mox rediturum, eamque contra hostes internos æque atque externos pro viribus propugnaturum. [*]

[*] Gallia Vol. 8. fol. 668.

HENRICUS DEI GRATIA GALLIARUM ET POLONIÆ REX MAGNUS DUX LITHUANIÆ ETC.

« Reverendissimi, Illustres, Magnifici, Generosi et Nobiles sincere et fideles nobis dilecti. Jam tandem Dei Optimi Maximi officio salvi et incolumes in Galliam pervenimus, tardius quidem quam spes fuerat, sed ita tulit instituti itineris ratio et benevolentia eorum Principum, qui post Cæsarem in Germania et Italia nobis occurrerunt, a quibus amanter, honorifice et vere Regie excepti, molestias quidem viæ et incommoda effugimus: longitudinem autem ipsius multorum dierum accessione, et unius prope mensis jactura cumulavimus, sed certe nihil magis causæ esse videbatur, cur festinaremus, quam ut de rebus Gallicis et Polonicis pro utriusque gentis necessitudine conjunctim deliberaremus. Tanta enim ea est, qua vos complectimur benevolentia, ut de commodis et ornamentis vestris non secus ac de Galliæ salute, dies noctesque cogitemus. Insidet quippe animo et infixa est singularis vestræ erga nos observantiæ, et vicissim mutui nostri erga vos amoris suavissima illa et jucundissima species, cujus acriores morsus et vehementiores oculos in ipso vestri desiderio quotidie experimur. Hinc illud fit, ut tam sæpe tamque diligenter ad vos scribamus. Quod si in hac parte vicissim quoque per vos nobis satisfieret, minus fortasse nunc laboraremus, nec ignari prope rerum vestrarum ex conjectura consilium capere cogeremur. Post discessum nostrum nullas ab ordinibus litteras accepimus, nec quisquam a vobis ad nos missus est, qui nos de publico statu rerum, cujus cognoscendi studio flagramus, erudiret. Sed prædicta reprehendi fortasse magis possunt, quam corrigi. Vestrum post hæc fuerit, nos, quibus Regni Polonici rt Ducatus Lithuaniæ cura et administratio, authore et auspice Deo, commissa est, ut jurisjurandi religione per vos sancita de omnibus, quæ isthic agentur, dum abesse cogimur, quamprimum certiores facere, quemadmodum nobis quoque sedulo prospiciendum putamus; non modo ne quid ex discessu nostro mali et incommodi accedat, verum etiam uti ne quisquam unquam in aliqua officii parte fidem et diligentiam nostram mrrito possit requirere: Regnum Poloniæ quæque imperii illius maximi finibus circumscribuntur, ea sunt nobis eruntque semper carissima. Scimus enim, quantum nostra et dignitatis atque existimationis nostræ, qua antiquius nihil habemus, intererit, eos homines tueri et diligere, qui se suaque omnia fidei et

curæ nostræ cum maxima gloria commodarunt. Verum in ipsa, in qua nunc necessario versamur publicarum vestrarum rerum ignoratione, quod efficere possumus, id libenter præstamus. Hortamur vos scilicet, ut quando pace et concordia inter ejusdem Imperii homines optabilius nihil est, ei usquequaque consolatis, nec ullis improborum artibus et factiosorum studiis discindi et disociari animorum vestrorum conjunctionem patiamini: semel enim convulsa aut perturbata quiete domestica, qua vos beatos et florentes reliquimus, vix unquam postea regredi licebit ad eam Reipublicæ formam, quam a majoribus vestris optime constitutam vos non militari tantum gloria propagastis, verum etiam mutua utriusque ordinis inter se amicitia et charitate firmiorem et securiorem reddidistis. Ab externo quidem hoste nihil est, quod vobis timenduoi putemus; omnes enim Principes, quorum regionibus Pulonicum regnum undequaque cingitur, uostri adeo cupidos et amantes esse scimus, ut nihil unquam ab eis, quod in perniciem populorum, qui nostro parent imperio, redundare queat, proficisci posse arbitremur. Quid ipsius forsan aut sui oblitus, aot nostræ in vos benevolentiæ ignarus aliquid in nostrum istud Poloniæ Regnum, ac proinde in nos molietur, dabimus omnino operam, ut is sentiat, neque nobis animum nec vires deesse, quibus conatus suos reprimamus atque rinfringamus. Egimus ipsi cum Cæsarea Majestate Viennæ, ut ex antiquiorum fœderum ratione jura viciniæ vobiscum optima fide coleret, qus in re ultro facilem se præbuit. Scripsimus etiam ad Imperatorem Turcarum, milites suos ut contineret, quos adversus Moldaviæ Palatinum nuper conscripsisse videbatur, ne quid ex ea re damni vicina oostra Russia pati posset. Scythas quoque Præcopientes ufficii admoneret, et si ita videretur, imperii sui authoritate regeret, ne in Podoliam excurrent, sed potius ex antiqui et per nos nuper renovati fœderis præcipuo capite adversus Moschum, si forte in Lythuaniam, elapso induciarum tempore erumperet, exercitum pararent. Agemus et cum Rege Daniæ, ne ullas navigationes in mari Balthico Poloniæ perniciosas patefaciat. Cum Svetiæ item Rege fœdus et amicitiam conservabimus, nec permittemus, ut ille cum Moscho coire, et ulla pacis vincula constituere possit. Denique omnia etiam absentes diligenter curabimus, quæ ad salutem et utilitatem vestram, sive domi sive foris videbuntur pertinere. Nam quod ad judicia attinet, veteri more et antiqus consuetudine singulis in provinciis ut exerceantur, magnopere optamus; nec quid causæ fuerit, quominus hactenus ita fieret, satis intelligere possumus. Nunc vero quidquid ea de re communi omnium ordinum consensu constitueretur, id ratum omnino habituri sumus. Verum de rebus istis ac tota Regni administratione legationem amplissimam a vobis quotidie, dum expectamus, faciendum esse putamus, ut ad vos Joannem Foxum unum ex consiliariis nostris mitteremus, non sane qui perficeret, ut vos in tuenda authoritate nostra vestri similes in posterum essetis, sed qui de valetudine, de adventu nostro in hoc Regnum, de rebus Gallicis, de nostra denique erga vos perpetus voluntate certiores faceret. Ac præterea qui vos nostro nomine rogaret, ut omnibus in rebus quas agetis, quas curabitis, de quibus deliberabitis, nostræ ot par est dignitatis rationem habeatis. Credimus vos meminisse, cum isthic essemus, nihil nos unquam de rebus publicis, nisi vobis io consilium adhibitis, et ex senatus sententia decrevisse. Ex quo non dubitamus, quin vos hoc presertim tempore idem quoque sitis facturi. Nec enim nisi scientibus nobis atque adeo jussu uostro et authoritate comitia haberi possunt: aut in ipsis comitiis quicquam contra animi nostri sententiam decerni et constitui. De libertate vestra nihil detrahi unquam patiemur; nostram quoque authoritatem vos tueri æquum est. Sic enim mutuis officiis rationibus æterna necessitudine animi nostri coalescent et eo amoris nexu conjungentur, quo maxima quæque imperia diuturna solent esse. Quod si aliter fiat, non difficile est prudentibus colligere, ea vobis impendere vulnera, quæ curari postea nulla ratione poteruut, quæque non modo nobis fortasse, verum etiam per vos toti Christianitati exitium sint allatura. Beoe valete.

Henricus Rex.

LVIII. — Gregorius, qui præviderat, Henricum ob mortem fratris in Galliam properaturum atque tardius, quam iste promiserat, reditum in Poloniam paraturum fore, non prætermisit Episcopos Proceresque regni adhortari, ut in id magnopere incumbant, ne, absente rege, religio hoc in regno aliquid detrimenti capiat. En litteras, quas Archiepiscopo Gnesnensi inscripsit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An. III epist. 17. f 183.

Venerabili Fratri Jacobo Archiepiscopo Gnesnensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Singularis virtus tua difficillimis, turbidissimisque in rebus spectatissima, summaque libertas et constantia in Catholica Religione tuenda, Regnique istius utilitate et salute curanda, inque confutandis postulatis et conatibus hominum impiorum, tuaque ipsius salute contemnenda pro Regno isto, et Christi gloria conservanda, certissimam in spem Nos adducit, nunquam Fraternitatem Tuam utrique causæ defuturam, sed eadem semper cum constantia, et zelo Catholicæ fidei, et Regni istius saluti inservituram auctoritate, consilio, opera omnibus in

rebus, quibus opus esse intelliges, neque nostram, aut cujusquam ea in re cohortationem expectaturam. Hujus nostri de tua virtute judicii voluimus testes esse has nostras litteras, quas reddet Fraternitati Tuæ venerabilis frater Vincentius Episcopus Montis Regalis noster et Apostolicæ Sedis in isto Regno Nuncius ordinarius. Cupimus, ei omnem fidem tribui super omnibus rebus, de quibus cum Tua Fraternitate aget nostro nomine. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Junii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

LIX. — Ordines tum Ducatus Lithuaniæ tum Regni Poloniæ a Pontifice petunt, ut postulationem novi coadjutoris Vilnensis, a Rege et ab Episcopo hujus urbis jam factam ob gravia religionis negotia ratam habere velit. En litteræ Præsidis Curiæ Lithuaniæ. (*)

(*) Polonia Vol. 8. fol. 110.

Beatissime Sanctissimeque in Christo Pater ac Domine Domine Clementissime.

« Post oscula beatissimorum pedum Sanctitatis Vestræ. Supplico eidem pro fratre meo germano Illustri Georgio Radzivil Duce in Olika et Niesviesch, qui a Reverendissimo in Christo Patre Domino Valeriano Episcopo Vilnensi in successorem Episcopatus Vilnensis assumptus, ob immaturam ad Episcopatum ætatem nondum videtur ad hoc munus habilis, ut S. V. id ex plenitudine potestatis suæ supplere dignetur, quod ætati deesse dicitur; idque propter Episcopatus juvandas rationes, quæ nisi his perturbatis temporibus defensæ a nobis fuerint, verendum est, ne magnum admodum detrimentum ab eo milite capiant, qui exercitui Moschovitico erit opponendus, induciis exspiratis, tum quod primum ac præcipuum est, ne colluvies hæresium latius serpat, quæ per dictum coadjutorem pro sui muneris functione nostro cum adjumento facile ibi eradicari poterit. Sunt multa alia commoda, quibus Eccclesiam et ipsum Episcopatum augere ac ornare volumus, quæ me moverunt, ut ad suscipiendam hanc coadjutoriam fratri meo auctor fuerim, ea ex amicorum literis Sanctitatem Vestram cognoscere malo, ne longo scripto Sanctitatem Vestram onerem, cui mea devota humillimaque servitia perquam demississime commendo et eam diu feliciterque valere exopto. Datum Cracoviæ die XV. Mensis Julii Anno MDLXXIII.

Beatissimæ Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus et humill. servitor

NICOLAUS CHRISTOPHORUS RADZIVIL DUX IN OLIKA ET NIESVIESCH MARSCHALCUS CURIÆ MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ. m. pp.

Haud absimiles, ampliores in laudandis egregiis Postulati virtutibus, sunt litteræ, quas Præses Curiæ Regni Poloniæ Pontifici eodem in negotio dedit. (*)

(*) Polonia Vol. 8. fol. 151.

Sanctissime in Christo Pater et Domine Domine Clementissime, exosculor beatos pedes Sanctitatis Vestræ.

« Quæ sit in Magno Ducatu Litwaniæ dignitas et auctoritas familiæ Radiwilorum, Ducum de Olika et Nieswiesz, id haud dubie Sanctitati Vestræ notum est, nec id obscurum esse arbitror, quanta cura ii religionem Christianam a patre olim ipsorum depravatam restaurare et ad pristinum nitorem reducere nitantur, ita ut vere de illis dici potest, spinam peperisse nobis rosas: quorum nunc unus, Georgius videlicet Radziwil, religionis amore statum Ecclesiasticum complexus, a Serño Rege nostro Coadjutor Episcopatus Vilnensis nominatus, et ab ipso Episcopo assumptus est, vigesimum ætatis annum agens, cujus positum omnes Catholici, etsi propter multas, tamen eam potissimum ob causam maxime laudamus, quod ipsius potentia Hæreticos ex illo Episcopatu Magni Ducatus Litwaniæ primario, ejectos iri, certo nobis persuadeamus, tum Collegium Jesuitarum, magno sumptu moderni Episcopi Vilnæ erectum, ex quo magna utilitas ad Ecclesiam redundat, non solum conservari, sed etiam omni occasione ornari et augeri posse sciamus, cujus rei initium facturus est Illustris Dominus Nicolaus Christophorus Radziwil Magni Ducatus Litwaniæ Curiæ Marschalcus, qui huic Collegio sustentando centum et octaginta mansos agri largiturum et inscripturum se obligavit, quam primum frater ipsius Georgius Radziwil, nominatus Coadjutor Vilnensis, a Sanctitate Vestra confirmatus fuerit. Sunt multæ aliæ causæ, quæ et Reverendissimum Dominum Episcopum Vilnensem, et Venerabile Capitulum moverunt, ut hunc Coadjutorem sibi dari petierint, quas Sanctitati Vestræ alii sine dubio prolixe exponent. Ego ex zelo religionis Catholicæ non possum non vehementer Sanctitatem Vestram rogare, ut propter multa commoda, imo propter etiam multa evitanda incommoda Ecclesiæ is Coadjutor a Sanctitate Vestra confirmetur; ipso enim temporis progressu Sanctitas Vestra comperietur, ae homini bono, digno et pio munus hoc delegasse. Videtur etenim talis, quem in ipsa juventute clarus desiderare debeat. Didicit litteras egregie, et discere cupit, qua de causa Italiam adire et Romæ religionem perfectius addiscere in animum induxit. Non dubito, quin Sanctitas Vestra hoc pacto Ecclesiæ Vilnensi consulere, et votis multorum bonorum assentiri, atque hunc egregium juvenem, coadjutorem confirmare dignabitur: factura in hoc rem Ecclesiæ utilissimam, et multis Catholicis gratissimam. His Sanctitatem Vestram diu fœliciterque valere exopto. Datæ in Radom die 26. mensis Julii Anno Domini 1574.

« Post scripta licet et illud simul addam, ut quemadmodum Reverendissimus vir Dominus

Vicentius Laureus Episcopus Montis Regalis, et Nuncius in Regno hoc, Sanctitatis Vestræ et litteras mihi jucundissimas atque summa a me veneratione exosculatas reddidit, et multa ultro citroque referebat, quæ necessitas horum temporum in promovenda tum restituenda apud nos fide Catholica exigere videatur. Ita me quoque et sibi ipse benevolum et Sanctitati Vestræ ut decet obedientissimum subjectissimumque expertus est. Quod et imposterum pro virili semper me facturum Deo Maximo adjuvante promitto, et Sanctitati Vestræ iterum atque iterum beatos pedes exosculor.

Sanctitatis Vestræ

Humilis servitor ac devotissimus filius
ANDREAS DE SBOROW MARSCHALCUS
CURIÆ POLONIÆ. m. pp.

LX. — Rex quoque hocce negotium Gregorio denuo commendat, qui, precibus et tantorum virorum et Episcopi Vilnensis permotus, rationibus religionis in his regionibus mature perpensis, postulatum coadjutorem confirmat, idque sequentibus litteris regi nuntiat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. III epistol. 114. f. 271.

Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo et Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem, et Apostolicam benedictionem. Multa Nos hactenus retardarunt non solum a gratificando Majestati Tuæ de confirmando Georgio Radivilio a Venerabili fratre Episcopo Vilnensi Coadjutore electo, sed etiam a respondendo iis litteris, quibus eum summopere Nobis commendabas: neque enim volebamus Tuæ Majestati negare, ut eum satisfacere cuperemus, videbamus rem esse magis difficultatibus implicatam: obstabat enim Georgii ætas, parentis hæresiarchæ perfidia, et animus non solum usque ad mortem in ea impietate retinenda obstinatissimus; sed de ea etiam post mortem domi sui in Sathanæ synagoga ibi constituta alenda atque amplificanda solicitus. Hæc igitur Nos hactenus suspensos, atque implicatos habuerunt. Nunc autem ad eam spem, quam concepimus ex tua gravissima confirmatione de Georgii pietate, vitæ ac morum integritate, doctrina et natura ad optima quæque propensa accedit ratio quædam a Nobis excogitata, qua sine ulla reprehensione, et periculo poterimus tuæ postulationi, nostroque tibi gratificandi, Georgiumque ornandi desiderio satisfacere; quod quidem desiderium non necesse habemus verbis confirmare, re enim ipsa propediem declarabimus. Cæteris etiam in rebus omnibus, quantum quidem præstare poterimus, Nos paratissimos invenies ad ea omnia, quæ Tuæ Majestati cordi esse intelligemus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pontifex idem renunciat Episcopo Vilnensi, addita hortatione, ut curet, ut confirmatus talis evaderet, qualem se evasurum spem fecerit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 145. f. 270.

Venerabili Fratri Valeriano Episcopo Vilnensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quod Fraternitas Tua summopere a Nobis postulavit de dilecto filio Georgio Radivilio tibi adjutore, et ubi Deo placuerit in Episcopatu isto successore constituendo, libenter fecimus. Movit Nos tuum de illo testimonium, et cura optimo pastore digna non solum prospiciendi isti Ecclesiæ tuo dum vivis labore, sed eum etiam successorem relinquendi, quem judicas esse maxime idoneum ad pascendum gregem Christi, impiorumque hæreticorum conatus frenandos et frangendos. Permultum etiam apud Nos valuit spectatissima virtus et pietas dilecti filii Nicolai Olicæ Ducis, cui Nos ut omnia debere existimamus, sic quæcumque Nobis facultas datur nostræ paternæ erga eum charitatis significandæ, eam libentissime amplectimur, cui quidem pietati et Christi gloriæ zelo Georgium fratrem, ut confirmas, responsurum speramus. Ora igitur Nobiscum Deum, ut clarissimos istos fratres omnibus in rebus dignetur comitari sua gratia, inque omni bono opere confirmare. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, omnemque ei fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Decem. MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXI. — Res Galliæ mox in luctum vertebantur ex obitu regis Caroli, qui pridie Kal. Junias contigit. Eximio ejus animus gaudio affectus fuerat, quod Pontifex Paulum Foxium, designatum Archiepiscopum Tholosanum, (quem impense diligebat, et Romam ad urgendam suam confirmationem sub initio hujus anni miserat,) humanissime excepisset. [*] Paucos dies ante ejus obitum Legato suo apud Pontificem mandata dederat, ut eum eo de subsilio quodam gratuito a Clero Gallicano præstando ageret. [*]

[*] Mentiae documentor. N. 83.

[*] Ibidem N. 84.

LXII. — Regina mater obitum filii sui regis Pontifici extemplo nuntiavit, qui eam humanissimis litteris consolatur, ad eamque Fabium Myrtum, Archiepiscopum Nazarenum, Nuntium suum Apostolicum extra ordinem mittit, qui officio hocce et doloris et caritatis plenius nomine suo fungeretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 33. f. 182.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Catherinæ Francorum Reginæ Christianissimæ Viduæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissima in Christo filia nostra salutem et Apostolicam benedictionem. Tristissimus nuntius obitus Caroli Regis eum Nobis dolorem attulit, quem par erat parenti afferre interitum filii in Christo charissimi vereque propter insi-

gnem pietatem Christianissimi: hoc enim cognomine dignus erat, non jure tantum hæreditario, sed propria etiam ipsius virtute et merito. Non igitur potuimus non gravissime dolere ejus Regis interitum, cujus vitam videbamus esse refertam innocentia et virtutibus Deo gratis maximeque Regno isti salutaribus, neque dolor noster quidquam cedit dolori tuo. In pari igitur dolore æquum est pari ad Nos ipsos consolandos ratione uti; neque Nos in rebus adversis a Deo derelictos putare, sed tum maxime osculari paternam manum, quæ sic cedit, ut leniat, sic affligit, ut sublevet, sic sauciat, ut sanet. Quod igitur nostra causa doleamus, nihil magnopere est, ac ne ipsius quidem Caroli causa: illum ex humanis miseriis, quæ in altissimo quoque dignitatis gradu ingentes, innumeræque sunt, evocavit Deus ad vitam illam sempiternam atque omni beatitudine affluentissimam. Hæc Majestatem Tuam et antea tristissimis in rebus cogitasse, atque ad consolandum adhibuisse, et in hac quoque adhibere non dubitamus. Gravissima antea videras, forti animo tuleras, sapienter provideras: fac ut in hoc quoque casu acerbissimo tui similis sis, atque universi istius Regni salutem sitam esse in tua prudentia cogites. Nos auctoritate, consilio, opera atque omnibus viribus, quantum quidem a Domino accepimus, nunquam Tuæ Majestati deerimus. Mittimus venerabilem fratrem Fabium Myrtum Archiepiscopum Nazarenum, ex eo plura cognosces. Rogamus, ut eis verbis eandem, quamnostris, fidem tribuas. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XII. Junii 1574. Pontificatus Nostri anno tertio.

Similes litteræ datæ fuere ad reliquos quoque Regiæ stirpis viros. [*] En quas scripsit Henrico Regis demortui fratri. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 36-49

[*] Ibidem Ann. III. epist. 13. f. 181.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Nihilo minorem Nobis, quam Majestati Tuæ attulit dolorem obitus Caroli Regis Christianissimi: ille enim tibi frater erat consanguinitate, Nobis charitate filius: eo autem tempore illum amisimus, cum maxime speraremus, ejus virtutem afflictis Galliæ rebus summam opem laturam, easque in pristinam dignitatem et gloriam restituturam. Sed quoniam visum est Divino consilio, et bonitati, eum ex humanis miseriis, quibus maximi quique Principatus maxime referti sunt, eripere, atque ad sempiternam beatitudinem ejus pietatis et innocentiæ debitam evocare; debemus Nos consolari ipsius Caroli bono, neque ita dolere, ut nostras rationes Divinæ voluntati anteponere videamur. Est etiam nostra quædam propria consolatio, quia Regnum illud legitima successione pervenit ad te talem, ac tantum virum, tanto tum in pace, tum in bello rerum usu, prudentia, virtute, ut nihil metuenda sint consilia et conatus Sathanæ. Postquam igitur ita placuit Deo, de charissimo filio nostro Carolo summopere relevamur, tum virtote et bono, Tuæque Majestati gratulamur; habes enim summam facultatem immortalis laudis et gloriæ adipiscendæ, tuæque optimæ voluntatis explicandæ iis in rebus, quas Deo gratas, Regnoque isti maxime salutares esse intelligis; hanc Divinæ benignitati, quæ Majestatem Tuam ad nobilissimum Regnum evexit, gratiam referendi, ut omnem Dominatum tuum ad Dei ipsius gloriam dirigas, atque is sis, quem te futurum esse pollicetur virtus tua, cujus insignia hactenus documenta dedisti. Nos quidquid valemus consilio, auctoritate, opera, tibi uti filio charissimo atque optimo amplissime deferimus. Accepto tristissimo nuncio obitus Caroli, misimus statim in Galliam, curavimusque ea, quæ ei tempori maxime convenire judicabamus. Cætera cognosces ex venerabili fratre Vincentio Episcopo Montis Regalis Nuncio nostro, si forte hæ litteræ te in Polonia invenerint. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Junii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXIII. — Aliis litteris eidem gratulatur de successione sua in Regno Galliæ, precatur prosperum in Galliam adventum, et mittit ei obviam Cardinalem Sancti Sixti, qui eum Venetiis nomine suo salutet, eique benedictionem Apostolicam ad auspicandum optimum felicissimumque regimen impertiret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 84. f. 207.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus ad Majestatem Tuam nostrum et Sedis Apostolicæ de latere Legatum Philippum Cardinalem Sancti Sixti Nepotem nostrum, ut et te visitet nostris verbis, et eam, quam Tuæ Majestati ex animo a Deo precamur, ascriptam his literis salutem atque Apostolicam benedictionem afferat, gratuleturque tum Majestati Tuæ incolumem adventum, tum Galliæ Regno optimi, prudentissimique ac summa virtute et pietate præditi Regis adventum, hoc est summam ipsius Regni tranquillitatem et incolumitatem: sic enim Nobis pollicentur tua præclara facinora et spectatissima virtus semper navata Regno illi, Christo catholicæque ejus Ecclesiæ durissimis difficillimisque in rebus, quam quidem tum nostram, tum bonorum omnium spem, ut Deus Optimus Maximus exitu ipso confirmet, omni cum animi submissione precamur. Recreat Nos charissime fili, ex eo dolore, quem accepimus obitu Caroli fratris tui, tua spes: eadem quoque recreat non ipsam modo Galliam, sed catholicos omnes, qui-

bus ejus Regni calamitates non minus acerbæ, quam ipsi Regno, quam Majestati Tuæ, quam tuis omnibus acciderunt. Dedimus superioribus diebus alias literas testes nostræ paternæ erga Majestatem Tuam voluntatis, quam quidem ut verbis confirmare possumus, sic incredibiliter cupimus, quibuscunque rebus poterimus, confirmare. Cætera ex ipso Legato nostro cognosces, cujus verbis eandem uti fidem tribuas, quam Nobis ipsis tribueres, rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die v. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXIV. — Cardinales Lotharingus, Borbonius et Estensis Pontificem, datis ad eum Lutetiæ VII. Kal. Jul. litteris, adeunt, ut subsidium Cleri Gallicani, quod jam defunctus rex expetierat, ad subveniendum Regni necessitatibus benigne concedere velit. [*]

[*] Gallia Vol. 8. fol. 437.

Post humillima beatorum pedum oscula.

« Beatissime Pater. Jam tum superstite adhuc fœlicissimæ recordationis Carolo IX. Rege Christianissimo ea erat rerum hujus Regni miseranda facies, pecuniæque ad gravissima in dies ejus onera sustinenda exiguitas atque penuria, ut etiam de petenda, vel potius exigenda ab Ecclesiasticis pecuniaria subventione, vel pinguioribus quibusque Ecclesiæ prædiis distrahendis, meditari, licet invitus, Rex ipse cogeretur. Nec vero ignorare potest Sanctitas Vestra, quam non meliore, imo deteriore loco, erepto, non sine incredibili bonorum omnium desiderio, tam pio Principe, constiterint res nostræ, quamque sævius, propiusque imprimis a catholici nominis hostibus toti Galliæ periculum immineat. Quod profecto a capitibus nostris vix tantisper arcere, aut avertere potuissemus, nisi Christianissimæ Serenissimæque Reginæ matris illius generosa atque singularis authoritas et prudentia nutantem hunc statum retinere, resque afflictissimas ac prope desperatas in meliorem spem erigere sustinuisset. Cui cum tantorum onerum pondus omnino, dum Regis nostri desideratissimi adventum suspirantes expectamus, innitatur: dici non potest, quanta animi fortitudine, magnoque consilio omnia moderari ac regere instituerit. Atque ut unde vehementior morbus urgere cernitur, ibi præsentius remedium adhibeatur, quando exhaustum diuturnis, iisque civilibus bellis ærarium, populusque undequaque vexatus, nihil penitus ad ea negotia, quæ nunc multiplicia præsentissimaque occurrunt, subministrare potest; hac primum sibi agendum existimavit, ut vocatis primis quibusque Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus, aliisque dignioribus ministris, ad eos de periculi gravitate, deque auxilii deficientibus militum stipendiis, difficultate referret; ab iisque non modo consilium, sed etiam præsidium quod res exigit peteret. Quod cum nobis neque denegandi locus, neque, postquam concedendum est, modus, absque maximo patrimonii ecclesiastici, jam toties distracti ac dissipati, detrimento satis reperiretur; emersit tandem omnium votis unica ratio, qua minori quam fieri potest Ecclesiæ incommodo, Regni necessitatibus per nos aliquatenus succurri posse videatur. Quam ad Illustrissimum Cardinalem Pellevæum abunde perscriptam perferendam eo consilio curavimus, ut totam Sanctitati Vestræ, si benigne patietur, dilucidius, ampliusque aperiat; ab eaque pro sua erga afflictissimum hoc regnum propensissima pietate, nobisque perspectissima sollicitudine, et consilium, et auctoritatis suæ (si quod minus evitare possumus, nobis minore jactura subeundum esse deprehendet) benignum ac liberale subsidium eliciat ac supplex impetret. Quod quando ab eadem constanter speramus, magisque negotii hujus series Illustrissimi Cardinalis Pellevæi industria Sanctitati Vestræ innotescet, non committemus, ut longiore narratione, aut obsecratione, quicquam aut ejus fidei, aut nostræ de Sanctitatis Vestræ benevolentia confidentiæ, detraxisse videamur. Quam hoc tantum postremo rogamus, ut afflictissimi, perturbatissimique hujus Regni res omnes in præcipua, singularique commendatione sibi perpetuo habendas censeat. Nos interim a Deo Optimo Maximo eidem quam diutissime vivere, Ecclesiamque catholicam in summa pace, ac tranquillitate pristino splendori restitutam quamprimum cernere, precamur.

Lutetia xxv. Junii MDLXXIII.

Ejusdem Vestræ Sanctitatis

Humillimi servitores

C. Cardinalis de Lotaringia, Carolus Cardinalis de Bourbon, Aloysius Cardinalis Estensis.

Ad urgendam hanc concessionem regina mater, quæ, absente rege, usque ad hujus adventum clavum regni tenebat, Legatum ad Pontificem miserat. [*]

[*] Hastinsa document. N. 86.

LXV. — Iisdem precibus in eodem negotio apud Pontificem favebat item totus Clerus Gallicanus, qui eam ob causam in comitia generalia Lutetiam Parisiorum convenerat. Qua mente, quibus conditionibus, et qua demum erga S. Sedem reverentia id præstiterit, compertum est in supplici libello, quem Syndicus nomine congregati totius Cleri Gregorio obtulit. [*]

[*] Gallia Vol. 8. fol. 491.

« Sanctissimo Domino Nostro Papæ Syndicus Generalis Ecclesiæ Gallicanæ, post humillima sanctorum pedum oscula, eorum rationem reddit, quæ consequerentur, si dimidia annui fructus beneficiorum pars Christianissimo Regi penderetur secundum tenorem Bullæ, quam Sanctitas Vestra per Reverendissimum Archiepiscopum Nazarenum mittendam censuit.

« In primis Sanctitati Vestræ dubium nunquam fuit, quam liberali et propenso fuerit Ecclesia Gallicana in Regem Christianissimum ani-

mo, ut hactenus ab Henrici Secundi obitu, quibus potuerit modis, pro religionis et regni conservatione regium statum magnis sumptibus juverit, scilicet decimis, admissis tam ordinariis quam extraordinariis donis gratuitis, redditoum constitutionibus, impignerationibus, denariorum Ecclesiæ venditionibus, alienationibus temporarii redditus, ære ad interesse accepto, et aliis omnibus modis, quibus et Ecclesiæ et Regni status conservaretur. Ex quo facile colligi potest, in quantas angustias et paupertatem a paucis hinc annis Ecclesia devenerit, ut ex consequentibus etiam rationibus facillime colligetur.

« Ab eo tempore bella plusquam civilia per Galliam grassata sunt, tum maxime contra Ecclesiasticos: nam præter neces multorum, quam plures suis bonis spoliati sunt, templa diruta et solo æquata, tam ab Ecclesiæ hostibus quam ab ordinariis militibus, qui multis in locis collocati sunt ad reliqua conservanda, quæ ab incendio evaserant. Quin etiam præter sortem generalis contributionis ab Ecclesiasticis exactæ ad stipendia persolvenda militibus et provinciarum Gubernatoribus, magnis etiam sumptibus et jacturis turmas militum euntes et redeuntes admiserunt, qui nullo disciplinæ militaris respectu habito, non tantum suis stipendiis non fuerunt contenti, sed omnia diripuerunt et prædati sunt; adeo ut nihil aut parum ex utensilibus necessariis illis superfuerit.

« Sed et nunc ad minus tertia pars beneficiorum hujus Regni ab hæreticis detinetur, qui fructus percipiunt, receptores constituunt, dissipant, et omnia demoliuntur, ut vix aliquid Ecclesiasticis ad victum supersit; sed nec sua loca Catholicis habitare tutum est: ex quo efficitur, ut nec divinum officium exerceatur, nec Sacramenta administrentur.

« Quod vero reliquum est eorum beneficiorum, quæ ab hæreticis nunc occupantur, multis premitur modis: nam continuis bellorum et militum incursionibus fugati agricolæ, terras hominibus et gregibus desertas reliquerunt, atque cessante agricultura cessat et decimarum persolutio. Illi autem, qui pauci relinquuntur, aut a militibus oppressi non possunt, aut a potentioribus prohibiti et impediti persolvere nolunt; qui tamen omnes et singuli pro omnibus astringuntur, et obligantur ad conferendam ceu Regi ceu publicæ urbis Parisiensis domui, pro constituto apud eam a Rege redditus, summam unius millionis et septingentarum millium librarum, quæ summa reducitur circiter ad octingenta millia ducatorum aureorum, præter alia onera Gubernatorum et mutua aliasque contributiones, quas fieri convenit ad munitionem urbium ultra alia subsidia.

« Ecclesiastici etiam præter id, quod singulis annis persolvere coguntur, suis non fruuntur beneficiis propter continuas militum tam Catholicorum quam hæreticorum incursiones et oppressiones, quin etiam propter tantam, quæ ab hinc tribus aut quatuor annis in Gallia extitit, sterilitatem receptoribus et vilicis facienda fuit diminutio ad tertiam aut mediam partem fructuum, ad quam semper Ecclesiastici a judicibus fuerunt condemnati, quando inter eos et receptores non intercesserat compositio.

« Quodque illa sterilitas et continus bellorum calamitas, necnon et quarundam provinciarum ab hæreticis occupatio tot pauperes invexit, ut illi sese in provincias minus oppressas contulerint, quos etiam Ecclesiastici alere cogebantur, taxis sæpius extra ordinem impositis a judicibus sæcularibus, quæ aliquando redditus ipsos longe excederent.

« Quod beneficia præcipue curata pauca in Galliis existant, quæ etiam pacifica parocho suo nutriendo sufficiant, nisi aliunde suppetiæ darentur; adeo ut et militum incursionibus et variis subsidiis quibus adstringuntur, ipsa etiam annonæ caritate parochi magna ex parte suos relinquere cogantur.

« Etsi vero tam parvi sunt redditus, ut vix centum librarum summam superent illa etiam, quæ opima habentur beneficia; fere enim media beneficiorum curatorum pars in Gallia vix excedit sexaginta libras in redditu annuo; tamen tot sunt curata beneficia in Francia, ut excedent medietatem fructus totius Ecclesiæ Gallicanæ.

« Supersunt igitur alia ditiora et pinguiora beneficia, videlicet Archiepiscopatus, Episcopatus, Capitula, Abbatiæ, Prioratus et communitates, quæ præter sortem suæ taxæ adigerentur ad persolutionem eorum, quæ commode tum ex curatis beneficiis, tum ex iis, quæ ab hæreticis detinentur, colligi non possent. Ita fieret ut omnia et ditiora et tenuiora beneficia facile subverterentur, et quæ libera sunt ab hereticis, et quæ ab his opprimuntur.

« Unde totius Ecclesiæ Gallicanæ ruina brevi consequetur, cum sublato redditu et denegata ministris alimonia, nemo divinis officiis et sacramentorum administrationi vacabit; sed aliis modis sibi quisque victum quæritabit; inde tandem facilis futurus sit lupis in desertas oves aditus.

« Nunc enim in tam parvum numerum sacerdotes rediguntur, ut nec Missis celebrandis et divino ministerio sufficiant, qui multis in locis duas aut tres Missas celebrare in die coguntur, paucis nimirum sese ad ordines sacros suscipiendos offerentibus; in posterum etiam pauciores sunt futuri, nisi eorum subsidio provideatur, a quibus tantum abest, ut aliquid possit exigi; quin potius necessario illis erit succurrendum, alioqui non potest expectari nisi magna Ecclesiæ calamitas.

« Jam denique a quinquaginta et amplius annis subtiles nonnulli exploratores, minus bene in Ecclesiam affecti, in hoc toti incubuerunt, sic-

unde rescire possent, quis et quantus sit ecclesiarum proventus, quorum conatibus nostri sese semper opposuerunt, quod hinc magnam consequi jacturam prospicerent, allecto principe ad imponendam pro arbitrio nunc unius partis taxam, et eamdem continuandam. In regno enim Galliæ consequentiæ sunt periculosæ, quod tam certo timendum est, quam certo experiuntur Ecclesiastici se ad pendendas quotannis decimas adigi, licet illæ ad tempus solum concessæ fuerint.

« Nam licet in Italia et Hispania media pars reddituum urgentibus negotiis quandoque impendatur, tamen pro certo habent, quod nec plus nec præter indictum tempus adstringantur, et quod interjecto quorundam annorum intervallo, ab hac persolutione eximuntur. Atqui si quid semel in Francia imponitor, in perpetuum jus transigitur.

« Denique si locum habuerit Bullæ Sanctissimi Domini Nostri decretum, præter generalem totius Cleri jacturam nec majus nec promptius emolumentum Regi dabitur; nam ante omnia persolvenda erit summa unius millionis et septingentarum millium librarum domui urbis Parisiensis pro constituto a Rege redditu, cum tamen Ecclesiæ nostræ hoc anno supersint ad summam trecentarum millium librarum persolvendam, præter incursiones militum, quæ villicis et receptoribus diminuendæ veniunt. Quod si ad medietatem reddituum colligendam Regii Commissarii committantur, præter magnas sumptus in talibus commissionibus fieri solitas, etiam vili pretio fructus vendentur, ita ut nulla aut pauca nutriendis Ecclesiasticis sint superfutura, nec promptiora Regi aderunt adjumenta.

« Itaque ut Sanctissimi Domini Nostri desiderio et urgenti tum Regni tum Regis necessitati satisfacerent Reverendissimi Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, Abbates, Priores et Communitates, quorum subsignationes in manibus Syndici existunt, censuerunt Regem Christianissimum et Reginam matrem gratam habituros contributionem duorum millionum librarum, quæ faciunt summam octingentorum millium ducatorum, quæ summa hoc anno persolvi debeat, tamen sub beneplacito Sanctitatis Vestræ et secundum infrascripta media Sanctitatis Vestræ proposita et nec alias nec alio modo.

« Nimirum ut summa illa duorum milliorum universo Clero generaliter imponatur exceptis tantum beneficiis Curatis.

« E duobus autem millionibus quingenta millia librarum prompte ante mensem Octobrem persolvantur, quota omnibus ad quas spectaverit significata.

« Ecclesia autem Gallicana supplicat Sanctissimum Dom. Nostrum nomine afflictarum diœcesium, ut mutuo dari faciat quingenta millia librarum, quæ ad sequentem alium terminum in natali Domini persolventur, accepta a dictis diœcesibus obligatione pro solutione prædictæ summæ infra tempus a Sanctitate Sua præscriptum; statim atque ab armis cessatum fuerit, et illi suis redditibus gaudere potuerint: quod si contingat, ut libere suis non fruantur beneficiis, placeat Sanctitati Suæ summam illam persolvendam concedere, adhibito medio, de quo ad Sanctitatem Suam recurretur, unde Clerus Ecclesiæ Gallicanæ alterum millionem cum quingentis mille libris in tribus terminis persolvere possit.

« Itaque supplex a Sanctitate Vestra Clerus Gallicanus postulat, ut pro persolvendo illo millione et quingentis mille libris, quarum persolutis tribus terminis fieri convenit, dignetur Ecclesiasticis hanc concedere facultatem, qua illis liceat quædam donaria Ecclesiæ vendere, terras impignorare cum facultate redemptionis perpetuæ et præscripto tempore, ad quod successores obligentur. Aut saltem venditio concedatur eorum, quæ minorem jacturam adferant, ut domorum urbanarum, molendinorum et eorum censuum, quibus jus nullum jurisdictionis sit conjunctum, et locationum per emphiteusim.

« Et ne qua hic fraus committatur, eos Sanctitas Vestra Commissarios designabit, quos viderit expedire.

« Atque ut pensiones beneficiis impositæ redimi possint reddito quatuor annorum, quæ summa impendatur ad persolutionem prædicti millionis et quingentarum mille librarum: pensio vero quæcumque inducta fuerit, quoad vixerit pensionarius a toto clero persolvatur et morte rescindatur.

« Deniqoe possint Ecclesiastici et comunitates venales ecclesiarum redditus redimere et suis Ecclesiis unire uno ex vigesimo dato, quibus et concedatur e suis quædam vendere, quæ minus detrimenti adferre videbuntur, quibus venditis et alia redimere possint, quæ jacturam venditionis resarciant, si quo pactu id commode fieri valeat.

Datum Parisiis in publico et generali Reverendissimorum Cardinalium et Præsulum regni consessu apud Regiam Luparæ decimo octavo die mensis Julii anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Subsignati Illm̃i Cardinales:

C. Cardinalis de Lotaringia. – C. Card. de Borbonio. – A. Card. Estensis.

Episcopi:

J. Episcopus Aurelianensis Senior. – Petrus E. Parisiensis. – Lud. E. Meldensis. – Bernardinus E. de Bayeulx. – Ja. E. Antissiodorensis. – Sebastianus E. Lemovicensis. – Simon Ar. Narbonensis. – Ant. Le Cirier E. Dauranensis. – Pelleve E. Apamensis. – Gul. E. Andegavensis.

G. de Dyon Inquestarum præses. – Flo-

arntinus Regnar Senator et Inquest. Præses Parlamenti Paris. Deputatus Cleri. – Ant. de Savenses Senator Parlamenti Parisiensis Deputatus Cleri. – Dreux Abbas Hamensis Syndicus.

LXVI. — Regina mater, ut et ipse Henricus, qui tunc temporis e Polonia redux Mantuæ commorabatur, negotium hocce Pontifici valde commendarunt. Assentitur etiam sequentibus litteris ipsa Congregatio totius Cleri Gallicani. [*]

[*] Gallia Vol. 8. fol. 311.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Divina Providentia Papæ XIII.

Post humillima beatorum pedum oscula.

Beatissime Pater.

« Ea extitit S. V. erga nos paterna benevolentiæ atque solicitudinis suæ significatio in Bulla, quam Riño D. Fabio Archiepiscopo Nazareno ad nos dedit, ut si nostram, quæ semper ingens fuit, de Sanctitatis Vestræ pietate expectationem non superavit, nos tamen gratiis habendis, ne quidem referendis, omnino impares effecerit. Quemadmodum enim nusquam alias rebus Ecclesiæ magis afflictis a S. Sedis Apostolicæ auctoritate præsentem opem petere coactos nos fuisse meminimus; sic propensionem in nos alterius Pontificis animum nequaquam nactos esse ingenue fatemur. Itaque cum Bullam Sanctitatis Vestræ eo quo semper debemus humilitatis ac observantiæ studio et legimus et amplexi sumus; tum ne unguem quidem ab ejus testificata voluntate nobis discedendum recepimus, hoc etiam magis nomine, quod, ut eam nobis benigne aperire, sic rerum nostrarum afflictissimarum statum amplius cognoscere, ac potiores (si forte nobis, quos præsens periculum nullum non lapidem movere coegit) consulendi atque auxiliandi rationes suppetant, audire ac perpendere non dedignatur. Qua in re et eminet singularis illa (cui potissimum innitimur) Sanctitatis Vestræ pietas, et in spem maximam adducimur, posteaquam et ex generali nostro apud regem sindico, qui a nobis ad S. V. beatissimos pedes deosculandos proficiscitur; et ex his quæ ad Illustrissimum Cardinalem Pellevæum in scriptis mittenda, ac per eum S. V. humillime explicanda curavimus, ut res sese habent, et quod sentimus, intellexerit: nobis neque consilio, neque ope, neque ullo auctoritatis suæ præsidio in arcendis depellendisque calamitatibus et miseriis Sanctitatem Vestram defuturam. Augescit vero atque confirmatur ea spes, quod in eo negotio Sanctitas Vestra promptissimam conjunctissimamque habitura est prudentissimæ reginæ regis nostri matris voluntatem ac devotissima obsequia: cujus enim insigne atque eximium pietatis studium in conservanda ac retinenda post regis nostri desideratissimi obitum, reipublicæ incolumitate enituit; tum nihil magis atque ecclesiæ dignitatem, onerumque ejus gravissimorum sublevandorum curam se corde gerere in dies comprobat et testificatur. Effecit enim singulari ac prope divino auxilio, ut rerum nostrarum miserabilis status ac sordida facies hilarior hactenus jucundiorque sese nobis offerat, ac proxime squallidum hunc habitum deponere velle videatur, nisi adhuc pecuniæ inopia vix resarciendis vetustate ac squallore confectis vestibus satis habeat. Accedit incredibilis ac omnium animis penitus infixa de regis nostri plurimum perspecta pietate ac fortitudine expectatio, non opinione, sed rerum præclarissime gestarum memoria confirmata; quæ ut non publicæ necessitatis ratio atque Ecclesiæ potissimum gravissima pericula urgeant, sola tamen nos non bona tantum omnia, quæ ad vitæ hujus sustentationem hactenus suppetunt, profundere, sed animam quoque ipsam illius obsequii atque auxilii nomine perdere lubentissimos cogeret ac persuaderet. Itaque si quid in his, quæ Sanctitati Vestræ totius hujusce ecclesiasticæ familiæ ore explicanda, præfato Riño D. Archiepiscopo Nazareno Nuncio suo dignissimo, Illiño D. Card. Pellevæo, prædictoque procuratore nostro aulico commisimus, priori suæ voluntati minus fortasse consentaneum repererit; tantum obsecramus, ne hoc aut minimæ erga S. V. observantiæ, aut regni regisque pientissimi difficultatibus subveniendi parum accuratæ voluntati, aut tenaciori peculiaris commodi cupiditati tribuendum existimet; sed ita judicet, nos ea a Sanctitate V. tantum humillime petere, quæ omnium nostrorum votis atque ex singulorum conscientia coram Deo sola unicaque remedia tot urgentibus periculis adhibenda esse videantur. Quæ ut ab eisdem ea, qua solet humanitate audire ac perspicere Sanctitas V. non gravetur, summis iisque humillimis precibus obsecramus, quas si non audierit tantum, sed etiam exaudierit; hoc unum pollicemur, ut nos gregis sui non minima aut contemnenda pars simus, nullis unquam totius orbis christiani ecclesiis in præstandis deferendisque Sanctitati V. perpetuis ac debitis obsequiis futuros inferiores. Quam ut Deus Opt. Max. nobis (ut est) propensissimam semper et toti Ecclesiæ suæ quam diutissime conservet incolumem, assiduis votis petimus et rogamus.

Parisiis in generali Episcoporum et cleri congregatione die xxv. Julii mdlxxiii.

Osculamur pedes Sanctitatis Vestræ

Ejusdem Vestræ Sanctitatis

Humillimi servitores

C. Cardinalis de Lotaringia – Carolus Card. de Bourbon. – Aloysius Card. Estensis.

Anthonius Archiep. Bituricensis. – Svigor Archiep. Narbonnensis – J. Ep. Aurelianensis senior – Emericus E. Cystancyrensis. – Petrus Ep. Arausio-

NENSIS. – SEBASTIANUS EP. LEMOVICENSIS. – LUDOVICUS EP. MELDENSIS. – PETRUS EP. VAURENSIS. – ANTONIUS EP. ABRINCENSIS. – PETRUS EP. PARISIENSIS. ANTONIUS EP. CLAROMONTANUS. – HENRICUS EP. DIGNENSIS. – JACOBUS EP. ANTISSIODORENSIS. – GULIELMUS EP. ANDEGAVENSIS. – CAROLUS ECCLESIÆ ANGOLISMENSIS EP. – BERNARDUS EP. BAJOCENSIS.

FLORENTINUS REGNAR SENATOR ET INQUESTARUM PARLAMENTI PARISIENSIS PRÆSES. G. DE DYON INQUESTARUM PRÆSES. – A. DE SAVENSES SENATOR PARLAMENTI PARISIENSIS. – P. MARCIAN SINDICUS CLERI. – PREUX SINDICUS CLERI.

Cardinales Lotharingus, Borbonius et Estensis precibus Cleri peculiaribus insuper litteris ad Pontificem datis suffragabantur. (*)

(*) Gallia Vol. 8. fol. 312.

Post humillima pedum beatorum oscula.

Beatissime Pater.

« Reverendissimus Dominus Fabius Archiepiscopus Nazarenus simul nobis et Sanctitati Vestræ brevia singulis reddidit, ac nos de rebus nostris in maxima difficultate versantibus anxios atque solicitos Sanctitatis Vestræ verbis egregie solatus est. Quos enim vel profundissimis ærumnarum atque calamitatum locis dejectos, aut demersos non erigat Patris vigilantissimi tamque pii pastoris manus non ostensa solum, sed extensa atque ad auxiliandum sublevandumque benignissime porrecta? Equidem vellemus ita sineret mali nostri labes ac patentis periculi acerbitas, ut non tam deplorandis rebus, implorandisque ac concitandis undique auxiliis, quam osculandis Sanctitatis Vestræ beatissimis pedibus, gratiisque pro tam insigni paternæ suæ erga nos pietatis significatione habendis incumbere cogeremur; nullum profecto tempus, sed ne momentum quidem temporis ab istius humanitatis ac tantæ solicitudinis commendatione nobis vacuum præteriret. At vero, ut res sunt, maximum certe apud nos pondus habuit, quod et nos bono ac forti animo esse, et Reginæ Regis matri gubernacula Reipublicæ Gallicanæ, recenti Regis interitu, hostium multitudine ac pervicacia, rerumque omnium inopia perturbatissimæ tenenti atque sustinenti, continuo adesse jubet. Etsi enim tam magno consilio omnia moderari incœperat, ut ad pacis tranquillitatisque publicæ (præterquam quod ab aliquo fieri posse credebatur) constituendæ nihil ferme deesse videretur; nusquam tamen ab ejusdem Sanctitatis Vestræ imperio, aut ab ejusdem serenissimæ Reginæ consilio (ad quod etiam nos statim ab initio accersendos curaverat) nobis discedendum judicavimus; neque committemus, ut huic a Sanctitate Vestra nobis injuncto officio aut opes nostræ, aut vita denique ipsa, si ea publicæ utilitati aut Sanctitatis Vestræ obsequiis usui esse videbitur, desiderari possit. De ejusdem autem serenissimæ Reginæ singulari studio ac pietate, id Sanctitati Vestræ audemus affirmare, ita eam rebus omnibus, quæ præsenti auxilio egere videntur, intentam esse, ut quoniam ab ecclesiasticis opibus id unum hactenus pendere cernitur, ne tamen eæ penitus exhauriantur, aut Ecclesia damnum aliquod insigne patiatur, apprime cogitandam sibi proposuerit. Cui sanctissimo consilio quando Sanctitatis Vestræ coram, ac de eadem Ecclesia solicitudinem maxime accedere confidit, dum ad exequias defuncti Regis solemni ritu persolvendas, multos, ut moris est, eosque præcipuos regni præsules convenisse videt, antequam digrediantur, eos de mandatis in Bulla Sanctitatis Vestræ novissime recepta exsequendis agere præcipit. Quod cum sedulo enitimur, plurima occurrunt, omnium qui hic adsunt, quique patentis periculi ac necessitatis magnitudine urgentur, tam non contemnenda judicio, ut ea omnino Sanctitati Vestræ explicanda esse, atque ut ad ea paternæ pietatis suæ animum advertere dignetur, vehementer rogandum esse existimaverimus. Cujus rei provinciam præfatus R̃mus D. Archiepiscopus Nazarenus sibi imponi libenter pro animi sui candore ac benignitate passus est. Reliqua vero ad Ill̃mum D. Cardinalem Pellevæum in scriptis dedimus; et syndicum, qui totius Ecclesiæ Gallicanæ nomine apud Regem perpetuo agit, ad Sanctitatis Vestræ pedes humillime deosculandos, remque totam, si opus erit, coram discutiendam mittimus. Quos ut Sanctitas Vestra de rebus nostris apud eam agentes (si non omnino Gallici hujus ovilis vocem repellendam judicabit) benigne patienterque audiat, resque nostras, quando miserabiles esse malorum ac periculorum assiduitate deprehendet, miseratione sua paternoque auxilio prosequatur, humillime rogamus ac petimus. Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram nobis atque Ecclesiæ suæ quam diutissime servet incolumem. Parisiis XXV. Julii MDLXXIIII.

Ejusdem Vestræ Sanctitatis

Humillimi servitores

C. CARD. DE LOTARINGIA. – C. CARD. DE BOURBON. – ALOIS. CARD. ESTENSIS.

LXVII. — Gregorius, perpensis regni Galliæ necessitatibus, postulationi Regis libenter annuit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 97. fol. 228.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo et Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex litteris Majestatis Tuæ atque ex sermone dilecti filii Sindici Cleri Galliæ, qui eas Nobis litteras reddidit, cognovimus tuum et cleri ipsius desiderium de auxilio ex ecclesiæ rebus comperando ad præsentem

necessitatem sublevandam, atque ad bellum hæreticis, Tuæque Majestatis et Christi hostibus ac rebellibus inferendum. Non defuimus nostræ perpetuæ erga Majestatem Tuam tuasque res omnes atque universum istud Regnom charitati, remque ita expedivimus, ut melius fieri potuit. Omnia planius cognoscet Majestas Tua ex ipso Sindico, cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die xxx. Augusti 1574. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXVIII. — Henricus VIII. Idus Sept. magno Procerum regni comitatu stipatus unacum Duce Sabaudiæ Lugdunum advenit. Catharina Medicea (ut Salviatus et Archiepiscopus Nazarenus, uterque Nuotius Apostolicus, alter ordinarius alter extra ordinem, qui Regi quoque Lugdunum obviam ierant, scripto prodidere [*]) nihil prætermisit, quominus Regis animum sibi arctius devinceret, eo scilicet consilio, ut summa rerum potiundi latior faciliorque sibi patesceret via. Henricus ubique summa exultatione salutabatur, et statim sub initium regni sui Galliarum populis non pauca benevolentiæ signa dedit. Nihil ei magis cordi erat, quam ut animos subditorum in primis Hugonottorum atque Politicorum sibi firmiori vinculo conjungeret; quapropter publicis edictis IV. Idus Sept. et III. Idus Octob. Lugduni sancitis veniam omoium delictorum publicorum, quæ perturbatissimis paullo ante exactis temporibus perpetrata fuerant, indulsit, dummodo sincero animo ad obedientiam redirent, neque imposterum ab eo, Rege scilicet, deficerent. Majorem utique laudem sibi comparasset, si eadem, qua sibi eorum animos devinceret, cura usus fuisset, ut eosdem Ecclesiæ recuperaret; valde quoque dolendum, vitam ejus privatam divinis præceptis haud ita conformem extitisse. Confidenter utrique Legato Pontificis pollicitus fuerat, operam suam omnem in id collaturum, ut avita fides non solum sarta tecta servaretur, sed et quoad fieri posset latiora in dies omnibus qua Galliarum regnum latepatet locis incrementa sumeret.

[*] Mantiss. document. N. 98

LXIX. — Syodicus Cleri Gallicani Roma interea Lugdunum quoque venerat, litterasque Pontificis IX. Kal. Septembres datas secum tulerat, quibus Gregorius Regi subsidium ita dictum ecclesiasticum concesserat. Cardinales Lotharingus et Borbonius, nec non Salviatus Legatus Pontificis, has litteras exequutioni mandabant, habita prius cum Archiepiscopo Nazareno hoc de negotio deliberatione. En litteras, quas viri isti in eodem negotio ad singulos regni Episcopos perferendas dedere. [*]

[*] Gallia Vol. 8. fol. 706.

«Carolus miseratione divina Sancti Apollinaris de Lotharingia, et Carolus S. Grisogoni titulorum a Borbonio presbyteri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, et Antonius Maria Episcopus S. Papuli Sanctissimi in Christo Patris et Dñi nostri Domini Gregorii divina providentia Papæ decimitertii ad Christianissimum Dominum nostrum Henricum Francorum et Polloniæ Regem Nuntius, Judices et Commissarii ad infrascripta Apostolica auctoritate specialiter deputati et delegati Multo Rev. Fratri nostro Domino Episcopo . . . seu Venerabili viro ejus in spiritualibus et temporalibus Vicario generali salutem in Domino. Cum præfatus S. D. N. Papa dicti Christianissimi D. N. Regis, nobilissimique illius Regni summæ necessitati religionisque in eo catholicæ defensioni succorrere cupiens, id absque Ecclesiarum et beneficiorum Ecclesiasticorum, eorumque possessorum incommodo, detrimento et subsidio propter Regias opes attritas, et ærarium publicum superiorum bellorum injoria penitus exhaustum et exinanitum, fieri minime posse judicaret, ad Christi patrimonium, cujus præcipue causa hic agitur, ecclesiarumque substantiam confugiendum duxit. Cumque Sanctitati Suæ exploratum esset subsidium summæ decies centenum milliom librarum Turonensium ex fructibus Ecclesiarum hujus Regni a nobis ejusdem Sanctitatis Suæ mandato et auctoritate, proxime per suas litteras impertita exigendum, ipsius Regis et Regni necessitatibus satis esse non posse, sed majori opus esse subventione, aliud simile subsidium ex proprietate bonorum ecclesiasticorum exigendum concedere statuit; Nobisque mandavit, ut per viros idoneos, prudentes ac Deum timentes diligenter de statu, qualitate et redditibus omnium Ecclesiarum inquiramus, et quid earum cuique, quam minima ipsarum jactura et incommodo abstrahi possit, re diligenter cognita statuamus. Super eo conscientias nostras onerans, hisque peractis, nobis permisit, plenamque et liberam facultatem, mandatum et auctoritatem tribuit, ut nullius consensu requisito ac etiam invitis et contradicentibus possessoribus de omni et quacumque proprietate et dominio Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, sæcularium et cujusvis Ordinis regulariom qualitatis in litteris Apostolicis desuper confectis expressæ. Tot bona immobilia cujuscumque qualitatis et naturæ, necnon census, fructus, redditus et jura, ex quibus alia decies centena millia librarum Turonensium redigantur, ab ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus et beneficiis perpetuo dismembrare et separare, et quibuscumque personis meliorem offerentibus conditionem vendere, et titulo venditionis transferre. Ac pretium ex hujusmodi venditionibus proveniens dicto Christianissimo Domino nostro Regi, ut suis et Regni necessitatibus succurratur, persolvere, cæteraque desuper necessaria facere et exequi, vicesque nostras sive in toto vel in parte aliis delegare libere et licite va-

leamus, prout in suis litteris Apostolicis desuper confectis sub data Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Non. Cal. Septembris, Pontificatus ejusdem S. D. N. Papæ anno tertio plenius continetur. His itaque litteris ea, qua decuit, reverentia acceptis et perlectis ac mature consideratis, nihil prius duximus, id maxime suadente temporum et rerum necessitate, ipso etiam Christianissimo Domino nostro Rege monente et rogante, quam ut ad dictarum litterarum executionem quam maxima fieri possit diligentia procederemus. Adhibitis itaque et vocatis nonnullis ex antiquioribus strictioris consilii Regiis Consiliariis ecclesiasticis eximia virtute, doctrina et fide, rerumque peritia quantum quælibet hujus Regni Ecclesia et diœcesis ad dictam summam decies centenum millium librarum Turonensium conficiendam ferre et solvere posset, diligenter accurate et mature consideravimus, diuque desuper deliberavimus. Habita cujuslibet loci, diœcesis ac valoris et status beneficii ratione, quam fieri potuit exactissima; tandem Ecclesiam et totam diœcesim vestram . . . ad summam . . . millium librarum Turonensium pro sua dicti subsidii parte merito taxandam, sub conscientiarum nostrarum periculo duximus et indicavimus. Quæ quidem summa ut commode et presto, quantum rerum exigit necessitas, et quolibet beneficio ejusdem vestræ diœcesis exigi et percipi valeat, vobis dicta Apostolica auctoritate, qua fungimur in hac parte, præsentium tenore committimus et mandamus quatenus omnibus posthabitis, et quam maxima fieri poterit cura et diligentis, vocatis et adhibitis vobiscum e Clero vestro ad minus tribus, uno videlicet pro Capitulis, altero pro Abbatibus, et tertio pro Prioribus ejusdem vestræ diœcesis viris præstantioribus, et quos ad hanc rem accommodatiores duxeritis prædictam summam... mille librarum Turonensium in Ecclesiam vestram, Capitula, Monasteria, Prioratus, Conventus, loca et beneficia ecclesiastica vestræ diœcesis . . . Denique tamen et exceptis Abbatibus seu Monasteriis et Prioratibus, aliisque Conventibus et locis Sanctimonialium Deo dicatarum pro eorum valore annuo et juxta instructionis nostræ, quam vobis cum præsentibus trasmittimus, tenorem, formam et continentiam æque dividatis. Et prout conscientiarum vestrarum, quas desuper oneramus, nostras exonerantes, erit judicium, quodlibet dictorum beneficiorum ecclesiasticorum taxetis. Ac de divisione et taxatione hujusmodi annotato etiam ipsorum beneficiorum vero valore annuo, oneribus deductis, libellum sive rotulum conficiatis, eumque nostro et eorum, quos ad ipsam taxam adhibueritis, signis prius firmatum, ad nos quam sedulo et diligenter poteritis deferendum et adportandum curetis, ut desuper quid nobis visum æquum fuerit, statuamus et decernamus. Et de eo postmodum vos certiores faciamus. In hoc porro quam maxima utendum esse diligentia et celeritate monemus, verendum est enim, ne mora et ignavia vestra Regis et Regni Statui Reique publicæ christianæ Gallicanæ aliquod adferat detrimentum. Quibus ut indubitatam fidem adhibeatis præsentibus manibus propriis subscripsimus, easque sigillis nostris minoribus et secretarii ad id per nos destinati signo firmari jussimus. Datum Lugduni anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, die decima quarta mensis Octobris, et Regni præfati Christianissimi Domini nostri Regis primo.

C. Card. de Lotaringia. – C. Card. de Bourbon. – Ant. Maria Salviatus Ep. S. Papuli Nuntius.

Joannes Depiles, clericus diœcesis Eduensis, commissionis, ita nuncupatæ, quæ exsolvendo subsidio Ecclesiastico præerat, secretarius sequentibus litteris constituebatur. [*]

[*] Gallia Vol 8 fol. 793.

« Carolus miseratione divina Sancti Apollinaris de Lotharingia, et Carolus Sancti Grisogoni titulorum a Borbonio presbyteri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales et Antonius Maria Episcopus Sancti Papuli Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Domini Gregorii divina providentia Papæ XIII. ad Christianissimum Dominum nostrum Henricum Francorum et Poloniæ Regem Nuntius, Judices et Commissarii pro alienatione rerum Ecclesiarum in subsidium præfati Christianissimi Domini nostri Regis per clerum Franciæ concessum. Cum auctoritate præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ fienda, auctoritate apostolica specialiter deputati et delegati dilecto nobis in Christo magistro Joanni Depiles, clerico Eduensis Diœcesis, prædicti Illustrissimi Domini Caroli Cardinalis a Lotharingia secretario salutem in Domino. Cum tu in conficiendis et describendis commissionibus et mandatis, nec non literis et memorialibus seu instructionibus pro executione dictæ alienationis necessariis multum laboraveris, fidem, probitatem, prudentiam, ac hujuscemodi negotiorum notitiam et diligentiam tuam plurium exploratam habentes, æquum duximus, ut ex quo multum laboris sumpseris, ex eo fructum aliquem sentias, et mercedem condignam recipias. Te itaque prædictis et aliis de causis nostrum in prædictæ alienationis negotium scribam, et secretarium pro præsentium tenore constituimus et deputamus; dantes tibi Depiles plenam et omnimodam facultatem, auctoritatem et mandatum speciale, omnes et singulas conditiones, mandata, literas, instructiones et memorialia pro hujuscemodi negotio dirigendo et perficiendo, nec non venditiones et alienationes, confirmationes et omologationes et qualiacunque alia instrumenta, acta et diplomata circa hoc negotium re-

quisita et necessaria signandi et subscribendi, aliaque quæ ad hujusmodi scribæ et secretarii officium spectant et pertinent, faciendi et gerendi. Et pro sumptibus et expensis, quos in dictis literis conscribendis feceris, mercedem condignam tibi præscribeodam et persolvendam curabimus. In quorum fidem præsentibus manibus propriis subscripsimus, easque sigillorum nostrorum minorum impressione muniri curavimus.

Datum Lugduni anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo septusgesimo quarto, die quintadecima mensis Octobris.

C. Cardinalis de Lotharingia.

C. Cardinalis de Bourbon.

LXX. — Re consulte disposita quoad exactionem subsidii Ecclesiastici, Archiepiscopus Nazarenus III. Idus Novembres Romam rediit. Carolus Cardinalis a Lotharingia laudat eundem Præsulem. [*]

[*] Gallia Vol. 8. fol. 799.

Sanctissimo Domino Nostro Domino Gregorio Divina Providenta Pontifici Maximo.

Beatissime Pater post humillima pedum oscula.

« Qui paulo ante Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuntius injuncto sibi muneri amplissime satisfecerat, ac revocatus a Sanctitate Vestra magnum sui apud omnes desiderium hinc descedens reliquerat, rursus huc reversus eo potissimum tempore, quo mortuo Carolo rege in maximis periculis versabamur, Reverendissimus Archiepiscopus Nazarenus, et Reginæ matri, quæ regni curam susceperat, Regique Christianissimo, ex quo huc appulit, piisque et bonis omnibus grato animo fuit acceptus, et Sanctitatis V. nomine, pro quo legationem obibat, et suo, qui magnum semper hactenus ingenii sui et zeli valde pii periculom fecit, summaque diligentia Regias Majestates ad bene agendum, et forti animo difficultates omnes superandum est cohortatus. At cum nunc ad Sanctitatem Vestram properet, etiamsi ejus absentia bonis omnibus sit molesta, consolatur me imprimis tamen, quod ex eo S. V. eorum omnium, quæ hic non solum aguntur, sed et quasi cogitantur, veritatem agnoscet; nam et Regiis Majestatibus valde familiariter est usus, et ego illi omnia mea consilia aperui: cui ne longiore epistola aliquid videar detrahere, non ero Sanctitati Vestræ in scribendo molestus; quin potius supplex postulo, ut illi omnem fidem Sanctitas Vestra adhibeat, et multo magis ut ejus verbis (intellecto hujus regni statu) omnem diligentiam adhibeat, ne quid de paterno erga hanc Christianissimam coronam amore S. V. cuiquam liceat unquam dubitare; nunquam enim hactenus periculosius laboravimus, meo judicio faciet rem supréma sua in omnes auctoritate dignam, Deo gratissimam et universæ Ecclesiæ salutarem, quæ semper intellexit, quantam de salute christianissimi hujus regni curam et solicitudinem accipere esset necessarium toti reliquo orbi ac salutare. Excusabit meam hanc in scribendo familiaritatem Sanctitas Vestra, sibique persuadebit, nihil mihi magis gratum unquam futurum, quam si Sanctitatis Vestræ jussis aliqua ex parte, ut parum possum, satisfecero, cui me in perpetuum semper devovi. A Deo postulo humillime, ut Sanctitatem V. quam diutissime servet incolumem. Lugduni XI. Novembris.

Ejusdem Vestræ Sanctitatis

Humillimus servitor

C. Cardinalis de Lotaringia.

LXXI. — Dum Rex Lugduni commoraretur, consilium iniverat novum quemdam Ordinem vel militiam Equestrem constituendi, cujus socii ex proventibus Ecclesiarum Galliæ alendi erant. Rex ipse magnus magister ejusdem Ordinis esse voluit. Finis hujus Ordinis asserebatur filios principum familiarum nobilitate insignium, collatis iisdem certis beneficiis ecclesiasticis, ad defendendam avitam fidem contra novatorum errores eo magis excitandi atque inflammandi. Alendis istis juvenibus quotannis destinabantur quindecies centena milla nummorum francorum, quæ ex redditibus abbatiarum monasteriorumque solvenda erant. Nonnullas abbatias in Commendas erigi Rex statuerat; quæ abbatiæ equitibus addictæ quidem, non ab ipsis equitibus, non ab abbatibus commendatariis, ut usque adhuc moris erat, sed ab abbatibus regularibus regendæ, et administrandæ forent: quum vero morte abbatum in dies vacarent, eis Ordinibus, a quibus primum distractæ fuerant, iterum restituerentur, quorum superiures generales, ut cultus divinus et regularis observantia inibi reflloresceret, curarent. Suasor vel potius inventor hujus novi Ordinis equestris Cardinalis Lotharingus esse perhibebatur, ut Nuntius Apostolicus Cardinali Comensi perscribit. Cardinalis iste, Rex ipse et Catharina Medicea Abbati generali Ordinis Cisterciensis in Gallia, nec non Archiepiscopo Nazareno mandata dederant, ut de hujus militiæ equestris institutione, cum Pontifice tractarent, [*] ut litteræ regiæ gallicæ, quarum mentionem mox fecimus, quasque infra damus, innuunt. Cardinalis Lotharingus idem negotium alteris atque amplioribus litteris Avenione datis Pontifici denuo commendat. [*]

[*] Mantissa document. N. 80.

[*] Avignone Vol. 8. fol. 817.

Bme Pater, post humillima pedum oscula.

« Cum videam christianissimum hoc regnum in maximum discrimen adductum ob varia pericula, in quibus quotidie versatur, et non dubitem S. V. valde de salute ejus esse solicitam, existimavi pro eo, quod me debere cognosco, et multis nominibus sum devinctus, de his omnibus certiorem reddere S. V., quod quia longiore indigebat epistola, et timeo illi molestus esse. Scribo de his fusissime Illustrissimo et Reverendissimo Domino meo Cardinali Pelveo, ut tamen postea ad S. V. referat; postulans quam possum hu-

millime, ut eum referentem benigne audiat, ac demum imperet quidquid volet. Tu enim, Pater Beatissime, unus post Deum es, qui pro tua summa anthoritate tuo hoc jure uti potes, cuique maxime me devinctum esse multis nominibus et amplissimis in me collatis beneficiis semper agnoscam. Cæterum P. B. post discessum Archiepiscopi Nazareni rursum Pater Generalis et Abbas Cisterciensis, vir pius et doctus et rerum nostrarum non ignarus, ad S. V. proficiscitur, Christianissimo rege meo jubente cum litteris ejus et mandatis descriptis, a quo intelliget S. V. quantum Rex salutem prope extremam et omnem pendere suam totiusque regni sui existimet ab his, quæ modo impetrare a S. V. vehementer contendit. De qua re dicam, quid sentiam et dicam tamquam ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, qui judicaturus est vivos et mortuos, cogente me conscientia post virorum doctissimorum et zelo Domini flagrantium auditam sententiam, et dicam confidenter, credere me nullum his temporibus difficillimis certe ad Dei gloriam instaurandamque antiquam ecclesiasticam disciplinam, atque ad Reipublicæ nostræ labentis salutem præsentius posse esse, et efficacius remedium; præsertim cum et hoc instituto effici possit, ut religio Catholica et Sanctæ Sedis Apostolicæ anthoritas in multos annos servetur quam unquam antea studiosius: sed de his omnibus judicabit S. V. atque ego mihi tam certo persuadeo, futurum id præstantius et melius quod decreverit, perpetuoque eam legem sequar, quam tulerit. Interea veniam postulo P. B. supplex ad S. V. pedes projectus, si quid a me peccatum sit, ac humillime deprecor, ut sibi persuadeat S. V. nullo me alio desiderio in hoc negotio quam pro Dei gloria, Sanctitatis Vestræ authoritate ac regni hujus salute duci. Quam Dominus Deus in multos annos servet incolumem et diutissime faciat præesse et prodesse Ecclesiæ suæ Sanctæ, humillime S. V. beatissimos pedes exosculatus.

Avenioni 20. die Novembris 1574.

Ejusdem V. S.

Humillimus servitor
C. Cardinalis de Lotaringia.

Veruntamen sapientissimus Pontifex, re mature perpensa, verens haud sine ratione, ne rex institutione hujus ordinis magis propriis commodis atque ærarii angustiæ quam bono ac necessitati Ecclesiæ prospicere vellet, postulationes ejus prorsus rejecit. Erat quippe Henricus munificentissimus ad prodigalitatem. Singulis mensibus, ut Nuntius Apostolicus narrat, [*] ad decies centena millia et septingenta nummum, qui in Gallia franci dicuntur, in suos usus insumebat, census autem in sumptus regios uno quoque anno ex more destinatus inter septuagies centena millia francorum continebatur.

[*] Mantissa Document. N. 90.

LXXII. — Lugduno Henricus una cum regia familia Avenionem se contulit, ut res civiles provinciarum Delphinatus, Galliæ Narbonensis atque Occitaniæ quodammodo componeret. Ditiones Pontificis in Gallia, Avenio nempe et Comitatus Venusinus, continuis, ut anno superiore narravimus, Hugonottorum vicinarum Galliæ provinciarum excursibus expositæ erant, quibus arcendis Gregorius nova militum præsidia transmiserat. Ægre tulerat Pontifex, quod milites sui Massiliam adpulsi a ministris regiis terra potiri, perque Galliam trajectione prohibiti essent, adactique se in viciniorem Sabaudiæ portum, Villamfrancam nuncupatum, recipere, quam ob rem graviter penes regem ipsum conquestus est. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II epist. 106. f. 118.

Charissimo in Christo Filio Nostro Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quidquid difficultatis a Tuæ Majestatis Ministris afferebatur, quominus parva illa militum manus, quæ nostræ Avenionensis provinciæ præsidii causa nostris triremibus Massiliam advecta erat, descenderet, id totum semper speravimus Tuæ Majestatis jussu, cum quidem nostrum consilium et summam regionis illius nostræ necessitatem cognovisses, sublatum iri permissumque tum peditibus, tum equitibus quos terra miseramus, transitum liberum, ut mos est inter Principes optima inter se fide et amicitia conjunctos, ut Nos sumus. Nunc autem certiores facti, tuos coegisse nostras illas triremes e portu exire, seque Villamfrancam recipere: non sumus rati diutius cunctandum mittere ad Majestatem Tuam dilectum filium Aurelium Savinianum Secretarium nostrum, ut nostro nomine conqueratur de illorum injuria, teque impense roget et hortetur, ut velis hoc negotium optimo, ut par est, animo et judicio considerare, ne forte factum illud tam durum tamque insolitum in causa sit, ut ad eam, quam hactenus fecimus, universæ etiam illius nostræ provinciæ jactura accedat: quod quidem non posset accidere sine gravissima et sempiterna nota nominis tui atque istius Regiæ Majestatis, quæ cum semper fuerit Sedi Apostolicæ contra aliorum injurias atque oppressiones adjutrix; non convenit tam grave nunc damnum inde afferre, unde semper auxilium allatum est: ea præsertim in re, quam tuis opibus tuaque impensa defendi oporteret: sic enim pollicitus fuisti tum, cum ea legatio dilecto filio nostro Cardinali Borbonio concessa fuit. Neque vero dubitamus, te id facturum fuisse, nisi tantopere in tuis ipsius rebus tuendis distinereris: tuamque optimam voluntatem perspeximus in ejus provinciæ cura suscipienda, mittendoque eo dilecto filio Comite Susæ cum optimis atque amoris et prudentiæ plenis mandatis: quo quidem nomine Majestati

tuæ gratias agimus. Verum quoniam id non satis est, volumusque et æquum judicamus nostra illa loca a nostris militibus atque præfectis defendi, rogamus Majestatem Tuam, ut jubeas, nostris tum peditibus, tum equitibus liberum transitum dari. In quo certum habeas copias illas non minus Tuæ Majestati, quam Nobis ipsis inservituras, Nosque hac in re nihil aliud propositum habere aut cogitare, quam quod Christi Vicario par est, ut nostram illam provinciam tueamur a furore et rabie hæreticorum Christi Catholicorumque omnium hostium teterrimorum. Quæ etiam fusius ex Saviniano nostro accipiet Majestas Tua, cui ut eandem, quam Nobis fidem tribuas, rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Januarii 1574. Pontificatus Nostri anno secundo.

LXXIII. — Gregorius ab Avenionensibus et Venusinis interea certior factus, [*] Hugonottos Gallos quibusvis pacis conditionibus, quæ iis a Carolo rege oblatæ fuerant, rejectis, ruinam atque excidium ditionum suarum in Galliis moliri, ad Magnum Magistrum Equitum Hierosolymitanorum sese convertit, precaturque, ut Romagassum cæterosque Equites sui ordinis Gallos quam primum Avenionem suis opem laturos transmittere velit. [*]

[*] Mautissa document. N. 81.

[*] Reg Gregorii XIII. An II epist. 246. f. 151.

Dilecto Filio Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Ex omnibus curis, quibus refertum est laboriosissimum hoc Summi Pontificatus nostræ imbecillitati a Deo tributum munus, illa Nos gravissime angit, quæ pertinet ad Catholicæ Ecclesiæ res tuendas, synceramque religionem conservandam, et propagandam: idque hoc maxime tempore, cum videamus sanctum Christi gregem barbarorum armis cinctum, atque intestino, quod gravius est, hæreticorum furore et rabie discerptum. In primis autem dolemus in Galliæ Regno tam nobili tamque Catholico, tantisque in Deo beneficiis cumulato tam fœde hæreticam pestem erassari et bacchari: in quo ad communem, qua Catholicos omnes amplectimur, charitatem accedit tum noster quidam proprius erga eam nationem amor, tum rerum nostrarum Avenionensium periculum. Itaque cogitare non desistimus, quibus potissimum rationibus possimus ea, quæ impendent, mala depellere. Qua etiam cura te pro tua pietate, et patriæ ipsius charitate angi non dubitamus. Ut autem non sumus cunctati eo mittere magnam peditum atque equitum copiam, reliquumque omnem belli apparatum, sic ab aliis adjuvari vehementer cupimus: quod quidem omnium maxime facere possunt, qui præstant auctoritate, et virtute, et rerum bellicarum usu, et peritia, præsertim si Galli sint. Hujusmodi apud te permultos esse certo scimus, eos, quoniam non novimus, nominare non possumus; Romagassum, quem novimus, maxime oportunum judicamus, tum propter multam rei militaris peritiam, spectatamque pro Catholica Ecclesia virtutem, tum quia habet Commendam vicinam hæreticis provinciæ Narbonensis, nostrisque rebus Avenionensibus, ut uno tempore communibus Galliæ rebus et nostris etiam privatis adjuncto esse possit. Vides negocium esse quam gravissimum, speramus te illum quamprimum missurum. Cæteros etiam, quos ipse nosti, quosque, ut diximus, permultos habes singulari virtute, et rerum bellicarum usu, gratissimum Nobis feceris, si item miseris; neque enim dubitamus illos vitæ innocentia, religionis sinceritate, potentia, virtute permultum rebus Catholicis adjumenti allaturos, hæreticorum furorem compressuros. Hæc ut a Tua Nobilitate postulamus, quantum possumus, sic de tua pietate et Christi gloriæ zelo dubitare non possumus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Martii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

En Venusinorum libellum supplicem, quo Gregorium ad auxilia suppeditanda enixe rogabant. [*]

[*] Avignone Vol. 3. fol. 306

Beatissime Pater, post pedum vestrorum devota oscula.

« Eorum, quæ noviter acciderint in Gallia, quidve quoque die agatur, ab his, qui a consiliis Christianissimi Francorum Regis ordinati sunt, S. V. sicut ex aliorum, ita quoque ex Illustrissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis de Armignaco, tum et Comitis Martinengui literis certior fieri potest. Qua temporum varietate ignorantes, quantis in periculis versemur, atque futurum eventum; hoc maxime fructuum nostrorum colligendorum ad Sanctitatem Vestram Patrem et principem nostrum confugere impellimur, eandemque humiliter toto corde deprecari, ne nos hoc infelicissimo tempore deserat; sed sua paterna clementia foveat, suis auxiliis uberioribus adjuvet, qui tanta premimur miseria et paupertate, ut defensioni hujus vestri status sufficere nullo modo valeamus. Et nos Sanctitatis Vestræ humilissimi et devotissimi Subditi pro hujus Sanctæ Sedis conservatione et Vestræ Beatitudinis vita longiore Deum Opt. Max. deprecabimur.

Carpentoracti 14. die Maji 1574.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi et fidelissimi Subditi

ELECTI PATRIÆ COMITATUS VESTRI VENAYSSINI.

LXXIV. — Cum Avenionenses in primis summis in periculis versarentur, nova militum subsidia a Pontifice expetunt. Inopinatus regis Caroli obitus Hugonottis haud sane injucundus, ut efferatiores animos sumerent, elatiores-

que præ se sensus ferrent, effecerat. Montbrunus, eorum in Delphinatu princeps ac dux, Avenionensem ditionem magno militum numero ingressus, a Comite Villæclaræ mox repulsus est. Fortiter pugnaverunt Pontificis milites Itali, quo in certamine occubuit egregius eorum tribunus Grillonius, non sine et civium et militum lacrymis; cujus fratres Martinengus Comes Villæclaræ et Henricus rex Galliæ clementiæ Pontificis quam maxime commendabant. [*]

[*] Mantissa document. N. 93. et 94.

LXXV. — Cum Avenionensium res paullo pacatiores viderentur, Marescalcus Damvillius, Occitaniæ Præfectus, qui sub initium hujus anni a rege desciverat, Henrico III. in Galliam adventante, sese in auctoritate regis futurum simulaverat, adeoque ultro ad Pontificis partes juvandas suam operam obtulerat, [*] quam ob rem Gregorius eidem meritas laudes impertitus est. At turpe factum! ad suos, Hugonottos dico et Politicos mox rediit. En demum amantissimas Pontificis ad Damvillium litteras. [*]

[*] Mantissa document. N. 23.

Dilecto Filio Nobili Viro Marescallo Anvillæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Perspeximus in tuis litteris tuum singulare erga res nostras studium, animumque constantem in Catholica Religione colenda et tuenda: quo nomine fuerunt illæ Nobis litteræ gratissimæ. Hortamur Nobilitatem Tuam, ut eam, quam ostendis, utraque in re voluntatem perpetuo retineas, nec quidquam antiquius habeas: illud præterea, ut Regi tuo eam, quam debes omni tum divino, tum humano jure fidem et obedientiam præstes, eamque potestatem illi a Deo tributam esse agnoscas, in quo et Tua Nobilitate dignum facies, et nostram auctoritatem atque operam paratissimam habebis in curando, ut tuæ res tuo cum honore et commodo apud ipsum Regem componantur. Quæ omnia planius cognosces ex eo, qui has nostras litteras reddet Nobilitati Tuæ, eique omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die decima septima Augusti MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXXVI. — Fortuna belli Avenionensibus paulisper arridebat. Bolenæ, in oppidulo paullulum ab Avenione distante IV. Kal Sept. sex primorum Hugonottorom capitum capti fuerunt, inter quos etiam Joannes ille Castilionius, vir perditissimus, qui repudiata avita fide ad castra Hugonottorum transierat, atque una cum iis quindecim annos et amplius Avenionensem ditionem infestaverat. Verum impietatem morte luit, suspendio enim paulo post vitam finivit: criminum tamen suorum eum pœnituit, falsaque Hugonottorum dogmata ejuravit.

LXXVII. — Tranquillitate paulisper restituta, Gregorius paterne commonuit Episcopos ditionum suarum Gallicarum, qui ob Hugonottorum timorem Avenionem secesserant, ut ad diœceses suas redirent. En litteræ suæ ea de re Cardinali Armeniaco datæ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ano III ep. 115. f. 291.

Dilecto Filio Nostro Georgio Cardinali Armeniaco nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere intersit ovium Christi pastores ipsos præsentes esse, neque tuam prudentiam latere potest, et Tridentinæ cæterarumque sacrarum synodorum, sanctorumque Patrum decreta facile declarant: sunt enim pastores atque Episcopi tamquam oculi: nec quidquam est, quod ipsorum nomini et muneri conveniat magis, quam summam vigilantiam adhibere, diligentissimeque scrutari, qui sui gregis sit rerum status; quid periculi immineat: unde maxime timendum sit; quid providendum: quo pabulo utatur grex, salubrine, an mortifero, hoc est qua doctrina instituatur, catholicane, an hæretica: hæc autem qui poterunt absentes cognoscere? Non dormit, nec cessat diabolus quærere, si quem possit suo veneno inficere, atque a Christo avocare: et dormiemus ipsi? Nos vero gravissime angimur ea cura et sollicitudine, quam voluit Nos Deus suscipere de omnibus Ecclesiis; neque pati possumus pastores desides. Jubebis igitur omnino nostris verbis atque auctoritate omnibus Episcopis, qui in ista nostra civitate Avenionensi sunt, ut quamprimum ad suas Diœceses atque Ecclesias redeant, sacrorumque canonum et synodorum decretis obtemperent: ac si quos negligentiores invenies, fac Nos certiores: neque enim, si illi volunt suo muneri deesse, Nos nostro deerimus, sed ubi opus esse intelligemus, providebimus. Hoc te diligentissime facturum esse pro tua insigni pietate et Christi gloriæ, animarumque ejus sanguine redemptarum salutis zelo non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris dia octava Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXXVIII. — Verumtamen Episcopi isti eo temporis intervallo, quod inducias potius quam pacem appellaveris, pro viribus ad componendas res ecclesiasticas usi sunt. Itaque Synodum provincialem Avenione habendam esse censuerunt pro removendis abusibus, pro urgenda observantia Tridentinorum decretorom, utut ample declarant in suis literis ad Pontificem datis. [*]

[*] Avignone Vol. 3. fol. 849.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater.

« Tulit occasio adventuri Illustrissimi ac Reverendissimi Cardinalis Borbonii Legati, nos omnes hujus Comitatus Episcopos ad hanc urbem accessisse, ibique illustrem Comitem Sanctitatis Vestræ ducem generalem sæpius allocutos per-

cepisse, ejus esse sententiam, per expressum Nuntium de multis rebus ad dignitatem Sanctæ Sedis Apostolicæ, nec non hujus Comitatus commodum et tuitionem spectantibus Beatitudinem Vestram certiorem facere, ut quid illi circa ea esset agendum, mandaret. Quod quidem nobis omnibus non minus necessarium, quam utile visum est; quamplurima enim majori ac latiori explanatione egent, quam litteris explicari possint præter id, quod effugiet diversitatem relationis unica pro veritate solius viri narratio. Eligit itaque prædictus illustris Comes Angelum Ingenerium ejus a secretis, cujus est satis nobis nota virtus et integritas, ac aptitudo ad hoc munus suscipiendum. Is est enim quorumcumque negotiorum, istarum partium plene et exacte instructus, quæ omnia et singula S. V. suum erit distincte et ordinate referre. Quapropter ipsum sine litteris nostris isthuc venire passi non fuimus, quibus inter cætera S. V. significaremus, quendam hominem deperditum hæreticum et B. V. rebellem Castillionem nuncupatum hisce diebus præteritis in manus militum S. V. incidisse, et a Cæsare Palatiolo duce strenuo et milite optime merito captum, in carceribus detineri, et licet prævio examine sit confessus plurima scelera commisisse, et jure merito Dei hominumque osor vocari possit; nihilominus nonnullis de causis, quas a prædicto Angelo S. V. intelliget, nondum pœnas luit: speramus tamen B. V. indemnitati nostræ et horum subditorum suorum securitati in hoc provisurum. De Civitate quoque et Principatu Auriacensi, quoniam manifeste constat, esse refugium hæreticorum, immo eorum principale præsidium et quodam modo asylum omnium deperditorum hominum, a quo maxima huic Comitatui damna de proximo præparantur, et imminent, si Beatitudini Vestræ videretur aures præbere sanctissimas his, quæ ex parte tum dicti Comitis, tum etiam nostra ipse Angelus reverenter exponet, nihil magis proficuum atque Pontificiæ in his partibus auctoritati posset fieri consentaneum. Nec præterire voluimus S. V. notum facere, quod cum nacti fuerimus occasionem hujus Conventus, pluries insimul sermonem habuimus, de abusibus in Diœcesibus nostris horum temporum injuria exortis, et nunc vigentibus tollendis, nec non de observatione decretorum Sacri Concilii Tridentini executioni mandanda, quod quidem efficietur, ut quam primum tumultus isti bellici cessabunt, et commode fieri poterit, Synodus provincialis fiet, et disciplina ecclesiastica, quæ tam hominum incuria, quam ob calamitates temporum in dissuetudinem abiit, per nos restituatur: et interim etiam pro posse nostro operam dabimus, ut decreta Sacri Concilii observentur, quemadmodum a prædicto Angelo S. V. intelliget, cui nedum in præmissis, verum in cæteris omnibus tam adventum prædicti Illustrissimi Legati, quam ipsiusmet Regis Christianissimi, casu quo atque in reliquis quibuscumque S. V. suppliciter exoramus eandem fidem adhibere, quam nobis ipsis pro sua benignitate impendere dignaretur. Et post beatissimorum pedum oscula Deum Opt. Max., Pater Sancte, pro S. V. felici statu et conservatione ardenter humiliterque obsecramur. Datum Avenioni XIII. Cal. Nov. MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Humilissimi et fideles servi

F. FELICIANUS ARCHIEPISCOPUS AVENIONENSIS – JACOBUS SACRATUS EPISCOPUS CARPENCTORATENSIS – CHRISTOPHORUS SCOTTUS EPISCOPUS CAVALLONENSIS – GUILIELMUS EPISCOPUS ADMINISTRATOR VASIONENSIS.

LXXIX. — Quæ dum aguntur, rex Henricus Lugduno Avenionem XV. Kal. Dec. una cum tota regia domo et regni administris, nec non Cardinalibus Borbonio et Guisiis aliisque quam plurimis spectatissimis viris tum ecclesiasticis tum sæcularibus advenit, ad hoc unum intentus, ut comprimeret rebelles, qui hisce in meridionalibus Galliæ provinciis et Reipublicæ, et Ecclesiæ infesti essent. En litteras, quas Cardinalis Borbonius de tam pio Regis consilio ad Pontificem dedit. (*)

(*) Gallia Vol 8. fol. 813.

Beatissime Pater, post humillima fœlicium pedum oscula.

« Cum primum Deo duce huc veni, esse mei officii judicavi, si Beatitudini Tuæ scribendi occasionem nullam prætermitterem; sed cum de Regis Christianissimi in his partibus profectione incerta omnia acciperem, in hoc usque tempus distuli, in quo de illius fœlici in hac civitate ingressu eam facere possum certiorem, quo ei nihil gratius aut jucundius esse scio; nec rebus istius status commodius et utilius quicquam contingere potuisse existimo, et his præsertim adeo exulceratis temporibus. Habet igitur Avenio sua in mediis tempestatis hujus procellis Tuæ Sanctitati, tuis subditis devotissimi Regis præsentiam, cujus sola expectatio id jam egerat, ut duo munitissima hujus Comitatus loca, ab hæreticis occupata, ab iisdem solo adventus regii rumore et terrore, nulla obsidione facta, relicta fuerint; plus vero quam triginta oppida in Gallia Narbonensi, quæ quidem nuper contra omnium expectationem a nonnullis jam de rebellione et defectione cogitantibus intercepta, humanis nullis viribus, sed divino pavore perculsis animis recepta sunt. Quodquidem eo nos abduxit, ut speremus in Provincia et Delphinatu negotium belli propediem confectum iri, nec non ut cæteri horum exemplo ad animum redeant prosternatisque animis, aut Regis humanissimi clementia in pristinam fidem recipiantur, aut ferro quod ab-

sit rescindantur. Dum hæc ita fiunt, excipimus sub Beatitudinis Tuæ auspiciis quam fieri potest honorifice Regem non minus religiosum quam christianissimum, nec minus tuorum defensorem acerrimum quam Tuæ Sanctitatis observantissimum. Cæterum ingrati animi mihi notam inurerem, si quas possum non haberem gratias pro tantis a Beatitudine Tua acceptis beneficiis, iisque maxime quibus nudiustertius sororem charissimam meo nomine adeo liberaliter et gratiose cumulavit, quo me antea tantopere devinctum semper devinctiorem redderet. Hoc unum soror præstare potest, habere scilicet quam maximas gratias, et orationis oblationem pro Tuæ Sanctitatis incolumitate indesinenter offerre Deo, cui sancte famulatur. Ego vero nullum prætermissurus obsequentissimi servi officium, dum idipsum præsto, recipio et polliceor id, quod unum mihi gratæ memoriæ argumentum relinquitur, me in Sanctitatis Tuæ mandatis exequendis nunquam defuturum. De rebus autem hujus Civitatis et Comitatus et ut geruntur et quemadmodum se habeant, quo Sanctitas Tua certior fiat, nihil prætermittam eorum, quæ eam scire oportuerit. Interim omnia dum hic sumus diligenter curabimus, et ut in optimo sint statu, nullum onus officii cuiquam reliquum faciemus, tum etiam ut illi sint indies explorata, omnia opera dabimus. Quod superest scribendi finem facio, ne patientia Sanctitatis Tuæ abuti videar, cujus S. deosculatus pedibus.

« Deum Opt. Max. precor, ut Sanctitatem Tuam Ecclesiæ suæ longum dioque servet, bene valere, faustum fœlixque esse jubeat. Avenioni xii. Cal. Decembris MDLXXIIII.

Vestræ Sanctitatis

Humillimus servus

Carolus Cardinalis de Bourbon.

LXXX. — Rex una cum tota familia regia Avenione in veteri Pontificum palatio a Cardinali Armeniaco magnifico hospitio exceptus erat. Henricus Avenione commoratus pietatis et religionis testimonia dedit: etenim supplicationem sollemnem in die ante festum Immaculatæ B. Mariæ Virginis conceptionis fieri jussit, ad divinam opem implorandam in gravissimis his calamitatibus, cui quoque ipse non sine maxima populi admiratione et lætitia interesse voluit. Hugonotti et eorum socii, quos Politicos vocabant, quamvis Regis adventu pertorbati, atque exterriti aliquando fueriot, tamen ad suum ingenium redierant, et violata publica fide, qua se obligaverant, iterum arma capessere regisque imperium detrectare non dubitaverunt. Rex igitur sine mora xi. Kal. Januarias convocavit status ita dictos generales Provinciæ et Occitaniæ, qui primos consessus in magnifica Patrum Cœlestinorum triclinii aula Villæ Novæ prope Avenionem trans Rhodanum habuere. Sed cœli, eo anno, humentioris molliorisque quam assoleret, temperies coegit status convocatos Avenionem se transferre, ubi consessus in Conventu Patrum Augustinianorum peregerunt. Omnes unanimi consensu conclamarunt, arma arripienda esse ad repellendos puniendosque rebelles.

Avenionenses et Venusini consilio ab rege inito lætiores effecti, Pontifici res suas enixe commendant, eique in grati eorum animi testimonium parva quædam munuscula dono transmittunt. En Venusinorum litteras. [*] [*] Avignono Vol. 3. fol. 960.

Beatissime Pater, post pedum devota oscula beatorum.

« Ne tantorum beneficiorum a Sanctitate Vestra susceptorum immemores videamur, sæpissime gratis animis recolimus Suæ Beatitudinis erga nos largitatem, et nostræ salutis curam hoc infelicissimo tempore adhibitam, qui nisi adjuti fuissemus presidiis S. V., quæ adhuc nobis pro conservando hoc vestro Comitatu Venaissino sicut antea, nunc quoque magis sunt necessaria, miserabiliores essemus. Tanto enim odio nos prosequuntur nephandissimi hostes religionis et fidei nostræ, ut nihil magis cupere videantur, quam nos pusillum ovile Sanctæ Sedis Apostolicæ ab oculis Sanctitatis Vestræ longo itinere semotum proculcare, et penitus extinguere. Quam ob rem humiliter et devotissime Sanctitatem Vestram obsecramur, ne nos sua protectione continua deserat. Et ut, Sanctissime Pater, grati animi signa aliqua ostendamus, vini vasa aliqua, et paucula pruna aurea vestri istius Comitatus, ad Sanctitatem Vestram deferenda commisimus, quæ benevolo animo et pietate paterna ut suscipiat, Sanctitatem Vestram ex toto corde deprecamur. Pro cujus vita longiore ad nostri et totius Christianitatis commodum continuo preces effundimus. Carpentoracti die 20. Decembris 1574.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi oratores et fidelissimi subditi

Electi Patriæ Comitatus Venaissini.

LXXXI. — Regi atque Avenionensibus non defuit acerbissimi doloris causa. VII. Kal. Januarias, Domino Stephano Protomartyri sacra, hoc eodem anno, Carolus Cardinalis Lotharingus, anno ætatis suæ quadragesimo nono, mense decimo obiit, post exceptam a P. Edmundo Augerio Soc. Jesu confessionem generalem. Illi paulo ante obitum regem Henricum adhortatus est ad Catholicæ fidei defensionem. Vir fuit multis animi et corporis dotibus præstans; deque illius probitate tum in Synodo Tridentina, quam in Poissiacensi colloquio egregia præstitit argumenta excellentis ingenii, egregiæ doctrinæ, raræ eloquentiæ et magni animi, piique zeli specimina et exempla; pluraque etiam deinceps apud reges Galliæ in defensione auctoritatis ipsorum et religionis Catholicæ; unde et

summa in se concitavit Politicorum et hæreticorum odia et calumniarum plaustra, quæ illi in benedictionem apud Deum et Ecclesiam, piosque omnes extitere; ac nævos et culpas, quibus ut homo non caruit, operuere.

Cor positum Rhemis in monasterio monialium S. Petri, ubi soror Renata Abbatissa; ibidem locatum cor fratris Ludovici Cardinalis a Guisia, Episcopi Metensis, juxta tumulum Mariæ Lotharenæ Scotiæ reginæ sororis. Corpus ad Rhemensem Ecclesiam deductum jacet in Cathedrali in cœnotaphio marmoreo nigro, quod vivens sibi posuerat uno ante mortem anno, cui hoc epitaphio:

D. O. M.
CAROLVS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS
A LOTHARINGIA,
ARCHIEPISCOPVS DVX RHEMENSIS, PRIMVS PAR FRANCIÆ,
SANCTÆ APOSTOLICÆ SEDIS LEGATVS NATVS.
DE MORTE ET RESVRRECTIONE COGITANS
SIBI VIVVS POSVIT AN. MDLXXIII. PONTIF. SVI AN. XXXV.
VIXIT ANNOS XLIX. MENSES X. DIES VIII. HORAS IV.
OBIIT ANNO DOMINI MDLXXIV. SEPTIMO KAL. IANVARII.
REQVIESCAT IN PACE. AMEN.
EGO CREDIDI QVIA TV ES CHRISTVS FILIVS DEI VERI,
QVI IN HVNC MVNDVM VENISTI.

LXXXII. — Henricus et Catharina Medicea ipsa, qua obiit die Cardinalis, Pontificem de ejus obitu certiorem faciunt, adprecanturque, ut nepoti ejus Ludovico Guisio, juveni nondum vigesimum primum annum excedenti, Abbati inclyti monasterii sancti Dionysii prope Parisios, dignitates muniaque ecclesiastica, quibus ille insignitus fuerat, et præ primis Archiepiscopatum Rhemensem conferre velit. Catharina Medicea etiam operam dedit, ut Pontifex vellet clarum illum Aubertum Macerum, præceptorem juvenis Principis, et sacrosanctæ Theologiæ Doctorem, eidem Vicarium in spiritualibus constituere, quoad annum vigesimum quintum attingeret.

Henricus et Catharina orabant insuper, ut alter Ludovicus ex Guisiana stirpe, Cardinalatus honoribus jam insignitus, ac Caroli Cardinalis defuncti frater, opportunis facultatibus muniretur pro coronatione regia peragenda, quæ ad xv. Kal. Martias anni proximi Rhemis indicta erat. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 96.

LXXXIII. — Hispani administri Ducatus Mediolanensis varie vexabant Episcopum Novariensem in jurisdictione exercenda in quibusdam locis suæ diœcesis, quæ temporali gubernio Mediolanensi subjecta erant; quapropter Gregorius, re ad Philippum regem perlata, vehementer rogat, ut Senatum hujus urbis jubeat, ab Episcopo Novariensi novis insuper molestiis afficiendo omnino absistere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 30. f. 210.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, graviter vexari in Senatu Mediolanensi venerabilem fratrem Episcopum Novariensem super jurisdictione Oræ Hortanæ; quam jurisdictionem semper obtinuerunt Novarienses Episcopi ex vetustissimis privilegiis multorum Imperatorum, interque eos gloriosæ memoriæ Caroli patris tui. Non possumus nostro muneri deesse, ea, quæ Ecclesiarum sunt, curandi et tuendi, præsertim apud Majestatem Tuam, quam certissimam habemus, nolle quidquam alienum occupari, Ecclesias vero, earumque jurisdictionem etiam commendatissimam habere. Itaque scripsimus ad Nuncium nostrum, ut totum hoc negocium Majestati Tuæ fusius planiusque exponat, rogetque, ut velis Senatui jubere, ut ab omni molestia desistat, eamque ecclesiasticarum rerum rationem habeat, quam Majestatem Tuam et habere, et ab aliis haberi velle certo scimus. Erit hoc a Nobis gratissimum, tuaque spectatissima pietate dignissimum. Ipsi autem Nuncio nostro eandem uti fidem tribuas, quam Nobis ipsis tribueres. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die xvii. Julii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Quam grata, quamque opportuna Pontificis intercessio apud Regem Catholicum extiterit, litteræ Episcopi Novariensis ad Gregorium apprime demonstrant. [*]

[*] Sabaudia Vol. 4. fol. 411.

Sño Dño Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

« Incredibili gaudio, summaque lætitia affectus sum, postquam mihi per litteras significatum extitit S. V. ita libenti animo Novariensis Ecclesiæ mihi commissæ protectionem suscepisse, ut contra illius perturbatores animadversum iri statuerit: haeque de causa Hispaniarum Regi Invictissimo litteras dedisse, quibus, quid S. S. velit, quid optet, ne indebite spoliet, ac possessione sexcentaria perturbet, aperte significatur; in eisque et illius animus ac propensa volontas mihi auxiliandi demonstratur. Hujus ego rei habita notitia, statim mihi ipsi restitutus ac molestia animi, qua gravabar maxima, sublevatus, immortali Deo perennes gratias refero, quod me licet immerentem tanto singulari favore S. V. prosequatur. Ita enim fiet, ut quæ ad Dei cultum, quæ ad dignitatem et Episcopale munus pertinent, ac a me jam cæpta sunt, alacriori animo totisque viribus, auxiliante Domino, ad optatam metam perducere enitar. Reliquum est, P. S. ut qua benignitate me juvare S. V. incepit, prosequatur permultum, et Nuntio suo mandare dignetur, quod apud Regem ipsum Catholicum jura Ecclesiæ meæ tutatur ac defendat, de omni-

busque S. V. certiorem reddat. Ego interim Deum optimum maximum exorabo, ut illam incolumem servet, cui supplex pedes beatos exosculor. Novariæ quarto Non. Augusti 1574.

E. S. V.

Servus humilimus
Romulus Episcopus Novariæ.

LXXXIV. — Eidem regi Catholico Pontifex enixe commendat Franciscum Cardinalem Paceeum de Toledo nuncupatum Roma in Hispaniam redeuntem, ejusque experientiam æque ac sapientiam in negotiis ecclesiasticis tractandis laudat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An III. ep. 106. f. 240.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex eo die, quo primum Romæ cognovimus dilectum filium nostrum Franciscum Cardinalem Paticeum, (cognovimus autem longe antequam ad hoc gravissimum summi Pontificatus onus vocaremur) semper eum plurimi fecimus mirificeque hominis omni virtute præditi, sermone et familiaritate delectati sumus, semperque existimavimus ejus prudentiam, pietatem, auctoritatem illis tum Pontificibus maximo usui fuisse in iis rebus, quæ Dei essent, quæque ad catholicam Ecclesiam pertinerent. Neque vero nostra Nos opinio fefellit, quod enim tum conjectura tantum judicabamus, nunc in nostro hoc laboriosissimo munere re ipsa perspeximus, quo etiam gravius ferimus ejus viri discessum, cujus semper prudentissimo consilio atque opera usi sumus: nec unquam eum dimisissemus, nisi judicassemus, ipsum visenda sua Ecclesia Burgensi uno tempore et suo muneri satisfacturum, et Nobis adjumento futurum, illiusque Ecclesiæ rebus pie sancteque constituendis, sanis confirmandis, corruptis, si quæ sunt, restituendis, nostram omnium ecclesiarum sollicitudinem allevaturum: quibus rebus constitutis, vehementer his de causis, quas diximus, ejus adventum expectamus. Accedit summa Nobis oblata facultas his temporibus gravissimis, atque hoc turbulentissimo rerum statu multis de rebus cum Tua Majestate agendi: quam quidem facultatem nisi ejus istuc adventus Nobis attulisset, alius omnino mittendus fuisset: neminem autem potuissemus habere meliorem magisque ex nostra sententia. Commisimus igitur ea, quæ cum Tua Majestate agi oportere arbitrati sumus; rogamusque, ut non minorem eidem fidem tribuas, quam Nobis ipsis tribueres. Illud præterea, ut eum omnibus in rebus quam commendatissimum habeas, sic enim confirmamus Nobis gratissimum futurum, si intellexerimus ad tuam erga illum voluntatem atque ad ejus merita nostram commendationem magnum cumulum attulisse. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XVI. Octobris MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Ut piis ejusdem regis votis satisfaceret, Pontifex Nonis Novembris Sedem Episcopalem Burgensem in Regno Castellæ in Metropolitanam erigit, eumdemque Cardinalem Paceeum ad hancce Sedem nominat ad remunerandos ipsius labores, quos Romæ in componendis rebus ecclesiasticis Hispaniarum tanta cum laude sustinuerat. (*)

(*) Bullar. Rom T IV. P III Constit. 20. pag. 292.

LXXXV. — Meritas insuper tribuit laudes eidem Philippo II, quod zelo gloriæ Dei incensus et tribunal Sanctæ Inquisitionis tueretur, et de morum corruptorum emendatione in universa ditione sua adniteretor. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann III ep. 115. f 277.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil est, quod tam deceat Regem Catholicum, quem te, ut nominamus, sic re ipsa agnoscimus, quam curare, ut purus syncerusque cultus tribuatur Deo. Constat autem cultum hunc duabus rebus contineri: fidei veritate in animo, et morum sanctitate in vita. Nam si qui recte credant, vivant autem secus, quam Christiana lex jubet: hi verbis quidem fatentur se nosse Deum, factis autem negant, qoi etiam eo ruunt gravius, quo frequentius peccant, amittuntque in dies magis sui ipsius, bonorumque eorum, a quibus recedunt, notitiam; hebetioresque fiunt ad suavissimam veritatis lucem intuendam, dumque eam agunt cum gaudio, quæ sunt fletu dignissima suum ipsi moliuntur interitum sempiternum ridentes. Ac primum illum Dei cultum, qui Catholicæ fidei professione continetur, maxime tibi cordi esse declarat tribunal sanctissimæ inquisitionis, quod Majestas Tua multis ac magnis favoribus quotidie prosequitur. Alterum autem parare te, et niti, ut mores depravatos corrigas, summa cum voluptate cognovimus ex literis Nuncii nostri. Itaque et in Domino gaudemus, et Tuæ Majestati per has literas gratulamur. Gaudendi autem et gratulandi causæ multæ et gravissimæ sunt: sic enim maximas peccandi occasiones removebis, quæ multis incautioribus sæpe exitio sunt: tum eos ipsos, qui peccare consueverunt, facilius ad sanitatem revocabis, quæ quidem animarum salutis cura sacrificium est maximum, Deoque acceptissimum: progredietur etiam zelus iste tuus ad cæteros Principes Catholicos, eritque omnibus summa cum christiani nominis dignitate ad imitandum propositus: avertes præterea iram Dei, siquidem nostrarum calamitatum et cladium, hostiumque potentiæ, ac prædarum direptionumque, et occidionum, quibus conficimur, maximam causam esse, ait Propheta, nostra crimina. Si populus, inquit, meus audisset me;

Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam, et alibi. Si dereliquerint legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; si justitias meas profanaverint, et maodata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. Efficies denique criminibus dimovendis atque optimis moribus restituendis, ut pure sancteque colatur Deus; quodquidem nullo etiam proposito premio debet catholico Principi maximæ curæ esse: nunc autem in tot, tantisque, tum terrenis, tum cœlestibus premiis quid est, quod Nobis magis cordi esse debeat? Perge igitur, ut facis, charissime fili, atque in istam curam toto pectore incumbe: ac si quid in isto negocio esse intelligis, in quo possimus nostram operam navare Deo, fac Nos certiores, habebis paratissimos. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, eumque super his rebus ut libenter audias, fidemque ei habeas rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXXXVI. — Senatus Academiæ Complutensis, quæ vulgo studium generale dicebatur, et celebre tunc divinæ sapientiæ domicilium erat, Gregorium per Legatum adit adprecaturque, ut sua protectione et beneficentia eandem fovere velit. Complutenses mire et juste celebrant summa Pontificis merita, ejusque sapientiam in totius Ecclesiæ, et præsertim Hispanæ regimine. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol 194.

Sanctissimo Papæ Nostro Gregorio.

Gregorio Decimotertio S. R. E. Pontifici Max. Doctor Yraña Complutensis Academiæ Rector salutem et perpetuam felicitatem.

« Quantum voluptatis et lætitiæ ceperit Academia Complutensis, Beatissime Pater, ex tua in celsissimam istam Pontificatus Maximi Sedem promotione, nullum erit tam aureum eloquentiæ flumen, nulla favendi sermonis tanta vis, aut copia, nulla orationis ubertas tanta, quæ exprimere dicendo possit. Nunc vero cum audiat et ex crebris totius orbis sermonibus intelligat, Sanctitatem Tuam summa virtute, singulari prudentia, fide, innocentia, integritate, cura, solicitudine, vigilantia in sedandis turbulentissimis rerum motibus, quibus undique Christiana jactatur Respublica, in reprimendis hæreticorum furoribus, in Sanctissimorum Patrum decretis et sanctionibus defendendis, in corruptis ac depravatis moribus ad pristinam normam revocandis versari; Deus etiam quanta majore perfunditur alacritate, quanto ferventiore exultat gaudiorum æsto, usque adeo ut in mediis hisce voluptatibus bacchari veluti Cymphata videatur: nec immerito sane cum multis in rebus raram atque inositatam Sanctitatis Tuæ clementiam, et humanitatem experta sit, et quoties incidit occasio, fuerit a te honorifica prædicatione et sapientiæ ac literarum nomine præter cæteras Academias celebrata. Cum igitur nobis verba non suppetant, quibus per literas internos animorum nostrorum sensus, et summam erga Sanctitatem Tuam observantiam possimus explicare, Joannes Saravia tuis pedibus advolutus multo uberius et copiosius significabit; qui unus est ex numero equitum illustriumque virorum, qui in hoc nostro commorantur collegio; cui etiam propter multa et virtutis et nobilitatis ornamenta injuncta est negotiorom, quæ ad tuendas hujus scholæ immunitates et privilegia spectant, procuratio. Tuæ Sanctitati supplicamus omnes, quotquot in hoc celebri divinæ sapientiæ domicilio versamor, ut si quid inciderit, quod justum, æquum et honestum sit, in quo hujus litterariæ reipublicæ salus et incolumitas innitatur, illum libenter et humane pro natura sua clementia accipiat atque audiat; et ut faciles aditus habeat, sitque illi et visendi et adeundi et interdum etiam alloquendi sui principis potestas, neque tuæ liberalitatis et beneficentiæ fontes, qui cunctis gentibus et nationibus patent, illi clausos esse patiare. Sic enim tanti Pontificis gratia et favore hæc nostra stabilita Academia, nullis poterit adversariorum conatibus de gradu dignitatis et splendoris deturbari. Valeat, agatque omnia feliciter Sanctitas Tua, quam Deus Opt. Max. sua semper cura custodiaque tuncatur. Decimo Cal. Julii MDLXXIII. Compluti.

Sanctitatis Tuæ

Deditissimi servi

D. Yrana Rector. — El doctor Castañella. — D. Peres de Lecxta.

LXXXVII. — Episcopi Daventriensis, viri præstantissimi consilium Pontificem adeundi in suæ diœcesis negotiis Gregorius valde approbat, eique in omnibus opem se laturum esse promittit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An II epist. 318. f. 130.

Venerabili Fratri Ægidio Ep. Daventriensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Agnovimus in tuis literis animum vere Episcopo dignum, Christi nimirum gloriæ zelo plenum. Quæ de catholica religione, et disciplina istis in locis retinenda, et restituenda Nobis communicaturus es, ea libentissime coram audiemus. Venies igitur tuo commodo. Speramus Christi ope, atque opera tua omnes Sathanæ machinas disjectas iri: quam quidem ad rem nostram auctoritatem, atque operam semper paratissimam habebis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Februarii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Archiepiscopum Trajectensem itidem in Batavia monet et increpat, quod in Metropoli sua Seminaria clericorum juxta præscriptiones Patrum Tridentinorom nondum institui curaverit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann. III. ep. 170. f. 292.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Trajectensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quæ salutarius in Synodo Tridentina fratres a Sanctissimo Spiritu edocti decreverunt Seminaria per diœceses institui, atque ita comparari Ecclesiæ Dei operarios Catholica et vera doctrina, ac morum sanctitate præditos ad impiorum hæreticorum ora obstruenda, nefariosque eorum conatus comprimendos, hoc gravius dolemus, rem tam utilem, tamque necessariam tamdiu plerisque in locis differri. Itaque hortamur fraternitatem tuam, quantum possumus, in visceribus Jesu Christi, ut Seminaria per tuam Metropolim quamprimum institui cures, eaque omni studio et diligentia tuearis. Est hoc tua curatione dignissimum, muneri congruentissimum, Catholicæ Ecclesiæ fructuosissimum, Deo acceptissimum. Quod quidem cum te pro tua prudentia intelligere, pro pietate autem velle non dubitemus; longiores in cohortando esse non debemus. Expectamus quotidie certiores fieri, hoc a tua fraternitate perfectum esse, quod iis de causis, quas diximus, incredibiliter cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Laudandi in primis sunt Præsules Mechlinensis ac Tornacensis, quorum primus Synodum provincialem, alter Synodum diœcesanam coegerat ad restaurandam collapsam Ecclesiæ disciplinam et eliminandos cleri laicorumque corruptos mores. [*]

[*] Apud Hartzheim: Concil Germaniæ To. VII fol 735. 756.760.768

LXXXVIII. — Hoc eodem anno Rex Catholicus studio, quo ardebat, avitæ fidei in fœderatis sibi Belgii provinciis propagandæ atque firmandæ impulsus, preces pro Episcopatu Luxemburgensi erigendo Pontifici obtulit. [*] Verumtamen lugendum, quod Episcopus Leodiensis, Præsul alioquin piissimus, nec non vigilantissimus, cujus jurisdictioni urbs Luxemburgi suberat, a Pontifice hoc de negotio interrogatus, sancto huic consilio restiterit. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 97.

[*] Lit. Episcopor. Vol. VIII. f. 212.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater, post pedum oscula beatorum.

« Cognovi proximis diebus ex epistolis Venerabilis Confratris mei Domini Winandi Decani Leodiensis et Agentis mei, qui has reddent, Sanctitatem Vestram, ad instantiam ex parte Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici pro erectione novi Episcopatus Luxenburgensis denuo factam, Rm̃is et Illm̃is Dominis Cardinalibus Ursino, S. Crucis, et Alciato hujus causæ cognitionem nuper commisisse, ipsique meo Agenti ab illis mandatum fuisse, ut si quid ex parte mea adducendum putaret, quominus hanc erectionem fieri oporteret, id primo quoque tempore coram ipsis deduceret: idque ab illo factum exhibito etiam ipsis iterum eodem illo scripto, quod in hac ipsa causa ad fœlicis recordationis Pium Papam Quintum, ultimum Sanctitatis Vestræ prædecessorem, miseram, ab eodem jussus, ut, quæ contra eam erectionem, si in meum et Ecclesiæ Leodiensis præjudicium vergeret, adducenda arbitrarer, scripto transmitterem. Putabam sane, Pater Sancte, me, misso illo scripto, ac deinde quoque meo ac Capituli mei Legato Archidiacono Brabantiæ in Ecclesia Leodiensi, meo hac in parte officio plene satisfecisse: neque consideratis iis plurimis et gravissimis rationibus, quæ tum scripto illo continebantur, tum a dicto Archidiacono explicatæ deinde fuerunt iis Rm̃is et Illm̃is Dominis Cardinalibus, quibus hoc negotium tunc delegatum erat, ulteriorem ullam ex parte Majestatis Catholicæ instantiam pro dicta erectione factum iri. Verum cum ea nunc iteretur, atque a dictis Dominis Cardinalibus Ursino, Sanctæ Crucis, et Alciato hi latores jussi sint rationes de integro, quominus dicta erectio fieri deberet, adducere: præterquam quod ipsis latoribus in mandatis dedi, ut easdem rationes dicto scripto comprehensas adducerent, non possum etiam pro officio, quod Ecclesiæ meæ juratus debeo, dissimulare, non immerito dolere me hoc negotium, quod omnino jam conquievisse arbitrabar, iterum in hac temporum ac rerum imbecillitate et perturbatione commoveri. Credo Sanctitati Vestræ non esse obscurum, quantam imminutionem antiquissimæ suæ jurisdictionis, simul et dignitatis hæc Ecclesia ex erectione novorum Episcopatuum in Majestatis Catholicæ ditionibus Germaniæ inferioris passa sit, quemadmodum adhuc patitur. Quamobrem, ubi consolationem tot jam annos aliquam de præteritis incommodis ac damnis ex parte Majestatis Catholicæ, cui ea res a diversis Sanctitatis Vestræ felicis recordationis prædecessoribus sæpius commendata fuerat, expectavimus, novam nobis hanc afflictionem addi, tam non posset non esse nobis molestum, quam propter eam, quam dixi, temporum et rerum imbecillitatem ac perturbationem magnopere profecto vereri cogeremur, ne qua et hæc innovatio in hac ditione animorum alienationem pareret, ac turbarum et incommodorum occasionem præberet. Ne vero prolixior epistola Sanctitati Vestræ molesta sit, dignabitur ipsa super hoc negotio dictos Decanum et Agentem meum qua solet benignitate audire, eisque fidem dare. Deus Optimus Maximus eandem ad sanctissimi sui nominis gloriam et Ecclesiæ suæ consolationem quam diutissime incolumen servet. Cui me et eandem meam Ecclesiam humillime commendo.

Leodio XXIII. Decembris MDLXXIII.

Sanctitatis Vestræ

Humilimus et perpetuus devm̃us orator.

GERARDUS EPISCOPUS LEODIENSIS.

LXXXIX. — Gregorius postulata, quæ Bisuntini anno mox elapso ei obtulerant, et Cæsari et Regi Catholico instanter commendavit, uti ipse eos frequentibus litteris certiores reddidit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 257.fol.161.

Dilectis Filiis Gubernatoribus Bisuntinis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quo sese apertius ostendit in vestris literis vestra insignis pietas summumque catholicæ Religionis atque ecclesiasticæ jurisdictionis studium, eo magis utrique causæ sua sponte gravissimæ omnem nostram auctoritatem atque operam deberi agnoscimus: altera enim continet ipsa per sese causam Christi, altera Pontificiam potestatem cum eadem causa coujunctissimam: nihil autem est, quod summum Pontificem pro munere sibi a Deo assignato magis agere oporteat, quam utrique causæ toto pectore amplectendæ et tuendæ invigilare. Scribimus ad Nuncios nostros, qui apud Charissimos in Christo filios nostros Maximilianum Imperatorem electum, et Philippum Regem Catholicum sunt, ut apud eos agant nostris verbis quam diligentissime de iis rebus, de quibus ad Nos scribitis; quod quidem illos facturos et quæ cupimus, impetraturos speramus: neque enim aut de Nunciorum nostrorum diligentia, aut de Maximiliani ac Philippi pietate dubitare possumus; quæque eorum Ministri parum, ut scribitis, considerate agunt, dum se illis gratificari putant, et ab illorum voluntate alienissima esse existimamus. Vos item curate, ut vestri cum nostris Nunciis sint, declarentque, hæc vobis magnopere cordi esse; neque desint studio et diligentia. Ut autem pie sapienterque Nos tantis de rebus certiores faciendos putastis, sic quæcumque res inciderit, in qua possimus probare nostram charitatem et Christi gloriæ, atque Apostolicæ dignitatis zelum tam libenter eam accipiemus, ut nihil unquam libentius facturi simus, quem animum, ut a Deo habere profitemur, sic immensæ ejus benignitati immortales gratias agimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Aprilis MDLXXIV. Pontificatus Nostri anno secundo.

Nihilominus cum administri Hispani Burgundiæ a molestanda Ecclesiæ jurisdictione haud desisterent, comitia (vulgo status) Comitatus Dolæ eam ob rem congregata Archiepiscopum suum ad Philippum II. mittunt, ut causam libertatis ecclesiasticæ apud eundem, a regiis administris valde conculcatam, defendat: Pontificemque exorant, ut eundem regi Catholico quam maxime commendet ad legationem suam egregie perfungendam. (*)

(*) Gallia Vol. 8. fol. 803.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

« Post pedum oscula beatorum. Cum jussu Serenissimi Philippi Regis Hispaniarum Catholici, Principis ac Domini nostri, ordines atque status universi hujus Comitatus Burgundiæ Dolæ congregati, de rebus gravissimis legationem constituerint amplam et quantum fieri posset, splendidam mittere ad ipsum Principem, nec inter proceres majoris vel æqualis auctoritatis quisquam præter Dominum Archiepiscopum Bisuntinum dignissimum cum ob familiæ splendorem, tum ob Ecclesiæ Bisuntinæ et Principatus dignitatem reperiatur: uno ore omnes eum rogavimus, et per charitatem patriæ obtestati sumus, ut legationem hanc benigne susciperet. Non modo enim causam nostram apud Regem acturus est, sed et Ecclesiæ suæ, quæ non parum laborat. Sed quia veretur (quemadmodum significavit) injussu Sanctitatis Vestræ, aut certe sine consensu, sponsam suam hanc relinquere; suscepimus nos causam omnem facile probaturos apud S. V. ut et sanctam et piam, et cum dignitate Ecclesiæ atque utilitate conjunctam. Confisi quidem maxime de Paternitatis Vestræ Sanctissimæ æquitate, et in Burgundiam hanc Regemque nostrum Catholicum summa benevolentia atque amore, quod ne frustra nos obtinere susceperimus, faciat, obsecramus nos filii devoti vestri et obsequiosi Vestram Beatitudinem. Oramus autem Deum Opt. Max. pro Vestra incolumitate. Dolæ XVIII. Novembris MDLXXIII.

S. Vestræ

Devoti filii totius Comitatus
Burgundiæ Status Dolæ congregati.
X. Hymart.

XC. — In ditionibus quoque Flandricis Hispani administri multa arbitratu suo egerunt contra ipsius regis voluntatem, qui, ut omnibus notum, post discessum Albani Ducis ex Belgio, sub finem anni elapsi, veniam criminum in præteritis et præsentibus turbationibus civilibus perpetratorum, una cum restitutione famæ, honorum et bonorum universim iis dederat, qui ab imperiali Majestate defecerant, dummodo fidem catholicam servassent. Inter hos, qui beneficio hujus veniæ, quæ a recentioribus vocabulo greco amnistia nuncupatur, frui potuere, recensebatur etiam vidua infelicis Comitis ab Egmont, qui ut dux rebellium anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo morte multatus fuerat: attamen una illa infelix mulier, mater undecim filiorum, quos ei conjux reliquerat, miseratione dignissima, usque adhuc non alio beneficio quam spe fruebatur. Cæsar ipse misertus infortunii hujus mulieris, causam ejus apud Pontificem egit. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 35. fol. 7.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ, continuum incremen-

tum. Exposuit nobis perquam demisse Illustrissima Sabina, nata Comitissa Palatina Rheni, Ducissa Bavariæ, quondam Lamorallii Principis Gauriæ et Comitis de Egmont vidua, consanguinea et Princeps nostra charissima, quod etsi nuper, nomine Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici etc. fratris patruelis et generi nostri carissimi, in Serenitatis Suæ ditionibus Belgiis edictum generale promulgatum fuerit, quo omnibus earundem ditionum subditis, dummodo catholice eos vixisse constet, venia et indulgentia concessa sit quorumcunque criminum, ab ipsis quovis modo, tam in præteritis quam præsentibus tumultibus commissorum, restituendo eosdem famæ, honoribus et bonis suis, non obstante, quod illi, vel eorum aliqui, jam convicti, ac per sententiam latam damnati essent: ea tamen, quantumvis generalis venia ita restringi velit, ut non censeantur comprehensi hi, quorum bona per sententiam Fisco adjudicata sint. Quoniam vero restrictio hæc ipsam quoque Comitissam de Egmont cum liberis suis a sperata defuncti conjugis et patris honorum restitutione excludit, Nobis ejusdem Comitissæ, ac undecim suorum liberorum nomine humiliter supplicatum fuit, ut cum satis constet, dictum Comitem de Egmont catholice semper vixisse, dignaremur non solum apud Serenissimum Regem Catholicum intercedere, sed nostro etiam favore apud Sanctitatem Vestram efficere, ut suas quoque apud eundem Regem partes interponeret; quo sic tam Sanctitatis Vestræ, quam nostra intercessione adjuti, istud a Rege Serenissimo impetrent, ut memoratum Edictum eo extendat, quo ipsa vidua ac ejus liberi, tanquam defuncti Comitis hæredes, sub eadem comprehensi, conjugis et patris sui bonorum restitutionem consequi possint. Nos igitur ob dictæ Comitissæ ac tam numerosæ prolis suæ res afflictissimas pia commiseratione ducti, atque insuper durum existimantes, eos, qui haud unquam contra præfatum Serenissimum Regem arma sumpserunt, pejoris conditionis esse, quam illi, qui armati in contumacia sua adhuc persistunt, facere non potuimus, quin uti hanc causam apud Serenitatem Suam tam litteris quam per Oratorem nostrum omni studio juvandam promovendamque suscepimus. Ita Sanctitatem V. pro sua etiam intercessione, in re, favore et pietate sua imprimis digna interpellaremus. Quapropter Sanctitatem Vestram enixe rogamus, ut sæpedictæ Comitissæ ejusque liberis hac in parte non deesse, quinimo sua intercessione ac paterna auctoritate prædictum Serenissimum Regem Catholicum eo inducere velit, ut non tam offensæ illius, quam eorum conjux et Pater capite luit, quam fidelium utiliumque ejusdem obsequiorum, et Serenitatis Suæ genitori, Divo quondam Carolo V. Domino patruo et socero nostro observandissimo Augustæ memoriæ, et Serenitati Suæ, pacis bellique tempore, indefesso studio ac posthabitis quibuscunque periculis, præstitorum memor, jam tandem infelices orphanos cum matre vidua clementi vultu intueri, bonaque sublati e vivis conjugis et patris ipsis restitui curare velit. Quod uti Sanctitatem Vestram, quæ ejus est summa pietas, ac nobis quoquo loco et tempore gratificandi propensissima voluntas, haud gravatim facturam esse, nobis omnino pollicemur. Ita non prætermissuri sumus, quin hoc ipsum filialis nostræ observantiæ officiis per omnem occasionem promereri sedulo adnitamur. Quod reliquum est, Sanctitatem Vestram diu incolumem felicissimamque vivere ex animo optamus.

Datum in Civitate nostra Vienna, die XXVIII. mensis Julii, Anno Domini MDLXXIV. Regnorum nostrum Romani XII. Hungarici XI., Bohemici vero XXVI.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

MAXIMILIANUS.

Gregorius non distulit, quin regem Catholicum enixe precaretur, ut mulieri illi beneficio memoratæ veniæ frui liceret, bonaque conjugis quæ fisco regio addicta fuerant, restituerentur.[*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann III ep. 93. f. 210.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PP. XIII.

«Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Cognita clementia Majestatis Tuæ ex edicto Belgico de ignoscendo omnibus, qui in superioribus, præsentibusque ejus provinciæ tumultibus quæcunque crimina admisissent, deque restituenda eis fama, honore, bonis omnibus, etiamsi jam convicti ac damnati fuissent, modo Catholice vixissent, magnam in spem venerant dilecti filii Sabina olim uxor Comitis Egmontis undecimque ejus ex eodem matrimonio liberi, recuperandi bona conjugis et patris, quæ ad se pervenire debuissent, cum semper Catholici fuissent, nihilque unquam adversus Majestatem Tuam moliti essent. Hac nunc spe et beneficio se excludi verentur, quia objicitur edictum illud arctandum esse ad ea tantum bona, quæ fisco nondum adjudicata essent, atque ab eo possessa. Rogamus Majestatem Tuam, quantum possumus, ut miserearis hujus viduæ et pupillorum, eosque tua benignitate complectaris, inque eo cogites, gratissimum facturum Deo, cui hoc maxime tribuit Propheta, ut viduam et pupillum suscipiat, et vias peccatorum disperdat. Nam cum tuam clementiam magna cum laude impertias hostibus ipsis adversum te armatis, atque omnibus sceleribus coopertis, qui tamen ex ipsius Prophetæ sententia meriti erant ut a Deo, sic a Rege ejus ministro disperdi; quanto æquius in hac vidua et

pupillis, qui nihil commiserunt, neque ullo suo crimine aut culpa conciderunt, sublevandis, laxandaque illa nimis, ut videtur, hac in re astricta interpretatione de bonis fisco minime adjudicatis atque ab eo possessis; præbebis te ministrum optimum et gratissimum Deo? Nos igitur commendamus humanitati et misericordiæ tuæ, atque paterna bona ex edicto ipso pupillis restitui velis; ita a Tua Majestate postulamus, ut nihil majore studio postulare possimus. Aget etiam cum Majestate Tua hac eadem de re Nuncius noster, cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die x. Septembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XCI. — Fides catholica in Indiis Occidentalibus et præ cæteris in provincia Mexicana indies lætior efflorescebat. Quæ cum sub patrocinio sanctæ Mariæ Virginis illuc appulerit; ut etiam apud Indos nativos eo magis dilataretur, pius Senatus Populusque Mexicanus Pontificem exorat, ut Ecclesiæ ipsorum Cathedrali Indulgentias, fidelibus singulari cultu ac veneratione Beatissimam Virginem prosequentibus concessas, æque concedere velit. (*)

(*) Lusitania Vol. 5. fol. 300.

Beatissimo Domino Gregorio hujus nominis Decimo Tertio Romanæ Ecclesiæ Pontifici Summo Senatus Populusque Mexicanus utramque salutem quam felicissimam exoptat.

« Cum sui muneris sit, Summe Pastor, idque non ab alio quam a Christo Jesu, aeterni patris filio primario ecclesiæ capite concessum, Dei vicem in terris gerere, cœlum claudere et recludere, hominum peccata condonare, ligare et solvere, leges dare, jura interpretari, dubia explicare, sacram scripturam exponere, hæreses et errores damnare, quidquid de fide tenendum et observandum sit, decernere, concilia et decreta confirmare, pontifices et sacerdotes creare, christianorum mores componere, ecclesiæ thesaurum, cum expedit, distribuere, evangelium ubique gentium promulgare, ac demum in his præcipue, quæ ad animarum salutem pertinent, summa potestate et auctoritate uti: ad quem ideo, cum velut ad christianæ reipublicæ summum principem, ovium supremum pastorem, et ecclesiæ militantis principem maximum, Christi vicarium, et Petri successorem, regni cœlestis claves tenentem undequaque fideles omnes, uti divina lege docentur, quo salvi omnique animi malo incolumes fiant, alii alia subsidia et remedia postulaturi confluunt et confugiunt, intelligentes (quod res habet) Ecclesiæ Romanæ et Romani Pontificis confessione omnem salutem et incolumitatem suam positam esse. Porro autem cum fidem hanc una cum lacte nos imbiberimus, et ceu hæreditariam a majoribus nostris acceperimus, quantum in nobis positum fuit, et nos et majores nostri divino primum, deinde vero Hispaniæ regum auxilio et summorum pontificum authoritate freti, promulgandam, dilatandam, et Indorum pectoribus in novo hoc orbe inserendam duxerimus; optime facturos arbitrati, si quo res indies felicior cedat, a te quando presentes non possumus, absentes (quod ultro facimus) ad pedes Sanctitatis tuæ provoluti, per literas ex ecclesiæ thesauro distribuendas indulgentias divæ Mariæ (quam nos remediorum appellamus) concedendas enixissime contendemus, precamur et supplicamus: eo enim loco, (ne id interim, quoniam præclarissimum est, Sanctitatem tuam prætereat) quo templum erectum est, Virginis matris afflicti Hispani, misere antea, ex illis multis peremptis acerrime contra hostes pugnantis, opem, favorem, auxilium et remedium (unde remediorum domina a nostris fuit vocitata) ita presenserunt, ut non multos post dies redintegratis viribus nostri bellum repetentes urbem Mexicum una cum finitimis provinciis, verbi divini prædicatores et factores, simul sub legis evangelicæ suave jugum redegerint, ut ab eo tempore ad hanc usque diem suavissime in dies magis ac magis per longe remotiora loca evangelium promulgatum sit. Spes proinde certa est, Sanctissime Pastor, tuo ductu futurum brevi, ut quæ extra ovile sunt, (sunt enim pene innumeræ) reliquas oves ad te adducas. Oportet enim, ut quemadmodum una est fides, unum baptisma, unus Deus, ita ante novissimum diem unus sit pastor, et unum ovile; idque eveniet brevius, quo et tu et qui supersunt summi Pontifices operam diligentius dederetis, ut qui extra ecclesiæ gremium degunt, auctoritate vestra ab erroribus suis resipiscant; et qui Spiritus Sancti aqua sunt regenerati, salvi fiant. Utrumque autem, præsulum maxime, quantum in te positum est, ex ecclesiæ thesauro erogatis, quas petimus indulgentias, conficies felicissime; felicior et beatior, quod nos felices et beatos feceris et apud mortales et apud superos perpetuo futurus. Vale utraque valetudine quam prosperrime, nosque in Christo filios tuos ama, fove, instrue et juva. Mexici, octobris vigesima sexta die anno virginei partus millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Humilimi Sanctitatis Vestræ servi

JOAN VELASQUEZ - MELCHIOR DE LEGAZPI - B. DE ALBORNOZ - DON GARCIA DE ALBORNOZ - DON LORENÇO DE CASTILLA - HIERONYMO LOPEZ - ANTONIO DE CARVASAL - ETC.

XCII. — His diebus Eborensis cathedra, prima regni Lusitaniæ, pastore suo orbata fuit. Pius ille Algarbiorum rex cum Pontifice agit, ut eam avunculo suo Henrico Cardinali Infanti nuncupato concedere velit. (*) Easdem preces Cardinalis ipse Gregorio porrigit, spondetque omnem se operam adhibiturum, ut alma studiorum artiumque Universitas Eborensis magis magis-

(*) Mansiosa document. N. 96.

que florescat, cultoresque vineæ dominicæ quam excultiores reddat ad instruendos populos in fide Christiana, etiam in regionibus ultramarinis.[*]

[*] Lusitania Vol. 8. fol. 28.

Beatissime Pater et Sanctissime Dñe Noster.

« Diebus proximis Joannes Melius Eborensis Archiepiscopus excessit e vita. Visum est autem Regi Dño meo valde commodum illius ecclesiæ moderandæ curam mihi commendari. Quamvis autem eodem munere me decem abhinc annis abdicavissem, (erat enim ætas Regis Domini mei opera mea necessario fulcienda) cum ille jam propter robustiorem ætatem ope mea minus indigeat, nolui voluntati illius repugnare. Quod ut facerem, multæ me rationes impulerunt. Primum quidem, cum magna pars fructuum, qui ad eandem ecclesiam pertinent, sit usibus meis certis pensionibus attributa, juris ratio postulat, ut quemadmodum fructu potior, ita laborem sustineam. Venit deinde mihi in mentem, esse a me multa in eadem provincia vigilanter instituta, quæ non facile poterunt alterius ope ad fœlicem exitum perduci. Est artium maximarum universitas acrius incitanda; est Spiritus S. Collegium uberius exornandum; sunt viri religiosi ad Evangelii ministerium vehementius stimulandi, ut quod cum laude verissima moliuntur, cum fœlicitate summa perficiant. Sic autem Spiritus Sancti numine et beneficio fieri facile poterit, ut exoriantur inde multi Christi operarii, disciplinæque cœlestis administri, qui partim concionibus assiduis homines a flagitiis revocando, partim flagitiorum confessiones ad animarum remedium sapienter audiendo, non modo Ecclesiæ Eborensi, sed Regno et nationibus, quæ Regis Domini mei imperio continentur, valde prospiciant. Neque interim eorum salus, qui sibi tantum salutis fructum ex hac exercitatione percipient, erit ullo modo negligenda, qui quidem erunt (ut auguror) innumerabiles. Ut autem id jam commode fieri possit, multi ex eodem Collegio adjutores extiterant, quorum opera utar, et alios similiter et virtutibus et disciplinis sacris excultos adsciscam, ut facilius tam præclarum opus efficiam. Id etiam postremo me in magnam spem impellit, fore ut ea, quæ animo molior, fœliciter effecta conspiciam, quod intelligo me jam ex eo tempore, quo provinciam illam administrare cœpi, esse charissimum universis, ita ut non dubitem quin facillime opera mea multæ utilitates omnibus illis afferantur. Hæc omnia mihi animum addiderunt, ne munus oblatum aspernarer. Si regium igitur postulatum Sanctitati Tuæ æquum visum fuerit, nec ætas ingravescens, neque corporis imbecillitas erit impedimento mihi, quominus onus istud subeam atque sustineam. Certum enim est mihi, dum vita suppedet ocium fugere, omneque meum studium in Christi gloria, in ecclesiæ mihi commissæ fructu, et in tui, Sanctissime Pater, et istius Sanctæ Sedis Apostolicæ obsequio et veneratione consumere, priusque mihi sensus eripietur, quam hoc pietatis studium et animi ardor extinguatur. Hoc tamen a me fieri rite spero, si Deus Opt. Max. suo me favore juverit, et Sanctitas Tua suo præsidio et auctoritate dignum esse judicaverit. Deus omnipotens Sanctitatem Tuam nobis et Ecclesiæ suæ diutissime atque fœlicissime incolumem servare dignetur. Olyssipone die vigesima Septembris MDLXXIII.

Humillimus et devotissimus Sanctitatis V.
servus et creatura
HENRICUS CARDINALIS INFANS.

Gregorius lubentissime piis Regis postulatis accessit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann.III ep. 134. f. 201.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Semper judicavimus dilectum filium nostrum Henricum Cardinalem Portugalliæ Infantem omni honore dignum, quia ejus prudentiam et pietatem in rebus gerendis, et ad Dei laudem dirigendis perspectam habemus. Itaque hodie in nostro Consistorio præfecimus eum, ut Nobis per litteras supplicasti, Ecclesiæ Eborensi, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus factum ipsum mirifice approbantibus. In quo ut Tuæ Majestati libentissime gratificati sumus, sic Ecclesiæ illi præclare perspeximus: quod etiam in supplicando Nobis pro Cardinali spectasse Majestatem Tuam non dubitamus. Deus benedictus adsit semper nobis sua gratia; tibique cum belli istius exitum largiatur, quam maxime cupis ad nominis sui gloriam, Catholicæque Ecclesiæ amplitudinem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quinta Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XCIII. — Joannes, piissimus in insula Ceylonensi rex, paucis ante annis impietate ethnicæ superstitionis rejecta, fidem Catholicam amplexus fuerat. Quare ab avo suo ethnicæ superstitioni addicto, annuentibus vel certe conniventibus ipsis regis Lusitaniæ administris, cujus in potestate illa insula erat, regno fuit spoliatus. Supplex igitur IV. Kal. Febr. Gregorium adiit, ut causam suam, alias justam et sanctam apud Lusitanorum regem ageret, curaretque, ut in regnum quam primum restitueretur. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 99.

XCIV. — In Anglia desæviebat adhuc persecutio Catholicorum non capitis pœna, sed exilio et expoliatione honorum bonorumque. Rossensis Episcopus dux et antesignanus generosorum illorum virorum, qui ob fidem exulatum obire neotericorum Principum scitis jussi fuerant, eorum causam apud Pontificem agit, eumque adprecatur, ut ipsum una cum ærumnosis illis benevolentiæ atque caritati Catholicorum

Principum commendet, eosque insuper paterne adhortari velit, ut inter sese conveniant de restituenda avita fide in Britannia. Idem Episcopus nunciat quoque Pontifici, quæ ipse, quæ pia Scotorum Regina pro fide Catholica perpessi sint, quibusque pravis artibus cum Anglicæ nationis proceres, ut ab ea fide descisceret, aggressi fuerint. (*)

(*) Gallia Vol. 8. fol. 302.

Sanctissimo Domino nostro Papæ.

« Sex pæne annis, Sanctissime Pater, in Anglia legatione sedulo pro Regina Scotiæ, S. T. filia obsequentissima, functus, triennium vero in Londinensium carcere, vel liberiore aliquanto alibi servatus custodia, sæpius præsentem mortem præ oculis habui. Infinitis contra jus gentium contumeliis, quorundam magnatum inimicitiis, qui veræ et Catholicæ religionis professores ac Sanctitati Tuæ devotos filios insectari nunquam desinunt, affectus; tandem ope divina et regis Christianissimi crebra intercessione tamquam e mediis orci faucibus ereptus, in Galliam proficiscendi licentiam obtinui, ea tamen lege ut ad tempus ulterius non progrederer. Cum igitur dura nimis rerum nostrarum conditio ad Beatitudinis Vestræ pedes exosculandos accedere prohibeat, Domina mea Scotorum Regina mihi imprimis præcepit, ut Sanctitati Tuæ de supremo inter mortales honore gratularer, quod Deus optimus maximus tantum virum in gregis sui coryphæum ad tam miseras veræ pietatis ruinas reficiendas evexit. Gratias interim Tuæ Beatitudini immensas agit, quod illam innumeris calamitatibus oppressam, abjectam, prostratam paterno animo amplecti digneris, uti per Cardinalem Lotharingum avunculum charissimum intellexit. Id quod Tuæ Sanctitati præter infinitas præclarasque animi dotes a beatæ memoriæ Pio V. hæreditario quasi jure pervenisse existimat; maximamque animo spem innumeris circumsepta miseriis concipit, Sanctitatis Tuæ ætate fore, ut in nostra Britannia orthodoxæ fidei sinceritas restauretur, parique ratione illam ipsam, (quæ nonnisi pro catholica veritate affictatur) quæ neque crebra mortis comminatione (quæ fortissimos animos facile pervertat), neque diadematis restitutione (quæ maxime est illecebrarum omnium) vel latum unguem a Sanctitatis Tuæ obedientia divelli potest, post tot calamitates, miserias, opprobria, contumelias, recidiva, et corporis et conscientiæ pacem fruituram; simul etiam tot viros bonos, qui partim in Britannia delitescunt, partim illinc extorres errant, qui omnes a Dñæ meæ Reginæ Scotorum fortuna dependent, et libera veri sacrificii adoratione, bonorumque omnium, quorum jacturam fecerunt, restitutione gavisuros. Unde si Sanctitatis Tuæ prudentiæ visum fuerit, cum tantum e re christianorum sit, tam numerosam multitudinem ad veritatis agnitionem revocari, pro auctoritate paterna, qua in omnes christiani orbis monarchas a Deo donatus es, perficere, ut Imperatoria Majestas, Reges Christianissimus et Catholicus, reliquique Principes partim legationibus partim literis Anglos tam obnixe rogent, ut nulla contenti excusatione a scribendo cessent, donec tandem Domina mea in regnum restituatur. Vix credi possit, quantum ejusmodi christianorum Principum in Angliam sedulitas scribendi afflictis Catholicis Dominæque meæ imprimis prodesset. Atque hæc sunt, Sanctissime Pater, quæ in mandatis ad Tuam Sanctitatem perscribenda habui. Nunc vero cum bona venia de meis rebus paululum apud Tuam Sanctitatem liceat agere. Dum in illo Londinensium vere gurgustio detinerer, nullis non artificiis, minis et pollicitationibus me in eorum partes Angliæ proceres conati sunt pertrahere, in integrum restitutione bonorum et divitiarum mihi oblata. At ego divina gratia me juvante elegi potius patrimonio, Episcopatu, reliquisque bonis ecclesiasticis orbatus, vitam in exilio summa egestate inter viros bonos et pios agere, quam ullis sæculi lenociniis vel terroribus a Sanctissimæ Sedis unitate divelli. Quare si Tua Sanctitas Regi Christianissimo, qui jam pridem erga me optimo animo est, pro summis ipsius in me Sanctæ Sedis filium devotissimum meritis, sollicitaque de me servando apud Anglos intercessione gratias exhibere, et nostram inopiam illi serio commendare voluerit, confido fore, illius magnificentia, non adeo diu ab ecclesiastica functione me immunem permansurum. Hisce de rebus ad amplissimos dominos Cardinales Sermonetam, Pelvæum, Varmiensem, et Comensem scripsi, quos Tuæ Sanctitati Dominam meam Scotorum Reginam, meque Rossensem a Sancta Sede denominatum episcopum, in memoriam pro eorum pietatis zelo, revocaturos spero. Ego interea Sanctitatis Tuæ pedes humiliter exosculor; Deumque optimum maximum precor, ut Tuam Sanctitatem orbi christiano diutissime sospitem tueatur.

Parisiis 24. Febr. 1574.

Sanctitatis Tuæ devotissimus orator
Jo. E. Rossensis.

Gregorius, tantis piissimi istius Episcopi ærumnis excitatus, eundem quam maxime Regi Christianissimo commendavit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 325. f. 146.

Charissimo in Christo Filio Nostro Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Quo indigniora, atque acerbiora ab hæreticis passus est venerabilis frater Joannes Episcopus Rossensis, eo majore ex illius calamitate dolore afficimur; sed laudetur perpetuo immensa bonitas Dei, qui suorum virtutem in ærumnis exercet, eam aliis ad imitandum proponit, cœlestibus iisque amplissimis præmiis cumulat. Præ-

clarissima autem Christianæ virtutis, et fortitudinis documenta dedit is, quem diximus, Joannes, dum maluit carere patria, patrimonio, Episcopatu, rebus omnibus, atque inter bonos summa in egestate vivere, quam Anglorum Principum blanditiis deliniri; elegitque una cum Davide potius abjectus esse in domo Dei sui, hoc est in sancta et Catholica Ecclesia, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hunc Tuæ Majestati commendare tametsi supervacaneum ducimus (neque enim obscura est pietas tua, assiduaque de eo, dum in Anglia detineretur, servando sollicitudo: quo nomine summam habes apud Deum repositam mercedem); tamen pro ea, qua nostris fratribus charitate conjuncti sumus, facere non possumus, quin eum commendemus Majestati Tuæ, quantum possumus: eam enim, quam hactenus habes in eo juvando apud omnes bonos laudem, apud Deum mercedem in dies magis magisque augeri cupimus; Nos autem hoc nomine Tuæ Majestati perpetuo devinctos fore pollicemur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Episcopus Rossensis has litteras Pontificias regi ipsi graviter ægrotanti exhibuit. Cum autem rex paullo post diem supremum obiisset, idem præsul Pontificem, litteris ad Cardinalem Comensem datis, denuo exorat, ut successori Caroli eadem humanitate eum commendaret, quod et præstitit. Oblivioni haud demandanda prorsus sunt, quæ iste Episcopus de eximia defuncti regis Caroli pietate erga Anglos Catholicos Cardinali Comensi refert. [*]

[*] Gallia Vol. 8. fol. 490.

Illustrissimo et Reverendissimo D. Cardinali Comensi.

« Quod tam humanitee, animoque propenso apud Sanctissimum Dominum Nostrum causam meam egeris, Cardinalis Amplissime, quod tam benignum ab ipsius Sanctitate responsum acceperis, quod literis apostolicis vitam fortunasque meas Christianissimo regi commendari curaveris, quod denique tuis ipsius litteris, suavissimis illis quidem et amoris erga me tui piosque omnes locupletissimis testibus, in hac tempestate, rerumque mearum naufragio, corporis animique ægritudinem mei consolatus sis, Amplitudini tuæ tantum me debere profiteor, quantum ei cui nunquam solvendo me futurum esse cognosco. Neque vero propterea minus Sanctitati Suæ devinctum me, et obligatum esse sentio, quæ eo se demisit, ut causam meam suscipere, tueri, et commendatione sua prosequi dignaretue. Non est penes me quidquam, quo paternum illius amorem agnoscere queam, nec enim respondet voluntati votoque meo fortuna, sed quod ait poeta: Ipsa quidem virtus pretium sibi: satis enim superque intelligo, non ex fortuna, ingenioque meo, ab ipsius Sanctitate tam pii erga me officii mercedem expectari; sed unum hoc mihi persuadeo, Christum, bonorum operum communeratorem, Optimum Maximum beneficium hoc illi magna cum gratia et fœnore pensaturum. Quod antem in me est, illius Sanctitati spondeo, sancteque promitto, me quotidianis precibus pro illius incolumitate feliciqne statu Deum et Superos interpellaturum, nec pro Catholicæ Religionis, atque Ecclesiæ Romanæ et Apostolicæ doctrina fideque tuenda mortem et extrema quæque defugiturum. Ut autem intelligas, quanta sit hæc gratia, qua me sibi devinxit, ac veluti mancipium, literas Apostolicas, pee Sanctitatis Suæ nuntium mihi traditas, Carolo Christianissimo regi, ægro et jacenti exhibui quinto Id. Maji, quibns ille tanta cum humanitate respondit, nt majorem propensi animi et bene erga me affecti benevolentiam, atque amorem præseferre non potuerit. « Novi, inquit, « (hæc enim ejus ipsissima fuerunt verba) novi, « Domine Rossensis, sincerum tuum animum « et in Catholica Religione constantem; novi « etiam fidelem operam quam impendisti Principi tuo, meæque sorori, mihi quidem multis « nominibus charissimæ cujus salus atque fortuna ita mihi curæ est, ut nihil magis esse possit. Nec quidquam est, quod magis me sollicitum habeat, atque hoc ejus exilium diuturnaque custodia. Quod si præsenti rerum calamitate tandem aliquando defungi me, divinaque benevolentia liberari contigerit, nihil « omittam profecto, quod ad illius libertatem « procurandam regnique vestri ruinas resarciendas facere videbitue. Cæterum quod ad te « attinet, si, dum apud Anglos in carcere detinebaris, propensam in te voluntatem meam « re expertus es, majorem in modum etiam atque etism lætor, mihique ipsi gratulor, nec « ulla re in posterum tempus diminutam, quin « potius auctam et temporis tractu magna benevolentiæ accessione superius illud beneficium « liberationis tuæ cumulatum esse cognosces. « Dabo equidem operam, ue tibi quid hic desit, « et ut opportune rerum tuarum jactura meis « opibus atque beneficentia reparetur. Vides « quantis undique premor angustiis, non tantum externorum principum, verum etiam ingrati populi, subditorumque meorum circumseptus insidiis. At nunc demum, irato nimirum genio, factum est, ut usque ad viscera sanguinemque meum serpserit hæc conjuratio. « Tuam igitur hic fidem imploro, pro ea qua in « rebus gerendis experientia, usu atque industria vales, ut mihi hostium, præsertim Anglicæ Reginæ (quod scio facere te posse) consilia, technas, fraudem, atque insidias expiscaris et elicias, et vel me, vel matrem meam de « singulis admoneri, certioremque reddi cures, « ut detecta nefariorum hominum proditione,

« consiliisque cngnitis, paci concordiæque ci« vium, et nostræ, christianæque reipublicæ sa« luti upportune consulamus. » His verbis pius ille princeps paucis ante mortem diebus me interpellabat. Cujus voluntati satisfacere ne nunc quidem destiti, sed quo viventem prosequutus sum studio, eodem nunc defunctum complector: eaque fide matri servio, qua illi bene consulere solebam. Quod si diuturnior illi usura hujus vitæ contigisset, non dubito, quin bene mihi ab ejus Majestate provisum fuisset. Nam et moriens matri me commendavit, prout ipsa mihi non ita pridem testata est. Sed audio novum regem adventare, non minore in bonos omnes, et religionis amantes viros benevolentia præditum, atque erat frater. Quo circa tuam Amplitudinem etiam atque etiam oratam velim, ut alias literas in eandem cum superinribus sententiam a Sanctitate sua impetrare dignetur, quibus me et futuro Regi et Reginæ matri commendet, et Sanctitatis suæ Nuncio, dominoque Archiepiscopo a Nazareth mei amantissimis rescribat, ut et ipsi hac de re Christianissimo regem interpellent, ut quod semel per Sanctitatem S. pietatis affectu, et sancto religionis amore cœptum est, felice secundoque exitu ac fine terminetur. Mitto ad te duos consolationum libros, olim a me in carcere conscriptos, ac nunc primum in lucem editos: opinioni atque judicio tuo relinquo, ut vel utrunque tibi habeas, vel eorum alterum, si videbitur, Sanctitati Suæ exhibeas, et meo nomine quam humillime Sanctitatis Suæ pedes deosculeris. Ei Domina mea Scotiæ Regina gratias agit immortales, pro tam officiosa atque frequenti ipsius apud Christianos Principes commendatione et paterna illa benevolentia, qua devotissimam addictissimam Sanctitati Suæ filiam, atque in recta religione constantissimam prosequi preservat. Quod superest, Deum Optimum Maximum majorem in modum oro atque obtestor, ut Amplitudinem tuam mihi bonisque umnibus quam diutissime servet incolumem. Datum Parisiis 17. Julii 1574.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ

Addictissimus simul et obsequentissimus

Jo. E. Rossensis.

XCV. — Haud lætioria de rebus Ecclesiæ atque Catholicorum in Scotia Jacobus Irvingus, Scotus et Eques Ordinis Hierosolymitani Pontifici perscribit. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 28.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater.

« Vestra Sanctitas non est, ut opinor, immemor earum rerum, quæ meis precibus mihi jure optimo concessit, prinsquam Roma discederem: et ut facilius pium negotium optimæ intentioni suæ bonum consequeretur effectum, me ad Illustrissimum suum Legatum Cardinalem Ursinum cum literis in forma Brevis misit. Nihil prætermisi, quod meæ fidei a Vestra Beatitudine commissum erat, ut ipse Legatus et Archiepiscopus Glasguensis minime negabunt. Statim enim, ut ab illis expeditus, cœpi in Scociam per Flandriam proficisci; ubi quum navem conscenderem, unas Antverpia Sanctitati Vestræ dedi, quibus significavi, quis tunc Sanctitatem Vestram Romæ melius secretiusque omnibus de rebus nostris informaret, quid mihi acciderit post appulsum 3. Maji in Patriam, quibusve de causis in teterrimum carcerem conjectus et usque in hodiernum diem detentus, a quibus etiam turpissime lucri gratia deceptus fuerim; malim, ut alii (quibus dolorem meum dolori esse, certo scio) narrent, quam ut nimium in propria causa indulgere mihi viderer. Debeo enim (fateor) non dolere, quando ab inimicis Christi crucis tam acerba patior; sed gaudere potius, quod Deus mihi talem constantiam præbuerit, ut ad hanc etiam inimici (dicam quod verum est) obstupescant. Verum bene successit (Sanctissime Pater), quod neque Sanctitatis Vestræ Breve, nec ullas meas literas in manus perditorum hominum devenerunt qua ratione nullis egregiis argumentis, nullo teste, neque jure ullo, sed falsis suspicionibus et narrationibus acerborum delatorum (ne dicam eorum qui sanctitatem Catholicæ Religionis profitentur, sed falso) me sæpius accusarunt atque convinci contendebant: et ne adhuc quidem satiantur meo tanto damno ac malo; sed facient licet, tententque omnia, omnemque vim adhibeant, ut tandem me cogant vel alio respicere, vel ab eo, quod æquum est, deficere aut deflectere; nihil tamen agunt, nihil, nihil, credo, efficient; non infringent, non immutabunt animum meum, quem nullæ hactenus tentationes omnino frangere potuerunt. Rogo autem humiliter Sanctitatem Vestram, ut curare velit, ne D. Cæsar Glorierius det ulli exemplar literarum, quas Sanctitas Vestra ad Illustrissimum suum Legatum mecum misit. Scio enim homines callidos et vafros jam ex Anglia et Scotia misisse, ut harum exemplar obtinerent; quod si efficient, de me atque de familia nostra tota actum est. Cæterum quid de istius regni totiusque insulæ statu dicam, nescio. Verum unum affirmare audeo, Sanctitatem Vestram plus posse in uno Illustrissimo D. Setonio bonæ fidei collocare, quam in multis istius insulæ hominibus, quos hic novi, alibi atque etiam Romæ Catholicam Religionem profitentes vidi; de quorum Religione nihil dico: sed nunc ut antea vehementer doleo plurimos eorum quæ sua sunt quærere potius, quam quæ Jesu Christi, quid autem ille, de quo loquor, Illustrissimus D. Setonius pro Serenissima Scotorum Regina atque in favorem Illustrissimi Ducis Norfolciæ, cæterorumque Angliæ Catholicorum præstiterit, quam constans a primo Scotorum

tumultu in omni re adversa fuerit, quid terra marique pro fide Catholica atque istius Sedis authoritate gesserit, quo modo et quibus rationibus filios in sanctitate Religionis Christianæ apud doctissimos Societatis Jesu Religiosos educaverit, nemo est, qui non novit: et nemo certe Illustrissimi viri conatus, mentem, constantiamque in omni re melius tenet, quam tota illa Societas, cui se jam totum quasi dedit, nisi Uxor legitima illius conatum impediret. De rebus autem maximi momenti, ad reductionem totius insulæ atque obedientiam Sanctæ Sedis pertinentibus secrete sæpius cum illo sum loquutus. Cujus piam mentem optimasque rationes, non dubito, ut audit Sanctitas Vestra, quin eas facile probet. Sunt enim ejusmodi quæ sine ullo Vestræ Beatitudinis dispendio, aut Sanctæ Sedis detrimento facile exequi possunt, imo cum immortali utriusque gloria: quamobrem, quum jam se a malignitate ista ecclesia excommunicatum cum tribus filiis videt, cum tam dura decreta contra eos publicata esse constat (ut Alexander Setonius optimæ spei juvenis jam ex literis patris Sanctitati Vestræ (ut opinor) significavit): quibus decretis et hæretica professione fidei nisi consentiant (quod nunquam certo scio facient) perdent omnia bona atque in exilium mittentur. Decrevit Illustrissimus D. justissimis de causis ad Vestram Beatitudinem secrete convolare, et minime quæ sua sunt quærere, sed quæ Jesu Christi solum; etiam cum immortali Vestræ Sanctitatis nomine, honore et gloria; quem summopere cupit præclarissime rei auctorem existere, ut ex variis argumentis collegi. Neque enim potui optimi atque integerrimi D. mentem piasque cogitationes melius in multis satisfacere, quam cum validissimis argumentis ostendi, Sanctitatem Vestram nihil magis neque ardentius petere, quam subito, secrete, et uno die existere pro integra restauratione Catholicæ fidei talium rerum præstantissimus auctor, quem Deus Opt. Max. diutissime conservat incolumem pro similium rerum optima et pia executione. Idem Illustrissimus D. Setonius atque ego humiliter Sanctitatis Vestræ pedes voto exosculamur, hanc ex animo rogantes, uti nos suis sanctissimis precibus juvare dignetur. Edimburgi xv. Februarii 1574.

Vestræ Sanctitatis

Humill. atque obedient. clientulus,
JACOBUS IRVINGUS SCOTUS EQUES
ORDINIS HIEROSOLYMITANI.

XCVI. — Inter Principes Catholicos rei catholicæ in Anglia Philippus II. favebat maxime. Ipse enim pluribus, tum ecclesiasticis tum laicis e tribus Britanniæ regnis, Hibernis præsertim ob fidem exulibus, catholicis viris hospitium liberaliter præbuit. Neque contentus, ut tot ærumnis tantisque persecutionibus finis imponeretur, consilium hoc anno iniit, bellum Angliæ inferendi, Elisabethaque depulsa Mariam Scotiæ Reginam e captivitate, in qua aliquot jam annis detinebatur, revocatam, legitimam Angliæ reginam renunciandi: quod consilium cum Gallorum Rege et Pontifice communicavit ea mente, ut negotio huic absolvendo auxiliorum genus pro se quisque conferret. Quorum spe fretus confidebat, conjunctis ita studiis armisque eos religionem Catholicam mox postliminio in Anglia facile reducturos. Quod opus ut successu suo non fraudaretur, Pontifici etiam persuadere conatus est, ut pro sua auctoritate Elisabetham publica Ecclesiæ sententia alterius etiam Hiberniæ regni dejectam jure cecidisse decerneret: quæ quidem sententia non ante erat evulganda quam ipse, Rex Catholicus, una cum Gallorum Rege Angliam armis invasissent. Verumtamen sapientissimus Pontifex consilium hocce, utpote periculi plenissimum, aliisque justissimis rationibus permotus, omnino rejecit.

XCVII. — Duci Sabaudiæ Gregorius gratias agit pro triremibus in suos usus instructis, et benigna susceptione militum in portu Villæ Francæ, quos sub finem anni elapsi Avenionem miserat, quibusque, ut supra narravimus, Gallorum regis administri Massiliæ ingressum denegaverant. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 203. f. 124.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Sabaudiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. De regiorum Ministrorum, qui Massiliæ sunt, injuria, quod nostros milites, quos Avenionem miseramus ad hæreticorum rabiem ab illa Sedis Apostolicæ provincia propulsandam, non solum e triremibus egredi passi non sunt, sed etiam ex eo portu exire coegerunt. Non dubitamus Nobilitatem Tuam audivisse eoque gravius doluisse, quo libentius de tuis etiam triremibus Nobis accommodaveras, easque cum nostris conjunxeras, quo nomine et quia etiam nostras triremes cum eisdem militibus in Villafranca humanissime accepisti, Nobilitati Tuæ gratias agimus. Mittimus ad Regem Christianissimum expostulatum dilectum filium Aurelium Savinianum secretarium nostrum, petitumque, ut jubeat liberum transitum dari tum illis militibus, tum etiam equitibus, quos ejusdem rei causa misimus. Rogamus Nobilitatem Tuam, ut ipsius Saviniani verbis omnem fidem tribuas, literasque ad Regem des, cumque eo agas, quantum possis, ut nostræ æquissimæ postulationi satisfaciat, neve res Avenionenses, hoc est Sedis Apostolicæ in manifestam perniciem adduci patiatur ab iis, qui nostram optimam voluntatem non tam perspectam habent, quam ipsi Regi cognita esse debet; neque enim aliud cogitamus, nisi quod Christi Vicarium æquum est, ne Christi oves lupis rabiosis-

simis dedantur. Scimus, te auctoritate et gratia plurimum apud Regem posse: velle autem, quæ tuæ est pietatis, non dubitamus. Interim autem rogamus, ut eadem humanitate milites nostros in Villafranca commorari sinas, qua eos ibi accepisti, quoad de Regis voluntate certiores efficiamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris; die prima Januarii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Eundem Ducem consolatur quoque in obitu piissimæ conjugis, qua de re idem Pontifici gratissimi animi sensus exprimit. [*] En litteræ Gregorii ad Ducem. [*]

[*] Mantissa documenl. N. 100.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 88. fol. 234.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Sabaudiæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nisi Nobis perspectissima esset prudentia Nobilitatis Tuæ, atque animi moderatio, vereremur, ne te graviter afflixisset obitus Margarithæ, charissimæ conjugis tuæ, cujus memoria in benedictione est: nunc autem cum certum habeamus, præclare intelligere te, quam caduca et fragilis sit hæc vita, quam multis casibus exposita, quam nihil sit, quod Nobis impendeat magis, quam mors, quanta spes immortalitatis sempiternæque latitudinis reposita sit omnibus, qui pie sancteque vivunt; sic existimamus, te et in dolendo conjugis obitu humanitati satisfecisse (neque enim ferrei sumus, ut nollum doloris sensum animo accipere debeamus) et dolorem lenivisse cogitatione vitæ ab ea omni cum pietate et sanctitate actæ, premiorumque immortalium tali vitæ propositorum; fecisseque id, quod faciendum monet Apostolus, ut eo levius doleamus, quo certiorem illorum premiorum spem animo et cogitatione capere possimus; cum Margaritha, ut speramus, perfruatur in vita beatissima, atque in æternum libera ab omni metu doloris, luctus, cæterarumque miseriarum, debemus omnem etiam illi dolorem, quem attulit sensus humanitatis ex animo abstergere, nisi forte in nostrorum interitu dolemus nostra causa, quod cum jucundissima consuetudine privati simus, quodque adhuc in his miseriis maneamus, neque eadem qua illi beatitudine perfruamur: verum ut illud est hominis se ipsum amantis, hoc sempiternam illam vitam et fœlicitatem capientis, sic primum non caret omni plane reprehensione, postremum summopere etiam laudabile est. Quid igitur agemus? contendamus id quod monet Petrus Apostolus, ut per bona opera certam nostram vocationem faciamus: quod cum facere te compertum habeamus, illa maxime spes te consolari debet, sempiternæ aliquando vitæ ac beatitudinis una cum conjuge fruendæ. Hæc aliaque ad consolandum aptissima, tametsi existimamus tibi facile suppeditare prudentiam tuam; tamen judicavimus esse nostræ paternæ in te charitatis, ea strictim attingere. Consoletur te charissime fili Divina gratia, tibique ac tuis omnibus omnia læta, et prospera largiatur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die trigesima Septembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

XCVIII. — Episcopum Ajacensem Gregorius monet, ut in diœcesim quamprimum redeat, laudatque, quod Synodum diœcesanam non ita pridem habuerit. In eadem epistola Pontifex in confirmanda synodo diœcesana ab eodem Episcopo coacta aliqua improbat, alia juxta canones emendari decernit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 235. f. 140.

Venerabili Fratri Episcopo Ajacensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quo magis ad salutem gregis Christi Episcopis commissi necessaria est ipsorum præsentia, eo magis miramur, te ab eo tamdiu abesse, munerique tuo tam necessario, tamque multis Sanctorum Patrum et Sacrorum Conciliorum auctoritatibus et decretis firmato deesse. Facies igitur, ut quamprimum te ad Ecclesiam tuam conferas, quæque ad Christi gloriam, atque animarum salutem opus esse intelligas, præsens provideas, neque putes posse suo munere fungi oculum a corpore, hoc est Episcopum a grege sejunctum. Quæ vero dicuntur a Synodo diœcesana constituta esse, quorum confirmatio a Nobis postulatur, sic censemus. De habitatione Parocho constituenda jus postulat, parochianos id facere debere, ubi ex ipsis Ecclesiæ fructibus fieri non potest. De hæredibus, aliisque promissionibus cogendis, ut curent Missas dici, aut elemosinas dari, ut testamento jussum, aut ab ipsis promissum est; hæc fieri jus est. De quarta solvendo parocho ex pane et carne, quæ dividitur pauperibus pro anima defuncti, nihil placet mutari ex sacrorum canonum et Patrum decretis. De Ecclesiasticorum bonorum ad Ecclesias devolutione ob canonem non solutum; de eisdem bonis non recte alienatis, aut ab aliis occupatis vendicandis; de decimis, ac primitiis ex ipsius provinciæ consuetudine persolvendis; de libris, et presbyterorum indumentis ad sacrosanctum Missæ sacrificium necessariis, ubi ex Ecclesiæ fructibus comparari non possunt, a parochianis conficiendis satis provisum est canonicis legibus, ut nihil novi decernendum sit. De Seminariis constituendis, et quatenus debeat Episcopus conferre ex fructibus mensæ Episcopalis a Sacro Concilio Tridentino definitum est. Eodem etiam Concilio cautum est, quando, et quatenus liceat Episcopis in visitatione procurationis exigere; id placet observari, neque aut alio tempore, neque alia de causa quidquam exigi. De summa decem librarum, quam Vicario persolvebant, qui primam Missam dicebant, nolumus quidquam omnino cuiquam solvi: illum enim morem turpem atque impium judicamus,

penitusque abolemus. Ad subsidium vero charitativum cogi eos, qui neque beneficia, neque bona Ecclesiarum possident, iniquum ducimus. Hæcque ad ea, quæ Nobis fuerunt proposita, capita respondemus, sicque fieri et servari jubemus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Martii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

XCIX. — Diem supremum obiere hoc eodem anno collaudatissimi illi viri Cosimus Mediceus et Guidobaldus a Rovere, alter Florentinorum, alter Urbinatum Dux. Successit Cosimo Franciscus, haud dissimilis patri in colenda fovendaque Sancta Apostolica Sede, cujus obedientissimum filium statim sub initio regni sese professus est. [*]

[*] Mantissa document. N. 101.

C. — Equites sancti Joannis Hierosolymitani Gregorius graviter monet, ut in suo capitulo generali proxime celebrando a controversiis de graduum præstantia, ordine et dignitate omnino abstineant, ne pax concordiaque inter fratres dissolvatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 261. f. 151.

Dilectis Filiis Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani et ejus Capitulo Generali proxime celebrando.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Singularis quidam noster et paternus in vus amor facit, ut ea maxime providenda esse existimemus, quæ ad vestram ut ordinis, sic animorum conjunctionem et concordiam pertinere intelligemus; quæ enim ratione hactenus summa cum laude vestra et christianæ Reipublicæ bono stetistis, concordia nimirum et charitate, ea sublata invectisque dissidiis at contentionibus, quid verendum sit, et ipsi præclare intelligitis, et Nos libentius tacemus, quam scribimus. Quoniam igitur accepimus, appropinquare diem vestri conventus generalis, hortamur vos tum universos tum singulos, mandamusque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque pœnis nostro arbitrio declarandis, ne vos, aut sexdecim viri ipsius conventus ullam disceptationem aut controversiam faciatis, neve fieri, aut quidquam innovari patiamini super gradu, honore personarumque ipsius ordinis dignitate, quas præeminentias vocant; sed ea omnia in eo statu, ac veteri usu, in quo hactenus fuerunt, esse et perseverare sinatis. Monemus etiam vus, hortamurque paterne, ut ad ea emendanda et corrigenda, quæ apud vos depravata esse intelligitis, omni cura et studio incumbatis decernatisque de omnibus rebus, quibus vestrum ordinem egere cognoscitis: sic enim et vestris rebus prospiciatis, cum quibus nostræ quoque res conjunctæ sunt et his periculosissimis temporibus divinam, quæ sese ostentat, iram placabitis. Hæc vos pro vestra prudentia ac pietate et facturos speramus, et Nobis gratissima fore pollicemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XV. Martii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

CI. — Joanni Austriaco, a Rege Catholico Messina in Hispaniam evocato, Gregorius suadet, ut quam primum stationi suæ sese reddat ad repellendos incursus Turcarum, qui, capto Tuneto, Italicis oris infestationes gravissimas minitabantur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II epist. 143 fol. 52.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, statuisse te proficisci in Hispaniam ad Serenissimum Regem Catholicum fratrem tuum: lætati sumus cum aliis multis de causis, tum quia reditum tuum celerem futurum speramus, teque omnibus rebus instructissimum ac paratissimum futurum, ad barbarorum feritatem non modo comprimendam, sed perdendam ac delendam. Itaque voluimus his literis paternam atque Apostolicam Nobilitati Tuæ benedictionem impertire. Et quoniam omnia Nobis de tua humanitate atque erga Nos charitate pollicemur, postulamus, ut eum Rege agas, eumque roges, ut velit nostra causa ignoscere Cæsari et Joanni Avalis, eosque in pristinam gratiam recipere, quod etiam ab ejus Majestate postulavimus per Nuncium nostrum, perque dilectum filium Pompejum Lanojam. Hoc nomine et ejus Majestati et Tuæ etiam Nobilitati multum Nos debere arbitrabimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Martii MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Eidem Joanni ad singularis erga eum amoris argumentum Rosam auream mittit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 245. f. 136.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus Nobilitati Tuæ per Comitem Annibalem Pepulum nostrum Cubicularium secretum, Nobisque tum generis, tum animi nobilitate charissimum Rosam auream, quam vetere Romanorum Pontificum instituto consecravimus hoc ipso, quo literas has damus, quarto sanctæ Quadragesimæ Dominico die, lætitiæ atque exultationis pleno, quam Rosam volumus in tantis pro Catholica religione laboribus et periculis tuis, quasi quibusdam spinis testem esse florentis suavissimeque per totam Christi Ecclesiam flagrantis virtutis tuæ, comitemque navigationis atque itineris ejus, quod ad Regem Serenissimum fratrem tuum suscepisti. Ea autem, quæ in consecrando a Domino universe precati sumus, cupimus, ut ejus bonitas Tuæ Nobilitati largiatur, nimirum ut peccata dimittat, fide repleat, indulgentia foveat, misericordia protegat, adversa destruat, prospera cuncta concedat. Ut autem sacrum hoc munus

decenter suscipiatur, volumus, illud dari Nobilitati Tuæ, celebrato in ea, quam malueris, ecclesia ab aliqua persona in dignitate ecclesiastica constituta sacrosancto Missæ sacrificio. Catholicis autem omnibus, qui ei sacrificio præsentes, ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostra auctoritate confisi quindecim annos, et totidem quadragenas veræ indulgentiæ misericorditer in Domino largimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Martii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

Eundem insuper per Jacobum Boncompagnum, argumento singularis erga eum amoris, salutat, cohortaturque, ut apud fratrem suum, regem dico Catholicum continuationem expeditionis contra Turcas pro viribus urgeret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An II. epist. 236. f. 141.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir Salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis literas a Tua Nobilitate dilectus filius Ulanricus tuus, quæ fuerunt Nobis gratissimæ; ex eo cognoscet Nobilitas Tua de iis, quæ apud Nos egit. Nullam autem Nobis opportunitatem omittendam putamus nostræ paternæ erga Nobilitatem Tuam voluntatis declarandæ; non quo eam obscuram esse existimemus, sed quia quæ libenter facimus, ea quo frequentius, eo etiam facimus libentius; hoc autem facimus libentissime, ut Tuæ Nobilitati salutem atque Apostolicam benedictionem optemus, ascribamus, oremus; neque enim dubitamus, quin omnes tui labores ab ineunte ætate suscepti ad Christi gloriam sanctissimamque ejus fidem tuendam et propagandam meditati et parati sint, cujus rei maxima hactenus documenta dedisti. Itaque non satis habuimus mittere ad Nobilitatem Tuam Hannibalem Pepulum, eique nostras ad te literas et Rosam auream dare indicem florentis suavissimeque flagrantis virtutis tuæ; mittimus etiam Jacobum Boncompagnum Nobis adeo proximum, ut te visitet, tibique cum his literis eam, quam ascribimus, nostris quoque verbis coram salutem atque Apostolicam Benedictionem reddat. Aget tecum nonnullis de rebus: omnem ei fidem tribui cupimus. Precamur autem a Deo Optimo Maximo Nobilitati Tuæ profectionem jucundissimam, divinæ gratiæ majorem in dies accessionem, præclaræ voluntatis exitum fœlicissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno secundo.

CII. — Legato Magistratus et populi Siracusani literas Pontifex dedit ad Regem Catholicum, quibus eum monet, ut Siciliam, et præcipue urbem Syracusanam contra Turcarum molimina adgressionesque munire velit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 157. f. 253.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Mittitur ad Majestatem Tuam a Magistratu et populo Siracusano dilectus filius Josephus Branca ordinis Sancti Francisci de re gravissima, nimirum de civitate illa adversus impetum fœdissimi Turcarum Tiranni munienda; sic enim Magistratus ipse ad Nos perscribit. Noluimus hunc hominem venire vacuum nostris literis, atque Apostolica benedictione, quam ut Tuæ Majestati libentissime ascribimus, sic eam toto pectore a Domino precamur. De re autem ipsa longiores in scribendo esse non debemus, scimus enim præclare intelligere Majestatem Tuam, quantum in ea civitate conservanda momenti situm sit ad universi illius Regni salutem, atque ad monstri teterrimi conatus eludendas. De tua vero optima et Catholico Rege digna voluntate dubitare non possumus; sic eam Deus benedictus ope, et gratia sua confirmet ad Sanctæ Catholicæque Ecclesiæ amplitudinem, perpetuamque hostium suorum perniciem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die octava Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

CIII. — Philippus II. a Pontifice nova subsidia e proventibus Ecclesiarum Hispaniarum ad protrahendum, ut dixit, bellum contra hæreticos atque Turcas impetravit, quæ tamen idem Pontifex, a clero Hispano interea de haud intermissis bonorum ecclesiasticorum vexationibus tempestive edoctus, Regi denegavit. En litteræ, quas Toletani hocce de negotio ad Pontificem dederunt. [*]

[*] Litteræ Principum Vol. 33. fol. 135.

Sanctissimo Dño Nostro D. Gregorio XIII. Pont. Maximo.

Beatissime Pater.

« Post humillima Sanctissimorum pedum oscula. Promptissimam obedientiam ecclesiæ Toletanæ in Sacrosanctam Sedem Romanam testantur et tot in ea celebrata Concilia (quæ omnia Sacra Sedes tua velut filiorum acta complexa est) et tot retroacta sæcula, in quibus principes nostri nulli in toto Ecclesiæ corpore secundi semper dictis tuis audientes fuerunt: nunquam enim visum aut auditum est, Toletani Antistites Sacræ Romanæ Ecclesiæ æmulis assensisse; eos autem profligasse semper, dum occasio oblata est, constat. Eosdem sensus Collegium nostrum secutum tota mente nec unquam in sinistram partem animo deflexit. Zelus enim tui sacrosancti cultus ita nostris inhæret cordibus, ut si res posceret et patrimonia et vitam et quidquid in nobis est, pro tuæ Sedis amplitudine in aleam vertere non dubitaremus. Hoc eodem modo usi spiritu, cum nobis propositæ essent lite-

ræ, tuo Beatissimo nomine signatæ, quibus vendi jurisdictionalia bona Ecclesiarum Hispaniæ ad sumptus juvandos, quos pro defendeoda Republica impetus inimicorum exigit, visus es permittere, ad te confugere statuimus, ut ad Sanctissimos pedes tuos devoluti patris pientissimi clementiam impetraremus. Ad quem enim, Beatissime Pater, filii tot oneribus vexati, nisi ad patrem se vertant? a quo ecclesia pastoris auxilio destituta, quæ se charissimis pignoribus spoliari cernit, nisi a prudentissimo et potentissimo communi omnium pastore auxilium petet? ad quem nos convertimus, qui ab injuria vindicet monumento victoriarom cœlesti miseratione obtentarum, quæ ad hunc diem apud omnes commendabantur, dum oppida pro tantis beneficiis Deo oblata vel cum consideratione lustrabant? nisi ad te, qui meritissime ejus vices geris, a quo omnia hæc impetrarunt sancti hujus Regni tutelares patroni. Si enim hac donatione hujus regionis Prælatorum nervos et auctoritatem, ecclesiæ splendorem et amplitudiuem subverti funditus intellexisses, Pater Beatissime, nunquam profecto S. T. id pateretur. Nec id solum T. S. prudentia, benignitas, et in ecclesias fovendas et juvandas constantissimus animus nobis suadet, sed et tuarum literarum verba, non uno, sed plurimis in locis quam aperte indicant, te tantum voluisse ecclesias cum aliqua bonorum suorum jurisdictionalium parte, quo minimo possit eorum dispeodio contribuere. Nolumus autem Sanctissimas tuas occupationes longo nostrarum miseriarum sermone morari, cum id Licentiatus Baptista Velez, frater noster communi nomine sit acturus, quem ut tua solita benignitate audias et nostris calamitatibus animo paternn intendas, quam humilissime possumus oramus. Valeat B. T. quam Christus Opt. Max. nobis incolumem diutissime servet. Toleti in Capitulo nostro 22. Octobris 1574.

E. S. V.

Humillimi servuli
DECANUS ET CAPITULUM SANCTÆ TOLETANÆ
ECCLESIÆ HISPANIARUM PRIMATIS.
ALPHONSUS DEL CAMPO.

CIV. — Lusitaniæ Rex ingenti animi dolore affectus, Tunetum incuria Regis Catholici a Turcis iterum expugnatum fuisse, consilium inivit iisdem bellum indicendi, verens, ne Turcæ, victoria elati, possessiones suas Africanas invaderent, ut ipse Pontifici perscribit, [*] qui eum ideo laudat, monetque, ut consilium tam pium, tam sanctum opere compleat. [*]

[*] Monumenta documentor. N. 102.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 90 fol. 236.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

«Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Lectis literis Majestatis Tuæ de suscepta in barbaros Christi hostes expeditione, et profectione, non leviter a principio commoti sumus: commotionis causa erat nostra erga te, atque erga istud Regnum charitas paterna: sic enim cogitabamus, te adhuc sine uxore, et sine liberis esse; proficisci ad ea loca, quæ sunt longe alia natura, ac cœli temperatione, quam ea, in quibus natus, atque altus es: talem autem mutationem sæpe homines experiri, non sine maximo valetudinis, ac vitæ etiam discrimine: adire etiam Majestatem Tuam gravissima pericula terra marique; quibus periculis istiusmodi navigationes, atque incæpta referta sunt: nihil autem magis Regni interesse quam optimum Regem, qualem te esse agnoscimus, quam diutissime incolumem habere: nam cum nemo possit alios recte regere, nisi se a Deo regi sinat; cum certe convenit optimum Regem esse, qui totus Deo deditus, ac devotus sit. Hæ igitur cogitationes non leviter Nos a principio conturbabant. Nunc autem consolatur optima spes prosperi eventus: videmus enim Majestatem Tuam quasi a Deo vocatam esse; neque sibi quidquam aliud proposuisse, quam ipsius Dei, atque ejus nominis gloriam: ejus autem tuendæ, atque amplificandæ nullam hac opportuniorem Majestati Tuæ facultatem dari potuisse, iis scilicet de causis, quas scribis. Itaque prosequimur Majestatem Tuam, universumque exercitum paterna atque Apostolica benedictione, tamque pio consilio atque incæpto precamur a Deo optatam ac speratam fœlicitatem. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembr. MDLXXIIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Cardinalem quoque Lusitaniæ Infantem Gregorius interpellat incitatque, ut Regi in perficienda expedictione contra Turcas animum adderet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 90. fol. 235.

Dilecto Filio Nostro Henrico tt. Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Infanti Portugalliæ nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Jam antea respondissemus literis tuis, datis x. Julii, sed retardavit Nos absentia dilecti filii Pompeji Lanojæ: scribebas enim, te nonnulla ei graviora commisisse, quæ Nos scire magnopere oporteret, venit, exposuit omnia. Dolemus istius Regni res non ex tua sententia gubernari: cum enim perspectissimum habeamus rectum animi tui sensum, singulari cum prudentia et rerum usu conjunctum, sic judicamus, quæ tibi non probantur, ea minime probanda esse. Vehementer autem Nos conturbavit Regis ipsius in bellum profectio: cupimus enim illum ab omni periculo quam longissime abesse. Sed consolatur Nos optimus ejus animus in bello adversus barbaros Christi hostes suscipiendo, summumque desiderium ejusdem Christi nominis et gloriæ tuendæ ac propagan-

dæ: cui quidem desiderio speramus adfuturum Deum, qui in manu habet corda Regum, vertitque ea quocumque vult: eumque causam suam, et Regem ipsum sua ope adjuturum: qua etiam consolatione tibi utendum esse intelligimus, in eo præsertim, quod eum factum sit, infectum reddi non potest. Ea autem, quæ Nos graviter angebat de isto Regno, cura consedit, te rectore et gubernatore relicto summa eum auctoritate et potestate, ut nihil rebus istis detrimenti pertimescendum sit. Incumbe igitur in hanc curam omni eum alacritate, neque (quod a tua pietate alienissimum est) tuas rationes Divinæ voluntati anteponas; quamquam enim es animo a rerum civilium turba et jactatione alieno atque ad quietem, et ocium propenso: tamen vides, Deum velle, ut Regi, patriæ, universæ denique Christianæ Reipublicæ, cujus Regnum istud est membrum nobilissimum, laborem atque operam tuam impertias: eam vero te tantæ rei et causæ negare nulla ratione posse. Pervenit ad Nos dilectus filius Joannes Gomesius de Silva Regis orator; speramus, Regem usurum ministro optimo, maximeque idoneo ad augendam in dies Regni istius erga hanc S. Sedem devotionem. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

CV. — Ut tandem Rex alacrior expeditionem hancce pararet, Pontifex eidem ensem et pileum benedictum transmittit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 128. f. 258.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Benediximus ensi et pileo sacris solemnibus adhibitis vetere Romanorum Pontificum instituto nocte Natali Domini Nostri Jesu Christi omnium gaudiorum plenissima; quem quidem ensem et galeæ loco pileum mittimus Majestati Tuæ per dilectum filium Joannem Andream Galigarium utriusque signaturæ nostræ Referendarium et Collectorem Apostolicum; hoc munus huic tempori, et insigni virtuti tuæ vehementer congruere judicavimus: suscepta nimirum pro Christi nomine magno ut zelo, ita pari apud bonos omnes laude gloriosa in barbaros Christi hostes profectione. Rogamus divinam bonitatem, ut te perpetuo tueatur, teque majore indies virtute, Ecclesiam suam gaudio et fœlicitate, hostes mœrore atque infortuniis cumulet, tuaque præstanti claritate, atque opera ad nominis sui laudem et prorogationem fidei perpetuo utatur. Ut autem hoc nostrum istius vere Regiæ virtutis tuæ testimonium eo, quo decet, honore et frequentia celebretur, volumus, ut peracto per aliquem catholicum antistitem, quem malueris, sacrosancto Altaris sacrificio eo in templo, quod opportunius judicaveris, idem antistes ensem et pileum cum iis cæremoniis, quæ adhiberi solent, Majestati Tuæ tradat. Omnibus autem Catholicis vere pœnitentibus et confessis, qui ipsius missæ celebrationi, vel integre, vel aliqua ex parte, etiam in extrema, tum cum Antistes populo benedicet interfuerint, et pro sanctæ Matris Ecclesiæ amplitudine, pacis et concordiæ inter Catholicos Principes conservatione, hæresum extirpatione, Christi hostium eversione pias ad Deum preces effuderint, ejusdem Dei misericordia confisi, auctoritate beatorum Apostolorum Petri et Pauli plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam in Domino concedemus et elargimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Octobris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

CVI. — Melitenses quoque S. Joannis Hierosolimitani Equites bellum contra Turcas parabant. Gregorius ideo cum Januensibus amice conqueritur, quod arma, quæ Equites ex Gallia afferri curavissent, ob vectigal non solutum retinuissent, eosque monet, ut ea immunia pertransire sinant. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. II. epist. 236. f. 147.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus equites Hierosolymitanos arma, quibus adversus Christi hostes indigerent, istuc afferri curasse, ut inde veherentur Melitam; ea autem retineri, quod vectigal solutum non sit: ac præterea publicanis imperatum esse, ne quid, quod vel ad ipsos equites privatim, vel ad ipsum ordinem universe pertineat, immune pertransire sinant: quod quidem dicitur ab omni superiorum temporum consuetudine alienum esse. Hæc si ita sunt, facile intelligitis, æquum non esse, quidquam ex veteri jure et consuetudine immutari. Gratissimum Nobis facietis, si ab eo more, quo hactenus usi estis, minime discendendum putabitis, consuetamque ordini immunitatem restituetis conservabitisque. Hoc vos pro vestra æquitate facturos confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Martii MDLXXIII. Pontificatus nostri anno secundo.

CVII. — Tuneto expugnato Turcæ plusquam quadraginta viros fortissimos partim gregarios milites, partim e ducibus ac principibus exercitus in servitutem redegerant, Constantinopolim adduxerant atque in turre Maris Nigri arctissima custodia tenebant, quod maximo Pontifici angori fuit, qui eam ob rem regem Catholicum gravissimis verbis adhortatur, ut velit captivos permutari, etiam sub illa conditione, ut duo ex Turcis dimittantur, qui maxime retinendi censeantur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 62. fol. 211.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Charitas Dei Catholicis tantum cognita, atque experta, quæ eos conjungit Christo, tamquam membra capiti, eadem quoque ipsos inter se conjungit, tamquam unius corporis membra: quod quidem est vinculum arctissimum, et divinorum præceptorum omnium brevissima quædam perfectissimaque comprehensio: hinc enim Dominus Noster ait, pendere omnes leges et prophetas, si Deum super omnia, proximos autem nostros æque ac nosmetipsos diligamus: suntque hæc duo adeo inter se connexa, et conglutinata, ut quisquis diligit Deum, is proximum quoque diligat, tamquam ipsius membrum, et si quis proximum non diligat, hoc ipso convincatur non amare Deum: præclara est enim Joannis Apost. sententia. Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? et hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Cujus quidem amoris certissimum argumentum est, non animo tantum affici in fratris inopia et calamitate, eamque miserari et dolere, sed quantum etiam licet opem ferre: qui enim, ut idem Apostolus ait, habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate. Constat autem humanarum calamitatum omnium maximam esse servitutem: ubi vero accessit immanitas barbara; ubi victus rerumque omnium inopia; ubi carcer, tenebræ, compedes, vincula; ubi non corporis tantum, sed quod caput est, ipsius quoque animæ salus, et vita periclitatur, quid potest esse in calamitate residui? Hæc cogitatio efficit, ut incredibiliter doleamus XLII. fortissimos viros partim milites privatos, partim capita et ductores a Turca efferato inclusos teneri in turri maris nigri, hoc est teterrimo in carcere pessime acceptos, omnibusque iis, quas diximus, miseriis cumulatos: nec dubitamus, Majestatem Tuam, qua est pietate, gravissime etiam dolere. Quid igitur restat, nisi ut ea, quæ proponitur de captivis iis, qui apud Nos sunt, cum illis permutandis, dura illa quidem certe, sed quoniam alia nulla datur pernecessaria, conditione utamur. Ut enim nulla alia mercede hos dimitteremus, sic nihil tam charum habere debemus, quod illorum saluti anteponamus. Et Nos quidem jam diu id egissemus, si per Majestatem Tuam licuisset: sic enim ex litteris Nuncii nostri cognovimus, cupere te aliquos primos retineri, prudentissimo certe consilio, Nobisque probatissimo, si barbarus ad hanc conditionem descenderet: verum ille eos ipsos maxime postulat, quos maxime retinendos censes. Quoniam igitur id assequi non possumus, quod volumus; id velimus, quod necesse esse intelligimus: neque tanti duos illos faciamus, ut tot nostros tam præstanti virtute, tanta experientia, tam bene de Catholica Religione meritos, inque ejus propugnatione captos in tantis miseriis destituamus, simulque eorum opera fidelissima, atque utilissima in perpetuum careamus, cæterisque nostris animum adimamus: sic enim cogitabunt, si forte contigerit, ut capiantur (posse autem ut incerta est belli alta facile contingere) se quoque simili ratione destitutos iri: quæ cogitatio mirum quantum animos dejiciat. Quid quod si hos duos illis omnibus præstantiores, barbaroque hosti utiliores esse, quam ipsi Nobis sint, judicamus, fortissimos viros nihil unquam tale meritos gravissima injuria afficimus? aut si eos hac ignominia liberamus, nihilque his duobus virtute inferiores ducimus; insignem certe ingratitudinis, atque inhumanitatis notam ipsi subimus, dum proposita facultate redimendi vitam, atque animas fratrum nostrorum mittendis nonnullis alienis, neque numero, neque virtute superioribus, illos deserimus. Atque hæc perinde dicimus, quasi Christiani atque infideles possint ulla sese in comparando proportione attingere: nunc autem cum unius Catholici vita innumerabilibus partibus Turcis omnibus anteponenda sit, cum periculum sit, ne si eos destituerimus, dolore victi discedant a Christo, cum tanta sit animæ nobilitas, ut præstet universum orbem, quæque in eo sunt, omnia rationis expertia interire quam vel unam animam damnari, quæ potest esse res tanta, qui tantus metus, ut Nos ab hac permutatione deterreat? Quid, quod nihil Nobis magnopere timendum est? neque enim recte factorum immemor est Deus: qui si nostram hanc in fratres charitatem perspexerit, ut est potentissimus, bonorumque operum remunerator amplissimus, conteret omnium hostium nostrorum, ne dum horum duorum homunculorum superbiam. Quid quod possunt brevi sive apud Nos, sive apud suos interire? quorum alterum si evenerit, omnis Nobis nostrorum recuperandorum in perpetuum spes adempta erit: si alterum, Nos certe fratribus nostris, et certissima charitatis laude sine ullo metu perfruemur. Illud autem magnopere cavere debemus, ne laudatissima in re hostibus nostris inferiores esse videamur: illi enim expertes charitatis Christi unde aversissimi sunt, tanta tamen tenentur suorum humana quadam charitate, ut modo illos recuperare possint, non vereantur tot viros tam præstantes, tam sibi infensos, atque acerbos hostes futuros dimittere; Nos Dei charitatem experti, redemptique, ut ait Apostolus, non corruptibili auro, et argento, sed precioso

sanguine agni immaculati Christi, hanc ei gratiam rependemus, ut cum sese ipsum in captivis redimi profiteatur, non tam illos, quam in illis Christum immensæ illius potentiæ diffidentes, sempiternæque beatitudini præmium abjicientes deseramus? Hæc dictavimus fusius forte quam opus fuit, sed provexit Nos charitas Christi. Quod si hæc apud Majestatem Tuam minus valebunt, afferimus hanc nostram voluntatem Deo, apud quem voluntas pro facto est, ubi externa aliqua causa impedimento est: tuæ vero ipsius conscientiæ impositum erit universum animarum illarum, rerumque earum, quæ inde consecuturæ sunt, detrimentum. Agit etiam cum Majestate Tua hac ipsa de re Nuncius noster, cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXII. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Dux quoque Etruriæ alterque Sabaudiæ, Tunetum amissum deflentes, Pontificem exorarunt, ut miserrimos istos viros sibi quam commendatissimos haberet. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 103.

CVIII. — Necessitatibus æque spiritualibus Catholicorum Constantinopoli degentium Gregorius sapienter prospexit. Petierant isti, ut ipsis tres Patres Ordinis Sancti Dominici scientia ad erudiendam juventutem instructi, nec non vitæ sanctimonia clari Roma mitterentur, propterea quod Fratres Minores Sancti Francisci de Observantia nuncupati, qui eorum ecclesiis ab antiquis temporibus præerant, illi obeundo muneri haud sufficerent, neque laudabilem vitam ducerent. Nam ex horum Missionariorum exiguo numero, et inobservantia evenit, ut nec fideles, nec templa, uti par fuit, curarentur. Non sine lacrymis piissima illa congregatio fidelium Peræ Constantinopoleos in supplici libello, quem Kalendis Octobris per Legatum Regis Christianissimi Pontifici obtulerat, [*] narrat, per Turcas efferatos ecclesias in moscheas i. c. Islamismi delubra commutatas fuisse. Pontifex libenter piis horum fidelium votis morem gessit, facultate facta Præposito Generali Ordinis Fratrum Sancti Dominici Prædicatorum Religiosos suos Constantinopolim mittendi, iisque, quod fideles petierant, monasterium Sancti Benedicti, quod hucusque Patrum Franciscanorum fuerat, assignandi. Adprecabantur etiam fideles isti, ut Patribus Franciscanis Constantinopoli degentibus, qui ecclesiæ principaliori, vel Cathedrali inserviebant, alii ejusdem Ordinis at probatioris vitæ et idoneæ scientiæ sufficerentur, quibus unus ex Patribus Ordinis Prædicatorum velut Præses vel Commissarius præficeretur.

[*] Venetiæ Vol. 26 fol. 212-215.

CIX. — Pontifici nihil magis cordi erat, quam ut studia sacrarum litterarum æque ac profanarum Romæ reflorescerent, eaque egregie adjuvit Constitutione quadam III. Octobres condita, [*] qua privilegia prædecessorum suorum Universitati studiorum almæ Urbis concessa confirmat, amplioraque efficit.

[*] Bullar. Rom. T IV. P. III Constit. 37. pag. 291.

Verumtamen Pontifex hac sapientissima lege non contentus, viros etiam, qui magnam sibi famam conquisiverant, Romam arcessivit, iisque ampla salaria decrevit. Itaque uti unum solummodo exemplum adducamus, Ducem Reipublicæ Venetorum litteris amantissimis compellat, ut Hieronymum Mercurialem, celeberrimum tunc temporis in studio Patavino artis medicæ professorem Romam venire sinat, quippe qui in ejusdem almæ Urbis studio generali hujus artis professor jamdiu designatus fuerit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 161. f. 288

Dilectis Filiis Reipublicæ Venetorum.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Inter eos, quibus in hac Urbe utimur, variarum scientiarum professores decrevimus uti quoque opera dilecti filii Hieronymi Mercurialis, qui nunc profitetur Patavii: quia ejus excellentem in ea facultate docenda scientiam ejus studiosis plurimum profuturam judicavimus, itaque eum accersivimus. Quod autem vobis sponte sua grave esset hoc viro carere, id nostra causa vos non moleste laturos pro vestro Nobis gratificandi studio confidimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III. Decembris 1574. Pontificatus Nostri anno tertio.

En quoque humanissimas litteras Gregorii ad ipsum Mercurialem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An. III. ep. 163. f. 289.

Dilecto Filio Hieronymo Mercuriali.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Nostro summo desiderio optimarum scientiarum studia, quantum possumus, juvandi, non videmus qua alia ratione melius satisfacere possimus, quam si præstantes in quaque scientia professores undique conquiramus, ut una et illos ornemus, et ipsarum scientiarum studiosis eos Magistros demus, quorum ductu et opera possint eo facile et sine ullo errore pervenire, quo ab illis destituti aut nunquam, aut non sine multa hæsitatione et labore pervenirent. Itaque in iis, quos in hac Urbe conductos habemus, variarum scientiarum professoribus decrevimus te accersire, tuaque opera uti in medicina docenda propter tuam excellentem ejus cognitionem et certam et facilem methodum docendi, quod ipsum quoque scientiæ argumentum est maximum: quibus de rebus habes præclara apud Nos tum doctorum virorum, tum quod caput est scriptorum et quotidianorum istluc laborum tuorum testimonia. Venies igitur quamprimum: te enim libenter videbimus, tuaque opera aliis etiam in rebus utemur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III. Decembris MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

CX. — Gartiam quoque virum inter Hispanos scientiarum splendore fulgentem, impense laudat, quod susceptis laboribus consilium suum emendandi Decretum Gratiani egregie juvaret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 215. f. 130.

Dilecto Filio Gartiæ Archidiacono Ecclesiæ Toletanæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Laudamus summopere studium, et diligentiam tuam in vetustissimis optimisque exemplaribus, quibus Sanctorum Patrum sententiæ et decreta continentur, perquirendis, atque exscribi curandis: id enim curasse te in Concilio Emeritensi ad Nos misso, inque duobus Conciliorum codicibus et charactere Longobardo hoc nostro latino describendi partim re ipsa perspeximus, partim ex tuis literis accepimus. Ut igitur gratissimum Nobis fecisti in Concilio Emeritensi, sic duos illos codices, quos Nobis paratos esse scribis, magnopere expectamus: speramus enim, eos perutiles futuros ad eam, in qua versamur, Gratiani decreti emendationem. Curabis igitur, ut quamprimum ad nostrum Nuncium Apostolicum perveniant. Cognosces, tuam hac in re diligentiam, atque operam Nobis gratissimam accidisse. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die v. Julii MDLXXIII. Pontificatus Nostri anno tertio.

CXI. — Nasio æque, Germano viro ex familia Sancti Francisci Minorum Conventualium, pietate ac scientia illustri, Gregorius suasor atque hortator fuit, ut Centuriatores Magdeburgenses refellere aggrederetur, eique ad exspectatissimum hoc opus perficiendum non solum sumptus necessarios se subpeditaturum, sed etiam ejus pro prestantia suscepti laboris rationem habiturum per Cardinalem Comensem præmonuit. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28. epistol. 10.

Patri Nasio.

« Admodum Reverende in Christo Pater. Cum in notitiam Sanctissimi Domini Nostri perlatum sit, abs te et pie ac luculenter conscriptum fuisse librum ad detegenda hæreticorum istarum partium mendacia et fraudes; valde id Suæ Sanctitati jucundum, atque etiam gratum fuit, voluitque ejus nomine his literis tuum hunc laborem a me commendari, ac simul significari, quando tua tali in re industria atque opera tanto Ecclesiæ Dei adjumento esse cernitur, cupere Sanctitatem Suam, ut Centuriis etiam Magdeburgensibus, quæ (ut nosti) innumeris erroribus et mendaciis refertæ sunt, respondendi consilium et laborem susciperes. In hoc enim eximia fides, pietas et doctrina tua maxime elucebit, et Sanctissimo Dño Nostro ac toti Ecclesiæ Catholicæ nihil gratius facere poteris. Quoniam autem negotium id magni momenti est, multumque operæ et studii requirit, ac librorum etiam, aliarumque rerum auxilio indiget, quicquid ad illud recte et commode perficiendum opus fuerit a Sanctissimo Domino Nostro liberaliter subministrabitur, a quo etiam meritorum, et laboris tui digna omni tempore ratio habebitur, sicut melius ex domino Porciliarum Comite Sanctitatis Suæ Nuntio cognoscere poteris, cui fidem plenam habebis. Deus te gratia sua perpetuo custodiat.

Romæ die XVII. Aprilis MDLXXIV.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

Verumtamen auspicatissima Pontificis vota eventum non habuerunt.

MANTISSA

DOCUMENTORUM

MANTISSA

DOCUMENTORUM

MDLXXII.

I. — 1572. — §. 24.

ILLUSTRISSIMO DOMINO NOBIS OBSERVANDISSIMO, DOMINO NUNTIO APOSTOLICO APUD CÆSAREM.

Viennæ, 21 Junii 1572.

Germania Vol. 23. fol. 96.

Habemus in Hungaria Electos Episcopos quattuor: Stephanum Radecium ad Episcopatum Varadiensem, Joannem Lizthium ad Episcopatum Wespriemiensem, Joannem Monozlay ad Episcopatum Quinqueecclesiensem, et N. N. ad Episcopatum Vaciensem.

Duo Episcopatus vacant Agriensis, et Jauriensis.

Supplicamus assidue ut clementer conferantur, ne et religio negligatur, et Ecclesiæ Cathedrales desolentur. Majestas Cesarea semper clementer nobis respondet, sed nondum apparent effectus. Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram rogamus, juvet supplicationes nostras patrocinio suo, idque jam hoc tempore, quo opus est Episcopis, non solum Ecclesiis et Religione, sed etiam proxima coronatione. Qui quidem parvo et negocio et sumptu creari possunt; maxime tamen utilitato futuri, ne nostra et divina et humana corruant, ut jam cœperunt ruere, neglecto ecclesiastico ordine.

Ac si duo novi Episcopi dabuntur Regno, poterit Illustrissima Amplitudo Vestra pro confirmatione sex Episcoporum apud Sanctissimum Dominum Nostrum intercedere, ut simul et semel hanc benedictionem Ecclesiæ nostræ patrocinio Illustrissimæ Amplitudinis Vestræ consequantur, sin minus, pro quatuor duntaxat, quos initio nominavi, non gravabitur primo quoque tempore petitionem memoratæ confirmationis instituere, juxta quam Majestas quoque Cesarea scribet, et ad Suam Sanctitatem et ad suum Oratorem, fietque provisio, ut curetur celerior ejus expeditio.

Supplicant tamen Electi, ut eis condonentur Annata, quum eorum Ecclesiarum redditus una cum Ecclesiis redacti sint in nihilum his regni calamitatibus, quod cum jam Amplitudo Vestra optime novit, nolo de his miseriis nostris loqui prolixius. Parati alioquin, quoad poterunt de Diplomatum redemptione curam gerere. Atque hæc sunt, quæ de his Illustrissimæ Amplitudini Vestræ pro informatione scribere volui. Cui perpetua servitia mea commendo, et precor omnia optima atque fœlicissima.

Beneficia Ecclesiastica in Regno Hungariæ ad manus secularium Baronum et Nobilium sub diversis titulis per Majestatem Cæsaream tradita et concessa. Abbatia S. Gothardi, dominabus Zecchii et Turzo, pro viginti millibus florenis impignorata. Abbatia Borsmostrensis Magnifico Domino Francisco Nadasdii pro concambio suorum bonorum ad arcem Canysa pertinentium concessa.

Abbatiæ cujusdam Cisterciensis Ordinis bona quondam Gregorio Thurii concessa. Abbatia Lodnicensis in confinis Poloniæ sita Magnifico Gasparo Magoczy inscripta pro octomillibus floren. Abbatia Tapolcensis ante triennium ad Arcem Zenderero applicata. Abbatia de Zerenez

Capitaneo Ruscel vita durante collata. Bona Cartusianorum in Scepusio, lapis refugii appellata, sunt impignorata Francisco Cathay pro tribus millibus flor. Præpositura Mislensis Ordinis Præmonstratensis nuper tantum eidem Francisco Cathay pro quinque millibus flor. impignorata. Tres Villæ meliores Altaris Corporis Christi in Ecclesia Scopusiensi per Dominos Comites Scopusienses fundati et donati, datæ sunt quondam Andreæ Zakay in recompensam bonorum suorum Castelli Zaka. Oppidum Kapos ad Præposituram Selczionensem pertinens impignoratum Francisco Weckty pro quatuor millibus flor. Præpositura major Agriensis Ecclesiæ per Camerarios est arendata pro octingentis florenis Domino Christophoro Ungnodh Capitaneo Agriensi. Tres Villæ Præposituræ veteris Budensis in comitatu Nitriensi pro bona summa sunt inscriptæ Ladislao Maytiny.

Et pleraque alia minora beneficia exemplo Suæ Majestatis ab aliis quoque Baronibus, nobilibus et liberis civitatibus sunt usurpata, et alienata, vel in proprio uso conversa.

Quæ quidem alienata beneficia de facili poterant liberari, redimi et restitui suis Ecclesiis ex bonis Dominorum Priny et Orzagh ante paucos annos per defectum seminis ad Regium Fiscum devolutis; quæ bona pro summa circiter ducentum millium flurenorum sunt vendita Magnificis Dominis Francisco Thorol, Francisco Hadasdy, Joanni Chorom, Nicolao Bathory, Christophoro Ungnodh et Stephano Balassy.

Imo superest adhuc bonus modus et commoditas citra detrimentum reddituum ac Regiorum proventuum ordinariorum, eadem beneficia reintegrandi in pristinum et restituendi suis Ecclesiis, quibus olim ad honorem et cultum divinum fuerunt dedicata, si Sua Majestas voluerit; nempe ex restantiis bonorum Priny, et quondam Georgii Bebek, quæ adhuc in potestate et administratione Cameræ Suæ Regiæ Majestatis habentur multa millium florenorum valentium. Atque ad hoc salubriter et Regia pietate perficiendi, et exequendi animum et gratiam Suæ Cæsareæ Majestati præstet et infundat Deus, gratiarum largitor optimus, pro restauratione et incremento Sanctæ Religionis Catholicæ ejusque Ministrorum debita ac necessaria sustentatione.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. SIG. PRON. COLENDISS.
IL SIG. CARDINALE DI COMO, SEGRETARIO DI STATO
DI N. S. GREGORIO PP. XIII.

Vienna 23 Giugno 1572.

Germania Vol. 23. fol. 108. Sabbato passato il Reverendissimo Arcivescovo di Strigonia mi venne a trovare in nome di Sua Maestà Cesarea, facendomi grandissima instantia, acciocche io dovesse supplicare Sua Santità per la confermatione di quattro Vescovi di Ongaria nominati gia alcuni anni da Sua Maestà et mi mandò la sera l'inserto memoriale, il quale servirà per instruttione di V. S. Illustrissima et Reverendissima di quello, che l'Imperatore et questi Signori nominati desiderano. La mattina seguente dopo la messa Sua Maestà mi chiamò in camera et mi disse, che instando il tempo della coronatione del figlio et non trovandosi in Ongaria più che quattro Vescovi consecrati, de quali dui per la vecchiezza et infirmità non potevano intervenire a questo atto col quale si richiedeva quel maggior numero, che fusse possibile, strettamente pregava Sua Santità per la confermatione di questi, come ne sarà anco fatto ufficio dal suo Ambasciatore in Roma con Sua Beatitudine. Io risposi a Sua Maestà, che non haveva da dubitare punto della buona mente di Nostro Signore in satisfarla in tutte quelle cose, che potrà, pur ch'io non volevo restare di dirle, che mi pareva havere inteso, che Sua Santità fe. me. non haveva voluto confirmarne tre di loro, perche non s'esprimeva nel processo con che entrata havevano da mantenersi i Vescovi, essendo le chiese in mano d'infideli, et benche io sappi, che hanno Abbatie et Prepositure con le quali vivono commodamente, pur non essendo giustificato, dubitavo, che questo possa havere impedito la risolutione, et che era Vesprino solo, al quale resta qualche entrata del Vescovato, ma non havendo esso alcun'ordine Sacro potrebbe essere, che per ciò Nostro Signore havesse prolungata anco la sua espeditione. Et però acciocche non havessimo hora le medesime difficultà, et essendo il tempo così breve, le dissi, ch'io credeva, che fusse bene, che Sua Maestà operasse con i sudetti Signori nominati che provedessero a questi disordini, come anche io haveva detto al Reverendissimo di Strigonia, pur che in ogni caso non havrei mancato di significare a Sua Beatitudine il desiderio grande di Sua Maestà et la necessità et bisogno, che hà quel Regno di Prelati, et con questa occasione tornai a ricordarle la nominatione d'Agria et Giavarino, che gia tanto tempo vacano, facendole quella maggiore instantia, che potei, acciò si risolvesse con questa occasione, dubitando grandemente, che se passiamo questo punto, staremo qualche giorno ad haverne risolutione. Sua Maestà secondo il solito suo mi rispose humanissimamente, che non havrebbe mancato di provedere a questi dui Vescovati, conoscendo molto bene il gran bisogno delle Chiese, et che lo farebbe molto presto, ma che hora bisognava fare instantia per l'espeditione di questi quattro, mostrando infinito desiderio d'ottenere questa gratia da Nostro Signore. L'Onga-

ria, come V. S. Illustrissima sà meglio di me, è governata da tre ordini principali. Prelati, Baroni et Nobili, quali i dui ultimi per il più sono heretici, et i Prelati sono ridotti a cosi piccol numero, che con gran difficultà possono supplire all'officio loro, il quale non solamente s'estende alla cura particolare delle loro chiese, ma sono anco deputati al governo universale di tutto il Regno, non si potendo fare alcun giuditio senza l'intervento loro; et benche i Vescovati siano usurpati dal Turco, pure è necessario per la conservatione di quei pochi catholici che vi restano, e per il beneficio pubblico mantenere questi titoli, provedendo a questi Eletti con le Abbatie et Prepositure di questo Regno, le quali se non sono dispensate a questo modo, o che restano alla camera, o che vanno in mano di qualche heretico per mancamento di Catholici del paese, come al presente ne sono molte, et accioche la S. V. Illustrissima et Reverendissima possi vedere in che termini si trovano dette Abbatie et Prepositure; qui inclusa sarà una nota di quelle, che sono alienate, et un modo di restituirle in pristino, del che ne feci ufficio con Sua Maestà risportandosi buonissima risposta, ma fin hora non s'è veduto effetto alcuno, et però, come per altre mie le hò scritto, un Breve in buona forma a Sua Maestà in questa materia non potrebbe essere se non di molto giovamento. Con che facendo fine ec.

Di Vienna xxiii. Giugno 1572.

Giovanni Vescovo di Torcello.

—

AL MEDESIMO CARDINALE.

Posonio 26 Ottobre 1572.

Germania Vol. 25. fol. 200. Con grandissima fatica, e travaglio finalmente hò fatto formare i Processi di questi nominati alli Vescovati d'Ungaria, i quali mandarò per un lor Agente, che in breve è per venire a Roma per l'espedizioni; manca solo quello dell'Eletto di Giavarino, che è restato in Vienna ammalato, il quale si farà al nostro ritorno; e di più avendo S. M. dato il Titolo d'Archivescovo Colocense al Rm̃o di Zagabria, con gli altri si manderà il processo suo.

Io credo, che la S. V. Illm̃a sappi, che in Ungaria v'erano due Archivescovati e dodici Vescovati, dei quali la maggior parte è in potere dei Turchi: non dimeno sempre è stato solito di conferir i Titoli, eccetto questo del Archivescovo Colocense, e i Vescovati Sirmiense e Vaciense, che da alcuni anni in quà non sono stati dati; e perche i Vescovati che erano sotto Colocense, tra quali uno è Zagabria, restano senza Metropolitano; ed essendo il presente Vescovo di Zagabria di quel valore e bontà, che è molto ben conosciuta da S. S. nel tempo del Concilio, nel quale era sotto nome di Vescovo di Cinque Chiese: ora S. M. s'è risoluta di dargli questo Titolo, con grandissima consolatione di tutta la Nobiltà di questo Regno; benche esso ne abbia fatto molta resistenza, come ha fatto anco ogni opera per rinonciare il Banato di Croatia, officio di molta auctorità e riputazione, alla quale rinonzia, non solo S. M. non ha voluto consentire, ma gli ha dato questo nuovo titolo con la retenzione però del Vescovato, non avendo altro da poter vivere, per avere esso nel ritorno del Concilio rinuntiato a S. M. due Prepositure, che teneva, di più di quattro mila fiorini d'entrata, dicendo, che avendo giurato di osservare il Concilio di Trento, dove era stato determinato di non potere tenere altro, che un solo beneficio, non voleva essere spergiuro, e certo in questi paesi è tanto stimato, quanto altro Prelato che vi sia, e perche mi ha pregato che io voglia baciare i Sanctissimi piedi di Sua Beatitudine in nome suo, la S. V. Illm̃a così parendole potrà fare quest'ufficio.

Sua Maestà mi ha detto, che dimani partirà di qui per Vienna, ed io ancora penso di fare il medesimo. Con che ec.

Di Possonio alli 26. Ottobre 1572.

Gio. Vesc. di Torcello.

—

II. — 1572. — §. 25.

AL MEDESIMO CARDINALE.

Vienna 3 Settembre 1572.

Hoggi non ho potuto havere audienza per esser S. M. occupata con i due Principi di Baviera figlioli maggiori del Duca suoi nipoti, che vennero il giorno avanti per honorare la coronatione del Serenissimo Principe Ridolfo, la quale si dice, che si farà nel giorno di S. Matheo, et fra dieci dì si crede partiremo per Possonio. Germania Vol. 23. fol. 137.

Di Polonia non ho lettere dall' Illm̃o Legato già molti giorni, al quale non mancarò d'inviare quanto prima et più sicuramente potrò il suo plico. I Signori di Rosebergh et Prenestain con ottanta cocchi et più di quattro cento persone a li 26. del passato arrivarono in Cracovia, cioè nei borghi, non volendo entrare nella città per peste, che ivi et per tutto il Regno è grandissima et per maggior sicurtà alloggiano in campagna sotto a padiglioni. Non sapevano dove si trovasse il Cardinale, il quale medesimamente per questo sospetto et pericolo andava fuggendo

quà et là; ma havevano mandati due huomini per ritrovarlo, havendo da negotiare seco come le scrissi.

L' ordine di fare la dieta per la coronatione fù posto a li 8. di questo a Cnesin, nondimeno si tiene per certo, che debba prolungarsi fin che il freddo smorzi almeno in parte questa maledittione.

Già quattro giorni hebbi lettere del Capitulo d' Olmuz, per le quali mi danno avviso, che con la gratia dello Spirito Santo havevano di comun consenso confirmata l' elettione del Grodetio, il che m' è stato di gran contento, essendo provista questa Chiesa di persona, che per opinione comune ha tutte quelle conditioni, che si ricercano in un buon Prelato; et perchè il Vescovo è aggravato di molti debiti fatti dal Vescovo morto in beneficio della chiesa et per fondare et fabbricare un collegio in Olmuz per i Padri Gesuiti con gravissima spesa, esso Grodetio et il Capitolo ancora m' hanno ricercato et pregato con molta instantia, che io voglio supplicare Sua Santità che nell' espeditione, per la quale si mandarà in brevi due Canonici, li vogli fare qualche gratia, acciocchè possi continuare nelle buone opere cominciate dal suo Predecessore, et benchè questo Vescovo ricco di forse venticinque mila taleri d' entrata, nondimeno essendo obligato a molte spese, che bisognano fare ordinariamente; quando Sua Santità le facesse qualche gratia, oltre che saria benissimo impiegata, darebbe ancora animo agli altri Vescovi di venire a pigliar la confirmatione subito, che sieno nominati et non fare come questi d' Ungaria, che già più di quattro anni sono stati nominati, nè mai è stato possibile farle venire a pigliare la confirmatione, benchè in questa dieta dicono di volerlo fare ad ogni modo, nè io mancarò di sollecitarli: quello anco di Città Nova, che morì l' anno passato, ha goduto quel Vescovato quattro o cinque anni senza esser confirmato, alla quale chiesa havendo già alcuni mesi S. M. nominato il suo predicatore, persona dotta et molto catholica; non ho mancato di ricordargli più d' una volta a mandare a Roma, et mi ha dato sempre intentione, ma non è venuto a risolutione, et perchè oltimamente mi disse, che S. M. n' haveva questo carico, non mancarò di parlargliene alla prima audienza. Con che ec.

Di Vienna a li 3. di Settembre 1572.

Giovanni Vescovo di Torcello.

AL MEDESIMO CARDINALE.

Posonio 26 Settembre 1572.

Germania Vol. 35. fol. 148. Sabbato passato a mezzo di giunsi a Possonio, et la sera medesima arrivorno le loro MM. in barca con i Serenissimi figli piccoli l' Arciduca Carlo et i Principi di Baviera et di Cleves, et furono incontrati dall' Arcivescovo di Strigonia, dalli Vescovi et eletti Zagabriense, Vesprimiense, Vaciense, Agriense, Cinquechiese, Varadino et Tiniense et da tutti i Signori Principali d' Ongaria con tre mila cavalli, i quali non meno fecero bella vista per il numero et ordine, che tenevano nel marchiare, che per la vanità et ricchezza d' habiti, diversità di colori et gran quantità di piume. Nel uscire che fecero loro MM. di barca il Rmo Strigoniense parlò in latino in nome di tutto il Regno, allegrandosi della venuta loro et ringratiando l' Imperatore, che prima ad instantia di Signori Ongari havesse richiamati i Serenissimi figli di Spagna et poi havesse concesso loro il primogenito per Rè, dal quale si promettevono felicissimo governo, offerendosi essi all' incontro d' esser perpetuamente fidelissimi sudditi, et pronti a spendere la vita in servitio di Sua Maestà. Al quale l' Imperatore rispose succintamente ringratiandoli, havendo toccata la mano a tutti i principali. Subito poi che s' avicinorno alla città, fù fatta una bellissima salva di arcobuseria et artiglaria, et entrorno in castello in cocchio, non potendo S. M. cavalcare per la gotta. Dominica mattina uscirno tutti i sudetti Principi, Arcivescovo, Vescovi et altri Signori Ongari per incontrare i Serenissimi Principi Ridolfo et Hernesto, che erano restati la notte in un castello lontano forse tre leghe et venivano accompagnati dalla cavalleria d' Austria et Bohemia, et l' Arcivescovo medesimamente subito che fù arrivato appresso Sua Altezza le disse in latino, che poichè era piaciuto alla M. Cesarea di destinarlo per loro Rè, et essi l' havevano accettato con tanto applauso et allegrezza et concetta di lui tanta speranza, lo supplicavano, che volesse habitare nel Regno, defenderlo et ricuperare il perduto, raccomandadogli sopra tutto le cose della religione et della giustitia. A le quali parole Sua Altezza rispose con molta efficacia et maestà, che s'ingegneria di far in modo ch' essi non restassero punto defraudati della buona opinione, che havevano di lui, et che pregheria Dio, che li somministrasse ingegno et forze di far quello che fusse in honore di S. Divina Maestà, et apportasse utile et accrescimento al Regno. Dopo questo Sua Altezza volse vedere minutamente tutta la cavalleria, et se la fece passare innanzi informandosi et del numero et de' Capitani; et perchè questa mostra portò seco assai tempo, passorno le due hore di notte, che non era ancora entrata Sua Altezza, la quale fù riceuta con gran strepito d' artiglaria, molte musiche et allegrezza universale di queste genti. Lunedì mattina poi si cantò in castello una Messa dello Spirito Santo, dopo la quale Sua Maestà uscì in gran salla, et postosi a sedere sotto a

un Baldachino con il Serenissimo Arciduca Carlo, tutti i figli et i Principi di Baviera et di Cleves, disse pur in latino, che per condiscendere alle dimande di questo Regno, et per conoscersi mortale, voleva dare loro Rè ec. La coronazione del quale rimetteva alle volontà loro et poi li ringratiò della prontezza, che havevano mostrata in venire con sì numerosa et pomposa compagnia a questa solennità, et che esso haveria riguardo et all' incommodità et spese. Il che tutto fu poi replicato dal Vescovo Agriense per intelligenza di tutti in lingua Ongara. L' Arcivescovo lo ringratiò etc. et promisse che in quest' occasione et in ogni altra publica et privata attione haveriano fatto sempre volentieri, quanto dalla presente et stretta fortuna loro fusse concesso et disse, che haveriano chiamato consiglio, et determinato et riferito circa la coronatione, et così si licentiò. Fù il dì sequente concluso di fare la detta coronatione il mercordì, ma S. M. volse, che si differisse al giovedì; et in questi due giorni gli Ongari sono stati più volte inseme in casa di Monsignore Rmo di Strigonia per deliberare circa le persone, che havevano da servire in questa coronatione al Rè, et distribuire gli ufficii. Hoggi poi s' è fatto secondo il solito la coronatione nella chiesa di S. Martino con l'assistentia delle Loro MM. di tutti gli altri Principi et degli Ambasciatori. Il Rmo Strigoniense ha cantato la Messa et fatto l' officio, dopo il quale il Rè è andato in Maiestà alla chiesa di S. Francisco, dove ha fatti alcuni cavalieri, andando innanzi i principali Baroni d' Ongaria con le insegne Regie, et sequitandolo solamente i Vescovi et altri Prelati. Finita questa ceremonia, è uscito da due porte della città et salito sopra due palchi fatti per questo effetto, voltandosi verso i quattro venti principali ha giurato, che lui defenderà questo Regno da tutte le parti del mondo. La festa saria stata assai più bella, si la pioggia, che cominciò lonedì, et totta via dora non l' havesse disturbata, la quale causerà forse ancora, che si differiranno le giostre et altri spettacoli. Gli Ongari preparanno un presente al Rè, ma non si sa ancora la qualità. Con che a V. S. Illma et Rma humilmente bacio le mani, et le prego felicità etc. Di Possonio a 26 di Settembre 1572.

Giovanni Vescovo di Torcello.

AL MEDESIMO CARDINALE.

Possonio 20 Ottobre 1572

Die xiii. Maji in Conclavi R̃mus Augustanus Episcopus Cardinalis Prænestinus, Decano et Portuensi valetudine impeditis, in Sacello Pauli celebravit Missam de Spiritu Sancto voce submissa, et de ejus manu Sacratissimam Eucharistiam sumpserunt Cardinales omnes, exceptis infirmis, cum croceis et stolis.

Lectæ sunt a me Bulla Julii II. contra simoniam, et Pii IV. super reformatione Conclavis, cum §. Cæterum, et Bulla Pii V. de non infeudandis bonis Ecclesiæ. Deinde genuflexus legi formam juramenti, et omnes R̃mi D̃ni eas jurarunt tactis Sacrosanctis Evangeliis in manibus D. Ludovici Magistri Ceremoniarum.

R̃mus Decanus paucis, sed accommodatis verbis hortatus est R̃mos Dominos ad Bullas servandas, et ad candidam ac Christianæ Reipublicæ utilem Electionem faciendam.

Datus est per secreta suffragia tertius Conclavista R̃mis Gambaræ et Borromeo.

Disputatum est de legendis et jurandis Bullis supradictis propter Cardinales infirmos, et definitum est, ut Domini scrutatores votorum simul etiam juramentum ab eis caperent, eosque admonerent, ut quamvis alias Bullas ipsas legissent, iterum memoriæ causa diligenter legerent.

Missi secundi in Ordine, propterea quod Decanus podagra impediebatur, ad exquirenda infirmorum vota. Interea legi literas Ducis Venetiæ et Magni Etruriæ Ducis, ambas in membrana scriptas, et signo plumbeo signatas: erant autem de obitu Pii Quinti officiosæ. Postremo celebratum est scrutinium.

Post meridiem R̃mi Deputati recognoverunt omnes Conclavistas.

Eadem die xiii. Maji, hora plus minus 22. Spiritus Sancti afflato Patres inspirati, summo animorum consensu elegerunt in Summum Romanum Pontificem R̃mum P. D. Ugonem Boncompagnum Bononiensem, tt. S. Sixti Presbyterum Cardinalem ex Cardinalibus Pii Quarti, quem a sua cella deduxerunt in Sacellum Pauli, ibique aliquantum in Sella Pontificia collocarunt, omnes per loca sua cum ipso Electo dispositi suo quique ordine, clara voce et vivis

suffragiis ipsum elegerunt in Summum Pontificem, neque aliud præterea scrutinium celebratum est. Tum illum in Throno Pontificali sedentem singuli Cardinales complexi sunt; paulo post vestibus Pontificiis indutus est, iterumque Fratres ad amplexum admisit; denique alba stola et pluviali ac mitra pretiosa ornatus, sedit super Altare, ibique eum Cardinales ordine adorarunt. Assumpsit autem nomen Gregorii XIII. quod eo die creatus Cardinalis fuisset, idque de more a Rmo D. Hieronymo Cardinali Simoncello tamquam Priore Diaconorum pronunciatum et publicatum est.

Circiter horam mediam noctis in Basilica Vaticana portatus est, ibique reliquæ Ceremoniæ peractæ sunt. Fuerunt autem in Conclavi præsentes Cardinales LI. a quibus est electus, videlicet Moronus, Tridentinus, Augustanus, Farnesius, Urbinas, Politianus, Episcopi 6. – Perusinus, Pisarum, Sabellus, Sancti Georgii, Cornelius, Granvelanus, Varmiensis, Pacheccus, Corrigiensis, Gambara, Borromeus, Altemps, Gesualdus, Sermoneta, Ferrariensis, Aragona, Columna, Comensis, Sanctacrucius, Bobba, S. Sixti, Sfortia, Ursinus, Cribellus, Vercellensis, Lomellinus, Sirletus, Paleottus, Alexandrinus, Madrucius, Alciatus, ab Ecclesia, Maffeus, Cæsius, Theanensis, Muntaltus, Placentinus, Aldobrandinus, Justinianus, Rusticuccius, Albanus, Presbyteri 41. – Simoncellus, Medices, Carafa, Aquaviva, Diaconi 4. – Rmus vero Sanctæ Severinæ extra Conclave ægrotabat.

Silvius.

Die Dominico XXV. Maji MDLXXII. ipso die Pentecostes, Romæ apud S. Petrum Gregorius Papa XIII. annum agens septuagesimum primum, super scalis Basilicæ Vaticanæ ab Innocentio de Monte S. R. E. Cardinale Archidiacono solemni more coronatus est, Jo. Morono Episcopo Cardinale Ostiensi Decano sacris Orationibus præeunte etc. etc.

SERENISSIMO PRINCIPI MAXIMILIANO ROMANORUM REGI IN IMPERATOREM ELECTO MAJORI HONORANDO.

Miseratione Divina etc. Serenissime Cæsar, salutem. Quis dabit capiti nostro aquam, et oculis nostris fontem lacrimarum, ut Sanctissimi Domini ac Patris nostri Pii Quinti mortem lugeamus, ut nostram orbitatem, totiusque Christianæ Reipublicæ calamitatem dolenter deploremus? quamquam illius mors, quæ vitæ sanctissime, et integerrime actæ consentanea fuit, non tam fletu, quam gratulatione prosequenda est; scriptum est enim, Beati mortui qui in Domino moriuntur: at nos miseri, qui Pontificem singulari pietate, sapientia, vigilantia amisimus; quod quidem etsi omni tempore dolendum fuit, his tamen afflictis difficillimisque temporibus maxime luctuosum est atque acerbum. Etenim quis sit rerum omnium status, quæ conditio, quæque multa pericula immineant, Majestas Vestra pro summa ejus prudentia, nobis etiam tacentibus, optime intelligit. Quæ cum ita sint, non ignoramus, quod hic nuntius Majestati Vestræ cum publicis, tum multis privatis nominibus tristis ac molestus sit futurus: cui enim nota non est et sanctæ illius memoriæ erga Majestatem Vestram paterna charitas, et vicissim Majestatis Vestræ erga illum optimi et charissimi filii pietas atque observantia? Quarum rerum dum ipsa recordabitur, dumque sapienter, ut solet, secum expendet, quantum præsidii in illo sanctissimo sene publicæ res amiserint, jure optimo magnum animo dolorem capiet. Sed quid agamus? Divinæ voluntati obtemperandum est, cui quicquid placuit, illud vere bonum ac salutare esse non est ambigendum. Deum igitur pie sancteque precemur, primum quidem ut Vicarii sui animam, quam hesterno die e corporis statione evocavit, in pacis ac requietis loco collocet, quod nos jam nunc sacris exequiis de more celebrandis efficere studebimus; deinde vero ut in ejus locum talem Pastorem substituat, qualem potissimum gregis Dominici salus et calamitosa hæc tempora desiderant. Id autem cum nos nostri officii munere omni studio ac diligentia curabimus, tum etiam ut id facilius consequamur, Majestatis Vestræ piis precibus, quod primogenitum Ecclesiæ Romanæ filium in primis decet, suorumque populorum assidua ad Deum obsecratione nos adjuvari magnopere expetimus.

Datum Romæ etc. die secunda Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS EPISCOPUS OSTIENSIS.
S. CARDINALIS PISARUM.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

SERENISSIMO PRINCIPI CAROLO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO MAJORI HONORANDO.

Miseratione Divina etc. Christianissime Rex, salutem. Quod a nobis vetus consuetudo, et officii nostri ratio postulat, Majestati Vestræ magno cum dolore ac lacrimis nuntiamus, Sanctissimum Patrem ac Dominum Nostrum Pium Quintum Pontificem Maximum, brevis et caducæ hujus vitæ curriculo jam confecto, hesterno die pie san-

eteque in Domino obdormisse, cujus quidem mors non tam illi immatura accidit, quam nobis et Christianæ Reipublicæ acerba. Etenim misera et calamitosa hæc tempora, tanquam rerum omnium perturbatio, aliquot adhuc annos, si ita Deo placuisset, optimi Gubernatoris præsentiam et vigilantiam desiderabant. Quamobrem tam gravi plaga, tam incommodo tempore afflicti, et nos Pastoris vigilantissimi amissionem merito deploramus, et Majestatem Vestram pro majorum suorum Christianissimorum Principum, suaque perpetua erga Apostolicam Sedem et piam illius memoriam observantia, dolenter id ac permoleste ferre non dubitamus. Nam ut publicas causas nunc omittamus, ipsa quoque nobiscum parentem amantissimum amisit, qui eam unice diligebat, qui omnes Majestatis Vestræ res, aut adversas, aut prosperas, suas ac proprias esse ducebat, qui denique istius Regni calamitatibus ita afficiebatur, ut nihil vel frequentius cogitaret, vel vehementius desideraret, vel ardentius a Deo precaretur, quam ut Christianissimæ Galliæ veterem Catholicæ Religionis gloriam, quæ olim florentissima fuit, tandem aliquando pro sua clementia restitueret. Etsi autem hæc ita se habent, et sensuum æstimationi acerba sunt, tamen rationi locum dare, et præcepti illius memores esse debemus, quo a Christo Domino instituti, non nostram, sed æterni Patris voluntatem fieri postulamus. Nos igitur pro nostri officii munere sacris exequiis demortui memoriæ rite celebratis, statim in Apostolicum Conclave Summi Pontificis deligendi causa de more includemur: quia vero ad rei maximæ et gravissimæ confectionem divina ope et auxilio maxime indigemus, Majestatem Vestram rogamus, ut et suis et suorum populorum precibus nos adjuvari curet, ut Deus noster assidua multorum deprecatione exoratus, gregi suo Pastorem secundum cor suum celeriter largiatur.

Datum Romæ etc. die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisanus.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

SERENISSIMO PRINCIPI PHILIPPO HISPANIARUM REGI CATHOLICO.

Miseratione Divina etc. Rex Catholice major honorande, salutem. Quanto animi dolore Majestati Vestræ triste hoc nuntium de obitu Sanctissimi Pii Quinti acceptum sit, qui heri vespere sicut Deo placuit, commune naturæ debitum dissolvit, facile de nostro sensu ac mœrore æstimamus. Quæ enim gravior jactura fieri, aut quid hoc tempore Christianæ Republicæ et gregi Dominico magis incommodum accidere potuit, quam mors Pastoris vigilantissimi, qui dies noctesque totus in ea cura defixus erat, ut dispersas ac dissipatas oves in ovile Christi congregaret, teterrimos fidei nostræ hostes Turcas deprimeret, et Catholicæ Religionis veritatem longe ac late disseminaret? Quæ quidem cum omnibus manifesta, tum in primis notissima sunt Majestati Vestræ, quæ illius optimas cogitationes pro summa inter nos animorum conjunctione cognitas ac plane perspectas habebat, quam illo ut optimum et carissimum Ecclesiæ filium unice diligebat, de cujus pietate, et in tuenda Religione studio, atque eximia erga Apostolicam Sedem observantia multa sæpe verbis amplissimis prædicabat; quo magis dolendum est, tam alieno tempore Principem singulari Religione et virtute nobis ereptum esse; nam ex vestra summa voluntatum et sententiarum consensione quantum boni ad publicam utilitatem redundaret, nemo non videt. Cæterum in magno dolore ea nos recordatione consolamur, quod manus Domini brevis aut contracta non est, nec finis est ullus miserationum ejus, potensque est Dominus excitare in demortui locum Pontificem alium, quem zelus Domus Dei non minus vehementer comedat, quique non minori mentis ardore sublatum semel victricis Crucis vexillum una cum Majestate Vestra in communes hostes inferat, quod et futurum divina freti clementia certo speramus, et ut celeriter fiat, ab immortali Deo precamur. Ne qua autem ad eam rem plane gravissimam in nobis mora sit, statim novendialibus exequiis Patri nostro amantissimo persolutis, in Apostolicum Conclave ex more majorum includemur, atque in Summi Pontificis deligendi curam Spiritu Sancto authore omni sedulitate incumbemus. Interim vero Majestas Vestra pro sua singulari providentia prospiciat, ne publicæ res aliquid detrimenti capiant, tum illud a Deo et suis, et suorum populorum obsecrationibus frequenter petat, ut in tanto munere exequendo studia nostra cælesti numine dirigantur.

Datum Romæ in Palatio Apostolico ex Congregatione nostra generali, sub sigillis trium nostrum in Ordine Priorum, die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisanus.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

SERENISSIMO PRINCIPI SEBASTIANO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM REGI ILLUSTRI MAJORI HONORANDO.

Miscratione Divina etc. Serñic Rex, salutem. Magno eum dolore ae lacrymis Majestati Vřæ significamus, Patrem ae D. Nřum amantissimum Pium Quintum Summum Pontificem, in cujus pietate, virtute, sapientia placide conquiescere solebamus, heri vespere ex bac misere et caduea vita ad sempiternam beatitudinem, ut pie credimus, evolasse: ita enim vixit, ut ejus vita continua quædam esset mortis meditatio, itaque inter nos peregrinatus est, ut cum nihil eorum, quæ ad Pontificium munus pertinent, prætermitteret, nihil tamen magis euperet, quam dissolvi et esse eum Christo. Non igitur illius mors, quæ veræ vitæ aditum patefecit, sed nostra orbitas, et Christiani populi calamitas deploranda est: nam quis non videat alienissimo tempore Pastorem vigilantissimum, et de gregis Dominici salute maxime solicitum nobis ereptum fuisse? cujus omnes curæ, omnes cogitationes eo spectabant, non solum ut prolapsam domi, et in Ecclesia Catholica veteris sanctitatis disciplinam instauraret, et segetem Domini a mortiferis et venenatis hæresum herbis perpurgaret, sed etiam ut vestris Catholicorum Principum animis viribusque conjunctis, Christi gloriam et Evangelii lucem in exteras gentes, et remotissimas nationes diffunderet: quod sane cum alia multa, tum Apostolicæ legationes ab eo proxime missæ plane declarant. Atque hæc quidem, et alia plura, quæ ad publicas retiones referenda sunt, eum a Majestate Vestre prudenter considerari, tum graviter et dolenter ferri non dubitamus: quid illa privatiora et magis propria, an non Majestati Vestræ justum dolorem commovere debent singularis ille et vere paternus Sanctitatis Suæ erga ipsam amor, dulcis utrinque charitatis, et officiorum concertatio, summaque inter vos animorum et voluntatum magnis in rebus consensio? Sed quid ea diutius commemoremus, quorum recordatione communis noster dolor vehementius recrudescit? Deum potius obsecremus, ut ea consolatione, quæ hoc tempore maxime necessaria est, mœrorem nostrum leniat, id est, ut Ecclesiæ suæ Pastorem secundum cor suum celeriter largiatur. Quod sane nos, demortui exequiis solemni ritu celebratis, statimque in Apostolicum Conclavo ingressi, omni diligentia pro nostri officii munere eurabimus. Interim vero Majestas Vestra pro sua eximia pietate et suis privatim, et publice suorum populorum precibus a Deo suppliciter petat, ut qui Christiano populo universo maxime utilis sit futurus, is a nobis Sancti Spiritus afflatu Summus Pontifex deligatur. Datum Romæ in Palatio Apostolico ex Congregatione nostra generali, sub sigillis trium nostrum in Ordine Priorum, die secunda Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS EPISCOPUS OSTIENSIS.
S. CARDINALIS PISARUM.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

SERENISSIMO PRINCIPI SIGISMUNDO AUGUSTO POLONIÆ REGI MAJORI HONORANDO.

Miseretione Divina etc. Serenissime Rex, salutem. Perspecta jampridem Majestatis Vřæ erga Apostolicam Sedem, et beatæ memoriæ Pium Quintum Summum Pontificem observantia, jam nunc nobis ante oculos ponit, quemadmodum affecta Majestas Vestra has nostras literas leget, quas et nos non sine magno animi dolore ad eam scribimus. Etenim pridie ad vesperum, sicut illi placitum est, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, senex sanctissimus sancte et religiose obdormivit in Domino, nosque parente amantissimo ut Pastore vigilantissimo orbatos reliquit. Id autem, quam alieno tempore, quam Christianæ Reipublicæ incommodo accideret, Majestas Vestra pro sua singulari prudentia optime intelligit; præsertim eum et alias sæpe, et nuper maxime ex charissimi fratris, et Collegæ nostri Cardinalis Commendoni ad eam legatione plane cognoscere potuerit, omnes optimi Pontificis cogitationes in eo defixas fuisse, ut vestris Catholicorum Principum animis viribusque consociatis, Christi Domini gloriam, et Religionis nostræ veritatem non solum domi collapsam restitueret, sed in exteras quoque nationes ac gentes dilataret. Quapropter quo gravior jacture facta est, eo nos magis humili ac demisso animo Deo supplicare oportet, ut Vicarium prudentem et fidelem super familiam suam celeriter constituat. Nos igitur pro nostri officii munere, simul atque sacras novendiales exequias demortui animæ de more persolverimus, statim in Apostolico Conclavi inclusi, in hanc unam Summi Pontificis deligendi curem omni studio incumbemus. Hortamur autem Serenitatem Regiam, quandoquidem in communi causa communis diligentia adhibenda est, ut et suis privatim, et publice suorum populorum apud Deum precibus, nostram in re gravissima solicitudinem sublevare ne intermittat.

Datum Romæ etc. die secunda Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS EPISCOPUS OSTIENSIS.
S. CARDINALIS PISARUM.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

SERENISSIMO PRINCIPI ALOYSIO MOCENIGO
VENETIARUM DUCI.

Miseratione Divina etc. Serme Princeps, salutem. In communi S. Matris Ecclesiæ et Christianorum Principum dolore, quo ex obitu Sanctissimi Pontificis Pii Quinti bonos omnes affici æquissimum est, non dubitamus Serenitatem Vestram, atque istum prudentissimum Senatum præcipuo quodam doloris sensu commoveri: id enim et perpetua vestra erga Apostolicam Sedem observantia, et eximius quidam ac singularis piæ illius memoriæ erga istam Rempublicam amor plane requirit. Nec vero parva, aut obscura sunt ejus rei testimonia; nam quæ temporis diuturnitas, aut quæ oblivio clarissimam ad Echimadas insulas victoriam delere, aut inobscurare unquam poterit? immo vero ad omnem posteritatis memoriam, summæ animorum vestrorum in Christiana Religione tuenda consensionis extabit testificatio sempiterna. Sed quo magis hæc recordatio jucunda est, eo cogitatio illa acerbior, Pontificem optimum, et de Ecclesia Catholica optime meritum, tam alieno tempore nobis ereptum fuisse, quo potissimum ex illius pietate, sapientia, animi magnitudine majores in dies fructus expectabamus. Quæ quidem etsi vera, et magnum ac justum dolorem efficiunt, tamen mentis oculos ad parentem misericordiarum sustollimus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Speramus enim, ac plane confidimus, quod Deus noster pro sua summa clementia Pastorem alium excitabit, qui non minori charitatis zelo ad teterrimos Christiani nominis hostes Turcas deprimendos, et Catholicæ fidei veritatem propagandam exardescet: quare quod a nobis officii nostri ratio postulat, primum quidem sacris novendialibus exequiis de more a Deo precabimur, ut animam servi sui, quam hesterna die ex hac misera at calamitosa vita migrare jussit, ad æternæ beatitudinis gaodia recipiat; deinde vero Spiritus Sancti numine implorato, sine ulla mora Apostolicum Conclave ingrediemur, atque in Summi Pontificis deligendi curam omni studio incumbemus: optamus autem vehementer, vosque in Domino magnopere hortamur, ut in re maxima et gravissima ex sententia, et ex Christianæ Reipublicæ utilitate conficienda, vestris nos et privatis et publicis obsecrationibus assidue adjuvetis. Datum Romæ in Palatio Apostolico ex Congregatione nostra generali, sub sigillis trium nostrum in Ordine Priorum, die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisanus.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

—

VENERABILI TAMQUAM FRATRI DOMINO JOANNI DELPHINO
EPISCOPO TORCELLANO SEDIS APOSTOLICÆ APUD
SERENISSIMUM CÆSAREM NUNTIO.

Item aliis apud Catholicum, Christianissimum, Polonum, Ducem Venetiarum, Etruriæ, et in regno Neapolitano mutatis mutandis.

Miseratione Divina etc. Venerabilis tamquam frater, salutem. Pro veteri consuetudine Sacri Collegii nostri, proque nostri muneris officio scribimus ad Serm̃um Cæsarem de obitu felicis recordationis Pii Quinti Pontificis Maximi, Domini ac Patris Nostri Sanctissimi, doloremque nostrum, quem pro eo, ac multis et privatis de causis et publicis debemus, sane magnum accepimus, cum Majestate Sua, idest cum carissimo et primogenito Ecclesiæ filio communicamus, prout ex literis ipsis, quarum tibi exemplum mittimus, Fraternitas Tua plane intelliget. Erit igitur diligentiæ tuæ statim eas reddere, prudentiæ vero nostro et Apostolicæ Sedis nomine cum Majestate Sua in eamdem sententiam ea colloqui, quæ huic tempori maxime apta et accommodata esse videbuntur. Interim vero dum nos in novi Pontificis electionem, Sancti Spiritus gratia adjuvante, omni studio incumbimus, Fraternitas Tua istam Apostolici Nuntii personam, quam hactenus egregie sustinuit, eadem, qua consuevit, sedulitate, fide atque gravitate tueatur, speretque Summum futurum Pontificem virtutis, meritorumque tuorum gratum ac memorem fore, nosque apud ipsum omnia tibi amoris et charitatis officia, quantum cum Domino poterimus, cumulate præstaturos.

Datum Romæ etc. die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisanus.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

—

REVERENDO TAMQUAM FRATRI D. PROTHONOTARIO
SIMONETÆ IN REGNO NEAPOLIS
APOSTOLICÆ SEDIS NUNTIO.

Miseratione Divina etc. Reverende tamquam frater, salutem. Scribimus ad Rm̃um in Christo Patrem et Dñum D. Cardinalem Granvelanum, istius Regni Neapolitani Viceregem, Collegam et fratrem nostrum charissimum, de obitu felicis recordationis Pii PP. Quinti, Pontificis de Apostolica Sede et Christiana Republica optime meriti, ejusque D. Rm̃a pro ea persona, quam sustinet in Ecclesia Dei, ad gravissimum munus, hoc est ad novi Pontificis electionem per lite-

ras invitamus, prout ex literis ipsis, quarum tibi exemplum mittimus, D. T. plane intelliget. Erit igitur diligentiæ tuæ statim eas reddere, prudentiæ vero cum Dom. Sua Rma nostro nomine in eamdem sententiam ea colloqui, quæ huic tempori maxime apta et accommodata esse videbuntur. Interim vero dum nos in novi Pontificis electionem, Sancti Spiritus gratia adjuvante, omni cura studioque incumbimus, D. T. istam Apostolici Nuntii personam, quam hactenus egregie sustinuit, eadem, qua consuevit, sedulitate, fide atque gravitate tueatur, speretque Summum Pontificem futurum virtutis, meritorumque tuorum gratum ac memorem fore, nosque apud ipsum omnia tibi amoris et charitatis officia, quantum cum Domino poterimus, cumulate præstaturos. Datum Romæ in Palatio Apostolico ea Congregatione nostra generali, sub sigillis trium nostrum in Ordine Priorum, die secunda Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS EPISCOPUS OSTIENSIS.
S. CARDINALIS PISANUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

DILECTISSIMO NOBIS IN CHRISTO EMANUELI PHILIBERTO SABAUDIÆ DUCI ILLUSTRI. ITEM DUCI MANTUÆ.

Miseratione Divina etc. Dilectissimo nobis in Christo etc. Et multorum nuntiis, et fama ipsa literas nostras præcurrente, jam Excellentiam Vestram audisse arbitramur de gravi hoc incommodo, quo repente oppressi sumus, nimirum de obitu Sanctissimi Patris et Domini Nostri Pii Quinti, qui hesterno die vesperi animam suam Auctori et Creatori Deo pie sancteque restituit, nosque omnes suo discessu luctus ac mœroris plenissimos reliquit. Neque vero dubitamus Excellentiam Vestram pro sua perpetua erga Apostolicam Sedem observantia, præsertim cum et ipsa parentem optimum, suique in primis amantissimum amiserit, pari nobiscum animi dolore permoveri, sæpiusque pro sua prudentia in ea cogitatione versari, quam alieno tempore mors Sanctissimi Pontificis, et propagandæ Religionis studiosissimi Christianæ Reipublicæ acciderit: quod etsi verissimum est, consolamur nos tamen, quod Deus et Dominus noster misericordiæ suæ oblivisci non potest, neque Ecclesiam suam deserere, quam filii sui pretioso sanguine acquisivit. Nos igitur demortui salute sacro exequiarum ritu de more procurata, statim Apostolicum Conclave ingrediemur, atque in eam Summi Pontificis deligendi curam tota mente animisque incumbemus: interim vero Nobilitas Vestra pro sua eximia pietate et privatim Deo supplicet, et publice a suis supplicari curet, ut Spiritu Sancto suo in corda nostra illabatur, ut ad nominis sui gloriam, et Christiani populi utilitatem, is a nobis Pontifex Maximus renuncietur, quem difficillima hæc nostra tempora maxime requirunt.

Datum Romæ etc. die secunda Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS EPISCOPUS OSTIENSIS.
S. CARDINALIS PISANUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

DILECTISSIMO ECCLESIÆ FILIO ALPHONSO FERRARIÆ DUCI ILLUSTRI. ITEM DUCIBUS URBINI ET PARMÆ.

Miseratione Divina etc. Dilectissime nobis in Christo etc. Patre optimo et Sanctissimo D. N. Pio Quinto Pontifice Maximo heri ad vesperum, sicut Deo placitum est, orbati, summum animorum nostrorum dolorem pro veteri nostri Collegii instituto Nobilitati Vestræ, quamquam id moleste et invito facimus, per has literas impartimus; decet enim amantissimum Romanæ Ecclesiæ filium matris suæ mœrorem et luctum piis lacrimis prosequi, præsertim in ejus Pontificis morte, qui paterna charitate Nobilitatem Vestram diligebat, quique de Christiana Republica optime est meritus: quo magis dolendum est, tam incommodo ac plane alieno tempore illum nobis ereptum fuisse: attamen æquum est, ut conditionis et caducitatis humanæ memores simus, et in Divinæ voluntatis beneplacito acquiescamus. Nos igitur sacris exequiis pro demortui salute solemni ritu celebratis, statim in Apostolicum Conclave de more includemur. Quia vero in Summi Pontificis electione, hoc est in re maxima et gravissima conficienda, magno cælestis gratiæ auxilio indigemus, erit pietatis vestræ, bonorum omnium auctorem Deum et privatim et publice precari, ut Spiritus Sancti sui lumine corda nostra dirigat, et quem ipse gregi suo Pastorem his difficillimis temporibus delegerit, nobis clementer ostendat.

Datum Romæ in Palatio Apostolico etc. die secunda Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS EPISCOPUS OSTIENSIS.
S. CARDINALIS PISANUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

DILECTISSIMIS IN CHRISTO DUCI ET MAGNIFICIS VIRIS GUBERNATORIBUS GENUÆ. ITEM MAGNIFICIS IN CHRISTO NOBIS DILECTISSIMIS ANTIANIS ET CONFALLONERIO JUSTITIÆ POPULI ET COMMUNITATIS LUCENSIBUS.

Miseratione Divina etc. Magnifici nobis in Christo dilectissimi, salutem. Quantum præsidii et adjumenti Catholica Ecclesia in beatæ memoriæ Pio Quinto Summo Pontifice amiserit, qui hesterno die, sicut Deo placitum est, ex hac brevi et mortali vita decessit, cum vos pro vestra prudentia optime intelligere, tum etiam pro eximia erga Apostolicam Sedem, ipsumque Pontificem observantia graviter et dolenter ferre non dubitamus. Vere enim maxime alieno tempore Pastor vigilantissimus, et de Christiana Republica optime meritus nobis est ereptus. Cæterum quando ea conditione nati sumus, ut semel moriamur, et quidem Pius Pontifex ea vitæ sanctitate fuit, ut illum ad æternæ felicitatis gaudia admissum esse plane confidamus, gratulemur illi humanorum laborum requiem, et desideria nostra ad Divinæ voluntatis regulam conformemus. Quod autem a nobis muneris nostri ratio, et horum difficillimorum temporum conditio in primis postulant, paulo post solemni exequiarum celebratione demortui memoria rite persoluta, Sanctique Spiritus auxilio suppliciter implorato, in Apostolicum Conclave pro novi Pontificis creatione includemur. Ad vos autem, hoc est ad optimos et amantissimos Ecclesiæ filios pertinebit, assiduis precibus privatim ac publice Deum deprecari, ut maximum istud gravissimumque negocium ex Divinæ Maj. Suæ voluntate, hujus temporis necessitate, nostro bonorumque omnium desiderio, et celeriter quantum poterit, et feliciter conficiamus.

Datum Romæ etc. die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

CARDINALIBUS ABSENTIBUS PER ITALIAM.

Reverendissimo in Christo Patri et Domino, Domino Carolo tituli S. Praxedis Presbytero Cardinali Borromeo, Majori Pœnitentiario, Collegæ et fratri nostro charissimo.

Miseratione Divina etc. Reverendissime in Christo Pater etc. Fama ipsa celeritate sua literas nostras præcurrente, D. V. Reverendissimam jam audisse arbitramur, felicis recordationis Patrem et Dñum Nostrum Sanctissimum Pium Quintum, Pontificem de Christiana Republica optime meritum, heri vesperi ex hujus caducæ vitæ miseriis migrasse ad Dominum. Vere hoc tempore, frater charissime, illam patientissimi hominis sententiam usurpare possumus, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Nam etsi multis privatis publicisque de causis, quæ Circumspectioni Vestræ pro sua prudentia facile in mentem veniant, gravi animi dolore afficimur, nosque ipsos Patre amantissimo orbatos, Ecclesiam Catholicam Pontifice optimo et integerrimo, ac Gubernatore vigilantissimo, præsertim tam alieno tempore, privatam esse ingemiscimus: rationi tamen locum damus, atque in illum tutissimum portum confugimus, ut Divinæ voluntati libenter omnino obtemperemus. Quamobrem ad gravissimum munus nostrum propediem, Deo juvante, exequendum jam animos convertimus. Vestræ autem Dominationis Rñæ partes erunt ad Urbem quamprimum poterit accurrere, ut persolutis demortui animæ de more sacris exequiis, Apostolicum Conclave una omnes ingrediamur. Interim vero conjunctis precibus Dei misericordiam assidue imploremus, ut Spiritu Sancto authore is a nobis Summus Pontifex deligatur, qui Deo gratus, et Ecclesiæ universæ in hisce gravissimis temporibus utilis, salutarisque sit futurus. Datum Romæ in Palatio Apostolico ex Congregatione nostra generali, sub sigillis trium nostrum in Ordine Priorum, die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

CARDINALIBUS ABSENTIBUS PER GERMANIAM ET GALLIAM.

Reverendissimo in Christo Patri et Domino Domino Georgio tituli S. Nicolai in Carcere Presbytero Cardinali Armeniaco, Collegæ et fratri nostro Charissimo.

Miseratione Divina etc. Reverendissime Dñe Collega, et frater noster charissime, salutem. Recte et vere summa nos veritas Christus Dominus monet, paratos nos semper expeditosque esse debere, neque obdormiscere, sed vigilare, quandoquidem, qua hora Dominus noster venturus sit, plane ignoramus. Etenim bonæ memoriæ Sanctissimus Pater et D. N. Pius Quintus, eo tempore, quo illius virtute, pietate, vi-

gilantia maxime indigebamus, nobis et Christianæ Reipublicæ heri ad vesperum est ereptus: quod quidem D. V. Reverendissimæ quam grave et acerbum venturum sit, de sensu nostro et summo animi dolore facile æstimamus. Sed quid agamus, frater charissime, divinæ voluntati, cujus consilia, ut occulta penitus, ita recta sunt, maxime nobis omnino acquiescendum est. Itaque Patri optimo solemnes exequiss de more celebrabimus, statimque deinde Sancti Spiritus auxilio implorato, ad novum Pontificem deligendum Conclave ingrediemur. Hortamur autem D. V. ut pro sua pietate, proque ea persona, quam sustinet, superata itineris longitudine, quo maturius poterit, ad Urbem veniat, ut nobiscum una maximum hoc negotium gravissimumque suscipiat. Interim autem, ut illud ex animi nostri, bonorumque omnium sententia, et Christianæ Reipublicæ utilitate feliciter conficiamus, assiduis a Deo precibus petere ne intermittat.

Datum Romæ etc. die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

CARDINALI INFANTI PORTUGALLIÆ, ET SEGUNTINO IN HISPANIA.

Miseratione Divina etc. Reverendissime Domine Collega etc. Æquum sane est, ut D. V. Revmam, quæ licet corpore absens, et locorum intervallis disjuncta, spiritu tamen præsens, nobiscum multis est amoris et fraternæ benevolentiæ vinculis conjuncta, doloris nostri participem quamquam inviti faciamus, ut et ipsa ex Apostoli præcepto cum flentibus fleat, et communem jacturam communibus lacrymis pie prosequatur. Etenim hesterno die vesperi Deo ita jubente Sanctissimum Patrem et D. N. Pium Quintum amisimus, aut potius revera non tam hic amisimus, quam in æterna illa Patria parentem et advocatum recuperavimus: ea enim pietate, religione, vitæ sanctitate fuit, ut plane singulari Dei optimi misericordiæ confidamus, ipsum jam nunc receptum fuisse inter beatos illos servos, quos Dominus vigilantes invenit: qua quidem spe et cogitatione nos ipsos non mediocriter consolamur, idemque D. V. Reverendissimam pro sua prudentia facturam non dubitamus. Quamobrem demortui Pontificis exequiis solemni more celebratis, propediem ad novum Dominici gregis Pastorem deligendum in unum Apostolici Conclavis locum conveniemus. Vehementer autem optamus, et hortamur D. V. Reverendissimam, ut rei maximæ et gravissimæ nobiscum interesse, suaque eximia pietate et sapientia, si fieri poterit, studium nostrum adjuvare velit: sed quando id multis de causis sperare vix licet, ipsam magnopere rogamus, ut votis nos suis precibusque assidue juvet, idemque ab aliis et privatim, et publice fieri curet, ut Deus et Dominus noster Spiritus Sancti gratia corda nostra illuminet, nobisque administris talem Ecclesiæ suæ Episcopum præficiat, qualem calamitosa hæc et difficillima tempora maxime requirunt. Datum Romæ in Palatio Apostolico ex Congregatione nostra generali, sub sigillis trium nostrum in Ordine Priorum, die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

DILECTO NOBIS IN CHRISTO CASTELLANO ARCIS PERUSIÆ.

Miseratione Divina Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales, Dilecte nobis in Christo, salutem in Dño. Perspecta jam fides et diligentia tua in istius Arcis custodia, dum felicis recordationis Sanctissimum D. N. Pium Quintum nobiscum viveret, pro certo nobis pollicentur, te in hac Sedis vacatione tui plane similem futurum, curamque omnem et vigilantiam adhibiturum, ut Arx ipsa, et quidquid ad eam pertinet, nihil omnino incommodi patiatur. Nos tamen pro nostri officii munere te valde hortamur, tibique mandamus, ut tanto id nunc studiosius accuratiusque præstes, quanto id magis ex hujus temporis conditione a te requiri non ignoras. Quod cum feceris, et fidei tuæ, ut par est, et expectationi nostræ, et summo futuro Pontifici optime satisfeceris. Interim vero si quid acciderit, quod auctoritate nostra indigeat, de eo nos diligenter facies certiores. Datum Romæ in Apostolico Palatio ex Congregatione nostra generali, sub sigillis trium nostrum in Ordine Priorum, die secunda Maji MDLXXII.

Item et aliis Arcium præfectis, videlicet:

Civitæ Vetulæ,	Assisii,	Imolæ,
Ostiæ,	Anconæ,	Cesenæ,
Civitæ Castellanæ,	Fani,	Faventiæ.
Narniæ,	Arimini,	
Spoleti,	Forlivii,	

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

CONFIRMATIO OFFICIALIUM.

Miseratione Divina Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales ad futuram rei memoriam. Cum heri de sero sanctæ memoriæ Pius Papa Quintus ab humanis decesserit, ne ob id Gubernatores, Prætores, Capitanei, Arcium Custodes, et alii quivis Officiales et ministri ab eo ad suum beneplacitum, vel ad aliquod præfixum tempus deputati sua officia exercere, et continuare impediantur, per presentes decernimus et declaramus, officia supradictis quomodolibet concessa propter obitum ipsius Pontificis non expirare, sed ad beneplacitum nostrum usque ad creationem novi Pontificis, et donec ab eo aliter ordinetur, durare, et quatenus opus sit, quemlibet ex supradictis in suo officio pro dicto tempore et ad beneplacitum nostrum refirmamus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ in Palatio Apostolico ex Congregatione nostra generali, sub sigillis trium nostrum in Ordine Priorum, die secunda Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

DILECTISSIMO COSMO MEDICI ETRURIÆ SIBI SUBJECTÆ MAGNO DUCI.

Miseratione Divina Episcopi etc. Dilectissime nobis in Christo etc. Singularis Nobilitatis Vestræ alacritas, quam omnibus in rebus, quæ ad hujus Sanctæ Sedis dignitatem, et præsertim ad hujus sancti fœderis utilitatem spectabant, summa cum ipsius laude semper ostendit, potius nos admonet, ut ejus pietatem in Dño commendemus, quam ut verborum facibus eam vehementius incendamus. Nec vero dubitamus, Nobilitatem Vestram jam ipsam per se paratissimam esse, ut ea omnia exequantur, quæ cum felicis recordationis Pio Quinto de Nobilitatis Vestræ triremibus constituta fuerunt. Cæterum ea est hujus sanctæ expeditionis necessitas, eaque hujus negotii gravitas, in quo Christianæ Reipublicæ salus maxime versatur, quemadmodum Nobilitas Vestra pro sua prudentia optime intelligit, ut nihil magis hoc tempore nobis cordi sit, nihilque vehementius cupiamus, quam ut quamprimum triremes suæ transmittantur. Quamobrem per celerem tabellarium has literas nostras ad Nobilitatem Vestram dare voluimus, eamque omni studio etiam atque etiam hortamur, et rogamus, ut habita consideratione gravissimi negocii, et temporis, quod gravi cum damno communium rerum effluit, dictas triremes quamprimum transmittat: quod si duæ ex Hispanis nondum reversæ, et fortasse galeatiæ ipsæ nondum ornatæ et paratæ sint, aut etiam ex ipsis triremibus aliqua non omnino ac plene instructa sit, nihilominus a Nobilitate Vestra obnixe petimus, ut quas poterit, et quo plures poterit, statim transmittat; nam præter publicam utilitatem, pertinet etiam ad dignitatem Sedis Apostolicæ, quæ saltem diligentiæ et sollicitudinis dux et princeps esse debet, aliosque suo exemplo ad diligentiam parem excitare, ne quæ ab ipsa præstanda sunt pro hujus sacri fœderis felici successu, in mora diutius sint. Quia vero pro certo nobis pollicemur optimam Nobilitatis Vestræ voluntatem erga nos et sacrum fœdus stimulis non indigere, non erimus longiores: tantum petimus, ut his nostris per eumdem tabellarium continuo respondere velit, et de eo præcipue nos certiores reddat, quando ipsa triremes expediri, et iter capere mandabit, ut ad eam normam reliqua, quæ occurrunt, dirigere possemus; nam milites, et alia, quæ parata sunt, id unum modo expectat. Hac una re Nobilitas Vestra nihil Deo acceptius, nihil Christianæ Reipublicæ opportunius, nihil denique nobis gratius facere potest.

Datum Romæ etc. quarta Maji 1572.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

DILECTO NOBIS IN CHRISTO GENERALI COMITI SASSATELLI, SIVE IN EJUS ABSENTIA PROTHONOTARIO DRISEGNO APOSTOLICÆ SEDIS APUD MAGNUM ETRURIÆ DUCEM NUNTIO.

Miseratione Divina etc. Dilecte nobis in Christo, seu Rñde tamquam frater, salutem. Per celerem tabellarium scripsimus ad Magnum Ducem istum literas, quarum exemplum ad te mittimus. Tibi igitur mandamus, ut in eamdem sententiam, quam efficacissime poteris, cum ejus Nobilitate colloquaris, omnique studio et diligentia cures, ut ex desiderio nostro, et hujus tempore necessitate, triremes ipsæ, quæ paratæ sunt, quamprimum absque alia dilatione, aut aliarum expectatione ad Civitam Vetulam juxta ea, quæ cum felicis recordationis Pio Quinto a Nobilitate Sua constitota fuerunt, celeriter transmittantur.

Datum Romæ etc. die quarta Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

PATENTES.

Miseratione Divina Episcopi etc. Reverendo tamquam fratri Vicelegato Viterbii, et Dilecto nobis Gubernatori Corneti, et aliis Gubernatoribus, et Communitatibus terrarum et locorum, per quæ milites Sedis Apostolicæ sacri fœderis transire contigerit, salutem in Domino. Mandamus vobis, ut militibus Sedis Apostolicæ, qui sacri fœderis causa Cornetum proficiscuntur, ut triremes conscendant, hospitia et mansiones necessarias in vestris terris et locis detis, tam in eundo, quam in stando, necnon pro eorum pecunia commeatum et victualia, aliaque necessaria et opportuna subministretis, seu subministrari faciatis, eo modo, quo anno superiori a vobis factum est.

Datum Romæ etc. die quinta Maji MDLXXII.

Joannes Card. Moronus Episcopus Ostiensis.
S. Cardinalis Pisarum.
Hieronymus Cardinalis Simoncellus.

Silvius.

Julio Ongaresio Commissario.

Miseratione etc. Dilecte nobis etc. Legimus literas tuas, in quibus de negotiis Interamnensium, quæ hactenus investigaveras, diligenter scribis. Nobis consilium tuum probatur, acriora remedia et militarem vim huic tempori non convenire: neque enim novos tumultus non excitare, sed excitatos comprimere intendimus. Quare nobis placet, ut Stronconum, quemadmodum scribis, te conferas, ibique loco vicino et commodo, tam super termino illo dejecto, quam super carceribus effractis aliisque criminibus processus etc.

MAGNO DUCI ETRURIÆ.

Miseratione etc. Dilectissime etc. Scripsimus nudius tertius per celerem tabellarium Nobilitati Vestræ, eamque pluribus verbis summo studio rogavimus, ut triremes suas quas posset, et quo plures posset, ad Civitam Veterem quamprimum transmitteret, ut in eas milites Sedis Apostolicæ, qui jam parati sunt, et id unum modo expectant, imponi possent. Postea vero ex literis Nobilitatis Vestræ, quas ad Reverendissimum D. Cardinalem Alexandrum Collegam et fratrem nostrum scripsit, plane intellesimus optimam ipsius voluntatem erga felicis recordationis Pium Quintum Pontificem Maximum: quam etiam erga nos ipsos, et hanc Apostolicam Sedem, in conservanda hujus ipsius Apostolicæ Sedis dignitate, in iis præsertim, quæ ad hanc sanctam expeditionem pertinent, Nobilitatem Vram retenturam non dubitamus: quod quidem nobis perspectissimum fuit, ex omnium quoque literis cognovimus curam et diligentiam, quam adhibet maximam, ut omnia præsto sint. Verum hujus maximi et gravissimi negotii cogitatio, ex quo uno fere totius Christianæ Reipublicæ salus pendet, adeo nos angit et sollicitat, ut nisi re confecta et triremibus si non omnibus, at saltem aliquibus transmissis animo quiescere nequeamus. Idque sane multis magnisque de causis, quas Nobilitati Vestræ pro sua singulari prudentia.... primum quidem quod Apostolicæ Sedis dignitas in eo non mediocriter versatur, ut quæ hujus sacri fœderis conficiendi dux et princeps fuit, sit etiam exequendi; deinde vero quod Dilectissimus nobis in Christo Joannes Austrius classem suam jam fere ornatam, atque instructam habet, ac triremes istas ac milites expediri summopere flagitat. Itemque Domini Veneti partes suas omni sedulitate implere non cessant, ut jam nimis grave videatur tantam classem, et tantarum rerum molem, paucarum triremium expectatione suspensam detineri. Accedit quod hæc tardatio Dñis Venetis suspitionem præbet, istius Sanctæ Sedis mentem non esse, ut in sacro fœdere perseveret; quod nobis, qui et felicis recordationis Pii V. et nostrum hac in re ardorem novimus, sive ab ipsis sive ab aliis suspicari molestissimum est: neque nobis excusandi locus relinqui videtur, cum tempus ab ipso fœdere præscriptum jam præterierit, et quæ Aprili mense parata esse debuerant, aliquibus jam diebus mensis Maji decursis, adhuc diutius differantur. Nec vero id, quod fortasse dici posset, animi nostri sollicitudinem diminuit, aut dignitati nostræ retinendæ consulit, nimirum alios fœderatos Principes non ita paratos esse, neque quæ ab ipsis præstanda sunt, cumulate præstitisse: nam etsi hoc verum esset, moleste id quidem, et graviter propter publicam utilitatem ferremus; sed multo molestius est, si nostro exemplo aliis justæ excusationis speciem præbeamus. Illud etiam magnopere attendendum est, quod si Nobilitatis Vestræ triremes non jam in dies, sed in horas, ut ita dicamus, differantur, periculum grave immineret, ne aliorum fœderatorum classes, nostra non expectata, ad alias expeditiones minus utiles convertantur. Hoc autem, quam gravia incommoda consequerentur, prudentiæ suæ æstimandum relinquimus; neque illud prætermittendum, quod paucos post dies in Apostolicum Conclave pro novi Pontificis creatione includemur, quo in loco maxima tractatione impediti aliis negotiis vacare non licebit. Postremo ipsum anni tem-

pus, magnam rei bene gerendæ occasionem gravi cum jactura pene nobis effluere, et e manibus elabi clamat. His autem tot, et tam gravibus incommodis sola celeritate occurri potest. Quamobrem superioribus literis, quas ad Nobilitatem Vestram dedimus, non contenti, neque enim rei gravitas concedit, ut satis nobis diligentes fuisse videamur, item quo majori efficacia possumus ab ea petimus, ut non expectatis triremibus, quæ in Hispaniam profectæ sunt, neque galeatiis ipsis, si in tempore præsto esse non possunt, aliquas omnino, etiamsi paucæ sint, statim transmitti jubeat, sed præcipue Prætoriam triremem, seu Capitaneam, ut in ea Apostolicæ Sedis vexillum figi possit, sine qno Sanctæ expeditionis felix prosecutio claudicaret; reliquæ enim prout instructæ et paratæ erunt, post illas priores commode mittentur. Id ita a Nobilitate Vra petimus, itaque ipsam rogamus, ut majori studio et contentione petere ac rogare non possimus. Illud etiam ab ea petimus, ut per eumdem tabellarium nostrum his literis statim respondere velit, nobisque tempus ipsum expresse significari, quo triremes ipsæ, quas mittet, se in viam dabunt; id enim ad reliqua ad eam regulam confirmanda non mediocriter necessarium est.

Datum Romæ etc. die VI. Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS EPISCOPUS OSTIENSIS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

COMITI SASSATELLI.

Miseratione etc. Dilecte nobis etc. Scribimus iterum ad Magnum Ducem istum per celerem tabellarium, atque ab eo omni studio et contentione petimus, ut triremes suas, si non omnes, saltem aliquas, quas potest, ad Civitatem Veterem statim transmittat, et præsertim triremem Prætoriam, seu Capitaneam; hæc enim multis de causis, et ut in ea Apostolicæ Sedis vexillum figi possit, omnino mittenda est. Tuæ igitur prudentiæ et diligentiæ erit, hoc negocium ita urgere, ut omnino sine ulteriori dilatione ex sententia et desiderio nostro conficiatur: sic enim tibi persuadeas nullam in re operam, et sedulitatem tuam Sacro nostro Collegio gratiorem esse posse. Illud etiam te admonemus, cures, ut galeæ, seu moriones militum, qui ad usum classis Apostolicæ Liburni parati sunt, et si qua alia armamenta hujusmodi ibi erunt, in Triremes, quæ nunc mittentur, imponantur: denique ita te geras, ut studium et diligentiam tuam hac in re, quæ pro ejus gravitate nobis maxime cordi est, merito commendare possimus.

Datum Romæ etc. die 6. Maji 1572.

JOANNES CARDINALIS MORONUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

CARDINALI GRANVELANO VICEREGI NEAPOLIS, SIVE EJUS LOCUMTENENTI.

Miseratione Divina etc. Revme Domine etc. Etsi felicis recordationis Pius V. Pontifex Maximus, Deo ita disponente, eo tempore e vita discessit, quo res sacri fœderis ejus præsentia, propter summam Sanctitatis Suæ pietatem et in religione propaganda zelum, maxime indigebant tamen id vere affirmare possumus, Sacrum nostrum Collegium non minori animi alacritate et ardore in eamdem causam propensum esse; itaque omnem curam et diligentiam adhibemus, ut ea omnia, quæ ab hac Apostolica Sede præstanda sunt, parata sint. Et quidem milites, qui in triremes Magni Etruriæ Ducis imponendi erant, jam aliquos dies in locis mari propinquis discedendi facultatem expectant. Item et Dilectissimus nobis in Christo M. Antonius Columna nostro jussu jam ad iter est expeditus; denique nulla in nobis est mora, id tantum impedimentum affert, quod triremes Magni Ducis nondum advenere, quas tamen quamprimum transmitti, si non omnes, saltem aliquam earum partem, per duos celeres tabellarios ab ipso Magno Duce summo studio et contentione petivimus; nec vero dubitamus fore omnino ut triremes ipsæ adveniant. Sed tamen hujus maximi negotii cogitatio, ex quo uno fere totius Christianæ Reipublicæ salus pendere videtur, adeo nos anxios et sollicitos habet, ut omnes vias, ac rationes animo revolvamus, quibus milites ipsi cum eorum Duce quam celerrime transfretare possint; tempus enim ipsum nos admonet, celeritate ubique opus esse. Quamobrem in eam sententiam venimus, percommodum fore, ut si adhuc triremes prædictæ diutius differantur, milites nostri a suo Generali in triremes illas imponantur, quæ Neapoli sunt, atque ita Messanam deducantur, ut ad utilitatem hujus sanctæ expeditionis illorum opera præsto sit. Itaque a D. V. Rma etiam atque etiam petimus, eamque enixe rogamus, ut huic desiderio nostro, non minus vehementi, quam honesto, ejus auctoritate satisfiat, mandetque Dilectissimo nobis in Christo Marchioni Sanctæ Crucis, ut pedites nostros, qui sunt ad duo millia cum ipso Generali, in triremes

suas recipiat; sic enim intelligimus eas non ita impeditas esse, quin eos commode accipere possit: cogitamus enim quod pedestri itinere copiæ perducantur ad Molam Cajetæ, ut ibi, aut in locis propinquis, ubi commodius videbitur, triremes conscendant; quare a Rña D. V. requirimus, ut Commissarium aliquem ad fines Status Ecclesiastici copiis nostris occurrere jubeat, qui commeatum et alia necessaria eis ministrari diligenter curet.

Rogamus etiam vehementer D. V. Rñam, ut ex eisdem Marchionis Sanctæ Crucis triremibus duas Dilectissimo nobis D. M. Antonio Columnæ attribuere, atque assignare velit, quarum altera ita ornata atque instructa sit, ut in ea Apostolicæ Sedis vexillum decenter collocari, et ipse Apostolicæ Sedis Capitaneus generalis, si opus fuerit, vehi possit. Ad hæc quia duabus navibus commeatus conducendi causa opus est, rogamus D. V. Rñam, ut eas alicunde nobis comparari mandet; nam pro earum locatione id a nostris Ministris dissolvetur, quod a Serenissimo Rege Catholico solvi solitum est. Quoniam autem id nobis persuasum est, D. V. Rñam in iis, quæ ad hujus sacri fœderis felicem executionem spectant, ita per se incensam esse, ut novis facibus non indigeat, tantaque eum hoc Sacro nostro Collegio charitate conjuncta est, ut nihil sit, quod ab ejus erga nos benevolentia non expectemus, finem scribendi facimus: id unum modo dicemus, cum propter publicam utilitatem, multasque graves causas id nobis gratissimum erit, tum ob id in primis, quod hac cura expediti paulo post in Apostolico Conclavi futuri Pontificis electioni quietius operam dabimus, ad quam D. V. Reverendissimam, et jam per literas nostras invitavimus, et nunc iterum invitamus et expectamus.

Datum Romæ etc. die VI. Maji 1572.

JOANNES CARDINALIS MORONUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

NUNTIO NEAPOLIS ALEXANDRO SIMONETÆ.

Miseratione etc. Reverende etc. Quid Reverendissimo fratri, et Collegæ nostro Charissimo Cardinali Granvelano Neapolis Viceregi, sive ejus Locumtenenti scribamus, quidve magnopere cupiamus, ex ipsarum literarum exemplo, quod tibi cum his mittimus, Dominatio Tua intelliget; quare diligentiæ tuæ erit omni officio ac sedulitate hujus negocii executionem curare, nosque statim certiores quid feceris reddere. Has autem per certum tabellarium, quia celeritate opus est, mittimus; reliqua vero prudentiæ tuæ, de qua plurimum confidimus, relinquimus.

Datum Romæ etc. die sexta Maji MDLXXII.

JOANNES CARDINALIS MORONUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

JOANNI BAPTISTÆ GUBERNATORI TERANI.

Miseratione Divina etc. Dilecte nobis in Christo, salutem. Ex litteris tuis, quas ad Reverendissimum Dominum fratrem et Collegam nostrum Charissimum Cardinalem Pisarum scripsisti, de tumultu ac motu istorum hominum contra Narnienses, de quo antea multa audieramus, plenius cognovimus. Id autem nobis cum grave ac permolestum, ut debebat, fuit, tamen revera præter omnem nostram expectationem accidit. Itaque ne illorum, de quorum culpa constiterit, audacia impunita remaneat, et ut aliis rebus hoc negocium concernentibus, prout opus fuerit, opportune provideatur, mittimus ad partes istas Commissarium nostrum Dilectum nobis Dominum Julium Ongaresium J. U. D. virum nobis probatum, de cujus virtute, doctrina et prudentia magnopere confidimus. Quare tibi mandamus, ut omnibus in rebus, quæ ad hujus causæ executionem pertinebunt, quoties ab eo requisitus fueris, omnem illi operam et auxilium tuum sedulo præstes.

Datum Romæ etc. die VI. Maji MDLXXII.

JOANNES CARDINALIS MORONUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

Miseratione Divina etc. Universis et singulis Vicelegatis, Gubernatoribus, Communitatibus, Dominis Provinciarum, Civitatum, Terrarum et locorum Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjectarum, per quæ milites Sedis Apostolicæ ad expeditionem sacri fœderis destinatos, a Civitate Viterbii usque ad confinia Regni Neapolitani transire contigerit, salutem in Domino. Mandamus vobis, ut militibus Sedis Apostolicæ, qui ad expeditionem sacri fœderis ex Civitate Viterbii Cajetam proficiscuntur, in vestris Civitatibus, Terris et locis hospitia necessaria, et pro eorum pecunia commeatum et victualia, aliaque necessaria et opportuna beni-

gne detis, tribustis, sive dari, tribui faciatis, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ etc. die VIII. Maji MDLXXII.

JOANNES CARDINALIS MORONUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

CASTELLANO CIVITATIS VETERIS.

Miseratione etc. Dilecte nobis etc. Mandamus tibi, ut Reverendo Domino Dominico Prothonotario Grimaldo classis Apostolicæ Commissario generali, sive cui ipse ordinaverit, des et assignes ex Arce ista tormenta bellica quattuor, videlicet duo ex eo genere, quas Mojanas appellant, et duas Mojanettas, quas ipse Commissarius, sive ab eo deputatus probaverit et elegerit ad usum et servitium expeditionis anni præsentis sacri fœderis, quod ratum habebimus, et ex nunc habemus.

Datum Romæ etc. die IX. Maji MDLXXII.

JOANNES CARDINALIS MORONUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

JOANNI AUSTRIO.

Miseratione Divina etc. Dilectissime nobis etc. Legimus literas Nobilitatis Vræ, quas ad beatæ memoriæ Pium Quintum Pontificem Maximum pridie Calendas Maji Messana dederat, eas autem dum legeremus, dolorem illum, quem ex obitu Sanctissimi Pontificis, et de Christiana Republica optime meriti maximum accepimus, vehementer in nostris animis refricari ac recrudescere sentiebamus. Nam ut modo de publica jactura sileamus, quam sæpe, et multum deploravimus, illud quoque nobis in mentem veniebat, et quasi Nobilitatem Vestram præsentem intueremur, nobis ante oculos versabatur amor eximius, et plane paterna charitas, qua senex ille sanctissimus Nobilitatem Vram ita prosequebatur, ut nihil magis cuperet, quam ut ei aliquando liceret Nobilitatem Vram videre, et juvenem Principem religione, virtute, animi magnitudine, et clarissima contra Turcas victoria florentissimum omnis pietatis affectu complecti posset. Quare illud etiam facile æstimare possumus, Nobilitatem Vram pro sua singulari erga Apostolicam Sedem, et Sanctitatem Suam observantia, cum propter publicas, tum propter privatas causas, illius mortem graviter et dolenter tulisse; sed tamen quando illi ita placitum est, cujus providentia in sui dispositione nunquam fallitur, æquum est, ut in Divina voluntate omnes acquiescamus. Cæterum quod attinet ad negocia sacri fœderis, id primum Nobilitatem Vestram sibi persuadere cupimus, eam esse Sacri nostri Collegii mentem, eam animi propensionem, illum denique in hanc sanctam expeditionem ardorem, ut major aut ferventior esse plane nequeat. Itaque gratissimum nobis fuit ex literis Nobilitatis Vestræ cognoscere, eam sedulo curare, ut isthic omnia parata sint, simulque summam ipsius alacritatem perspicere ad sacrum hoc, et Christianæ Reipublicæ pernecessarium bellum. Nam quod ad partes Sedis Apostolicæ in eo attinet, nihil omnino a nobis diligentiæ prætermissum est, ut omnia præsto essent: diu enim est, quod milites delecti et ad iter expediti sunt; sed cum triremes, in quas imponendi erant, aliquæ in Hispaniam navigassent, ut Nobilitati Vestræ notum est, reliquæ vero ex prælio afflictæ, nondum ad iter faciendum ornatæ atque instructæ essent, prout oportebat, serius aliquanto, quod et Nobilitas Vestra et nos ipsi nolebamus, copiarum nostrarum transmissio dilata est. Verum cum intelligeremus adhuc a Nobilitate Vestra triremes Marchionis Sanctæ Crucis expectari, quæ Neapoli commeatibus et munitionibus comparandis operam darent, quarum adventus ita necessarius esset, ut illis a reliqua classe disjunctis, nihil eorum, quæ in hac sancta expeditione Deo auctore agenda sunt, suscipi aut inchoari posset; percommodum fore visum est, si copiæ Sedis Apostolicæ una cum Dilectissimo in Christo Marco Antonio Columnio, earum et classis Apostolicæ Generali, iisdem triremibus veherentur, ut eodem tempore in conspectu Nobilitatis Vestræ et triremes ipsæ expectatæ et commeatus necessarii, et milites nostri cum eorum Generali venirent, ut jam nihil præterea desiderandum aut expectandum videretur. Quamobrem in ea deliberatione persistentes, jussimus, ut si copiæ nostræ in viam darent, justisque itineribus brevi ad molam Cajetæ cum ipso Columnio proficiscerentur, ibique omnes, aut in aliquo propinquo loco triremes conscendent, et paulo post Deo duce, ut confidimus et optamus, prospero cursu Messanam appellent. Interim autem speramus, et quidem satis certis argumentis, triremes nostras ex Etruria venturas, et eamdem operam, quam anno superiori Sedi Apostolicæ et sanctæ expeditioni navarunt, præstaturas. Quod si casu aliquo vel necessario impedimento contingat, eas omnes, vel aliquam earum partem præsto esse non posse, confidimus Nobilitatem Vram ipsi D. M. Antonio, et nobis ipsis non defuturam, ac triremibus suis classis nostræ numerum abunde suppleturam, quemadmodum Orator Serenissimi Regis Catholici

una cum Reipublicæ Venetæ Oratoribus nobis non minus benevole, quam prudenter obtulerunt. Non dubitamus autem Nobilitatem Vestram Generali ipsi, et copiis nostris, quarum operam in sancta expeditione utilem et opportunam fore speramus, triremes, et quidquid necessarium et commodum fuerit, sua sponte benigne tributuram; idque ut nostra etiam causa propensius faciat, eam magnopere rogamus. Quod reliquum est, tametsi currentem incitari nihil necesse est, eam tamen hortamur, ut sui similis esse velit, et eadem excelsi et erecti animi magnitudine, qua consuevit, prælia Domini prælietur, temporisque usuram majori diligentia et sedulitate sarcire studeat. Jam enim ipsum anni tempus, ut Nobilitas Vestra vere scribit, summa celeritate opus esse, omnemque procrastinationem amputari debere, nos admonet. Nos interea post duos dies in Apostolicum Conclave inclusi, de gregis Dominici Pastore, et Christi Domini Vicario deligendo omni cura agemus, sic Deus et Dominus noster pro sua clementia nobis administris ad Ecclesiæ gubernacula eum collocet, cujus prudentia, sanctitate, vigilantia Petri navicola multis magnisque tempestatibus jactata, in portu quietis et tranquillitatis plenissimo conquiescat.

Datum Romæ etc. die XI. Maji MDLXXII.

JOANNES CARDINALIS MORONUS.
HIERONYMUS CARDINALIS SIMONCELLUS.

Silvius.

JOANNI AUSTRIO.

Miseratione etc. Dilectissime etc. Etsi nudius tertius literis Nobilitatis Vtræ, quas ad felicis recordationis Pium V. pridie Calendas Maji dederat, responderimus: et de iis omnibus, quæ tunc pro negociis sacri fœderis occurrebant, copiose scripserimus, tamen cum M. Antonius Columna classis Apostolicæ Generalis, vir multis magnisque de causis, nobis et huic Sanctæ Sedi charissimus, ad Nobilitatis Vestræ conspectum cum Ecclesiasticis copiis properaret, eum sine literis nostris ad Nobilitatem Vestram venire noluimus: quia vero nobis nota et perspecta est Nobilitatis Vestræ erga Apostolicam Sedem observantia, non dubitamus quin M. Antonium ipsum, cum propter eam personam, quam gerit, tum etiam sui ipsius causa, omni benevolentia et charitate Nobilitas Vestra complectatur. Itaque hoc omisso Deum precamur, ut vos virtute, pietate, Catholicæ religionis propagandæ zelo, summaque animorum et voluntatum consensione conjunctissimos ambos servet, et hostium Christiani nominis victores et triumphatores efficiat; reliqua vero ex ipso M. Antonio Nobilitas Vestra cognoscet, cui ut omnem fidem habeat, ab ea magnopere petimus.

Datum Romæ etc. die XI. Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS.
HIERONYMUS CARD. SIMONCELLUS.

Silvius.

CASTELLANO CIVITATIS VETERIS.

Miseratione etc. Dilecte nobis in Christo, salutem. Mandamus tibi, ut R. D. Dominico Prothonotario Grimaldo classis Apostolicæ Commissario generali, sive cui ipse ordinaverit, Turcas captivos ejusdem Sedis Apostolicæ, quicumque isthic apud te sunt, des et consignes ad usum et servitium sanctæ expeditionis anni præsentis, quod ratum habebimus, et ex nunc habemus.

Datum Romæ etc. die X. Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS
HIERONYMUS CARD. SIMONCELLUS.

Silvius.

JOANNI AUSTRIO.

Miseratione etc. Dilectissime etc. Cum Prothotarius Grimaldus, classis Apostolicæ Commissarius generalis, ad sui muneris functionem pro sancta expeditione nostro jussu in Siciliam proficisceretur, visum est nobis æquum esse, ut ad Nobilitatem Vestram nostris literis comitatus veniret: etsi autem existimamus illud Nobilitati Vestræ et pro ea persona, quam gerit ministri hujus Sanctæ Sedis, et pro sua virtute charum et acceptum esse; ab ea tamen valde petimus, eamque rogamus, ut eum nostra commendatione ita complectatur, ut quæ ad officium suum spectant etc.

Datum Romæ etc. die XI. Maji MDLXXII.

JOANNES CARD. MORONUS.
HIERONYMUS CARD. SIMONCELLUS.

Silvius.

II. — 1572. — § 87. 93.

CONSIGNATIO CAPTIVORUM TURCARUM.

Romæ 10 Martii 1572.

Armata d'Italia nel 1572. f. 471. In Nomine Dñi Amen. Cum de anno præterito die septima Octobris Omnipotentis Dei gratia, benignitate et auxilio Classis sacri fœderis Reipublicæ Christianæ classem potentissimi tiranni Turcarum Regis oppugnaverit et vicerit, quamplarimos necando et cædendo, et alios fugando, et alius ex ipsis Turcis captivando, ex quibus captivis Illmus et Excellentissimus Dñus don Joannes ab Austria, ipsius sacri fœderis et classis Generalis, de consensu confœderatorum, ad Sanctissimum D. N. D. Pium Divina providentia Papam Quintum quamplurimos ad Urbem sub custodia et in depositum transmiserit: hinc est quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, indictione decima quinta, die vero decima mensis Martii, Pontificatus prædicti Sñi in Christo Patris et D. N. D. Pii Divina providentia Papæ Quinti, anno ejus septimo, in mei prædicti Sñi Dñi nostri Papæ Datarii testiumque infrascriptorum, ad hæc specialiter vocatorum et rogatorum, præsentia personaliter constitutus Illmus Dominus don Rodericus de Benavides, major Camerarius Illñi et Exñi Domini D. Joannis ab Austria, coram et in præsentia Illñi Domini Joannis de Zuniga, Oratoris Sacræ et Catholicæ Majestatis Philippi Hispaniarum Regis, et clarissimorum Equitum Pauli Thiepoli et Joannis Sorantii Oratorum Serenissimi Ducis et Senatus Reipublicæ Venetæ, nomine et pro dictis suis Principibus Senatus et Reipublicæ, infrascriptos Turcas captivos numero quadraginta singulariter nominatos, ac per eorum qualitates, ætatem et signa descriptos et designatos, qui potiores et redimendi censentur ex captis in supradicta navali victoria, quam Classis sacri fœderis de Turcis adepta est, quosque, ut asseruit idem Illmus et Exñus Dñus don Joannes ab Austria dictæ classis generalis Dux, eidem credidit et commendavit ad Urbem perducendos, tradendosque et consignandos juxta pacta conventa personæ seu personis, quas prædictus Sñus D. N. D. Pius Papa Quintus deputavisset, Illño et Rño Dño Marco Antonio Cardinali Mapheo pro Illño et Rño D. S. R. E. Camerario, ac R. PP. Dñis Montes de Valentibus almæ Urbis Gubernatori et Vicecamerario Ludovico de Torres Vicedecano, Hieronymo Theodolo Episcopo Gradicensi et Jo. Baptistæ Doria, Ludovico Cæsio, Julio Vitellio et Hieronymo Mattheio Cameræ Apostolicæ Clericis, Romæ in Palatio Apostolico et in Aula Constantini de more coadunatis et congregatis, ipsam Cameram Apostolicam repræsentantibus, et facientibus de mandato prædicti Sñi Dñi nñi Papæ, custodiendos tradidit et realiter consignavit, assistentibus etiam ibidem R. Dño Barthulomeo Busotto Thesaurario generali, Vincentio Fuscherio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Viceauditore, ac R. et Magnificis Dñis Honofrio Camayano ejusdem Cameræ Præsidente, ac Petro Aldobrandino Advocato, et Josepho Donzello procuratore fisci Sñi Dñi nñi Papæ, ac Bernardino Piscina Cameræ Apostolicæ generali Commissario. Præfatus itaque Illmus D. Cardinalis Mapheus nomine et pro Camerario, ac R. PP. Dñi Præsidentes et Clerici dictæ Cameræ Apostolicæ Sñi Dñi nostri Papæ, ejusdem Cameræ ac totius sacri fœderis nomine, sine tamen præjuditio aliorum captivorum, eosdem captivos a prædicto Illño Dño Don Roderico de Benavides præsente habuisse et recepisse confessi fuerunt, illosque diligenter et accurate custodiri et servari facere promiserunt, communibus tamen sacri fœderis expensis, ac dictum Illmum Dñum Don Rodericum præsentem nominibus, quibus supra, de illis quietarunt, liberarunt et absolverunt, promiseruntque præsentem quietantiam fore et esse bonam, ac illam perpetuo observare. Super quibus omnibus et singulis præmissis idem Illmus D. Don Rodericus sibi a me Sñi Dñi nñi Papæ Datario infrascripto unum vel plura, publicum seu publica fieri atque confici petiit instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt præmissa Romæ in Palatio Apostolico et in Aula Constantini, præsentibus ibidem Ill. DD. Hieronymo et Michaele de Bonellis Snæ Sanctitatis nepotibus, et R. P. D. Paulo Odescalco Episcopo Pennensi, et Magnifico Dño Jo. Thoma Caresana Cameræ Apostolicæ notario testibus ad præmissa omnia et singula vocatis specialiter atque rogatis.

Nomina autem habitusque corporum Turcarum, de quibus supra fit mentio, numero quadraginta, quo ordine singuli ibidem vocati receptique fuerunt, sequuntur et sunt tales, videlicet:

Imprimis Mahamat Bey, qui dicitur gubernator Eubeæ sive Negroponti, mediocris staturæ, barbæ castaneæ raræ, oculorum nonnihil straborum, cui non est aliud signum in facie, annorum, ut ipsemet dixit, quadraginta.

Mahamut Bahy, filius Ali Baxe, qui erat Generalis classis Turcicæ, pulcher facie, albus, rubeus, annorum circiter quatuordecim.

Haly Soliman Canrali de Siribli, satis aptæ staturæ, subniger vultus amplioris, barbæ spissæ nigræ, annorum, ut is asseruit, sexaginta trium.

Hamet Bey de Bisa, qui dicebatur Gubernator de Bisa, corporis glabri, cum macula sive nevo nigro in carpo dextro, annorum, ut dixit, quadraginta quinque.

Odsberdi de Lisa, proceri corporis, primæ barbæ sive lanuginis, cum signo sive cicatrice vulneris in sincipite levo, annorum circiter viginti quinque.

Hysuph de Bysa, barbæ etiam primæ sive lanuginis, mediocris staturæ, habet exiguum signum sive puncturam in extremo mystacii superioris sive labri dextri, annorum circiter viginti trium.

Hazen Hader de Manissa, proceri corporis, barbæ nigræ, qui dixit esse annorum quadraginta.

Mahamet Constantinopolitanus, proceri corporis robusti, barbæ spissæ canæ mancus pollice levo manus, qui dixit esse annorum sexaginta duorum.

Haly de Calata, juvenis annorum decem et octo, vel circa.

Mamy Chyliby Atheniensis, proceri corporis, mancus leva manu, qui asseruit esse annorum sexaginta duorum.

Zulficar Atheniensis, proceri corporis, glaber, judicatus annorum triginta, vel circa.

Chaly, juvenis imberbis, Atheniensis, annorum circiter decem et septem.

Mahamut de Enguri, proceri corporis, barbaræ spissæ canis intermixtæ, annorum, ut dixit, sexaginta trium.

Cara Mahumet Constantinopolitanus, mediocris staturæ, subniger barbæ canæ, cum signo vulneris sive cicatrice in supercilio lævo, annorum, ut affirmavit, sexaginta sex.

Mussa de Calata, proceri corporis robusti, barbæ canis intermixtæ, annorum, ut dixit, quinquaginta quatuor.

Mahamy de Calata, mediocris staturæ, nigræ barbæ, annorum, ut asseruit, triginta quatuor.

Hassuff de Calata, mediocris staturæ, canæ barbæ, mancus dextra manu, qui dixit esse annorum quinquaginta trium.

Mustafa de Calata, impubes, ætatis annorum circiter duodecim.

Budaeb de Suhab, mediocris staturæ, barbæ spissæ subalbicantis, asserens esse annorum quadraginta octo.

Agi Mahamet de Calata, humilioris corporis, barbæ spissæ canæ, annorum septuaginta, ut dixit.

Albel Constantinopolitanus, proceri corporis, faciei rubræ, castaneæ barbæ raræ, annorum, ut dixit, quadraginta sex.

Ozmau de Scardaria, mediocris staturæ, barbæ canæ, qui dixit esse annorum quinquaginta duorum.

Deibix Chyliby, Constantinopolitanus, satis aptæ staturæ, barbæ nigræ spissæ, cum signo vulneris inter oculum et aurem levam, annorum circiter triginta septem.

Mahamet Constantinopolitanus, juvenis imberbis, annorum, ut dixit, viginti duorum.

Haly de Engroly, idoneæ staturæ, barbæ spissæ nigræ, cum signo in medio frontis inter utrumque supercilium, annorum, ut asseruit, triginta septem.

Mustafa de Trabalali, proceri corporis, fusci coloris, barbæ castaneæ raræ, annorum, ut affirmavit, sexaginta.

Grafer de Calata, parvi corporis, barbæ spissæ canæ, annorum, ut dixit, quadraginta sex.

Rhamadan Constantinopolitanus, idoneæ staturæ, robustus, barbæ spissæ nigræ subcanæ, qui asseruit se esse annorum quadraginta.

Mustafa de Natolia, idoneæ staturæ, amplioris vultus, barbæ subcanæ, mancus dextro brachio, annorum, ut dixit, quinquaginta duorum.

Hali Bali de Calata, proceri corporis, rubeus longioris faciei, annorum circiter triginta quinque.

Cedy de Calata, parvi corporis, subniger faciei amplæ, annorum circiter triginta quinque.

Baly de Engur, mediocris staturæ, vultus grandioris, mystaciorum et superciliorum grandiorum, corporis latioris, annorum circiter viginti quinque.

Hazan de Calata, proceri corporis, barbæ spissæ subcanæ, annorum, ut ipse affirmavit, quinquaginta quinque.

Mahamet de Manicia, incipientis barbæ, vultus angustioris, alborum oculorum, annorum circiter viginti quinque.

Hocaref Constantinopolitanus, mediocris staturæ, barbæ spissæ canæ, annorum, ut dixit, sexaginta unius.

Hucayn de Calata, idoneæ staturæ, barbæ subcanæ, subniger, annorum, ut asseruit, sexaginta.

Hagy Bolduch de Carahycar, proceri corporis et latioris, barbæ nigræ, faciei plenæ, annorum quadraginta, ut ipse dixit.

Hyzuff de Carabycar, mediocris staturæ, glaber, niger, annorum circiter viginti quinque.

Chaybau Constantinopolitanus, idoneæ staturæ, barbæ spissæ, faciei latæ, annorum triginta, vel circa.

Hamat Chibivi, mediocris staturæ, incipientis barbæ, vultus ampli, annorum circiter viginti quinque.

Successive eisdem anno, indictione, die, mense et Pontificatu, quibus supra, constitutus ubi supra coram eisdem Reverendissimo Domino, Cardinale Mapheo pro Camerario ac Præsidentibus et Clericis Cameræ Apostolicæ, idem Illustrissimus D. don Rodericus de Benavides ad exonerandum se de duobus residuis captivis ad numerum quadraginta duorum sibi commendatorum, medio suo juramento, quod tactis scripturis in manibus mei Datarii infra-

scripti præstitit, asseruit reliquisse in Civitate Neapoli Mahamat Baby, filium Ali Baxe Generalis classis Turcicæ, annorum decem et septem vel circa, correptum gravi et periculosa infirmitate, nec non Mustafa Januensem, apostatam, retentum fuisse in dicta Civitate Neapoli jussu Illustrissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Granvelani, suæ Catholicæ Majestatis in Regno Neapolis Generalis Locumtenentis, pro servicio, ut dixit, sacri fœderis, et de eis obtulit testimonia per scripturas. Quæ quidem testimonia visa et sufficientia habita fuerunt ibidem ad exonerandum prædictum Illustrem D. don Rodericum ab exhibitione et consignatione prædictorum Mahamat Baby et Mustafa Januensis, eo maxime quia post ejusdem Domini don Roderici a Civitate prædicta Neapoli recessum prævenit nuncius et fama publica de morte dicti Mahamat Baby, qua de re certius testimonium propediem expectatur: tum quia prædictus Mustafa Januensis juxta præfati Smi D. N. Papæ voluntatem hue mittendus est a supradicto Illmo Cardinale Granvelano, et postquam missus ac debite consignatus fuerit, tunc danda erit etiam quietantia de illo eidem Illmo Domino Cardinali, aut cuicunque nomine Dominationis suæ Illmæ consignanti. Quapropter prædicti Illmus D. Cardinalis Mapheus pro Camerario ac RR. PP. Dñi Præsidentes et Clerici dictæ Cameræ Apostolicæ, quo supra nomine causas, propter quas idem Illmus Dominus don Rodericus supranominatos Mahamat et Mustafa Neapoli reliquit, approbarunt, et prædictum D. don Rodericum ab onere illorum traductionis et consignationis liberarunt, salvo jure repetendi, habendi et recuperandi eundem Mahamat, si vixerit, a personis, quibus valetudines curandi gratia commendatus relictus est, Mustafam vero a supradicto Illmo Cardinale Granvelano, qui eum retinuit. Super quibus omnibus et singulis præmissis idem D. Rodericus sibi a me Datario infrascripto unum vel plura, publicum seu publica fieri atque confici petiit instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt præmissa Romæ ubi supra, præsentibus quibus supra testibus ad præmissa omnia et singula vocatis specialiter atque rogatis.

Deinde vero eisdem anno, indictione et Pontificatu, quibus supra, die vero duodecima mensis Martii, Illmus et Rmus Dñus Hieronimus Cardinalis Rusticutius misit ad me infrascriptum Datarium quoddam publicum instrumentum a supradicto Dño don Roderico de Benavides, ut asseruit, habitum, continens testimonium et certificationem obitus dicti Mahamat Baby, qui in dicta Civitate Neapolis, ut præmittitur, relictus fuerat infirmus, quod quidem instrumentum prædicto Dño don Roderico petente et instante hic transcriptum et insertum fuit, illius originali penes me retento, infrascripti tenoris etc.

Et quia ego Antimus Marchesanus præfati Smi D. N. Datarius præmissis omnibus interfui, eaque notavi, ideo hoc præsens publicum instrumentum aliena manu fideliter scriptum in fidem subscripsi.

CAPITULATIONE GIA' FATTA TRA PP. PIO QUINTO DI SA. ME. ET IL SERMO. GRAN DUCA DI TOSCANA PER L'ASSENTO DELLE DODICI GALERE DI SUA ALTEZZA PER L'EFFETTO DELLA LEGA: LA QUALE CAPITULATIONE HORA SI RINNOVA TRA LA SANTITA' DI N. S. PAPA GREGORIO XIII. ET IL MEDESIMO SERMO. GRAN DUCA.

Havendo Sua Beatitudine nel tempo che durerà la Lega tra Sua Santità, la Maestà del Re Cattolico et li Signori Venetiani, a tener armate per servitio d'essa certo numero di Galere, per minore spesa della Sede Apostolica disegnando accostarsi a qualche Principe, che commodamente possa sostener questo peso, ha giudicato che il Sermo Gran Duca di Toscana non meno ossequente et amorevole verso di Sua Santità, che fautore del servitio di Dio, et amatore del benefitio publico di Christianità, sia per pigliar volentieri questa cura. Ha però Sua Santità convenuto con Sua Altezza in questo modo, cioè: Armata d'Italia f. 177.

In prima che Sua Altezza sia obligata havere in Civitavechia almeno per tutto il mese d'Aprile prossimo 1571. dodici Galere buone di fusti, et atte a navigare con li suoi remieri, armamenti, monitioni, fuochi, arme, artiglierie, vele, sarte et ogn'altra cosa necessaria per il detto effetto, nel modo a punto che si tenevon già a soldo dalla Maestà Cattolica.

Che la Capitana habbi cinque huomini di remo per banco da poppa all'arbore, et quattro dall'arbore alla prua, con tutti quelli huomini et offitiali di più che a una Capitana si ricercano, et son solite ritenersi da l'altre.

Che la Capitana habbia fanale, concerto di trombetti, et ogn'altra cosa solita portarsi da l'altre Galere Capitane, talchè il Generale di Sua Santità non l'habbi a proveder d'altro che di bandiere, tendali di seta et altri ornamenti soliti portarsi da li Generali.

Che il Capitano della Galera Capitana et così il Pilotto d'essa habbino a esser eletti et deputati dal Generale di Sua Santità, et similmente il Capitano d'un'altra Galera, eccetto che della Padrona, a spese però di Sua Altezza con il medesimo stipendio et pagamento, che ella è solita pagare questi simili per il passato.

Che il Generale di Sua Beatitudine habbi a

proveder il vitto suo della tavola di poppa et de suoi servitori.

Che il Generale di Sua Santità habbi a esser obbedito dal Generale, Luogoteneote, Capitani, Officiali et Ministri di dette Galere, et gli sia lecito castigar chi commettesse alcun delitto su dette Galere, con darne conto però a Sua Altezza.

Che il Generale di Sua Santità non possa in modo alcuno dar libertà alli forzati o schiavi di dette Galere senza il consenso di Sua Beatitudine, et senza participatione di Sua Altezza.

Che il Generale di Sua Santità o la R. Camera et suoi Ministri possino sempre che gli pare pigliar la mostra di dette Galere, acciò possino vedere che stiano ben pvoviste, et con gli huomini che son obligate tenere.

Che il Generale di Sua Altezza o suo Luogotenente possa navigar sempre con dette Galere, et su quella che più li piacerà, lassando però la Capitana al Generale di Sua Beatitudine, quando vi sarà presente.

Che l'altre undici Galere siano almeno di ventiquattro banchi a tre huomini per banco, o quel più che paressi a Sua Altezza.

Che Sua Altezza sia obligata tenere su dette dodici Galere sessanta huomini tra marinari et Officiali in tutto per ciascuna Galera.

Che Sua Altezza debba metter li Capitani et marinari a modo suo in tutte l'altre Galere, eccetto li duo Officiali della Capitana et il Capitano dell'altra, come di sopra.

Che Sua Altezza habbi a tener una fregata armata di padrone et huomini almeno di sette banchi per il tempo che le Galere navigeranno.

Che le dette dodici Galere siano tenute sei a sei servire, quando si sarà in attual guerra, et sei altre ne siano armate continuamente, dandoli però di suo verno mesi cinque dell'anno.

Che quando Sua Santità voglia porre nelle dette Galere fanteria, debba esser a tutte spese di Sua Santità, conforme a quello che si costuma et fa con quelle che stanno a soldo della Maestà Cattolica.

Che Sua Santità sia obligata pagar il soldo di sei Galere solamente, il quale s'intenda di scudi cinquecento d'oro in oro il mese per ciascuna Galera, conforme a come li paga Sua Maestà Cattolica.

Che la Galera Capitana debba esser pagata a ragione d'una Galera et mezza.

Che Sua Santità sia obligata dare la tratta de grani per servitio di dette Galere, che costuma di dare la Maestà Cattolica alle sue.

Che li scudi d'oro il mese che importa la spesa delle sei Galere si debbino pagare in tre paghe, ogni quattro mesi la rata, et che per detti pagamenti sia obligata Sua Beatitudine consegnare a Sua Altezza l'assignamento nella sua generale Tesaureria, o qualche altro modo da potersene valere a' detti tempi.

Che Sua Altezza habbi a tenere le sopra dette dodici Galere in essere per tutto il tempo che durerà la Lega tra Sua Santità, la Maestà Cattolica et la Signoria di Venetia, non intendendo in parte alcuna alterata per questo, anzi salva sempre la capitolatione, che Sua Altezza tiene con la Maestà del Re Cattolico, col consenso del quale dato per sue lettere de 18. di Ottobre prossimo passato queste dodici Galere servono per l'effetto della Lega di Sua Beatitudine.

ALL' ILLMO. ET RMO. SIG. MIO OSSMO. MONSIG.
IL CARDINAL DI COMO.

Messina 20 Giugno 1572.

Illmo et Rmo Sig. mio ossmo.

Questa mattina hebbi la lettera di V. S. Illustrissima de XII. del presente, et subito me ne andai dal Proveditor Venetiano, il quale si rallegrò infinitamente così della protettione che Sua Santità ha preso di questa impresa, come della ricuperatione di Valcotiana; et se bene il Sig. Don Giovanni ci haveva chiesto in gratia, (che così disse) che per sei giorni non gli dessemo molestia per conto della partita, andammo il Proveditor et io da Sua Altezza con occasione di rallegrarci di questa ricuperatione detta, et anco che l'impresa di Castelnovo era in bonissimo termine, essendo presa la Terra et il Borgo. Et io poi dissi a Sua Altezza la cura che Sua Santità teneva di questa santa impresa di Levante, et come harebbe procurato in Francia et in Spagna di levar l'ombre nate della rottura della guerra, havendo già mandato Monsig. Salviati in Francia, et pensava di mandar in Ispagna, oltre di quello si era passato con l'Ambasciator Franzese in Roma: di tutto mostrò Sua Altezza sentir sodisfattione grande, et di già ne haveva havuto aviso di Roma. Si entrò poi in discorsi, et in somma Sua Altezza ne concluse che se Francia rompeva la guerra, che al sicuro queste forze di Sua Maestà si voltarebbono a quella volta, et che già i Franzesi ne dubitavano, poichè andavano provedendo la Provenza; ma che quando Francia non rompesse apertamente, allhora harebbe potuto essere che non ostanti i motivi di Fiandra, Sua Maestà havesse fatto esseguire la impresa di Levante, ma che lui haveva tali avisi, che teneva per certo la rottura della guerra, poichè in Francia ogn'uno si preparava di arme et cavalli, et che publicamente dicevano di

Armata d'Italia nel 1572. f. 110.

voler far la guerra al Re Cattolico, et che per via di Savoja intendeva il medesimo, et che il Commendator major era messo in grandissimo timore, et che dagli avisi suoi et di altri Ministri Sua Maestà veniva molto travagliata. Le risposi che io credeva che in ogni modo si dovesse proseguir la lega, parendomi che il conservar questo negotio per molti rispetti era il meglio che si potesse fare per questi accidenti. Mi replicò che la lega non obligava a mandar le forze sue a nessuno, quando altra necessità lo stringesse, et che questo non era rottura di lega: le risposi che Sua Altezza s'ingannava, perchè sebeñ nella lega non s'intende la offensione et defensione con altri che col Turco, inclusovi quelli tre luoghi di Barberia, questo operava che l'uno non fusse obligato a defender l'altro, ma non che si havesse a mancar di dar per la lega quelle forze che ciascheduno per la sua portione fusse obligato a dare; et passai più avanti che dissi, massime che Sua Maestà Cattolica ne ha particolar assignamento per la spesa nelle concessioni ottenute in Spagna, et che se si trattasse solo di commutar qualche numero de Spagnoli in Italiani o minuir il Deposito delle fanterie d' Otranto, essendo il tempo tanto avanti, minor mal sarebbe: mi rispose che io mi ingannava, che ogn'uno è obligato principalmente per se stesso: le soggionsi solo che Sua Altezza mi poteva haver qualche credito, poichè io era intervenuto nella conclusione di questa lega, et poteva saperne il fondo: et così fu finito il ragionamento su questo particolare, et come il Venetiano fu presente a questo trattar di rompersi o no la lega, ne scriverà, et credo ne faranno capitale. Io so bene che ho detto quello doveva, et che il Proveditor restò sodisfattissimo: se a Sua Altezza non è piaciuto, patientia; perchè mentre servirò Nostro Signore ho da far come son obligato.

Al tornarcene poi intesi per cosa certa che se bene era ricuperata Valentiana, si era perduto Cambrai, in modo che nè li avisi di Fiandra nè l' Ambasciator in Roma trattano con quella confidenza che si doverebbe con Sua Santità, cosa molto contraria per quanto credo io alla mente di Sua Maestà, et basta a' Ministri per lor particular interesso intepidir con gl' avisi la buona dispositione di Sua Maestà; et non so come convenga, che chi ha carico fuori di Spagna non habbia ad haver l' occhio all' universal servitio di Dio et di Sua Maestà, et non haver solo avanti la necessità, che ad esso solo può accadere.

Pensa Sua Altezza che in qualunque modo che Sua Maestà si risolva, possa ad ogn' hora comparer ordine, et in tanto il tempo et la occasione se ne scorre irremediabilmente. Io haveva ben scritto che tanto con havermi accennato Monsignor Commissario che V. S. Illm̃a li diceva esser stato superfluo il Corriero di Napoli, pensava di starmene et scriver con altra occasione, ma come il Venetiano mi stringeva a spedire, et non voleva che egli ce lo recasse o a miseria o a poca cura del negotio, l' uno et l' altro falso et indegno di Ministro di Sua Santità, spediseo, et voglio che V. S. Illm̃a sappia che per il particolar dello stendardo quella lettera andò per Corriero et non per staffetta, perchè io so che le lettere di staffetta in Napoli prima che partono, et quando giungono si sogliono alle volte registrare, oltre che il negotio è di tanta importantia che merita il Corriero: et io vedo che Sua Santità credeva che noi fussemo partiti, di che mai fummo più alieni. Queste Galere di Malta non sono per moversi dalla lor prima resolutione per il Breve che io mandai al Gran Maestro per Romagas, che non è ancor tornato, et quando Sua Santità le volesse pur contra il Turco, bisognerà metterci del buono. Sua Altezza desidera che per niente Nostro Signor faccia alcuno ufficio per lui in Corte Cattolica, acciò li sia data maggior authorità in Italia, perchè dice che se ben questo sarebbe necessario, esso sa che li si pensarebbe ch' egli havesse per mia strada procurato questo, et che tutto si convertirebbe in grandissimo danno suo et del negotio. Questo mi ha detto, dicendoli io la buona volontà di Sua Santità, et così priego V. S. Illm̃a a scrivermi una lettera a parte di questo, dicendomi che per il mio ricordo Sua Santità non farà più questo ufficio. Altro non mi occorre dire in risposta della lettera di V. S. Illm̃a, se non che qui sono cadute le braccia a questo essercito, che è una compassione a vederci tutti. Resto baciando le mani di V. S. Illustrissima.

Di Messina li xx. di Giugno 1572.

Servitore di V. S. Illm̃a e Rm̃a affm̃o
M. Antonio Colonna.

ALL' ILLMO. ET RMO. SIG. PRON. MIO OSSMO.
IL SIG. CARDINALE DI COMO.

Messina 24 Giugno 1572.

Illm̃o et Rm̃o Sig. Proñ mio ossm̃o.

Venerdì prossimo passato per un Corriero spedito a posta scrissi a V. S. Illm̃a molto a longo le difficoltà, che noi di qua andavamo giudicando, che fossero causa della tardanza del partire del Sig. Don Giovanni di questo porto con l' armata: hora sarà questa per dirle, come hieri mattina andai da S. A. per sollecitar- Loc. cit. f. 137.

la, come fo ogn'hora con nove inventioni. Il più destramente che posso, di partirse, et in ragionamento, come si fa, gli dissi, che essendo il giorno d'hoggi della festa di S. Giovanni di grande solennità et veneratione, sarebbe stata opera christiana che si fosse fatta una processione, ch'io havesse cantata la messa, communicata S. A. et tutti li Principi et Signori, et poi io havesse data la benedittione a S. A. et all'armata da parte di Nostro Signore. Mi rispose S. A., che non si trovava molto disposta a fare questo per hora, ma che alle 22. hore il Sig. Marcantonio, il Sig. Proveditore Soranzo et io andassemo da lei, et che ci haverebbe data risposta. Et perchè il Sig. Marcantonio si trovava indisposto con un mal di testa, il detto Sig. Proveditore, et io all'hora statuita ci trovammo da S. A., la quale finalmente ci disse che domenica prossima d'avenire voleva communicarsi, et che in tal giorno si dovesse fare la processione, ch'io cantassi la messa, et poi dessi la benedittione all'armata, dicendoci, che pensava subito imbarcarse per servire S. Bñe, alle cui santĩme orationi si confida et raccommanda infinitamente. Ho voluto di questo dare aviso a V. S. Illm̃a, alla quale fo sapere di più, che tuttavia ci andiamo confirmando in quello che gli scrissi in fine dell'ultima mia di venerdì, cioè che questa tardanza di S. A. è procedata sino ad hora dagl'avisi et proteste fatte dalli Ministri di sua Maestà Cattolica in Italia, li quali per non intenderla troppo bene con S. A., overo dubitare forse troppo dei rumori che vanno attorno di Francia, vanno cercando vie et modi, con quali possano trattenere longamente la partita di questa armata. A noi è ben parso molto strano, come pare a tutto il mondo, et particolarmente al Sig. Antonio d'Oria, cavaliere così prudente et caro, come sa Nostro Signore et V. S. Illm̃a, che S. A. non ci habbia mai voluto scoprire le cause di queste dimore, se non con parole generali, che non poteva fare altro, ma dall'altro canto habbiamo compassione a questo povero Signore, che habbia così limitata antorità, che doi o tre Ministri di Sua Maestà in Italia possano ritardare la mossa d'un'armata si bella, et impedire il frotto della vittoria de l'anno passato. Si bene alcuni altri vogliano dire che è cosa ordinaria che Sua Maestà dà nelle Instruttioni ai suoi Ministri et Capitani Generali così d'Italia come dell'altre provincie, che per essere li Stati molto lontani di Spagna, di modo che occorrendo alcuni motivi non si potria così presto aspettare risposta, overo aggiuto da Sua Maestà, che essendo ricerco d'aggiuto con danari et forza, l'uno Ministro debba aggiutare l'altro. Sia come si voglia, questa risposta che ci ha data S. A. che spera per domenica imbarcarse, oltra che non per questo dice che partirà, et la promessa è sotto parole che anche sono piene di dubbii, a noi danno poca allegrezza, si bene crediamo che con li caldi officii che Sua Santità havrà fatti costì in Roma con li Ministri di Sua Maestà, avanti che gionga domenica, si risolveranno in bene et con la partita secura. Il che Dio faccia per sua misericordia; perchè io credo, veramente credo, che S. A. se s'imbarcarà, non partirà; et se partirà, non andarà molto lontano, finchè habbia qualche aviso di Spagna: et in questa opinione dubito di esser heretico.

Hieri notte gionse in questo posto una fregata, la quale portò nuova che a Castelnovo era venuto soccorso di circa XVI. mila cavalli, et che li Venetiani si erano retirati da quell'assedio. S. A. mi disse che all'imbarcare loro havevano persi molti huomini, et alcuni pezzi d'artiglia-ria; ma il Sig. Proveditor Seranzo dice non havere tal nuova. Con che fo fine, et da poi havere basciati humilmente li Sm̃i piedi di Sua Beatitudine, a V. S. Illm̃a bascio le mani.

Di Messina li 24 di Giugno MDLXXII.

Di V. S. Illm̃a et Rm̃a

Humilissimo et devotm̃o Servitor
PAULO ODESCALCO VESCOVO
DI PENNE ET ATRI.

AL SIG. CARDINALE DI COMO.

Messina 27 Giugno 1572

Illm̃o et Rm̃o Sig. Pr̃oo mio ossm̃o.

Scrissi hieri a V. S. Illm̃a quello che havevo inteso, et giodicavo dapoi l'ultima mia dei XXIV. et dapoi scritto gionse un corriero di Spagna al Sig. Don Giovanni, il quale come si è poi inteso da S. A. porta, che havendo la Maestà Cattolica per molte vie scoperto l'animo del Re di Francia essere di fargli guerra, et ultimamente per havere esso Re di Francia, oltra le provisioni grandi che fa per tal effetto in diverse bande, mandato nelle fortezze d'Italia il Sig. Ludovico Birago con lettere al Duca di Savoja, che gli faccia provedere di vettovaglie, con augmentare il presidio nelle terre di Sua Maestà: delle quali lettere esso Signor Duca ha mandata copia al Re di Spagna. Sua Maestà Cattolica, per obviare alli tumulti che potrebbono Francesi suscitare nelli Stati suoi, resistere loro, et sedare et quietare l'altri dei Ribelli di Fiandra et Navarra, ha scritto al detto Signor Don Giovanni che per niun modo si parta di qua, dissegnando per le cause sopradette, di servirse di quest'armata a quella volta, offeren- Loc. cit. f. 128.

do solo per hora ai Principi Collegati quattro millia fanti Italiani et nove galere, cioè tre di Genova, et tre di Savoja, le quali per quest'anno non sono altrimente per venire di qua, et tre di Malta, come quelle che ben sa Sua Maestà Cattolica che non si moverebbono contro il Re di Francia; et che per questo non presumeva di raggione, nè intendeva rompere la Lega, et meno contravenire ad essa in alcuno particolare. Non potrei nè esprimere, nè scrivere a V. S. Illma il dolore che ha portato questa nova a tutta l'Armata, ma più acerbo al Signor Proveditore Venetiano, come che questo sia danno maggiore della Sua Signoria: al dolore del qual è sopragionta un' altra afflitione, conforme al proverbio che dice, che un mal non viene mai solo, cioè che l' Occhiali si trova in mare con 145 galere, 96 del Turco, 28 mandategli dalli Tartari del mare maggiore, 15 havute dalli suoi Bassà et 6 da un Sig. del Tanai, et con esse et molte altre fuste et vascelli de Corsari, con una bravura grande haveva abbrusciati li borghi di Sirigo, et fatti infinitissimi altri mali et danni incredibili. Et essendo stati tutti tre questa mattina dal Sig. Don Giovanni per vedere se si poteva con raggioni efficacissime rimovere S. A. da questo pensiero, et se vi era luogho di discorso, S. A. monstrando un dolore immenso, et una buona volontà et desiderio di servire a questa santa Lega, ci chiari tutti che haveva ordini tanti precisi, che non pativano che egli potesse entrare in discorsi et repliche con Sua Maestà, dalla quale aggionse d' havere ordine d'accostare quanto più presto che fosse possibile, ai luoghi che fossero più vicini, per soccorrere li Stati di Sua Maestà, accennandoci che andria fra tre o quattro giorni a Palermo, overo a Napoli. Ben monstrava desiderare in tutto quello potria aggiotare et soccorrere li Signori Venetiani, purchè non eccedesse gl'ordini di S. M. Veggha hora V. S. Illma in che termini tutti ci troviamo, et quanto poco possiamo sperare da quest' armata, l' andata della quale in Levante era tanto temuta, che al sentirne parlare ogn'uno se ne fuggiva, et in Constantinopoli, come ho scritto, vi era gran terrore. Noi stiamo aspettando d' hora in hora un corriero da nostro Signore, per sapere quello che ognuno di noi haverà da fare; perchè havemo inteso che l' Ambasciatore di Spagna haveva ordine di dare conto a Sua Beatitudine di questa resolutione del Re Cattolico; et si bene crediamo che gli sarà, come è di raggione, penetrata al cuore, pur crediamo che come prudentissimo Principe saprà pigliare bona resolutione, et che ci avisarà della mente sua. Io in tanto starò aspettando quel tanto che mi ordinarà V. S. Illma in questa materia, conformo alle lettere della quale mi regolarò sempre. Ben gli dico che questo Sig. Proveditore dice, che tutta la speranza loro è posta in Sua Santità, che è et deve essere di tanta authorità appresso a tutti li Principi Christiani, et che con tanta prontezza et allegrezza, non guardando a spesa alcuna nel principio del suo felicissimo Pontificato, ha abbracciato così animosamente questa Lega, onde anche che la saprà non solo conservare, ma che fare andare inanti. Detto Sig. Proveditore pensa partirse fra tre giorni per Corfù, s' altro ordine non havrà da Venetia, overo da Roma. Con che basciando li santissimi piedi a Sua Beatitudine et a V. S. Illma le mani, farò fine, con il qual preghole dal Sig. Iddio ogni contento.

Di Messina li 27 di Giugno 1572.

Di V. S. Illma et Rma

Humilmo et devotmo Servitor
Paulo Odescalcho Vescovo
di Penne et Atri.

AL SIG. CARDINALE DI COMO.

Messina 28 Giugno 1572.

Illmo et Rmo Sig. pron mio ossmo.

Scrissi a longo hieri et l' altr' hieri a V. Sig. Illma sopra la tardanza della partita dell' armata della Lega, et la resolutione dapoi havuta dal Sig. Don Giovanni, che per ordine espresso di Sua Maestà Cattolica non poteva andare in Levante con l' armata del Re di Spagna, per li sospetti grandi che si havevano di rottura da Francesi nei Stati di Sua Maestà: della quale resolutione S. A. ne ha monstrato, et tuttavia monstra grandissimo dolore. Però vedendo il Sig. Marcantonio et io, che per le lettere di V. S. Illma delli 23 del presente, nostro Signore non haveva ancora saputo questo ordine dato dal Re al Sig. Don Giovanni, siamo restati li più attoniti huomini del mondo, havendoce S. A. detto che l' Ambasciatore di Sua Maestà in Roma haveva havuta commissione del Re di Spagna, di dare conto a Sua Santità delle cause che moveano Sua Maestà a ritenere la sua armata, che non andasse per quest' anno in Levante: et V. S. Illma scrive che l' Ambasciatore Cattolico nella congregatione della Lega, monstrando di non sapere le cause della dimora, haveva data la colpa alle difficoltà che sogliono nascere in movere le gran machine. Il che havendo il Sig. Don Giovanni inteso da noi questa sera, si è doloto grandemente dell' Ambasciatore, che non habbia essequito l' ordine di Sua Maestà, havendo scritto a S. A. ch'era Loc. cit. f. 150.

restato, perchè Sua Santità si era sentita un poco male, promettendo quando prima di volerlo fare: et le lettere dell' Ambasciatore sono dei 20, et quelle di V. S. Illiña sono dei 23, di modo che il Sig. Don Giovanni et noi tutti siamo venuti in parere, che ci sia sotto più fondo che non pare; il qual crediamo che verrà presto discoperto da Sua Santità.

Et perchè il Proveditore Sorauzo si era risoluto di partire fra tre o quattro giorni, et si dubitava che non partisse mal satisfatto, siamo stati il Sig. Marcantonio et io da S. A., pregandola che poichè non poteva andare la persona sua con tutta l' armata, che almeno restasse servita di mandarce il stendardo della santa Lega con un buon numero di Galere et fantarie bone. S. A. ci ha detto che quello che egli possa fare, ce l' ha detto, come ho scritto nell'altre mie lettere; però quando li Ministri di Sua Maestà in Italia, et particolarmente quelli di Roma et di Napoli laudassero, che egli manderia il stendardo della Lega, accompagnato da qualche numero conveniente di bone genti. Il che inteso dal Signor Marcantonio, gl' è parso di spedire il presente corriero, et advertire di tutto Sua Santità et Vra S. Illiña, li quali potranno, si quest' offerta sarà giudicata da nostro Signore, che potesse apportare servitio alla conservatione della santa Lega, fare quelli officii con li Ministri costì di Sua Maestà Cattolica, che loro giudicassero essere opportuni.

deci Galere, ha condotto due navi con vettuaglie, di che questi Signori Venetiani hanno da principio preso gran sodisfattione, pensando che questo fusse parte per far restar l'Armata; ma come io scrissi a V. S. Illma considerai, sempre che non poteva venir soccorso sufficiente di vettuaglie a così eshausta Armata, et che bisognava venir alla resolutione del ritorno, non potendo Sua Altezza senza ordine svernar in questi mari. Intendo poi che il Duca è venuto per sollecitar il Sig. Don Giovanni, perchè ritorni, et non per altro, il che ha causato che subito Sua Altezza ha fatto determinatione di partire. Et in fatti questi ultimi avisi di Fiandra danno grande occasione d'impedimento ad ogni progresso di qua, nè è bastato che il General de Venetiani et io proponessemo mandar Galere per vettuaglie a Taranto, che Sua Altezza è stata salda al ritorno, così per il mancamento del pane, come per esser la stagione tanto avanti, che conviene hormai metter l'Armata in salvo, et pensar all'anno che viene: bone ragioni se l'anno venturo le cose se incaminaranno bene. Ha ben il Sig. Don Giovanni offerto a questi Signori tre mila fanti Italiani, ma non ha voluto lasciarli Galere, talchè loro non sono risoluti di accettarli; nè meno essi Signori mi hanno fatto altra richiesta che io resti con loro, forse perchè han veduto di non poter haver altri Vascelli, et io l'ho havuto per bene assai, perchè non si potessero doler di Sua Santità, se ben era senza ragione, che li havesse mancato, vedendo le cose in questi termini che mi forzavano pur a venirmene per le considerationi, che per la detta mia de x. scrissi a V. S. Illma. Semo a Corfù questa sera, et col ritorno delle Galere et Commissario procurerò quanto prima esser all'ordine per venirmene con Sua Altezza a Messina, et d'indi la volta di Roma.

Di questo successo della Galera ho sentito gran fastidio, pur con questi schiavi ricuperati, et con li forzati che credo sarà comodo haver delli condennati nello Stato Ecclesiastico, si potrà ben presto riarmar un altro delli fusti migliori che restano di Sua Santità a Messina, o quello che si trova a Napoli, se così la Santità Sua lo comanderà, della cui volontà sarà bene che in Napoli si trovi ordine espresso. Et con questo bacio le mani di V. S. Illma et le priego ogni contento.

Di Corfù li xix. di Ottobre 1572.

P. S. autografo. Si è fatto intendere a tutti li soldati che havessero per bene di girsene in Ancona, che lo dicano, perchè se li trovarà vascello che ve li conduca: vedremo quelli vorranno et se li darà il recapito. Questo l'ho fatto così per lor comoditade essendovene de Marchigiani, come per quella parte ancor levar nostro Signore di spesa quanto prima. Li altri si conduranno a Napoli con le galere, dove sarà bene Sua Santità comandi quello vorrà se facci quanto al licenziarli. La galera duodecima comparsa col Sig. Aurelio di Fiorenza non ha usato con me nulla manera di usanza, onde judico che non sia stata mandata altrimente per complimento della 12. Non dico il parer mio quanto al licenciar de fanti, che non andassero in Ancona, perchè quando nostro Signore me lo rimettesse, farei quel che judicasse et suo servicio et reputatione.

Delle cose più importanti havrei molto più che dire, mi rimetto all'arrivo, se Dio me lo concederà. Sua Altezza havrà havuto carissimo che io col stendardo di nostro Signore l'accompagni, si che lo avvertimento di nostro Signore fu prudentissimo et a preposito.

Il Sig. Pompeo Colonna, con il Prencipe de Parma, Paolo Giordano et molti altri Signori se ne tornano per terra, et il Sig. Pompeo mezzo infermo.

Servitore affmo di V. S. Illma e Rma
M. Antonio Colonna.

A NUESTRO SANCTISIMO PADRE.

Meçina 29 Otobre 1572.

SANCTISSIMO PADRE.

A los 14. de Agosto, des de Corfu, scrivi a Vra Sanctidad, significandole la verdad de lo que passava en el particular de las galeras de la Religion de Sant Juan, y quan a geno estava el Maestre y Cavalleros della, de la culpa que se entendia, se lesponia de non haver ydo en Levante con Marco Antonio Colona, para que visto por Vra Beatitud tuviese dellos la satisfaçion, y buen conçepto que su inoçençia mereçia, y a unque tuve por çierto, que esto hastara para que no se hiziese do la sinçeridad y llaneza, con que an proçedido diferente Juyzio. E entendido que toda via pueden tanto ruynes informaçiones de algunos, que por sus particulares fines por ventura quieren, que se tenga entendido otra cossa, de lo que en effecto passa, que a bastado para resuçitar la sospecha antes conçebida, caluniando al dicho Grand Maestre y Cavalleros de inobidientes a los mandamientos de Vra Sanctidad, que lo e sentido en el alma, por ser muy çertificado, que podesçen sin haver por que, por lo qual y por la obligaçion que tengo, a bolver por la verdad dexado a parte, lo que el Rey mi Señor dessea el bien y acreçentamiento do la dicha Religion, yo lo que yo por esto, y la particular affiçion que a sus cosas tengo, devo hazer por ellas, me a pareçido tornar á hazer fee de nuevo a Vra Sanctidad, que si las

Loc. cit. f. 457. Originale.

dichas galeras non fueron á Levante con el dicho Marco Antonio, no fue por culpa del dicho Grand Maestre, ni de sus ministros, sino por haverles dado yo orden, preçissa, para que sin embargo de haver me pedido el General dellas, que le diesse liçençia para seguir el dicho Marco Antonio, se que dassen comigo, y para que mejor lo pudiessen hazer di otras de las desta armada, que fuessen en su lugar, de manera que si por esto se les imputa culpa, se vee claramente, a lagravio que resçiven y la parte que toca de la satisfaçion de la Su Magestad, y a mi pues les a verido por servirle y obedeçerme quando no podrian hazer otra cossa. Supplico humillmente a V̄ra Beatitud se aquiete de que estaes la realidad de la verdad, y que si alguno a querido darle contrario entendimiento sea engañado, y tenga al dicho Grand Maestre y Religion en su buena graçia, pues no anbecho por donde la devan perder, y les haga la graçia y favor que huviere lugar en sus actiones, que en ello resçivire mayor merçed, de lo que a qui podria encareçer, y por que el Embaxador Don Juan de Çuniga hablara mas largo a V̄ra Sanctidad sobreste neguçio, no dire sino que guarde nuestro Señor la Sanctissima persona de V̄ra Beatitud por tantos y tan largos años cnmo su Universal Iglesia á menester, y yo desseo. De Meçina á 29. de Octubre 1572.

P. S. autografo. V̄ra Sanctidad crea que ni el Maestre ni sus ministros tienen ningun jenero de culpa, ni yo tampoco en lo que hije con ellos en esto particular de la galeras. Pues avendo venido unanes a seguir el estandarte de su Magestad, no me parescio ser servicio de V̄ra Beatitud, que saliesen por entonçes desta borden taotomas atendiendo todos a un mismo efeto, y a si buelvo de nuevo a hazer fe a V̄ra Sanctidad como yo solo fuy el que por entonçes les detuve de executar la horden que se les dava por las causas que digo, y que antes son dignos todos los de esta Religion, que desmereçedores de la graçia.

D. V. B.

Mas humilde hijo que sus
sanctisimos pies besa
Don Juan de Austria.

III. — 1572. — §. 96.

S. D. N.

GRATULATORIA DEL P. GENERALE DELLA COMPAGNIA DI GIESU'.

Ferrara 17 Maggio 1572.

IHŪS.

BEATISSIMO PADRE.

Armata e diversi d'Italia nel 1572. f. 8. Originale. Rendo gratie infinite alla Divina bontà, che s'è dignata provedere tanto presto, et tanto bene, al bisogno di Sua Santa Chiesa, dandoli per Capo Vostra Santità, et la supplico, augmenti in quella i thesori di sua gratia, et ajuti Vostra Beatitudine a portar il peso che l'ha imposto sopra le spalle, a grande gloria sua, et univarsale benefitio della Republica Christiana. Et già che io per la mia infirmità non posso andar per adesso, mando in mio loco il Padre Polanco, come antico servo di Vostra Santità per li basciar di mia parte li santi Piedi, et per offerir a Vostra Beatitudine per parte di tutta nostra Compagnia la pronta, et humile ubbidientia che doviamo, et supplicarla, conservi in sua protettione detta nostra Compagnia, come dal principio di essa l'ha sempre havuta Vostra Santità. Et rimettendomi a esso Padre Polanco solamente dirò che humilmente domando la sua santa beneditione, et di qua come posso bascio i suoi santi piedi.

Di Ferrara li 17. di Maggio 1572.

Di Vostra Beatitudine

Obedientissimo Servo che suoi S̄m̄i
piedi bascio
Francesco.

IV. — 1573. — §. 15 — 17.

RELATIO RERUM A F. FELICIANO NINGUARDA SAC. THEOLOGIÆ DOCTORE IN URBE APUD SUMMUM PONTIFICEM GESTARUM PRO APPROBATIONE, AC CONFIRMATIONE SYNODI PROVINCIALIS SALISBURGENSIS CORAM RMO. ET ILLMO. METROPOLITANO, AC RMIS. COEPISCOPIS, CÆTERISQUE PROVINCIÆ PRÆLATIS PUBLICO IN CONVENTU FACTA.

Salisburgi 20 Aug. 1573.

Synodo Provinciali habita (Reverendissime et Illm̄e Archipræsul, R̄m̄i Episcopi ac Patres) visum est vobis universis, ut ea, quæ maximo studio ac labore ad communem Provinciæ hujus utilitatem, salutemque publico in conventu præclare decrevistis, more majorum, suprema totius orbis Christiani auctoritate, hoc est Sedis Apostolicæ, quæ proxime et secundum Deum in nos, religionemque potestatem habet, judicio approbarentur, et rata firmaque haberentur: quicquid enim in tota republica Christiana, maxime si ad divinas cæremonias, cultumque pertineat, aut statuitur, aut geritur, id sine dubio correctioni romanæ subjiciendum est, ut ad summi religionis Christianæ Catholicæque magistri censuram sine errore dirigamur, ac perpetuo convertamur. Itaque me pro vestra singulari in me humanitate ac benevolentia Romam proficisci voluistis, librumque Synodalem ad Christi Vi- Germania Vol. 129. f. 8.

carium deferre. Quod ego iter, cum Dei honorem gloriamque, cum vestra studia in religionem propensa, cum populi salutem, cum utilitatem ac splendorem Ecclesiæ ob oculos mihi posuissem, magno animo et voluntate ingressus sum, ut tandem aliquando labor vester pareret, quod jam diu parturiit. Profectus sum ergo, et re bene confecta, non tam pridem reversus. Quandoquidem vero Spiritus Sanctus, quo duce superioribus annis ea statuistis una voce, unoque consensu, quæ summam provinciæ aut reformandæ, aut in fide Catholica retinendæ continent, hoc tempore, et hoc eodem loco vos congregavit, ut viam inveniatis auspicandæ reformationis, exequamini que ea feliciter, quæ salubriter instituistis: mearum partium necessario putavi, ut paucis rationem rerum a me in Urbe gestarum vobis explicarem, solita vestra benignitate ac benevolentia fretus, quæ me, ut id faciam, eo magis adducit, quod permagni interesse existimem, ut mea ratio in rebus præteritis agendis cognita vobis sit et explorata, qui mihi earum curam demandare voluistis.

Ut Romam appuli, ac potestas mihi facta est, Pium Quintum fe. me. Pontificem Maximum adivi, cui sigillatim, cum tuo, Revme et Illme Princeps, tum vestro, Præsules vigilantissimi, tum etiam totius Provinciæ hujus nomine, pedibus pro more osculatis, officia omnia, universum studium et benevolentiam, obsequia omnia detuli, faustam rerum publicarum administrationem in primis, ac felicem secundamque perpetuæ vitæ cursum precatus. Deinde vero literas et librum Synodalem simul porrexi, adjecique quanto animo vos Patres ad habendam Synodum accesseritis, quanta cura, quantis vigiliis, quanto labore in eam incubueritis, quanta consensione studiorum, quanta voluntatum concordia multa decreveritis, quibus præsens medicina horum dubiorum temporum tot incommodis reperta sit, quanto denique animi ardore, quanto fervore pectoris inflammati discesseritis ad defendendam religionem Christianam, ad fidem Catholicam sustentandam ac tuendam, ad tollendas hæreses, ad mores corrigendos, ad totam denique Provinciam reformandam. Hæc me pluribus narrantem attentissimis auribus Senex Sanctissimus audiebat, eumque lætitiæ fructum, quem animus caperet, vultu, motuque totius corporis facile ostendebat. Vir enim cum esset non sibi, non commodis suis, sed totus reipublicæ Christianæ natus, nihil gratius accipere, nihil audire jucundius poterat, quam si quos esse intelligere, qui totum animum, viresque omnes ad eam Ecclesiæ partem curandam, relevandamque applicuissent, quæ inclinari videretur. Lectis hilari fronte literis, quas dederam, libroque decretorum, quem porrexeram, accepto me dimisit, dixitque velle se ante, ut per causas et occupationes publicas liceret, totum librum celeriter legendo percurrere, quam aliquid faciat, tum autem missurum, qui me vocet. Interea pro vobis, Patres, proque tota Provincia limina Beatorum Apostolorum Petri ac Pauli, et septem Urbis templa supplex adivi, Cardinales bene in vos affectos, vestro nomine invisi, et salutavi. Post aliquot hebdomadas accersitus redii, cumque Constitutiones Synodales omnes jam perlegisset, ut me coram est conspicatus: quam lætor (inquit) quod mea ætate, meque Pontifice, eos homines Ecclesia habeat, qui veterum et Sanctorum Patrum vestigiis insistentes labentem paulatim in Germania religionem suis humeris fulcire, in melioremque statum restituere aveant: plurimis certe laudibus ac præconiis te, Reverendissime et Illme Archiepiscope, vosque, Rmi Patres, omni cum benevolentia prosecutus est. Laudabat decreta, rationem morbis Ecclesiæ medendi probabat, commendabat diligentiam vestram et zelum. Deo Optimo Maximo gratias, quam maximas posset, agebat, qui vobis hanc bonam mentem dederit, ut rei Christianæ curam cæteris rebus omnibus, etiam vitæ, anteponeretis. Quoniam vero mos est consuetudoque, ut de omnibus causis, quæ Concilium Tridentinum attingunt, ad Cardinales Collegio Concilii Tridentini instituto præfectos referatur, visum Summo Pontifici est facere, ut Synodus in hoc Collegio agitanda decernendaque proponeretur. At ego quod a multis præmonitus jam scirem, id si fieret, negocium longum fore, et multi temporis: tum quia tot sint in eo Collegio Cardinales, ut difficile videatur cogi omnes posse, quotiens volueris: tum etiam quia sexcentas alias causas fere semper præ manibus habeant: rogavi ut hæc res tota duobus aut tribus ad summum Cardinalibus committeretur: e quibus cum ejus jussu multos proposuissem, qui mihi idonei et apti ad hoc munus obeundum videbantur, tres dedit, Moronum ac Commendonum, viros in usu et disciplina Germanica satis peritos ac versatos, et Alciatum, hominem in jure Canonico exercitatissimum, qui singula decreta diligenter et accurate ad Canonum Ecclesiæque trutinam examinarent, et ponderarent. Id autem negocium confici nisi anno plus minus sesqui altero non potuit: tum quia aliis multis gravissimis occupationibus sæpe distraherentur: tum etiam quia cum res postulabat, non fieret semper potestas adeundi Pontificem Maximum, quem de singulis decretis edocere oportuit, maxime siquid dubium erat, si quid difficile. Quia vero in ea parte Synodi, quæ de Sacramentis est, Agendarii multa mentio fieret, necesse habuerunt Agendarium videre. Quem librum a me hic primum novatum, successivis et subsecundariis deinde temporibus in Urbe partim muta-

tum, auctum et ornatum partim, cum Cardinales ipsi nonnisi celeriter percurrere potuissent per occupationes, mandarunt viris doctis, cum in jure Canonico, tum in Sacra Theologia, ut accuratius legerent. Ejus certe lectio ita omnibus placuit, ut dixerint librum non solum utilem fore in hac Provincia, sed etiam in tota Christianorum universitate, cum Parochis, tum cæteris Sacerdotibus, tum iis maxime, qui ad Sacros Ordines aspirent. Neque vero necessarium est modo, ut hujus libri utilitatem, commoditatemque persequar longa vobis oratione molestus, cum ex ejus lectione id facile cognosci atque intelligi possit. Hoc unum adjungam, Agendarium laudatum et commendatum, et a Sede Apostolica una cum libro Synodali probatum ac confirmatum esse: nisi quod in Synodo quædam correcta, immutata quædam, quædam expuncta, et cum difficultate admissa quædam fuere. Quorum omnium rationem postea non solum verbis explicabo, verum etiam scriptam dabo. Tandem ubi Christi Vicarii judicium, auctoritas et approbatio accessit, cum reditum pararem, repentino gravis morbus me affecit, quo quidem non sine maximo vitæ, salutisque meæ discrimine, quadrimestri spatio plus satis laboravi: nam me et pluviæ hibernæ, et æstivi solis molestiæ maximæ, quas per totam Urbem propter Synodum cursitando perpessus eram, fere oppresserant. Oportebat enim me Cardinales illos semper convocare, ac cursoris officio fungi, urgere, adesse, docere. Quæ cum sigillatim in relatione rerum a me gestarum, quam tibi, Reverendissime et Illustrissime Metropolitane, Princeps et Domine gratiosissime, scriptam dedi, videre liceat: a me nunc prætermittuntur eo consilio, longior ne sim, quam par est. Postea cum divino beneficio convaluissem, et pristinas vires ex parte recepissem, Roma proficisci volebam; sed me, quod nunciatum esset, pestem hæc loca tenere, Summus Pontifex retinuit, ne tam apertum vitæ, valetudinisque nondum bene confirmatæ periculum, sub hybernum præsertim tempus, adirem, finemque pestis expectare jussit. Parui, cessavit pestis. Interea cum jam me discessuro Brevia Apostolica ad vos renovarentur, Pontifex Maximus, nescio qua fortunæ invidia, ægrotare cœpit, et ita ægrotare, ut Calendis Majis non sine acerbissimo omnium gemitu ac mœrore vita functus sit. Scripsi ad te, Revmẽ ac Illmẽ Archiepiscope, Princeps ac Domine Clementissime, quid me agere velles: rescriptum est, ut Romæ subsisterem, quousque in comitiis novus Pontifex crearetur, id quod necessarium etiam erat, ut viventis Pontificis approbatio Synodo accederet. Feci, ac paulo post creatus est in Conclavi brevissimo temporis spatio, nemine prorsus discrepante, Pontifex Maximus Gregorius XIII. olim Cardinalis Sancti Sixti, vir omni laudum, virtutumque genere ornatissimus, dignissimusque inter tot præstantissimos Patres, cui divinitus pro ejus singulari sapientia et incredibili rerum omnium scientia, ac usu, summa reipublicæ Christianæ gubernacula deferrentur. Post publicam creationis, coronationisque lætitiam, ac plausum, cum accessi, et loquendi potestate mihi facta, cum tuo, Princeps Illmẽ, ac vestro, Reverendissimi Præsules, tum Provinciæ totius nomine pedes osculatus, tantumque honoris gradum, et dignitatem multis verbis gratulatus sum. Deinde literis tuis gratulatoriis acceptis, et Pontifici redditis, Reverendissime Archipræsul, quanquam ipse dum Cardinalis esset, negocium hoc ex parte cognoverat, pluribus tamen docui, ut se res Synodi haberet, quoque in statu ab ejus Prædecessore Pio Quinto fe. me. relicta esset. His auditis magna animi voluptate ac gaudio affectus est, propter vestram egregiam voluntatem, et in rem fidei, religionisque Catholicæ inflammatum animum, dixitque velle se totam Synodum perlegere, ut majoris inde capiendi lætitiæ suæ fructus occasionem haberet, quam esset ostensurus respondendo ad literas gratulatorias Rmĩ Metropolitani. Quia vero Pius Quintus fe. me. ejus prædecessor quædam ad vos Brevia Apostolica in Synodum conscribi jusserat, adjecit se mandaturum, ut ea nomine suo apposito interea renovarentur: ita me dimisit. Ad quem cum post dies aliquot rediissem, quod resciveram omnia Brevia esse jam conscripta, affatus me est humaniter et benevole, quod librum Synodalem perlegisset, ac postquam multa de vobis honorifice et sensit, et dixit, ac mirifice vestrum in habenda Synodo bene de Ecclesia promerendi studium commendavit, narravit, quot Brevia Apostolica cum libro Synodali mihi daret, et ad quos, et cujus argumenti. Nam dicebat primum se scribere ad Rmũm Metropolitanum, ejusque Coepiscopos, et Capitula Metropolitanæ, ac quatuor præcipuarum Ecclesiarum Cathedralium, hortans et inflammans omnes ad executionem decretorum, quæ recte statuta sunt. Deinde, quod pro comperto haberet, vos hæc decreta non facile exequi posse in iis Provinciæ partibus, quæ quatuor Principibus Sæcularibus subjectæ sunt, nisi eorum auxilio et opera, ut animum suum in vos, et in hanc Provinciam totam declararet, addebat se eos quoque literis et monere, et hortari, ut vobis temporali auctoritate ac potestate præsto esse velint, cum opus erit. Quod ut facilius fieret, cupere se ajebat, ut ego ipse, qui Synodo interfuissem, ac negocium totum in Urbe curassem, hæc Brevia Apostolica non ad vos solum, et ad Capitula, verum etiam ad quatuor illos Principes perferrem, ut coram quæ scribuntur, magis magisque inculcare, et alia in-

super huc facientia monere eos possim, præsertim ut prohibeant, ne ministri tanta clero gravamina imponant, aut jurisdictionem Ecclesiasticam usurpent, quod viva vox (ut est in proverbio) scriptis literis efficacior sit: de qua re in Brevibus mentio fieret. Deinde me instruxit, quænam in hujus Provinciæ utilitatem, commodumque suo nomine vobis cum singulis, tum universis in hoc conventu dicenda essent. Post hæc imperavit, ut mihi Brevia Apostolica darentur, et Synodus una cum Agendario redderetur, ut videre licet in literis ad Reverendissimum Metropolitanum scriptis, utque redirem ante discessum pro benedictione. Quod cum fecissem, antequam me extremo dimitteret, eadem sæpius inculcavit, ut diligenter exequerer, quæ ante mandaverit, cum privatim apud singulos, tum publice apud omnes. Illud unum cum jam præstiterim: restat nunc, ut huic alteri faciam satis; id quod a me paulo post inter sacra ea oratione fiet, quam jussu Illustrissimi Archiepiscopi Domini nostri sum habiturus. Pomeridianis deinde horis in publico conventu explicabo vobis, quidnam in decretis Synodalibus vestris a Sede Romana correctum, quid expunctum, quid adjunctum, quid mutatum, quid cum difficultate admissum, quidve adhuc sit, quod auctoritate ac dispensatione Apostolica indigeat. Postremo in fine conventus considendum erit, quidnam agendum sit circa illa Brevia Apostolica, quæ in favorem vestrum ac totius Provinciæ ad Principes Seculares scribuntur. Hæc sunt, quæ initio hujus Conventus proponere habui.

ARTICULI A P. FELICIANO PROPOSITI, CUM RESPONSIS.

Quæ per me F. Felicianum Revm̃o et Illm̃o Archiepiscopo, ac Principi Salisburgensi jussu Summi Pontificis proposita fuere, ut post Synodi publicationem, eorum primo habeatur ratio, tum in sua Diœcesi, tum etiam in cæteris per Coepiscopos suos; et

Responsa Rm̃i et Illm̃i Metropolitani, Coepiscorumque et aliorum Patrum data in Conventu Provinciali Salisburgi habito die 26. Augusti hujus anni 1573. ad propositiones has, ea ordine ad singulos articulos in calce apposita sunt.

Germania Vol. 123 f. 29.

Synodus Provincialis, Reverendissime Archipræsul, ac Princeps Illm̃e, ante triennium habita, ac singularis zelus erga religionem Christianam, quem Illm̃a D. V. in rebus cum publicis, tum privatis omnibus præ se fert, magna animi voluptate Pontificem Summum affecere. Cognovit enim ex decretis Synodalibus, quæ ad retinendam fidem Catholicam, ad pravos mores tollendos, ad pellendas hæreses, hisce perditis temporibus nostris perquam accommodata sunt, non parvam utilitatem non huic Provinciæ solum, sed toti Germaniæ etiam accessuram, cum exemplum cæteros quoque Metropolitanos commoverit, excitaritque, ut huc animum totum, viresque omnes appellant. Perspexit deinde cum ex consilio in hoc negocio suscipiendo, tum ex industria in agendo, quantum etiam celeritas Illustrissimæ D. Vestræ in conficiendo adjumenti Germanis veræ atque orthodoxæ religioni restituendis sit allatura. Proinde immortales Deo agit, et habet gratias, quod Illm̃am Dominationem Vestram in Germania his duris ac calamitosis temporibus in partem solicitudinis suæ laborisque vocarit, cujus industria ac vigilantia uberes amplissimosque fructus ex messi Germanica sperat. Quanquam vero Sua Sanctitas nihil dubitet, quin Illm̃a D. V. ita sit animata ad publicum commodum, ut nihil sibi magis contendendum putet, quam quod spectat ad executionem eorum, quæ Deo inspirante in hac Provinciali Synodo summa vigilantia, ac singulari studio fuere decreta, pro munere tamen universalis Pastoris, quo fungitur, cohortandam esse Illm̃am Dominationem Vestram sibi induxit, tam per Breve Apostolicum, quam etiam per me Illm̃æ D. V. studiosissimum ac fidelissimum clientulum, ut sua sponte currentem incitaret potius, quam excitaret. Quare cum multa in decretis sint valde necessaria, multa minus, eumque non omnia simul executioni mandari initio possint, mihi injunxit, ut nomine suo, ea rerum capita Illm̃æ Dominationi Vestræ proponam, a quibus omnem executionem auspicari magni referat. Quæ certe Sua Sanctitas Illm̃æ Dominationi Vestræ ob oculos poni voluit, non tam pro Diœcesi sua, quam ut ea etiam habeat, de quibus Coepiscopos suos omnes tanquam Metropolitanus admonere possit, ac debeat.

Resp. Primum gratias ingentes agunt Summo Pontifici, tum quod eos de his rebus tam necessariis atque utilibus monendos curarit, tum etiam quod tam paterno ac benevolo animo universam Provinciam hanc prosequatur. Deinde conclusum, ut his articulis in consultationem propositis, ad singulos responsa dentur.

In primis exoptat Sua Sanctitas, ut Synodus Provincialis coram Coepiscopis quamprimum publicetur, mandeturque executioni, atque, ut ejus exemplaria in manibus omnium esse possint, imprimatur.

R. Primus articulus summæ æquitatis est, et ita fiet. Liber autem Decretorum cum propter alias multas opportunitates, tum maxime ob elegantem typorum formam, Dilingæ excudendus erit. Quam curam Reverendissimus et Illustrissimus Metropolitanus in se recipiet.

Secundo, cum Sua Sanctitas audiverit in hac Provincia, inque tota Germania maximam esse penuriam bonorum Sacerdotum, propterea quod multi sint imperiti, multi improbi, multi apostatæ, multi fugitivi, cumque plurimum referat ad Ecclesiæ reformationem, ut Clerici veris honestæ vitæ exemplis ad bonam frugem laicos excitent, inflammentque, ac factis ipsis prius Christi exemplo, tum postea verbis doceant, sapientes, ac principes viri totius Reipublicæ Christianæ, quorum gravissimum judicium etiam Synodus Provincialis Salisburgensis sequuta est, ita sensere, nihil tam facere ad Christiani populi utilitatem, quam si Seminaria instituantur, ubi futuri Sacerdotes, rectoresque animarum in Christiana disciplina a tenellis annis erudiantur. Proinde S. S. cupit vehementer, hortaturque Illm̃am D. V. curare ut velit, quo secundum decreta Concilii Tridentini, ac constitutiones hujus suæ Syoodi Provincialis Seminaria in quinque locis Provinciæ jam constitutis erigantur, in quibus optimæ spei adolescentes bonis literis, præclarisque moribus tandiu imbuantur, informenturque, quoad ætas, doctrina ac virtus eos ad rectam diligentemque Ecclesiarum administrationem, salutemque animarum aptos, idoneosque reddiderit. Neque enim tantum onus quibusque committendum est; sed viris probis tantum ac peritis, qui solida veritatis eruditione, ac spectata laudatæ vitæ constantia id sustinere cum subditorum sibi Christianorum fructu possint. Sua Sanctitas autem cupit, ut Illm̃a D. V. veluti Metropolitanus incipiat, ne cæteri ullam excusandi, aut diutius producendi rationem habeant.

R. Ad secundum articulum, quem omnes plurimum commendarunt, statutum, ut Ordinarii intra sex menses Rm̃um et Illm̃um Metropolitanum faciant certiorem, quibus quisque rationibus Seminarium erexerit. Cautum tamen ut ita constituantur, ut numerus alumnorum semel susceptorum, non modo semper retineri, verum etiam augeri possit. Hoc quoque sex mensium spatio Rm̃us et Illm̃us Metropolitanus Seminarium in Diœcesi sua erigendum curabit. Cum vero neque Concilium Tridentinum, neque Summus Pontifex Ordinariis præcipiat, ut suis sumptibus dumtaxat hæc ipsa Seminaria fabricent, alantque, id quod nec suarum facultatum esset, est eis propositum, quam tenue fieri potest, subsidium ab Ecclesiasticis sibi subjectis hominibus, juxta Concilii Tridentini statuta, deposcere. De qua re conveniet ipsis cum Prælatis, Canonicis et universo Clero.

Tertio, desiderat S. Sanctitas, ut Sacerdotes, qui nunc in Diœcesi Salisburgensi, ac tota Provincia sunt, expulsis concubinis, ad eum vivendi modum, quoad ejus fieri potest, revocentur, quem constitutiones Synodi Provincialis præscribunt. Quod si qui reduci noluerint, si fuerint hujus Diœcesis, juxta sanctiones Ecclesiasticas cogantur; sin alieni, melioribus in eorum locum accersitis, posteaquam juxta demerita puniti fuerint, paulatim dimitti poterunt.

R. Tertium articulum. Ordinarii ad effectum adducere quam primum debent, et gravia quoque scandala vitæ ac morum e medio tollere. Rem vero auspicabuntur a Canonicis cæterisque Clericis Ecclesiarum Cathedralium, tum deinde ad reliquos etiam Rurales sese convertent.

Quarto cum in Urbe aliqui Episcopi Germaniæ conquesti sint, Sacerdotes suos, qui ad vitandas patratorum scelerum animadversiones in alienas Diœceses profugiunt, ab aliis Episcopis suscipi: Sua Sanctitas, quod putet Illm̃am D. V. Sacerdotibus egere posse, antequam eos ex Seminario habeat, hortatur, si exteri et alieni suscipiendi sint, ut eos tantum assumere velit, qui nec vagi, nec fugitivi, nec apostatæ, nec excommunicati sint. Quod facile factu est, si neminem susceperit, nisi literas, tum dimissoriales a suis Ordinariis juxta Synodales Constitutiones habeat, tum etiam testimoniales bonæ vitæ suæ, ac synceritatis fidei ab iis, apud quos fuerit.

R. Ad quartum, Quo modo Cooperatores a Parochis suscipiendi sint, Ordinarii suis omnibus imperabunt, ut quisque Cooperatorem, quem suscepturus est, prius coram Vicario sistat, aut eo, cui id negotii Ordinarius dederit. Nullus autem Clericus alienæ Diœcesis absque literis testimonialibus, ac dimissoriis admittatur.

Quinto, quia Sua Sanctitas accepit multos esse Episcopos in Germania, qui in suis Diœcesibus habeant Sacerdotes non solum simplices, ac Parochos, verum etiam Archidiaconos nonnullos, et Decanos rurales, et (quod absurdius est) quorumdam etiam Monasteriorum Prælatos, concubinarios publicos, filios ac mulieres quasi uxores domi cum omnium scandalo habentes, quas secum etiam (quod gravius est) in itinere vehiculo (quod Schlitten vulgus appellat) vel equis suis a tergo insidentes ducunt, ac Balnea cum ipsis, et tabernas publicas ingrediuntur, easque nominibus suis vel propriis, vel a dignitate vocant; qui cæteros idcirco reprehendere ac punire non possunt, quia in eadem sint navi ac sentina, monet Illm̃am D. V. ut si qui ejusmodi in spiritualibus Officiales in sua Diœcesi reperiantur, eos officiis ac dignitatibus privare velit, suffectis aliis bonæ famæ, ac probatæ vitæ hominibus, quales multi non defuerint.

R. Quintus articulus, cum ex tertio pendeat, non minori curæ hic, quam ille erit.

Sexto, quoniam Sua Sanctitas audivit, infinitos propemodum esse Sacerdotes, etiam Canonicos per totam passim Germaniam, qui diver-

sas habeant Ecclesias, etiam remotas, partim curatas, partim etiam alias, quæ tamen eorum præsentiam desiderent, cum piorum virorum omnium scandalo, Ecclesiarum ipsarum jactura, detrimentoque animarum ac damno, quia non omnibus prospicere, non ubique adesse, non omnes visitare eodem tempore possint, quas etiam per laicos (quod alienius est) administrant, improbissimis quandoque Sacerdotibus ad Sacramentorum ministerium adhibitis, instat, ut Illma D. V. si qui sunt tales in sua Diœcesi vel Canonici, vel alii cujuscunque dignitatis, gradus, aut conditionis Sacerdotes, eos ad renunciationem illarum Ecclesiarum, una tantum retenta, cogere, Ecclesiisque ipsis commode providere velit de idoneis Sacerdotibus: alioquin Suam Sanctitatem prospecturam.

R. Ad sextum articulum, Dabitur diligens opera a Rmo et Illmo Metropolitano, Coepiscopisque, ut menti Summi Pontificis hac in re satisfiat.

Septimo, licet Summus Pontifex, ut Illmæ D. V. Coepiscopisque suis, ob penuriam idoneorum Sacerdotum, gratificaretur, Canonicis non regularibus, idoneis, piisque annuendo permiserit, ut præter Canonicatum, Parochialem quoque Ecclesiam non multum a Canonicatu distantem cum iis conditionibus, quæ sunt in a me facta relatione Synodi per Sanctam Sedem approbatæ, ab Ordinariis suis habere possint, non ideo tamen id etiam in cæteris alterius Diœcesis Canonicis, et Sacerdotibus non Canonicis, qui residere in ipsis Parochiis nolunt, aut non possunt, connivit. Quamobrem cum Sua Sanctitas perceperit in tota Germania universim, ac sigillatim in Provincia Salisburgensi, nonnullos Canonicos in alienis Diœcesibus Parochiales, et alias habere Ecclesias, plurimosque esse Sacerdotes non Canonicos, qui in Civitatibus, aliisque locis in officio aliquo sint constituti, et cum omnium scandalo, multorumque damno habeant Ecclesias præterea Parochiales distantes, aliaque beneficia, in quibus residere non possint, admonet Illmam D. V. ut eos (si qui tales in sua reperiuntur Diœcesi) cogat, quo, si sint Canonici externi, Parochiis, cæterisque Ecclesiis, in quibus residentia opus est, renuncient: sin alii Sacerdotes, aut se abdicent officiis, tumque unam tantum Ecclesiam Parochialem, vel aliam quam voluerint, retineant; aut beneficia omnia relinquant, quæ præsentiam ipsorum requirunt: alias tanquam vacantibus provideatur.

R. Septimum, Ordinarii diligenter exequentur, nulla personæ habita ratione.

Octavo, cum Sua Sanctitas cognorit, non paucos esse Canonicos per totam Germaniam, qui plures Ecclesias Parochiales, aut alias Pastorum residentiam requirentes, aut per multas diætas distantes a Canonicatu, in aliena etiam Diœcesi habent, jubet, ut Illma D. V. si qui ejusmodi sint Canonici in sua Diœcesi, eos cogere velit, ut dictis Parochialibus Ecclesiis renuncient, et unam tantum Parochialem Ecclesiam, eamque per unam tantum diætam distantem cum Canonicatu retineant: alioquin S. Sanctitatem provisuram.

R. Octavum eodem modo ut septimum.

Nono, cum Sua Sanctitas sciat, per totam fere Germaniam esse multas passim Ecclesias, præsertim Parochiales, sub cura Canonicorum, ac minorum Prælatorum, quæ ideirco male administrantur, ac quodammodo corruunt, quia ab iis nunquam visantur, cum hoc unum agant tantum, ut pecunias ac redditus inhient; et quod Vicarii, ac Cooperatores eorum, ob rem nimis tenuem, quæ illis in stipendium datur, idonei vix inveniantur, vel inventi cogantur multa facere, quæ Sacerdotes Dei minus decent: mandat Illmæ D. V. ut in sua Diœcesi, pro munere quo fungitur, ejuscemodi incommodis provideat. Nam et seculares ipsi conqueruntur, quod cultus divinus tam infimo loco sit, ut templa propter possessorum avaritiam, ac socordiam ruinam minitentur.

R. Ad nonum, si Canonicus aut alius quispiam parochiam per Vicarium administrare voluerit, Rmi atque Illmi Metropolitani, Coepiscoporumque erit, ut videant, an Vicarius satis stipendii habeat, et Ecclesiæ pro dignitate administrentur, aut ædificia collabefactata restituantur. id quod in visitatione fieri maxime debet.

Decimo, cum Suæ Sanctitati notum sit, multas esse Ecclesias in Germania etiam Parochiales cum amplissimis redditibus, quibus de idoneis Pastoribus ac Parochis, vel de aliis Sacerdotibus juxta necessitatem non providetur, aut de rebus necessariis secundum exigentiam rei, seu bonam mentem fundatorum: monet Illmam D. V. si quæ ejusmodi sunt in sua Diœcesi, ut eis, juxta Synodales suas Constitutiones, ita prospiciat, ut intentio fundatorum non defraudetur, aut detrimentum fiat piis animabus, aut etiam boni scandalizentur. Quod si sint jurispatronatus, cogat eos, ad quos spectant, ut in officio sint: si autem ipsi defuerint, provideat Illma D. V. Animadvertat etiam oportet, ne quiequam ex annuis redditibus illarum Ecclesiarum a conferentibus retineatur, aut usurpetur, id quod plerisque in locis Germaniæ fit, ubi collatores etiam Ecclesiastici majorem partem redditaum sibi vendicant ac reservant. Quod etiam faciunt ii, qui beneficia a collatoribus obtenta aliis renunciant, sibi magnam partem eorundem redituum, vel saltem optimas pensiones cum aliis prærogativis reservantes: id quod prorsus fieri non potest absque Sanctæ Sedis consensu.

R. Decimum ad gravamina ex parte pertinentem Ordinarii sedulo exequentur.

Undecimo, cum Sua Sanctitas non sine acerbo animi sui sensu audierit, in multis Diœcesibus Germaniæ Episcopos, aut Suffraganeos eorum quotannis Diœceses non visitare, neque omnibus in locis Sacramentum Confirmationis conferre, ita ut plurimi nesciant, quid Confirmatio sit: hortatur Illm̃am D. V. ut in hac sua Diœcesi huic malo juxta Constitutiones Synodales prospicere velit, ne idem etiam error in ea regnare videatur.

R. Ad undecimum, de Sacramento Confirmationis conferendo, fiet quod Summus Pontifex monet.

Duodecimo, plurimum dolet, et admiratur Sua Sanctitas, quod multi Episcopi Germaniæ non visitent quotannis, aut curent, ut per alios visitentur omnes partes Diœcesium suarum. Et si interdum visitentur, quod tam parum provideatur necessitatibus singulorum locorum, ut satis fuerit quandoque eas non visitasse, quam aut tam negligenter visitasse, aut juxta necessitatem non providisse; hinc enim postea multa mala oriri, hinc majorem libertatem inter subditos nasci est necesse. Quare monet Illm̃am D. V. ut in omnibus partibus suæ Diœcesis quotannis visitandis summam diligentiam, summumque studium, juxta Constitutiones Synodales, aut per se, aut per alios adhibere velit: est enim res et pernecessaria et perutilis.

R. Ad duodecimum, id quotannis nullo modo prætermittendum est, in iis maxime locis, ubi Ordinarii spiritualem ac temporalem jurisdictionem habent. Quod si alibi Principes impediant, Rm̃o et Illm̃o Metropolitano significetur.

Tertiodecimo, cum Sua Sanctitas compertum habeat, infinita propemodum per Germaniam esse Monasteria Canonicorum regularium, aliorumque monachorum Ordinariis subjecta, in quibus non sine magno dedecore monasteriorum, ac detrimento, propter Superiorum negligentiam, non modo non sacræ literæ, sed ne regula quidem ipsa docetur, quam professi sunt, aut cæremoniæ, sanctionesque Ecclesiasticæ, ita ut vix ullus sit, qui sciat quid faciendum sit, quemque sibi scopum in ingressu proposuerit, ac (quod turpius est) ejusmodi Prælatos ita uti opera ac servitio suorum religiosorum, quasi essent abjectissimi famuli ac mancipia: advertit Illm̃am D. V. ut inter visitandum sigillatim huic tanto incommodo providere velit, si quæ talia monasteria in sua Diœcesi reperiuntur, ac Abbates et Superiores, per quos id committitur, graviter punire, quo in posterum in officio sint.

R. Ad decimum tertium, Ordinarii summo studio curabunt, ut in monasteriis bona disciplina retineatur, atque optimi magistri ad id deligantur.

Idem quod ad monialium monasteria pertinet, in iis rebus, quæ ad ipsas spectant, cum et ipsæ parum doceantur ea, quæ sunt religionis ac bonorum morum, quarum etiam clausura ab Illm̃a D. V. diligenter secundum sacros Canones, ac Constitutiones Synodales Salisburgenses spectanda ac lustranda est, sub qua certe sunt ipsæ diligenter continendæ; non paucas enim in hac re Sua Sanctitas ex Germania querelas habet.

R. Idem de Monialibus, in his quæ ad sanctum ipsarum institutum spectant.

Quartodecimo, cum Sua Sanctitas acceperit, plurima esse monasteria ditissima in Germania, cum Canonicorum regularium, tum aliorum monachorum, in quibus licet pauci sint religiosi, a Prælatis tamen, quod nimios sumptus in personas suas faciant, ac nimis laute vivant, necessaria eis non suppeditentur: præcipit Illm̃æ D. V. ut in visitatione suæ Diœcesis diligenter quærat, si quæ sint ejusmodi monasteria, in iisque efficiat, ut in posterum Prælati subditis suis abunde suppeditent omnia, quæ ad victum vestitumque necessaria sunt, et si quando ægrotarint, ut eis nihil desit, quod ad valetudinem recipiendam faciat, omnia tamen metienda sunt juxta facultates monasteriorum.

R. Ad quartum decimum, fiet, ut monetur.

Quintodecimo, cum Sua Sanctitas rescierit, in multis monasteriis Germaniæ Prælatos minores, quales sunt Abbates ac Præpositi, in tanta majestate vivere, quasi sub regula non sint, ac non modo vitam communem monasteriorum, sed etiam Chorum et res divinas parvipendere, atque ea floccifacere, quæ ad profectum suorum pertinent, præsertim cum nunquam fere Capitula habeant, nec subditos corrigant, si quando errarint, cum tamen primi esse in rebus bonis, et exemplo cæteris præire debeant: instat, ut Illm̃a D. V. in visitando summam diligentiam adhibeat, si quæ talia monasteria in sua Diœcesi inveniuntur, quo ejusmodi Prælati in officio deinceps contineantur, eisque tanta libertas non permittatur.

R. Ad quintum decimum, providebitur huic malo in visitatione.

Sextodecimo, cum Sua Sanctitas acceperit, in multis Ecclesiis Collegiatis Germaniæ, etiam Cathedralibus, eidem Canonico tam multa ac diversa munera committi, ut nullum postea exequatur: hortatur Illm̃am D. V. ut si quas ejusmodi Ecclesias in sua Diœcesi, vel Metropolitana, vel alias inter visitandum, aut etiam ex piorum relatione invenerit, det operam postbac, ut ea officia, quæ sub unius cura erant, diversis, iisque idoneis et aptis hominibus distribuantur, ita ut ipsi ea diligenter exequantur.

R. Ad sextum decimum, prospiciant Ordinarii, ut æquum est.

Septimodecimo, cum Sua Sanctitas audiverit, in eisdem Ecclesiis multis Canonicos circa di-

vina officia esse valde negligentes, et in rebus mundanis potius versari, quam Chorum frequentare, præcipue vero digniores, qui tamen primi accedere, et abire ultimi deberent: monet Illustrissimam D. V. ut visitando investiget, si aut in sua Metropolitana, aut in cæteris Ecclesiis Collegiatis ejusmodi sint Canonici, qui res divinas tam parvi faciant, ut Choro interesse non curent, eosque in officio posthac contineat, curetque, ut tales deinceps sint, quales Constitutiones Synodales eos esse volunt.

R. Ad septimum decimum, dabitur omnis opera, ut ita fiat.

Decimo octavo, cum Sua Sanctitas intellexerit, in multis Ecclesiis Collegiatis, etiam Cathedralibus, tempore horarum Canonicarum, eo quod Canonici propter debitum absint, cæteros Præsbyteros, Clericos ac Scholares dissolutos esse inter cantandum, cachinnari, rixari, ac quandoque ad manus venire: instat apud Illm̃am D. V. ut in visitatione sciscitetur diligenter, si quid ejusmodi in talibus Ecclesiis suis contingat, atque ita labentes severe puniat, ordinetque, ut Canonici semper intersint, tum ad vitanda ejusmodi scandala, tum etiam ut suo satisfaciant debito juxta Constitutiones Synodales: nam et ab horis ipsis Canonicis Canonici vocati sunt.

R. Decimus octavus ex superiori pendet. Quibus autem id locis contingit, cavebitur, ut deinceps non eveniat.

Decimonono, cum Sua Sanctitas non sine maximo dolore audiverit, in infinitis propemodum Germaniæ locis Parochos, ac Cooperatores negligentissimos esse in administrandis Sacramentis, atque cum unus saltem in templo semper esse debeat, ut si quæ occurrat necessitas, præsto esse possit, omnes templum deserere, ire spaciatum, ac (quod absurdius est) ad tabernas accedere potaturos: quo fit, ut cum quærantur, vel non inveniantur, vel ita vino obruti, ut officio nequaquam satisfacere possint, nisi cum maximo scandalo, ac propterea sæpe multos sine Sacramentis Ecclesiæ mori contingat: injungit Illm̃æ D. V. ut si qui tales in sua Diœcesi, vel in Civitate ipsa Metropolitana, vel alibi reperiantur, investiget diligenter, præsertim inter visitandum, eosque officio privet, et acerbissime puniat, quod causa ipsorum multi spiritualiter intereant.

R. Ad decimum nonum, necessarium est, et per Ordinarios providendum. Quod si hæc negligentia alicubi fuit, in posterum ne feratur.

Vigesimo, cum Sua Sanctitas non absque gravi gemitu compererit, in infinitis propemodum partibus Germaniæ, ob negligentiam Parochorum, ac fortassis etiam Episcoporum, Sacramentum extremæ Unctionis pene abolitum esse: cum tamen id contra Sacros Canones, et communem universalis Ecclesiæ consuetudinem sit, ac contra evidentissima testimonia Sacræ Scripturæ: jubet, ut Illm̃a D. V. id peculiariter agere velit, præsertim in visitatione, ut Sacramentum hoc diligentissime administretur: quod ut eo facilius fiat, præcipiendum concionatoribus est, ut ex suggesto, quoties sese offeret occasio, de hac materia populum doceant, inflammentque, ac Parochis etiam, ut cum ægrotos invisunt, maxime post datam Sacram Eucharistiam, eos hortari velint ad extremam Unctionem. Quod si qui obfirmato animo fuerint, ita ut eam contemnant, mortui tanquam hæretici ne sacro loco sepeliantur juxta Canones, ac Constitutiones Synodales Salisburgenses.

R. Vigesimus est in decreto Synodali fol. 226. Hoc solum est opus, ut post illa duo verba (ex manifesto) addatur (hæreticoque contemptu).

Vigesimo primo, cum Sua Sanctitas acceperit, multis in locis Germaniæ multos Parochos, Cooperatores, ac Vicarios esse, qui in administrandis Sacramentis, ducendis funeribus, et confessionibus audiendis, pecuniæ nimium cupidos sese verbis, et apertis signis ostendunt, plus petentes, quam accipiant, aut si non accipiant, exigentes, aut pactis etiam ante exequias, ac sepulturam convenientes: monet Illm̃am D. V. ut maxime inter visitandum præcipiat, tum Parochis, ne quid prorsus in ejusmodi rebus petant, aut plus accipiant, quam in Constitutionibus Synodalibus præscribitur; tum etiam Confessoribus, ut nihil omnino postulent, nec verbis, nec signis; si quid tamen sponte a confitentibus dabitur, id accipere possint.

R. Vigesimus primus cum decreto Provinciali hoc modo constituatur. Cavere autem debent Parochi, et Sacerdotes alii, ne pro hujusmodi divinis celebrationibus quicquam præter piam et antiquam consuetudinem petant, aut accipiant, vel quicquam aliud committant, quod Simoniacæ labis aut avaritiæ suspicionem sapiat.

Vigesimo secundo, cum Sua Sanctitas audiverit, multis in locis Germaniæ Canonicos, et alios nondum Sacerdotes præesse Ecclesiis Parochialibus contra omnem rationem et decus, cum Parochi propterea assumantur, ut fideli populo Christiano Sacramenta administrent, ipsi autem id præstare nequeant, eo quod non sint in Sacerdotali dignitate constituti: monet Illm̃am D. V. ut ad vitanda scandala ac mala, quæ ea ex re proveniunt, si tales in sua Diœcesi reperiantur, eos juxta Constitutiones Synodales cogere velit, vel ut fiant Sacerdotes, vel ut Parochias relinquant, quæ postea non dentur, nisi idoneis Sacerdotibus.

R. Vigesimus secundus per se æquissimus est.

Vigesimo tertio, cum Sua Sanctitas intellexerit, in multis locis Catholicis Germaniæ dari Sacram Eucharistiam pueris ac puellis usum ratio-

nis nondum habentibus, non parvam animo cepit admirationem, cum hujusmodi pueri ac puellæ usu rationis carentes nulla (ut etiam docet Sacrosancta Synodus Tridentina) obligentur necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem (Sess. 21. cap. 4. doctr. de Com. sub utraque specie et parv.). Siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Quinimmo si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema esse decernit supradicta Synodus Tridentina (in ead. Sess. de Com. sub utraque specie et parv. Can. 4.). Proinde monet Illñam D. V. ut investiget diligenter per totam suam Diœcesim, maxime inter visitandum, si qui Parochi reperiantur, qui hujusmodi pueris ac puellis communionem Eucharistiæ concedant, eosque puniat, ac præcipiat, ut in posterum tales ad Sacram Synaxim accedere non permittant: neque enim decet eos ad Sacramentum altaris admitti, in quibus adhuc tanta propter ætatem non sit cognitio, ut intelligere possint, quantum tractent mysterium, et quam splendidis ac divinis epulis accumbant. Discretionis vero tempus et rationis usus in pueris ac puellis parentum et Confessorum arbitrio, ac considerationi relinquitur, propterea quod sint quidam celeriores ingenio, quidam tardiores. Plerumque tamen communis Ecclesiæ Catholicæ consuetudo tenet, ut nemo ante annum circiter tertium decimum admittatur.

R. Vigesimus tertius itidem.

Vigesimo quarto, cum amentes, fatuos et id genus alios insanos homines, qui ita usu rationis carent, ut sua peccata confiteri Sacramentaliter non possint, ad Eucharistiæ communionem Ecclesia non admittat, et Sua Sanctitas audiverit, in multis locis Catholicis Germaniæ hostias non consecratas pro consecratis hujusmodi hominibus dari, quo petitioni eorum satisfieri videatur, quandoquidem more simiarum ipsi etiam imitari velint, quæ alios vident facere: graviter dolet et detestatur hunc pravum morem, quia nemini parvulo vel adulto, valenti aut ægroto, sano vel amenti, aut quomodocumque Sacræ Eucharistiæ non capaci, etiam magna cum instantia atque importunitate petenti, hostia non consecrata pro consecrata dari debeat. (De celebr. Missarum cap. De homine). Nam in Sacramento veritatis nullam esse fictionem oportet, præcipue cum falsa remedia sint veris periculis graviora. Propterea hortatur Illñam D. V. ut Diœcesim suam hoc errore, sicubi viget, liberare velit, summa adhibita diligentia inter visitandum in quærendo, ac providendo.

R. Vigesimus quartus itidem.

Vigesimo quinto, cum Sua Sanctitas intellexerit, multos passim in Germania sub jurisdictionibus non modo Principum Secularium, verum etiam Ecclesiasticorum esse Parochos, ac Concionatores, partim publice hæreticos, partim occulte, qui etiam libros infectos apud se habent, ac venena in populo seminant, et (quod pejus est) in monasteriis quibusdam etiam reperiri tales, tum religiosos, tum etiam ministros seculares, cujus rei culpa tribui non nisi Prælatorum negligentiæ potest: monet Illñam D. V. ut in prima visitatione, atque alias etiam data occasione, in eo studium omne ponere velit, ut videat in Parochiis, aliisque Ecclesiis, etiam in monasteriis tam monialium, quam monachorum, si quæ ejusmodi personæ reperiantur, easque gravissime puniat, et ita efficiat, ut huic malo provideatur; quod facilius fiet, si, cum quis est suspectus, tempus non expectetur, sed statim citetur, ac domus ejus visitetur; et si concionator fuerit, ad ejus conciones audiendas vir peritus aliquis omnibus insciis interdum mittatur.

R. Ad vigesimum quintum de libris hæreticis ac suspectis, Ordinarii eos tam ab Ecclesiasticis, quam a secularibus auferent; a typographis vero jusjurandum exigendum, et in eos, qui contravenerint, severissime animadvertendum.

Vigesimo sexto, cum Sua Sanctitas acceperit, in ditionibus multorum Principum Ecclesiasticorum Germaniæ, non modo universim in pagis et opidis, sed sigillatim etiam in iis ipsis Civitatibus, in quibus resident, multos seculares esse hæreticos, ac tolerari, et propterea indies quoque augeri, qui etiam libros hæreticos habent, legunt, atque alios præterea quotidie sibi comparant, et habitis privatim conventiculis inter se familias prave in hæresi instituunt, comeduntque carnes diebus prohibitis, etiam in quadragesima publice, ac sub omnium oculis, nec tamen idcirco puniuntur, aut expelluntur: ne cæteros inficiant, neque (quod pejus est) admonentur, enixe cupit, ut Illma D. V. diligenter quærat ubique locorum suæ Diœcesis, præsertim inter visitandum, si qui sint ejusmodi homines, eosque, quos tales invenerit, si gregem suum a contagione conservari vult, ut corrigat, aut etiam si ita necesse sit, omnino amoveat, ne serpens in sinu, aut in stramine ignis foveatur. Nam dum adhuc ignis in favilla est, extingui facile potest, cum vero ad incendium pervenitur, difficile, nec sine maxima rerum jactura. Ita etiam hæretici si tolerentur, eorum numerus paulatim augetur, insurguntque postea multitudine freti adversus Principes suos, ut multa superiorum temporum exempla docuere.

R. Ad vigesimum sextum, Ordinarii jugiter elaborabunt, ut huic pesti occurratur.

Vigesimo septimo, cum Sua Sanctitas non sine magno suo dolore intellexerit, in ditionibus multorum Principum Ecclesiasticorum mul-

tos esse Officiales, partim palam hæreticos, partim suspectos, veluti arcium Præfectos, Gubernatores oppidorum, Judices, ac Senatores civitatum, et Consiliarios, aliosque, quorum exemplum, quod in dignitate sint constituti, subditorum animabus maximum detrimentum afferat, multosque pervertat: hortatur Illm̃am D. V. ut, si qui tales in sua ditione sint, diligenter investigare velit, eosque paulatim pro sua prudentia amovere, optimis ac Catholicis viris in eorum locum suffectis. Cum autem Illm̃a D. V. perspectum sibi est de aliquo simili Officiali, Sua Sanctitas consulit, ut diligenter prius examinet, quam illum promoveat, an vere Catholicus sit: quod ut facilius cognoscat, jubeat ipsum facere professionem fidei Catholicæ, quam certe si sincerus fuerit Catholicus, lubentissime fecerit; sin invite ac cum repugnantia, tunc aut hæreticus, aut in fide suspectus esse debet. Circa quod Sua Sanctitas Illm̃am D. V. voluit etiam admoneri, ne quod in aliis Germaniæ partibus accidisse auditur, id etiam in ditione Illm̃æ D. V. contingat, quod scilicet in professione fidei facienda Ecclesiastici etiam ipsi interdum abhorreant, ac dubitent, an illa particula sit apponenda « Ecclesia Romana », quasi vero Ecclesia Romana illa sit, quæ tantum Romæ est, ac non potius universalis Ecclesia Christiani orbis, quæ ad differentiam aliarum Ecclesiarum hæresi infectarum idcirco Romana appellatur, quia Romanus Pontifex universali Ecclesiæ præsit. Nonne in Germania Romanum est imperium? num Romanum est imperium, quod Romæ est? an potius universale? universale dixerim, tamen Romanum appellatur, quia Romæ primus imperator, ac principium imperii fuit; ita etiam factum est in Ecclesia universali, quæ Romæ initium habuit a D. Pietro, cui ipse præfuit, ac successores ejus Pontifices Romani adhuc præsunt, quorum e numero est modernus Pontifex Gregorius XIII. cui Deus Opt. Max. pro sua clementia longiorem vitam ad felicissimam administrationem Ecclesiæ Suæ concedat.

R. Ad vigesimum septimum, id Ordinariis tantæ curæ erit, ut hujusmodi querelæ de Ecclesiasticis, ac Secularibus Consiliariis, Præfectis et Ministris nullus locus reliquus esse possit.

Vigesimo octavo, cum Sua Sanctitas audiverit, in infinitis propemodum locis Germaniæ, ubi magnus est Sacerdotum numerus, præsertim juniorum, eos, quod sub nulla sint disciplina, nec ullis studiis dediti, per urbes cum scandalo huc et illuc vagari, potare, ludere, ita ut in officio postea contineri facile non possint: monet Illm̃am D. V. ne quid tale in sua Diœcesi eveniat, ut velit curare non solum in Ecclesia Metropolitana, sed in aliis etiam, præsertim Collegiatis, ut secundum Constitutiones Synodales Salisburgenses sit aliquis Sacerdos Theologus, nisi fuerit Doctor, saltem doctus, qui ex sacris literis quotidie lectionem illis profestis diebus prælegat; ita enim otium ac scandala vitabuntur, et Sacerdotes ipsi indies aptiores ad sua officia reddentur, ut tempore necessitatis postea eorum opera prodesse magis adhuc quam unquam antea possit.

R. Ad vigesimum octavum, Totum principium ad disciplinam Clericorum pertinet, in quam rem Ordinarii toto pectore incumbent. Reliqua pars de Seminariis est, de quibus satis diximus ad secundum articulum.

Vigesimo nono, Cum Sua Sanctitas non sine magno mœrore acceperit, in infinitis propemodum locis Germaniae, etiam Catholicis, Pœnitentiæ Sacramentum prope lapsum esse, eo quod pœnitentes, cum confiteantur, peccata sua non nisi generaliter, ut publice alioquin fieri solet, recenseant, nec ullum faciant discrimen inter peccata venialia ac mortalia, aut inter peccata unius generis et alterius, aut inter casus Papales et Episcopales: ex quo fit, ut sine ulla contritione ac dolore ad confessionem accedant, cum peccata sua sigillatim ad memoriam prius non reduxerint, atque ut religio paulatim ex eorum animis elabatur, cum tam parum ad salutem suam cogitent, quæ magna ex parte ex pœnitentia pendet. Id autem fieri propter negligentiam, aut ignorantiam, aut etiam perfidiam quandoque Parochorum quorundam, qui subditos in iis rebus non instruunt, aut nesciunt, vel nolunt instruere, aut etiam pecuniis corrupti in subditorum errore connivent: admonet Illm̃am D. V. ut diligentissime curare velit per totam suam Diœcesim, quo Parochi ac Concionatores in templis puplice populum in Pœnitentiæ Sacramento instruant, rei necessitate, dignitate atque utilitate declarata, præterea etiam ut idem Confessores ipsi faciant inter confitendum, ac si qui rudes sese offerant, qui non ita sciant explicare peccata sua, ut eos diligenter interrogent, examinentque, atque (omissis superfluis et nimium curiosis quæstiunculis) ita instituant, ut deinceps confiteri sciant. Quod si aliqui casus occurrant in confessione, in quibus ipsi absolvere non possint, aut de quibus dubitent, ut recurrant ad forum Illm̃æ D. V. pro consilio, ut discant, quod ea in re agere debeant: nam nullum omnino est negocium, aut difficilius, aut utilius, quam salutis animarum. Quo autem facilius huic negocio provideatur, nec ullus Confessoribus excusandis locus relinquatur, S.S. hortatur Illm̃am D. V. ut in Ecclesia sua Metropolitana Sacerdotem Doctorem, aut Licentiatum in Theologia, vel jure Canonico juxta Sacros Canones, ac Constitutiones Synodales Salisburgenses Pœnitentiarium habere ne cesset, qui hoc fungatur munere, et ad quem Sacerdotes Civitatis recurrere, et alii totius Diœcesis scribere possint, cum necessitas ita efflagitarit.

Qui quidem Pœnitentiarius ter ad minus in hebdomada teneatur etiam prælegere casus conscientiæ omnibus Sacerdotibus, cui lectioni Sacerdotes ipsi ut intersint, cogantur, ii præsertim, qui ad confessiones audiendas admittendi sunt, et post lectionem bis vel ter ad minus in hebdomada habeant semper tempus certum præfixum, quo inter se conferant ac disputent de casibus conscientiæ, præsente Pœnitentiario, et interdum aliis viris doctis. Ex his postea qui fuerint aptiores, juxta necessitatem, deligi poterunt ad confessiones audiendas. Quod quidem opus non laudabile tantum, sed necessarium etiam, et utile est ad salutem animarum. Quo autem id non in Civitate Metropolitana solum fiat, verum in aliis etiam locis totius Diœcesis, Illma D. V. curabit, juxta mentem Suæ Sanctitatis, ut in Monasteriis et Ecclesiis Collegiatis lector, qui juxta superiorem articulum suscipietur, casus etiam conscientiæ bis terve ad minus in hebdomada prælegat Sacerdotibus omnibus, qui teneantur etiam ad eam lectionem accedere, atque inter se de casibus conscientiæ conferre, ac disputare. Hoc jam per totam Italiam jussu Sanctitatis Suæ observatur strictissime, cum tamen ibi nulla sit penuria bonorum Confessorum.

R. Ad vigesimum nonum id Ordinarii agent cum Confessoribus, et confitentibus, ut pravus iste mos aboleatur. Doctrina et instructio Confessorum in casibus reservatis spectat ad Seminaria, quibus id facilius eurabitur.

Trigesimo, cum Sua Sanctitas intellexerit, in multis Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ ab Ordinariis assumi Canonicos simplices in Vicarios generales, seu Officiales, et dari illis assessores communiter laicos, Doctores quidem in jure civili, sed non eruditos plerunque in Sanctionibus Ecclesiasticis: quo fit ut sæpe propter ignorantiam Sacrorum Canonum, injuria fiat accedentibus ad tribunal ipsorum, ac quandoque Canonibus Sacris ipsis derogetur, præsertim in promovendis iis, qui ad Sacros Ordines aspirant. Quare non admissi solum, sed admittentes etiam rei Sacrorum Canonum fiunt, ac censuras incurrunt. Quod ne in tribunali Illmæ D. V. eveniat, Sua Sanctitas hortatur, ut Illma D. V. habeat Sacerdotem Doctorem, aut Licentiatum in Theologia, seu in jure Canonico, per Universitatem aliquam approbatum, qui semper assistat loco Illmæ D. V. ita ut sine ipsius consilio nihil decidatur. Et ita Illma D. V. satisfaciet conscientiæ suæ, ac Vicarii sui vel Officialis. Ne autem Illma D. V. novas impensas hac in re faciat, id negocium committere poterit suo pro tempore Pœnitentiario, qui Sacerdos Doctor aut Licentiatus in Theologia, vel in jure Canonico erit, ac sine difficultate utrique muneri satisfaciet.

R. Ad trigesimum, ita fiet et decet.

Trigesimo primo, cum Sua Sanctitas audiverit, multis in locis Germaniæ sub jurisdictionibus Principum Sæcularium Ecclesias etiam Parochiales, et utriusque sexus monasteria, gravissimis exactionibus, et canibus venatoriis aggravari, ab eorumque ministris multa temere admitti adversus libertatem ac jurisdictionem Ecclesiasticam, qui etiam præsbyteris, monachis, monialibus vim inferunt, et quandoque sine scitu Ordinariorum Sacerdotes in carcerem conjiciunt, aliisque injuriis, et insultibus afficiunt, ac se intromittunt, non in iis rebus modo, quæ ad Ordinarios spectant, verum etiam (quod gravissimum est) in iis, quæ ad Sanctam Sedem pertinent, manus admoventes ad ea, quæ absque expresso consensu et licentia Sanctæ Sedis fieri nequeunt: in quo ejusmodi homines, tam mandantes, quam exequentes, Canones et censuras incurrunt, et acta per ipsos nullius sunt roboris: monet Illmam D. V. ut si quid simile hactenus gestum sit in Diœcesi sua, vel in posterum quidpiam tentetur, ut id nullo modo tolerare velit, cum sit contra Sacros Canones, nullamque vim et effectum sortiri possit. Quod si sit res, in qua Sancta Sedes etiam consulenda sit, ut Illma D. V. libere recurrat: atque ita in conscientia teneatur, præsertim in iis quæ auctoritatem Sanctæ Sedis tangunt.

R. Ad trigesimum primum, hoc pertinet ad gravamina hujus Provinciæ.

Trigesimo secundo, cum Sua Sanctitas acceperit, multos Ecclesiasticos, præsertim Canonicos, in Germania esse, qui quandoque aliquos consanguineos hæreticos habent, in quorum manus post mortem ipsorum veniunt ex parte relicta bona, tanquam hæreditario jure, contra jus æquitatemque omnem, cum illa bona non consanguineis dari, maxime hæreticis, sed in usum et utilitatem Ecclesiarum, quibus viventes præfuere, vel alias pias causas, converti debeant, earum præcipue Ecclesiarum, quæ instauratione, aliisque rebus plerunque egent, quarum certe non parvus est numerus: advertit Illmam D. V. ut in sua Diœcesi, cum tales personæ moriantur, nolit permittere, ut bona, quæ ex redditibus Ecclesiarum cumulata sunt, consanguineis dentur, nisi pauperes sint, et Catholici, quibus tunc tantum ex bonis distribui poterit, quantum Illmæ D. V. visum fuerit. Quod supererit, curabit, ut in utilitatem Ecclesiæ, vel piorum locorum, aut pauperum distribuatur.

R. Ad trigesimum secundum, in hoc teneatur consuetudo in Provincia Salisburgensi hactenus observata, salvis juribus et privilegiis uniuscujusque.

Trigesimo tertio, cum Sua Sanctitas acceperit, multis in locis Germaniæ, etiam sub jurisdictione Prælatorum Ecclesiasticorum, plurimos

esse, qui liberos suos ad Civitates hæresi infectas mittant, ut ibi sub præceptoribus bæreticis literas ac mores perdiscant, vehementer perturbata est, quia ita adolescentibus, qui in tenera ætate suot adhoc tanqoam tabulæ rasæ, in quibos quicquid libuerit, depingi potest, occasio detur, nt pervertantur, et a fide Catholica desciscant, quo malo fit, ut grandiores facti, non sibi solum, sed infinitis etiam aliis pestifero illo veneno patriam inficieotes obsint. Ecqoid obsecro aliud apud hæreticos addiscere possoot, præter sommam libertatem, summamque rerum omnium licentiam? Qui optimis moribus imbui, cum virtutibus hæretici perpetuom bellom indixerint? Neque enim Regina ratio sedem suam habet, ubi effrenata sensus libido imperat. Qui ingenuas artes, et Christiano homine dignas capessere, com bæretici, repudiata veritate, sophismata et pueriles captiones doceant? non in angulis, non in sordibus, non in tenebris, sed in medio foro ac clara luce veritas splendet. At vero sit ita, habeant apud hæreticos præceptores cum eruditione præstantiores, tom vita meliores, nonne satius est, ut indoctiores et inurbaniores domi maneaot, quam tam certom salutis suæ periculum adeant, ac tantam patriæ pestem inferant? Quasi vero desiot Civitates Catholicæ, in quibus tum vitæ Christianæ, tum optimarum disciplinarum præceptores ac magistri aluntur. Ad has orbes filios parentes mittant, si sua et suorum salus, ac vita illis chara est, cum domi præceptores parum idoneos habent. In his et syocera veritas. et candidi ingenuique mores sine fraude, ac sine dolo docentur. Proinde monet Illm̃am D. V. ut in tota sua Diœcesi, a Metropoli auspicata, sciscitetur accurate, præsertim inter visitaodum, ao qui id hactenus fecerint, aut adhuc faciant, eosque ita iocrepet et corrigat, ut ab incœpto desistant, cæterisque exemplo sint, atque ita huic malo provideat, ot omoes in posterum sibi caveant.

R. Ad trigesimom tertium, id corabitur quam diligentissime, quod aliqua ex parte pendet etiam ex Seminariis.

Trigesimo quarto, cum Sua Sanctitas intellexerit, in multis Civitatibus Germaniæ et oppidis, in quibus publicæ scholæ sunt institutæ et erectæ, studiosos ob magnam libertatem, quæ illis permittitur, obque negligentiam præceptorum, qui eos in officio non continent, tam esse dissolotos, et improbos, ut multa cootra decus ubique admittant, quæ vel infimos homines puderet, atque ita per domos infames ac plateas vagari, ut nihil fere tam in ore omnium sit, quam flagitia, quæ hi passim nocto fronte jam perfricata perpetrant, indeque cives excusationem ducere, cur filios suos potius ad Civitates hæreticas mittant, ut instituantur, licet nullam causam habere possint tantam, quemadmodum in superiori articulo dixi, ut ad id adduci debeant: bortatur Illm̃am D. V. ut in omnibus locis totios Diœcesis suæ, in quibus sunt ejusmodi scholæ, ita aoimadvertere in tales velit, in visitatione potissimom, nt tam dissolotis moribus provideator, ac modus tantæ libertati statuatur. Qood nisi fiat, nihil præclari ab iis expectandum erit. Præterea monetur Illm̃a D. V. ne (quod multis in locis Germaniæ fit) in Civitatibus sibi subjectis permittat, ut scholares pauperes, qui cantando victom per plateas ac domos quæritant, cantiones hæreticas, aut suspectas quocunque modo decantent.

R. Ad trigesimum quartum, providebitur, et æquum est.

Trigesimo quioto, cum Sua Sanctitas non sioe magno animi sui dolure perceperit in multis Catholicis locis, etiam in Civitatibus, non Principalibus Sæcularibus solum, sed etiam Ecclesiasticis in temporalibus subjectis, improbos quosdam reperiri Sacerdotes, qui in Missæ celebratione, omni postposito Dei timore, Sanctos in confessione noo nominaot, putantes ipsos noo esse invocandos, ac nonquam pro defunctis memoriam faciunt, quasi ipsi noo prosit hoc saluberrimum Sacrificinm, et (quod nefandius est) canonem integre non pronunciant, ex quo liquet, quam parum credant tanto Missæ mysterio, cum id factitent, non devotionis ergo, sed tantum ut iode habeant emolumenta: bortatur Illustrissimam D. V. ut non tam in visitatione publica, quam per privatas, ac pias etiam personas, omnem adhibeat diligentiam, si qui tales in sua reperiantur Diœcesi, eosque ita juxta Sacros Canones puniat, ut cæteris exemplo sint. Non sunt enim similia venena fovenda, ne sic paulatim inficiatur totom corpus.

R. Ad trigesimom quintum, Sacerdotes, de quibus iste articolus loquitur, ab Ordinariis ullo modo ne ferantur, his maxime locis, ubi brachium seculare etiam habent; si quis vero reperiatur, in bune gravissime animadvertendum.

Trigesimo sexto, cum Sua Saoctitas ex multorum sermonibus, et variis supplicibus libellis ex Germania in Urbem ad Sanctam Sedem transmissis compertum habeat, per totam Germaniam, etiam in Provincia ac Diœcesi Salisburgensi, multos sanguine et affinitate inter se junctos, in gradibos probibitis, non in quarto solum ac tertio, verum etiam io secondo, et primo ac secundo temere contrahere in angulis, ne a Superioribus id facinus resciscatur, audere, ac se copula carnali miscere, tum vero, sequuta quandoque etiam prole, supplices libellos ad Sanctam Sedem pro dispensatione mittere: maximum animo cepit dolorem, tum quia incestom committant, tum etiam quia se simpliciter inhabiles, et multo magis obstante consanguinitatis vel affinitatis impedimento, juxta decretum

Concilii Tridentini reddant ad sic contrahendum, ubi ejusmodi contractus inter eos jam facti, duplici de causa irriti et nulli esse decernuntur. Existimat autem Sua Sanctitas, eos per ignorantiam excusari non posse, quia arbitretur decretum illud Concilii Tridentini ubique jam esse promulgatum, uti tunc omnibus Ordinariis injonctum fuerat: et sciat vetustissimum morem esse in Germania, præsertim in Provincia Salisburgensi, ut non prius matrimonium contrahatur, quam denunciationes in templo factæ sint: ac neminem præterea esse putet tam rudem, qui nesciat hos gradus prohibitos, ut etiam optime norunt clam contrahere non esse permissum, quod prisca consuetudo Germaniæ a multis jam sæculis adhuc testatur. Neque vero Sua Sanctitas tam dolet et miratur subditorum temeritatem atque audaciam, vel improbitatem potius, quam Superiorum negligentiam, qui ejusmodi abusus ad pastorale munus oscitantes ac dormitantes ferant, nec delinquentes ita puniant, ut exemplum cæteros deterreat. Proinde ne in posterum hujusmodi scelera admittantur, neque ipsi frustra laborent Sanctam Sedem molestantes: monet Illmam D. V. ut juxta mandatum Concilii Tridentini [*] omnibus Parochis totius Diœcesis suæ injungere ac præcipere velit, quo hæc duo infrascripta decreta publice coram populo quam primum promulgent, ut cognoscant, quid sibi in matrimoniis contrahendis agendum sit, et quando sit Sanctæ Sedi supplicandum.

[*] Sess 24. Cap. 1. Decret. de Reform. matrim.

Primum [*] admoneantur omnes, quod nullum matrimonium contrahi debeat, multo minus consummari, nisi, juxta vetustissimam etiam, ac laudatissimam hujus Provinciæ consuetudinem, præcesserint tres denunciationes, quæ a proprio Parocho, vel alio Sacerdote vices gerente, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice sunt faciendæ, nisi Reverendissima et Illma D. V. expedire judicaverit, ut una tantum denunciatio fiat, vel ex toto prædictæ denunciationes remittantur, quod Illmæ D. V. prudentiæ, et judicio Sua Sanctitas juxta Concilii Tridentini intentionem relinquit. Deinde, si plures non fuerint, saltem Parocho, et duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebrari poterit. Et si qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus ad minus, matrimonium contrahere attentabunt, illis indicetur, eos, juxta decisionem Sanctæ Synodi Tridentinæ, ad sic contrahendum omnino inhabiles factos esse. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Illmæ D. V. puniri debere.

[*] Ex Concil. Trid. loco ut supr.

Secundo [*] advertantur etiam, quod si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separandus est, et spe dispensationis consequendæ carebit: idque in eo multo magis locum habebit, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem debet subjici pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit: tunc facilius cum eo dispensari poterit. Sed animadvertendi sunt, quod in contrahendis ipsis matrimoniis, vel nulla omnino datur dispensatio, vel raro: idque ex causa conceditur. In secundo autem gradu nunquam dispensatur, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam.

[*] Ex eodem Conc. Trid. Sess. eadem cap. 5 de Reformat. ut supra.

R. Ad trigesimum sextum, æquum est, ut cum decreto Concilii Tridentini, et isto articulo sentiamus. Debent propterea Ordinarii curare, ut hoc publicetur, ac Parochis imperare, ut suis crebro edicant, et promulgent.

Trigesimo septimo, cum Sacrosancta Synodus Tridentina [*] decreverit, ut nemo nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad Subdiaconatum, itidem a Subdiaconatu ad Diaconatum, et a Diaconatu ad Presbyteratum promoveatur: nisi necessitas, et Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat: et Sua Sanctitas acceperit in tota fere Germania plerunque ac sine discrimine, necessitatis prætextu, cuique ad Sacerdotium aspiranti, uno anno Ordines omnes, tam majores quam minores, etiam Presbyteratum conferri: quo fit, ut postea Sacerdotes non nisi rudes atque imperiti magna ex parte habeantur, qui cum sacra et humana studia nihil curent, nulla literarum cognitione delectati, aliud non student, quam poculis atque concubinis, aliisque rebus profanis, divina et humana omnia jura pervertentes: id ne in foro, seu Concistorio Illmæ D. V. accidat, monet necessitatem Ecclesiæ, cui Illma D. V. divino beneficio præsidet, hujusmodi ministris non egere, cum illi nulla in re prodesse, quin potius propter ignorantiam, ac pravas institutæ vitæ rationes obesse plurimum possint. Proinde illa verba Concilii Tridentini [*]: nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur: ita sunt intelligenda, ut non tam Ecclesiæ necessitas consideranda, quam etiam utilitas ejus spectanda sit. At quomodo tales sunt Ecclesiæ utiles futuri, si tam rudes atque imperiti ad Sacros Ordines admittuntur, præsertim vero cum de illis nulla spes majoris eruditionis haberi possit, ut experientia docet,

[*] Sess. 23. Cap 11. 13. et. 14.

[*] Sess. ut supra Cap. 14.

eo quod consecuti Sacerdotium, non curant amplius literis operam navare? Utilitas autem respondebit necessitati, si cum eis dispensandum cum aliquibus, tanta in iis tunc aptitudo, doctrina, eruditioque reperiatur, quantam tribus illis annis intermediis consequi studendo, et addiscendo possent, qui illis propterea fuere sapienter attributi, ut interjectum tempus habeant, quo se in Ecclesiasticis officiis ac muneribus diligenter exercere, et non in literis solum, verum etiam in pietate ac castis moribus proficere possint, tum sui causa, tum quoque ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad ministranda Sacramenta, quorum gratia potissimum Ordines sunt instituti.

R. Ad trigesimum septimum, hoc judicio Ordinariorum relinquitur. Nemo tamen ad Subdiaconatum admittatur, nisi ad Presbyteratum idoneus, aptusque inveniatur.

Trigesimo octavo, cum Sua Sanctitas intellexerit, in Germania universa, etiam in Provincia Salisburgensi, multa reperiri monasteria, quibus Ecclesiæ Parochiales sint incorporatæ, ad quas regendas Prælati mittunt Conventuales suos, eorumque loco in propriis Ecclesiis Sacerdotes laicos ad rem divinam faciendam, ac sacra obeunda accersunt: qua illi libertate freti non modo concubinas, ut cæteri Presbyteri inhonestæ vitæ solent, cum omnium bonorum scandalo domi habent, verum etiam habitum abjiciunt, quod et Prælati ipsi quandoque faciunt, quasi pudeat eos ita incedere, Christo, cui nomina dederunt, injoriam facientes: monet Illustrissimam D. V. ut si quid tale in sua Diœcesi reperitur, tanto scandalo, ac sceleri quocumque modo diligentissime juxta Constitutiones suas Salisburgenses providere velit.

R. Ad trigesimum octavum, diligenter curabunt Ordinarii, ut Conventuales suis in monasteriis retineantur, nisi necessitas quandoque secus postularit, et tunc juxta Decreta Provincialia.

Trigesimo nono, cum Sua Sanctitas non sine dolore etiam audiverit, per universam passim Germaniam Sacerdotes non paucos esse, qui post prandium, aut cœnam vestibus clericalibus exuti, pallioque ac pileo more laicorum induti, huc et illuc vagentur, atque ad tabernas vinarias convolent, magnis poculis poscant, rixentur, saltent, spectacula visant, ludum gladiatorium frequentent, eaque cum maximo suo dedecore, ac religionis Christianæ detrimento, et omnium scandalo faciant, quæ vel infimos homines puderet, adeo ut in vini aleæque corruptela, in nocturnis bacchationibus, atque in omni ejusmodi nequitia totos fere dies noctesque aliquando cum scurris, nulla habita ratione verecundiæ, aut dignitatis, versentur, per plateas ebrii discurrant, publice bacchentur, ad convitia, et ad arma inter se, aut cum laicis veniant: monet ac rogat Illmam D. V. ut Clericos omnes ubique locorum Diœcesis suæ, partim optimis præceptis ac paternis adhortationibus, partim etiam metu atque animadversione in veteri disciplina continere ita velit, ut a tam indignis rebus abstineant.

R. Ad trigesimum nonum, conveniat Ordinariis prius cum Canonicis, tum demum reliquum Clerum audientem facile habebunt.

Quadragesimo, cum Sua Sanctitas acceperit in multis locis Stiriæ ac Carinthiæ, ubi Illma D. V. ac tres ejus Suffraganei, Gurcensis, Seccoviensis et Lavantinensis spiritualem tantum jurisdictionem habent, Sacramenta non modo in desuetudinem et contemptum venire, sed etiam vix ullum apparere vestigium Christianæ religionis, quandoquidem publici Concionatores hæretici simplicem ac rudem populum rerum omnium licentia ac libertate proposita pervertunt, et ab obedientia non Sedis Romanæ solum, verum etiam Illustrissimæ Dominationis Vestræ, aliorumque Ordinariorum prorsus alienant, ita ut quibusdam in oppidis ac pagis technis suis et fallaciis, quibus imperitam multitudinem, ac nihil tale opinantem adoriuntur et capiunt, illud jam effecerint, ut valedixisse penitus cultui divino ac saluti suæ homines videantur, eum repudiata veritate, majorum nostrorum religione contempta, priscis Sacrorum cæremoniis abolitis, in tam corruptis moribus, in tam depravata doctrina, in tam perversis conventiculis ac sectis nihil, nisi impurum ac falsum, a subdolis ingeniis doceatur: vehementer dolet, tantam in tam brevi tempore religionis mutationem illis in partibus factam esse. Id autem multo magis Suam Sanctitatem angit, quod audiat singularem negligentiam Ministrorum, ac Suffraganeorum Illmæ D. V. et prædecessorum in causa fuisse: qui certe si vigilantiores in officio esse, ac muneri satisfacere voluissent, ut profecto debebant, ac poterant, cum res in exiguis adhuc initiis versabantur, non equidem religio ita inclinata esset, nec tantum incrementi huic malo indies latius serpenti hæretica pestis attulisset, ut maximi jam laboris sit Christi vineam in pristinum statum restituere. Sed levius ferendum esset, si strenuos hoc tempore eadem in regione haberemus operatores, qui pro Dei honore adversus gygantes istos babylonicos tanquam pro aris focisque dimicarent, hæresum dolos ac fraudes vigiliis et laboribus suis excluderent, atque Christi zelo armati Ecclesiæ hostium audaciam ac temeritatem frangerent, eluderentque. At quotusquisque in illis partibus est, qui pro domo Domini sit? quotusquisque sese in propagando cultu divino, aut religione Catholica retinenda, vel restituenda exercet? quotusquisque se nefariis hostium no-

minis Christiani armis opponit? pauci sane, aut omnino nulus. Propterea monet Illñam D. V. ut ovium suarum memor esse, ac pro prudentia sua rationem aliquam inire velit, qua hæc pestis tollatur, aut efficiatur, ne latius, et cum majori detrimento serpat, ac loca illa in pristinum fidei Catholicæ statum, quoad ejus fieri potest, restituantur, ita ut Ecclesiis sua dignitas, ac rebus divinis suus splendor reddatur. In quo multum profuerit, si Illña D. V. Suffraganeos suos, ac Ministros omnes ad rem tam laudabilem ac sempiterna beatitudine a Deo immortali compensandam, et ad officium tam necessarium salutis animarum verbis calcaribusque incitarit. Nihil autem tam facere putat Sua Sanctitas ad sananda hæc vulnera, quam si Concionatores ac Parochi Catholici docti, et spectatæ vitæ Ecclesiis præficiantur, qui cum doctrina, tum exemplo Catholicos confirmare, aberrantesque ad veritatem reducere possint. De quo Sua Sanctitas eo magis in animum induxit, ut moneret Illustrissimam D. Vestram, quod intelligat illis in locis Sacerdotes quosdam non tam concubinarios, quam conjugatos etiam ab Ordinariis cum omnium scandalo tollerari, a quibus in messi dominica qui fructus sperari possunt, cum præsertim inter cæteros Prælati minores aliqui etiam claustrales tales ibi esse reperiantur.

R. Ad quadragesimum, miserendum potius quam consultandum quibusdam in locis, cum res pejus adhuc sese habeat, quam proponatur; tentabitur tamen, si quid fieri possit et providebitur, ut res ac tempora ferent.

Postremo, Sua Sanctitas monet Illñam D. V. ut in hac prima Congregatione Coepiscoporum suorum jubeat omnibus, ut secundum Canones Concilii Tridentini, ac decretum recens Synodi Provincialis Salisburgensis nuper habitæ, professionem fidei publice faciant.

R. Ad postremum, professionem fidei libenti animo Ordinarii, ac cæteri Patres præsentes facient, et sperant cæteros omnes idem facturos.

Hæc sunt, Rñe Archipræsul, ac Princeps Illñe, ea quæ a Summo Pontefice in mandatis habui, ut coram exponerem, non tam ut Illña D. V. habeat, in quo Diœcesi suæ prospiecere pro temporum, rerumque necessitate possit, quam etiam Coepiscopos suos monere et hortari, ut Ecclesiis suis provideant, ut singulis partibus diligenter per Ordinarios curatis, totum corpus Provinciæ Salisburgensis sanum, integrumque conservetur.

ARTICULI A RMO. NUNTIO DOMINO BARTHOLOMÆO EX COMITIBUS PORTILIARUM NOMINE SUMMI PONTIFICIS PROPOSITI RMO. ET ILLMO. ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI EJUSQUE COEPISCOPIS, ET RESPONSA DATA A PATRIBUS AD HOS ARTICULOS.

Etsi Sanctissimus Dñus noster multa Reverendo Patri Feliciano mandarit, quæ vehementer optaret, ut in Salisburgensi Provincia ab Illña et Rña Dominatione Vestra, et a Rñis Coepiscopis suis aut tollerentur, aut introducerentur: jussit tamen Sanctitas Sua mihi, ut aliqua ex illis in mentem Illñæ D. V. revocarem, et nonnulla etiam adderem, quæ ad juvandum Germaniam perutilia fore sapientissimi viri judicarunt; sunt autem hujusmodi: Germania Vol. 120 f. 18.

Ut Clerici, qui in concubinatu post admonitiones suorum Antistitum perseveraverint, puniantur, et si adhuc post correptiones non resipuerint, beneficiis priventur et e Provincia ejiciantur.

R. Ad primum, Quoniam iste articulus illemet est, quem R. P. Felicianus in suis tertio loco proposuit, idcirco idem omnino responsum damus, nos omni studio curaturos, ut res ad effectum adducatur.

Ut Seminaria primo quoque tempore instituantur, cum nullum aptius ad disciplinam Ecclesiasticam reparandam remedium adhiberi, aut excogitari possit.

R. Ad secundum, Quia iste articulus quoque a R. P. Feliciano nobis secundo loco propositus est, propterea idem responsum datur, nos ita facturos, vel maxime quod necessitas horum temporum id postulare videatur.

Ut Diœceses summa diligentia singulis annis a viris pietate, doctrina et moribus præditis visitentur, quo abusus in ipsomet ortu opprimantur, priusquam maximo cum Provinciæ damno coalescant.

R. Ad tertium, Huic articulo optime jam satisfactum est in responso dato ad duodecimum articulum R. P. Feliciani, et sequentes, ubi etiam docetur, quibus in rebus prospiciendum sit.

Hæc sunt Reverendo Patri Feliciano tradita; illa vero mihi superaddita:

Ut unusquisque Episcopus apud se habeat saltem duos insignes viros, Theologum unum, aut in Theologia Licentiatum, alterum qui jus Pontificium profiteatur, quorum opera in iis, quæ ad reformationem et res Ecclesiasticas pertinent, uti possit.

R. Ad quartum, Huic articulo satisfactum est in responsis datis ad articulos 28. ac 29. Rev. P. Feliciani, ut ibi videre est.

Ad hæc ut juramenti memor, quod singuli de more præstant, singulo biennio aut saltem triennio Romam proficisci teneatur, aut si ab

Ecclesia abesse noo expediat, aliquem mittat, qui ejus nomine Apostolorum limina visitet, et de statu suæ Diœcesis Pontificem Maximum et Sacrum Cardinalium Collegium certiorem facere possit.

R. Ad quintum, Id hactenus factum diligenter a nobis est. Nam anno primo, penultimo et ultimo Pontificis Pii Quioti fe. re. ac recens post creationem moderni Pontificis Gregorii XIII. Domini nostri Clementissimi tom per litteras, tum etiam per R. P. Felicianum Rm̃us atque Illm̃us Metropolitanus soo ac Coepiscoporum, totiusque Provinciæ nomine id sedulo præstitit. Nec in posteris temporibus suis prætermittetur: ita enim convenit, et ad homagium nostrum pertinet.

Ut tres aut quatuor Typographiæ in Provincia erigantur, in quibus libri Catholici coutinuo imprimautur.

R. Ad sextum, Id nunc temporis fieri orgentibus de causis non potest, neque expedire modo judicatur, ut executioni mandetur.

Ut aliquot bonæ indolis juveoes Romam mittantur, ubi impensis Sanctitatis Suæ apud Patres Jesuitas in Collegio Germanico per aliqoot annos edoeabuntur.

R. Ad septimum, Gratias quamplurimas agunt, habentque Summo Pontifiei Rm̃us et Illm̃us Metropolitanus, Coepiscopique de tanta benevolentia erga Provinciam hanc, et quod Sua Sanctitas tam munifice dat, id ipsi grato animo accipiunt.

Confidit autem Sanctitas Sua, qood eum hæc diligentissime proposita, et discussa foerint ab Illm̃a Dominatione Vestra et a Rm̃is Coepiscopis suis, veloti ea quæ valde sont ad abusus extirpandos, ad reformationem inducendam, et religionem Catholicam vel instaurandam, vel conservandam collatura, summa cum religione (sicuti piissimos Antistites decet) sint observanda.

Quod si ulla erunt impedimenta, ob quæ tam hæc, quam reliqua in Synodo contenta, et a Rev. Patre Feliciano præscripta, mious exequi valeant Illm̃us et Rm̃us Archiepiscopus, nec non et Rm̃i Coepiscopi, cupit Saoctitas Sua de omoibus et singulis certior fieri, ut ejus studio et auctoritate, quam libentissime exhibebit, amoveri possiot.

R. Ad illam clausulam (Quod si ulla erunt impedimenta etc.), Si gravamina Cleri, et impedimenta, quæ Ordinariis obstaut, quo minus libere suscepto munere fungi possint iis in locis, ubi jurisdictionem temporalem non habent, per Summum Pontificem amota fuerint, reliqua erunt multo leviora.

Bartholomæus Comes Portiliarum
Nuntius.

ACTA IN CONVENTU PROVINCIALI SALISBURGENSI
ANNO MDLXXIII.

Die 24. Augusti, qoi fuit sacer D. Bartholomæo, appulerunt omnes Episcopi ac Prælati, qui conventuri erant. Germania Vol. 120. f. 88.

Die 25. adierunt Rm̃um et Illm̃um Metropolitanum officii causa, eum eoque de re tota, ob quam eoovocati fueraut, locuti sunt. Lectæ etiam sunt literæ absentium, quibus se excusabant, quod ad conventum non potuissent venire atque interesse. Præter hæc nihil aliud actum, nisi quod per cursorem Patres moniti fuere, ut sequenti luce post quintam horam in locum habendo conventui deputatum convenirent.

Die 26. postquam Patres conveneruut, singulis ante locis suis per Magistrum Cæremoniarum assignatis, Rm̃us et Illm̃us Metropolitanus incepit antiphonam sequentem eum versiculo et oratione.

Anti. Veni Saocte Spiritus etc.

℣. Emitte Spiritum tuum et ereabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus

Mentes nostras, quæsumus Dñe, Paracletus, qui a te procedit, illuminet, et in omnem, sicut tuus promisit Filius, inducat veritatem, qui cum eodem Filio, et Spirito Sancto vivis ac regnas Deus per omnia secula seculorum.

Cæteri responderunt, Amen.

Postmodum sedentibus omnibus Dominus Episcopus Chiemeusis, qui ejus rei jam monitus fuerit a Rm̃o et Illm̃o Metropolitano, causas hujus conventus explicavit, et alia multa huc facientia proposuit, in hunc fere modum.

Patres amplissimi etc. Quanquam in literis hujus sacræ convocationis, quæ ad singulos datæ suot, fuere causæ magna ex parte assignatæ, cur Reverendissimus et Illustrissimus Dominus noster Metropolitanus hunc conventum indixerit, ut tamen omnino satisfiat, id mihi datum negotii est, ut eas eoram pluribus exponam. Sunt autem quæ sequuotur.

Prima, ut audiatis quid Romæ Rñdus Dominus Felicianus SS. Theologiæ Doctor, ac Reverendissimi et Illustrissimi Metropolitani, totius Provinciæ Legatus in causa Synodi Provincialis egerit et confecerit.

Secunda, ut Decreta præfatæ Synodi a Sancta Sede Apostolica approbata jam ac confirmata publicentur, et consilium ac ratio aliqua ineatur, qua facile otiliterque pro rerum temporumque necessitate ad effectum adduci possint.

Tertia, ut consultetis, quonam pacto articuli illi, quos præfatus Dominus Felicianus nomine Sanctissimi Domini nostri Papæ obtulit, executioni mandari debeant, quippe qui ex decretis Provincialibus nostris magna ex parte excerpti, plurimum necessarii atque utiles sunt.

Quarta, ut deliberetis, quo modo gravamina totius Cleri Principibus Sæcularibus istius Provinciæ opportuno remedio exponenda sint, ut in Recessu præfatæ Synodi jampridem statutum fuit.

Quinta, cum in decretis Provincialibus nostris a Sancta Sede Apostolica quædam correcta sint, expuncta quædam, et quædam suspensa, videndum, quid in iis agendum sit.

His subjecit, quod felix ac faustum sit huic conventui; principio præfatus Dñus Felicianus exponet ea, quæ in Urbe legatum agens confecit. Quare peto a vobis, ut ipsum attente, humaniterque pro vestra benignitate audire velitis.

Tum præfatus Rñdus P. Felicianus hanc primam partem relationis suæ explicavit.

Relatio rerum a F. Feliciano etc.

Synodo Provinciali habita etc. ut supra.

Qua explicata, præfatus Dominus Episcopus Chiemensis jussu Reverendissimi et Illustrissimi Metropolitani dixit.

Cum unam partem totius relationis jam audiveritis, restat nunc, ut alteram quoque, et ea omnia, quæ huc spectant, audiatis. Id quod cum non recte, nisi invocato Spiritus Sancti auxilio, fieri possit, Rñum et Illñum Metropolitanum ad templum comitemur oportet, ubi de Sancto Spiritu Missam solemnem celebrabit.

Postea Episcopi ac Prælati induti, ut moris est, Rñum et Illñum Metropolitanum ad chorum Ecclesiæ Metropolitanæ cruce præcedente comitati sunt, ubi Magister cæremoniarum singulis Episcopis ac Prælatis loca debita assignavit.

Deinde Reverendissimus et Illñus Metropolitanus fecit Sacrum cum organis et musica, ministrantibus duobus ex Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ.

Cantato autem Symbolo Apostolico, præfatus Rñdus P. Felicianus orationem habuit, præmissa benedictione a Reverendissimo et Illño Metropolitano.

Finito Sacro Magister cæremoniarum monuit Patres, ut a prandio hora prima convenirent ad audiendam reliquam partem cœptæ relationis.

Post prandium cum Patres hora prima convenissent, præmissa superiori precatione a Reverendissimo et Illustrissimo Metropolitano ad invocandum numen divinum Spiritus Sancti, præfatus P. Felicianus quod reliquum erat relationis suæ prosecutus est, ea scilicet, quæ ad correctionem et emendationem decretorum Synodalium pertinebant.

Posthæc inter se Patres deliberarunt, statueruntque, quo tempore, et qua hora, ac quo modo ad consultationem rerum propositarum conveniendum esset.

Postremo Magister cæremoniarum, jussu Reverendissimi et Illustrissimi Metropolitani, indixit Patribus, ut quotidie mane quidem hora sexta ad audiendum Sacrum in Sacellum D. Joannis, ac deinde in locum constitutum ad consultandum venirent usque ad horam prandii, pomeridiano vero tempore hora prima usque ad tempus cœnæ. Id quod per eos dies omnes servatum est, quibus conventus duravit. Quoniam autem id moris est in Provincia Salisburgensi, ut Episcopi, quorum est decernere, locum habeant seorsum ab aliis, in hoc conventu quoque suus illis locus assignatus est. Res ipsæ vero, quæ in consultationem venirent, in Episcoporum conventu proponebantur. Deinde quicquid ab Episcopis consultum ac dictum fuisset, id apud minores Prælatos in medium adducebatur, ut horum quoque consilium accederet. Postea Episcopi ita aliorum sententias audiebant, ut tamen decernerent, quod e re sibi videretur.

Primum itaque conclusum est, ut Rñus et Illñus Metropolitanus nomine totius Provinciæ maximas gratias Summo Pontifici per literas ageret, propterea quod tanta humanitate et benevolentia decreta Provincialia confirmarit, ac tam paternum animum erga hanc Provinciam multis non obscuris indiciis declararit, præsertim monendo nos per P. Felicianum multis de rebus utilibus.

Deinde deliberatum, num præfata decreta Provincialia ob correctionem emendationemque Sanctæ Sedis Apostolicæ perlegi necesse esset. Quod Patres supervacaneum putarunt, quin potius judicarunt æquum, ut Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio ac censuræ simpliciter acquiesceretur. Quare ita promulgata, et ab omnibus suscepta sunt, imperatumque Ordinariis, ut quamprimum domum venerint, ea publicanda et custodienda quam diligentissime curent. Quoniam vero animadvertebant, ministros Principum Sæcularium hujus Provinciæ magno huic rei posse esse impedimento, distulerunt hoc negotium usquequo de gravaminibus ageretur.

Tertio consultarunt articulos illos, quos præfatus P. Felicianus nomine Summi Pontificis Rño et Illño Metropolitano, ejusque Coepiscopis obtulerat. Qua in re conclusum, ut singuli in consultationem adducerentur, et responderetur. Id quod factum est. Articuli vero cum responsis in margine appositis sunt, qui sequuntur.

Quæ per me F. Felicianum etc.

Synodus Provincialis etc. ut supra.

Idem cum aliquot articulis, quos Rñus Nuntius D. Bartholomæus ex Comitibus Purtiliarum nomine Summi Pontificis etiam proposuit. Sunt autem hi responsis suis ad singulos in margine appositis.

Articuli a Rño Nuntio etc. et responsa data etc.

Etsi Sanctissimus Dñus etc. ut supra.

Quarto de gravaminibus actum, et eo modo constitutum, ut est in Recessu. Fuere autem aliquot ex Patribus delecti, quibus mandatum est, ut gravamina omnia ab Episcopis, cæterisque Prælatis in medium adducta in unum colligerent, et si quæ germanice scripta, latine verterent, ut postea si se occasio et opportunitas offerret, ad Summum Pontificem aut ejus Nuntium mitti possent. Quoniam vero nonnulla quædam deesse videbantur, imperatum Patribus est, ut quamprimum domum redierint, in unum ea colligant, atque intra mensem ad Rmum et Illmum Metropolitanum mittant, ut missa legatione primo quoque tempore Principes Sæculares Provinciæ admonere hujus rei possit, ne aut Prælati ab executione decretorum impediantur, aut clerici a ministris Principum aggraventur.

Quinto, cum quædam decreta Provincialia a S. Sede Apostolica correcta sint, expuncta quædam, et quædam suspensa, visum Patribus est facere, ut tria per Brevia Apostolica obtineantur. Id quod fiet alio tempore. Horum autem unum spectat ad ætatem Domicellorum, hoc est, juniorum Canonicorum; alterum ad unionem unius Præbendæ Canonicalis cum Præposituris pauperibus Cathedralium Ecclesiarum; tertium ad Monasteria exempta ab Ordinariis, et in nullam congregationem redacta etc.

Sexto, quia in Synodo Provinciali superioribus temporibus habita, datum fuit negotium R. P. Feliciano, ut Agendarium corrigeret, et ad horum temporum necessitatem accommodaret, et instructionem pro Plebanis, aliisque Sacerdotibus adderet: Patres, cum illud jam correctum accommodatumque, et a Sancta Sede Apostolica una cum decretis Provincialibus approbatum perlegerent, nunc primum animadverterunt non facere pro tota Provincia, quod ad Sacramentorum administrationem pertinet, propterea quod modus administrandi Sacramenta ad Diœcesim Salisburgensem accommodatus sit, cum tamen singulæ Diœceses suos peculiares modos habeant. Quare cum plurimis Agendarium hoc commendassent, ita concluserunt, ut ea omnia, quæ ad administranda Sacramenta spectant, simul colligantur, ac seorsum pro Diœcesi Salisburgensi excudantur. Reliqua autem quæ ad instructionem Sacerdotum spectant, sola pro tota Provincia edantur in lucem.

Septimo datum est responsum ad literas Serenissimi Bavariæ Ducis Alberti, ut in Recessu habetur.

